BULLARIUM

ROMANUM

BULLARUM
DIPLOMATUM ET PRIVILEGIORUM
SANCTORUM ROMANORUM PONTIFICUM
TAURINENSIS EDITIO

LOCUPLETIOR FACTA

COLLECTIONE NOVISSIMA PLURIUM BREVIUM, EPISTOLARUM, DECRETORUM ACTORUMQUE S. SEDIS

A S. LEONE MAGNO USQUE AD PRAESENS

CURA ET STUDIO

COLLEGII ADLECTI ROMAE VIRORUM S. THEOLOGIAE ET Ss. CANONUM PERITORUM

QUAM

SS. D. N. PIUS PAPA IX

APOSTOLICA BENEDICTIONE EREXIT

AUSPICANTE

EMO AC REVMO DNO S. R. E. CARDINALI

ALOYSIO BILIO.

TOMUS XIII

URBANUS VIII (ab. an. MDCXXIII ad ann. MDCXXVIII).

AUGUSTAE TAURINORUM
A. VECCO ET SOCIIS EDITORIBUS
SUCCESS. SEBASTIANI FRANCO ET FILIORUM
M DCCC LXVIII.

ALMA COLLEGE
262.11
LIBRARY
T195
Alma, California
25403

LECTORI BENEVOLO

EDITORES TAURINENSES

S.

Orbitatis plus quam septuennis luctui finem tandem imponimus. En iterum Editio haec nostra prodit inscripta fronti ac nobiliter in conspectu omnium condecorata et aucta titulo Patroni Eminentissimi, cuius nomen amplissima laus, cuius benevolentia dulce solatium, cuius praesidium firma securitas est.

Equidem dicere non possumus quantum nobis non solum doloris sed et iacturae attulerat bonae atque colendae iugiter memoriae Francisci Gaude ex inclito Praedicatorum Ordine Cardinalis amplissimi praeproperum fatum, qui huius nostrae Editionis nedum Patronus, verum etiam ab ipsius incunabulis, prope dixerim, Parens et Auctor, propter eam, qua nos opusque nostrum prosequebatur, comitatem et benevolentiam, nunquam non nos iuvabat opera, consiliis, auxilio; laborum et ipse una factus nobiscum vigiliarumque particeps, dubia aperiens, operis apud universos Ecclesiae Catholicae Praesules fautor et commendator, et, quod pluris est, innumerûm Pontificiorum Diplomatum ad *Appendicem* concinnandam undequaque conquisitor et collector assiduus ac studiosissimus. Ultro enim,

gratissimoque animo profitemur illius potissimum impensioribus curis debitores nos esse ingentis huius, quae apud nos sollicite custoditur, ineditorum adhuc monumentorum copiae, quae, postquam tota fuerit evulgata, miraculo erit.

Ast non in finem deseruit nos D. O. M. ipsiusque in terris Vicarii bona benignaque Providentia; neque sane minora unquam speramus auxilia atque iuvamina ab Eminentissimo ac Reverendissimo Principe Aloysio Bilio, cive Alexandrino, totiusque ditionis Subalpinae lumine atque ornamento, quem ipsi primum anno mox elapso, quum Romae fuimus centennali Bb. Apostolorum Petri et Pauli recurrente celebritate, vehementer flagitavimus, nuper autem suppliciter a nobis exoratus Patronum dedit Pater peramantissimus PIUS PP. IX virum sibi cohaerentem atque unanimem, nobis autem prae ceteris patria necessitudine devinctum, in tota porro Ecclesia virtutum sapientiaeque claritate conspicuum. Equidem, quantum tali Viro adaugenda sit nostra Editio, ipse iam optime noris, Lector benigne; eo praesertim titulo adiuncto, quem ceteris ingenii animique dotibus veluti cumulum superposuit Princeps Eminentissimus, comitatem, inquam, et benevolentiam qua nos operamque nostram suis sub auspiciis libenter excipere ultro professus est [1]. Qua de re dum impensissimas illi grates ex animo heic publice referimus, facere non possumus quin tecum quoque, optime Lector, vehementissime gratulemur: nam reliquis sedulitatis nostrae diligentiaeque argumentis, quae, quatuor intra unius anni spatium evulgatis voluminibus ter circiter paginarum millia simul conficientibus, potissi-

1 En quibus verbis benignissimis suam nobis animi propensionem testari voluit Princeps Optimus suis Romae datis litteris die 1 martii 1868:

« Pregiatissimi Signori,

« Persuaso del sommo vantaggio che senza dubbio recherà agli studî, principalmente » sacri, la nuova e splendida Edizione del gran *Bollario Romano* da Voi continuata, non » potei esitare ad accettarne, coll'approvazione della Santità di Nostro Signore, il protettorato; e sarò lietissimo di concorrere anch'io, quanto me lo consentiranno le mie forze e » le mie occupazioni, al felice compimento di questa insigne e colossale intrapresa, la quale » sì grandemente onora la vostra casa e la nostra patria ».

mum dedimus, hoc etiam, quod unum adhuc deerat, omnium maximum postremumque accedit pignus coepti alacriter prosequendi, atque ad ultimum usque certo certius, auxiliante Deo, perducendi, nempe sub tanti Viri nomine et tutela nostram fuisse Editionem ab ipso Supremo Hierarcha constitutam.

Pauca nunc de Volumine isto, totius Operis Decimotertio, quod non serius quadrimestri spatio post Duodecimum evulgamus, proloqui habemus. Parum aequa Mainardianae editionis voluminum distributione per nos in melius redacta et immutata, initium Tomi facimus a magno longoque annorum XXI Urbani VIII Pontificatu, cuius quinque tantummodo annos priores, sed qui Actorum copia pleniores sunt, tibi damus, ea videlicet quae in editione Romana a pagina 117 partis V tomi V usque ad paginam 136 partis I tomi VI discerptim continentur, totum deinde ipsius Urbani Pontificatum, illo etiam per integrum adiecto Innocentii X, tribus voluminibus intra annum edendis complexuri. Quo factum erit ut Magna nostra Bullarum Collectio usque ad annum Reparatae Salutis MDCLV perducatur; id est decem tantummodo Romanorum Pontificum per octuaginta quinque annos Acta supererunt edenda ut ad Benedictum XIV, ubi desinit editio Mainardiana, pertingamus. Istamque nostri Operis Partem priorem, eamque certe graviorem, triennio absolutum iri confidimus. Itaque, Lector benigne, vel hoc pacto totam editionem Mainardianam evulgatam habebimus: non quidem tunc a coepto destituri, sed illius continuationem ad nostra usque tempora, nova alacritate, novisque viribus, Deo iuvante, resumpturi.

Quot quantique ponderis emendationes editioni Romanae adhibuerimus, hic proxime adiectus illarum catalogus satis tibi demonstrabit. Quod si una vel altera vice aqua haesit, hoc ipsum suo loco monuimus, ut per te valeas, quod nos minime potuimus, emendare. Unam etiam Urbani VIII Constitutionem, quam a Romanis editionis illius curatoribus omissam fuisse deprehendimus, integram dare ex Cherubinio nobis curae fuit. Ad ordinem vero chronologicum quod spectat, quem in Pontificiarum Constitutionum dispo-

sitione, quantum possibile fuit, servare studuimus, nil novi addimus iis quae iam in superioribus voluminibus praelocuti sumus.

Sed ista dum omni conatu iterum edenda curamus quae iam edita erant, ineditam quoque APPENDICEM ultra promovere nequaquam negligimus; moxque altero volumini, quod GREGORII PP. I cognomento Magni Pontificatum ex integro referet, concinnando, extremam manum admovemus.

Curas nostras, Lector benevole, comiter excipere ne desinas, diuque te sospitet Deus.

Augustae Taurinorum, kalendis aprilis ann. MDCCCLXVIII.

A. VECCO ET SOCII.

TABULA

Quae novum ordinem *refert, quo chronologice dispositae sunt Pontificiae Constitutiones in Editione Taurinensi, collatum cum* veteri ordine *Romanae Editionis Hieronymi Mainardi.*

Edit. Taur. Tom. XIII		Edit. Rom. Tom. V, part. V
	URBANUS VIII.	
1623	I Circumspecta in omnibus	1
»	II Rationi congruit et convenit	2
»	III Rationi congruit et convenit	3
»	IV Rationi congruit et convenit	4
»	V Ex debito pastoralis officii	5
»	VI Sacrosancti apostolatus	6
»	VII In supremo militantis	7
»	VIII Ex iniuncto nobis desuper	8
»	IX Sanctissimus in Christo	9
»	X Æternus rerum conditor	10
»	XI Decet Romanum Pontificem	11
»	XII Pastoralis officii nostri cura	12
»	XIII Ex iniuncto nobis desuper	13
»	XIV Caelestis aquae flumen	14
»	XV In specula milit. Ecclesiae	15
»	XVI Aliàs a felicis recordationis	16
»	XVII Cum, sicut accepimus	17
»	XVIII Decet Romanum Pontificem	18
»	XIX Romanus Pontifex, ad quem	19
»	XX Militantis Ecclesiae regimini	20
1624	XXI Decet Romanum Pontificem	21
»	XXII In supremo apostolatus	22
»	XXIII Onerosa pastoralis officii	23
»	XXIV Ad aures nostras non sine	24
»	XXV Aliàs felicis recordationis	25
»	XXVI Cum, sicut dilectus filius	26
»	XXVII Sacrosanctae Romanae	27
»	XXVIII Sanctissimus D. N. D	28
»	XXIX Cum, sicut accepimus	29
»	XXX Cum, sicut accepimus	30
»	XXXI Cum, sicut accepimus	31
»	XXXII Cum, sicut accepimus	32
»	XXXIII Cum, sicut accepimus	33
»	XXXIV Cum, sicut accepimus	34
»	XXXV Praeclara praedecessorum	35
»	XXXVI Imperscrutabili divinorum	36
»	XXXVII Nuper supplicationibus	37
»	XXXVIII Nuper supplicationibus	38
»	XXXIX Aliàs a felicis recordationis	39
»	XL Romanus Pontifex, in quo	40
»	XLI Cupientes prospero	41
»	XLII Cum, sicut charissimus	42
»	XLIII Militantem Ecclesiam	43

Edit. Taur. Tom. XIII		Edit. Rom. Tom. V, part. V
1624	XLIV Cupientes in hac nostrâ	43
»	XLV Quoniam in prosequendo	43
»	XLVI Officii nostri est pastoralia	43
»	XLVII Cum in pastorali visitatione	43
»	XLVIII Rerum, quae nobis, cordi	43
»	XLIX Ut in prosequendo	43
»	L Singularia atque eximia	44
»	LI Universalis Ecclesiae	45
»	LII Aliàs a felicis recordationis	46
»	LIII Nuper, cum causa inter	22
»	LIV Aliàs de tuâ prudentiâ	47
»	LV Singularia multiplicum	48
»	LVI Exponi nobis nuper fecit	49
»	LVII Omnes gentes plaudite	50
»	LVIII Cum nuper iubilaei	50
»	LIX Ex illo die, quo mirabilia	51
»	LX Aliàs a felicis recordationis	52
»	LXI Aliàs a felicis memoriae	53
»	LXII Ut ea quae pro personarum	54
»	LXIII Romani Pontifices, qui	55
»	LXIV Aliàs felicis recordationis	56
»	LXV Aliàs felicis recordationis	57
»	LXVI Circumspecta Sedis Ap.	58
»	LXVII Sacrosanctum apostolatus	59
»	LXVIII Aliàs piae memoriae	60
»	LXIX Iniuncti nobis apostolici	61
»	LXX Cum dilectus filius nobilis	62
»	LXXI Cum dilectus filius nobilis	62
»	LXXII Considerantes ducatum	63
»	LXXIII Exponi nobis nuper fecit	64
»	LXXIV Romanus Pontifex a Salvat.	65
»	LXXV Militantis Ecclesiae regim.	66
»	LXXVI Aliàs a felicis recordationis	67
»	LXXVII Cum nuper, ob sacri iub.	68
»	LXXVIII Commissi nobis per	69
»	LXXIX Ut penuriae notariorum	70
»	LXXX In sede Principis apostol.	71
»	LXXXI Domini nostri Iesu Christi	72
»	LXXXII Sacrosancti apostolatus	73
»	LXXXIII Ad audientiam nostram	74
»	LXXXIV Accepimus nuper, fratern.	75
»	LXXXV Romanus Pontifex, cui	76
»	LXXXVI Sacra Congregatio cardin.	77
»	LXXXVII Decet Rom. Pontificem	78
»	LXXXVIII Cum nos nuper supplicat.	79
»	LXXXIX Superni benignitas Condit.	80

Edit. Taur. Tom. XIII		Edit. Rom. Tom. V, part. V
1624	XC Exponi nobis nuper fecit.	81
»	XCI Nuper, pro parte charissimi	72*bis*
»	XCII Sacrosanctum apostolatus.	82
»	XCIII Pastoris aeterni, qui pro.	83
»	XCIV Cum nos nuper Militiam.	84
»	XCV Exponi nobis nuper fecisti	85
»	XCVI Onerosa pastoralis officii.	86
»	XCVII Pietatis et christianae.	87
»	XCVIII Univers. Ecclesiae regimini	88
»	XCIX In sede Principis apostol.	89
»	C Nuper a nobis emanarunt.	90
»	CI Inter cetera cordis nostri.	91
»	CII Secretis aeternae providen.	92
»	CIII Nuper accepimus, quod.	93
»	CIV In supereminentis Sedis Ap.	94
»	CV Cum dilectus filius nobilis.	95
»	CVI Nuper supplicationibus.	96
»	CVII Cum, sicut pro parte.	97
1625	CVIII Sacrosanctum apostolatus.	98
»	CIX Apostolicam decet.	99
»	CX Immortales christianae.	100
»	CXI Pontificia sollicitudo.	101
»	CXII Paterna dominici gregis.	102
»	CXIII Paterna dominici gregis.	102
»	CXIV Salvatoris et Domini nostri	103
»	CXV Conservationi et manutent.	104
»	CXVI Cum aliàs felicis recordat.	105
»	CXVII Romanus Pontifex a Salvat.	106
»	CXVIII Sacrosanctum apostolatus.	107
»	CXIX Aliàs a felicis recordationis	108
»	CXX Salvator noster Dominus.	109
»	CXXI Annonae copiae, quantum.	110
»	CXXII Cum nos hodie motu.	111
»	CXXIII Cum nos hodie motu.	111
»	CXXIV Sacrosanctum apostolatus.	112
»	CXXV Cum nos nuper ad regimen	113
»	CXXVI Sacrosanctum apostolatus.	114
»	CXXVII Nobis nuper pro parte.	115
»	CXXVIII Tornitrua ultionis Omnip.	116
»	CXXIX Cum nos nuper te ad.	117
»	CXXX Sanctissimus D. N.	118
»	CXXXI Aliàs a felicis recordationis	129
»	CXXXII Divinae misericordiae.	120
»	CXXXIII Sedes apostolica pia mater	121
»	CXXXIV Romanus Pontifex in sacrâ	122
»	CXXXV Orthodoxae fidei, religionis	84
»	CXXXVI Sacrosanctum apostolatus.	123
»	CXXXVII Circumspecta Romani Pont.	124
»	CXXXVIII Aliàs, supplicationibus.	125
»	CXXXIX Nomine dilecti filii.	126
»	CXL Cum nos nuper, occasione.	127
»	CXLI Aliàs a felicis recordationis	128
»	CXLII In sede Principis apostol.	129
»	CXLIII Salvator noster Dominus.	130
»	CXLIV Ad audientiam apostolatus	131
»	CXLV Cum saepe contingat.	132
»	CXLVI Pro nostro munere in his.	133

Edit. Taur. Tom. XII		Edit. Rom. Tom. V, part. V
1625	CXLVII Cum, sicut dilectus filius.	134
»	CXLVIII Dominici gregis cura.	135
»	CXLIX Quae ad restituendos in.	136
»	CL Creditum humilitati nostrae	137
»	CLI In supereminenti Sedis Ap.	138
»	CLII Cum nos nuper in monte.	139
»	CLIII Aliàs per nostras in simili	140
»	CLIV Exponi nobis nuper fecit.	141
»	CLV Aliàs per felicis recordat.	142
»	CLVI Apostolici muneris sollicit.	143
»	CLVII Aliàs a felicis recordationis	144
»	CLVIII Aliàs a nobis emanarunt.	145
»	CLIX Romani Pontificis circum.	146
»	CLX Domini nostri Iesu Christi.	147
»	CLXI Sanctissimus Dominus nost.	148
»	CLXII In speculâ milit. Ecclesiae.	149
»	CLXIII Sacrosanctum apostolatus.	150
»	CLXIV In supereminenti apostol.	151
»	CLXV Humanae salutis auctor.	152
»	CLXVI Salvatoris et Domini nostri	153
»	CLXVII Exponi nobis nuper fecit.	154
»	CLXVIII Apostolatus officium, nullo	155
»	CLXIX Exponi nobis nuper fecer.	156
»	CLXX Pastoralis officii nobis.	157
»	CLXXI Ex iniuncto nobis desuper.	158
»	CLXXII In supremo apostolatus.	150
»	CLXXIII Orthodoxae fidei conserv.	159
»	CLXXIV In supremo apostolatus.	160
»	CLXXV Admonet nos cura.	161
»	CLXXVI Iniuncti nobis apostolici.	150
»	CLXXVII Aliàs felicis recordationis.	*
»	CLXXVIII Exponi nobis nuper.	162
1626	CLXXIX Quamvis ab initio nostri.	163
»	CLXXX Singularibus tuae in nos.	164
»	CLXXXI Singularibus tuae in nos.	164
»	CLXXXII Cum, sicut dilectus filius.	165
»	CLXXXIII Ad Romani Pontificis prov.	166
»	CLXXXIV Romanus Pontifex, quem.	167
»	CLXXXV Aliàs a nobis emanarunt.	168
»	CLXXXVI Romanus Pontifex aequi.	169
»	CLXXXVII Cum, sicut dilectus filius.	170
»	CLXXXVIII Clerum Leodiensem ob.	171
»	CLXXXIX Nuper, nomine dilectorum.	149
»	CXC Cum, sicut dilectus filius.	172
»	CXCI In cathedrâ Principis apost.	173
»	CXCII In Sede Principis apostolor.	174
»	CXCIII Exponi nobis nuper fecit.	175
»	CXCIV Onerosa pastoralis officii.	176
»	CXCV Ex iniuncto nobis desuper.	177
»	CXCVI Cum, sicut non sine gravi	178
»	CXCVII Ad apostolatum nostrum.	178
»	CXCVIII In supremo Apostolicae.	179
»	CXCIX Exponi nobis nuper.	180
»	CC Exponi nobis nuper.	180
»	CCI Militant. Ecclesiae, licet.	181

* Ex Cherub. XXI.

Edit. Taur. Tom. XIII		Edit. Rom. Tom. VI, part. I	
1626	CCII	Sacrosanctum apostolatus .	182
»	CCIII	Pastoralis officii nobis . . .	183
»	CCIV	Decet Romanum Pontificem	184
»	CCV	Salvatoris et Domini nostri	185
»	CCVI	Spirituali christifidelium .	186
»	CCVII	Iniuncti nobis apostolici. .	187
»	CCVIII	Aliàs a felicis recordationis	188
»	CCIX	Ad uberes et suaves fructus	189
»	CCX	Aliàs, felicis recordationis .	190
»	CCXI	Singularibus tuae in nos .	191
»	CCXII	Sacrosanctum apostolatus .	192
»	CCXIII	Accepto, quod sanctae . .	193
»	CCXIV	Licet nullus episcoporum .	194
»	CCXV	In supereminenti Sedis Ap.	195
»	CCXVI	Eximius maiestatis tuae .	196
»	CCXVII	Muneri nostro apostolico .	197
»	CCXVIII	Eximius maiestatis tuae . .	198
»	CCXIX	Cum, sicut nobis nuper . .	199
»	CCXX	Singulares atque eximiae .	200
»	CCXXI	Conservationi et manutent.	201
»	CCXXII	Romanus Pontifex aequi .	202
»	CCXXIII	Decet Romanum Pontificem	203
»	CCXXIV	Humanarum rerum ea est.	87
»	CCXXV	Cum, sicut accepimus . .	204
»	CCXXVI	Felici ac prospero monast.	205
»	CCXXVII	Ex debito apostolicae serv.	206
»	CCXXVIII	Aliàs a nobis emanarunt . .	207
1627	CCXXIX	Cum, sicut dilectus filius .	208
»	CCXXX	Aliàs felicis recordationis .	209
»	CCXXXI	In eis praecipue sollicitud.	210
»	CCXXXII	Cum, sicut nobis nuper .	211
»	CCXXXIII	Pastoris aeterni, qui pro .	212
»	CCXXXIV	Pastoralis officii nobis licet	213
»	CCXXXV	Ad uberes et suaves fructus	214
»	CCXXXVI	Expositum nobis nuper fuit	215
»	CCXXXVII	Ut decreta aliàs sub die . .	216
»	CCXXXVIII	Ab illâ die, qua divinae . .	217
»	CCXXXIX	Romanus Pontifex, aequi .	218
»	CCXL	Pastoralis Romani Pontif.	219
»	CCXLI	Exponi nobis nuper fecit .	220
»	CCXLII	In supremo apostolatus . .	221
»	CXLIII	Romanus Pontifex, quem .	222
»	CXLIV	Zelo domus Dei nos . . .	223
»	CXLV	Decens et aequum esse .	224
»	CXLVI	Quoniam divinae bonitati .	225
»	CXLVII	Quoniam divinae bonitati .	226
»	CXLVIII	Salvatoris et Domini nostri	227
»	CXLIX	Spectata diu circumspect.	228

Edit. Taur. Tom. XIII		Edit. Rom. Tom. VI, part. I	
1627	CCL	In Sede Princ. apostolorum	229
»	CCLI	Exponi nobis nuper fecer.	230
»	CCLII	Hodie pro parte dilectorum	231
»	CCLIII	Sanctissimus D. N. Urbanus	232
»	CCLIV	Immortalis Dei filius . . .	233
»	CCLV	Si processus inquisitionis .	234
»	CCLVI	Creditum humilitati nostrae	235
»	CCLVII	Exponi nobis nuper fecit .	236
»	CCLVIII	Pastoralis officii nobis . .	237
»	CCLIX	Salvatoris et Domini nostri	238
»	CCLX	Salvatoris et Domini nostri	239
»	CCLXI	Sedes apostolica, pia mater	240
»	CCLXII	Debitum pastoralis officii .	241
»	CCLXIII	In supremo apostolatus .	242
»	CCLXIV	Inter cetera pietatis opera	243
»	CCLXV	In supremâ militantis. . .	244
»	CCLXVI	Ad militantis Ecclesiae . .	245
»	CCLXVII	Cum, sicut nobis innotuit .	246
»	CCLXVIII	De salute dominici gregis .	247
»	CCLXIX	Cum primum ad summi. .	248
»	CCLXX	In supremâ pastoralis . .	249
»	CCLXXI	Commissi nobis per . . .	250
»	CCLXXII	Romanus Pontifex, cuius .	251
»	CCLXXIII	Cum nos aliàs facultates .	252
»	CCLXXIV	Aliàs, pro parte dilecti .	221
1628	CCLXXV	Iniuncti nobis apostolici .	253
»	CCLXXVI	In superminenti Apostolic.	254
»	CCLXXVII	Nuper pro parte dilectorum	242
»	CCLXXVIII	Romanus Pontifex, aequi	255
»	CCLXXIX	Aliàs a felicis recordationis	256
»	CCLXXX	Exponi nobis nuper . . .	257
»	CCLXXXI	Cum, sicut accepimus . .	258
»	CCLXXXII	Aliàs, nomine dilectorum .	266
»	CCLXXXIII	Apostolatus offiicium . . .	259
»	CCLXXXIV	Æternus rerum Conditor .	260
»	CCLXXXV	Aliàs, pro parte dilecti .	261
»	CCLXXXVI	Quod ab initio pontificatus	262
»	CCLXXXVII	Militantis Eccl. regimini .	263
»	CCLXXXVIII	Circumspecta Romani Pont.	264
»	CCLXXXIX	Romanus Pontifex, e subl.	265
»	CCXC	Commissi nobis per . . .	267
»	CCXCI	Militantis Eccl. regimini .	268
»	CCXCII	Aliàs a nobis emanarunt. .	83
»	CCXCIII	Aliàs a felicis recordationis	264
»	CCXCIV	Aliàs pro parte bonae . .	270
»	CCXCV	Ex iniuncti nobis apostol.	271
»	CCXCVI	In speculâ militantis Eccl.	272
»	CCXCVII	Exponi nobis nuper . . .	273

ERRATA-CORRIGE

Pag.		*Lege:*	*Pag.*		*Lege:*
343 *a*	CLVI	CXLVI	417 *b*	CLXII	CLXXVII
367 *a*	CLVIII	CLVII	419-456 *b*	CLXXXVIII-CCII	CLXXVIII-CXCII
382 *b*	CLVI	CLXVI	517 *a*	CXXXI	CCXXXI
409 *b*	CLXXXVI	CLXXVI			

INDICULUS

SS. PONTIFICUM CONSTITUTIONUM

QUAE IN HOC TOMO XIII

EXTRA ORDINEM CHRONOLOGICUM VAGANTUR.

PIUS IV.

Datum	*A. D.*		*Pag.*
11 Martii	1560	De statu ecclesiarum . .	436

GREGORIUS XIII.

8 Augusti	1584	Quamvis nos pridem . .	154*a*

SIXTUS V.

13 Novembris	1586	Cunctarum orbis ecclesiarum	632
27 Maii	1587	Nuper a nobis emanarunt	632

CLEMENS VIII.

1 Martii	1594	Inter multiplices . . .	495
5 Februarii	1596	In eminenti Sedis Apostolicae	311
5 Novembris	1596	Aliàs per nostras . . .	313
7 Aprilis	1604	Cum, sicut accepimus, .	154*b*

PAULUS V.

Datum	*A. D.*		*Pag.*
26 Augusti	1605	Meritis et supplicationibus vestris	328
9 Decembris	1606	Ex iniuncto nobis . . .	196
26 Septembris	1607	Ad universalis Ecclesiae regimen	284

GREGORIUS XV.

29 Novembris	1621	Ex iniuncto	642
31 Martii	1622	Nuper pro parte . . .	151

URBANUS VIII.

21 Martii	1624	Aliàs fel. rec. Paulo PP. V.	417
11 Iulii	1624	Ut in prosequendo . .	133
Absque data	1625	Quamvis ab initio . . .	421
Absque data	1627	Si processus	581

INDEX

LECTIONUM, VEL MENDOSARUM, VEL DUBIARUM

EDITIONIS ROMANAE

QUIBUS OPPONUNTUR SINGULIS SINGULAE EMENDATIONES VEL LECTIONES

NOSTRAE EDITIONIS.

(*Vide Adv. tom.* XI *pag.* XII).

Advert. In numerandis lineis a supra paginarum editionis Romanae nulla habetur ratio rubricarum et titulorum quando ab hisce incipit pagina vel columna. Viceversa in lineis numerandis ab infra nostrae editionis nulla habetur ratio notarum.

Edit. Rom. Main. Tom. V, *Part.* V.					*Edit. Taur. Tom.* XIII.				
Pag.	118 *b*	linea	3	antelationum, antelationibus	*Pag.*	2 *b*	linea	9 *ult.*	antelationibus
»	119 *a*	»	27	reservatis	»	3 *b*	»	2 *ult.*	reservatas
»	120 *b*	»	16	existentium	»	6 *a*	»	16	existentia
»	124 *b*	»	12 *ult.*	quam	»	12 *b*	»	3 *ult.*	qua
»	125 *a*	»	18 *ult.*	vero	»	13 *b*	»	20	altero
»	125 *b*	»	15	Non	»	14 *a*	»	10	Nondum
»	126 *a*	»	28	revinciendis	»	15 *a*	»	5	revincendis
»	127 *b*	»	30 *ult.*	aëra	»	17 *b*	»	11	in aëra
»	128 *b*	»	28 *ult.*	ingenti	»	19 *a*	»	18 *ult.*	ingens
»	129 *a*	»	34	erga	»	20 *a*	»	1	ergo
»	129 *a*	»	44	afflatus	»	20 *a*	»	11	affatus
»	131 *a*	»	4 *ult.*	nec non	»	23 *a*	»	3 *ult.*	et non
»	131 *b*	»	1	illis	»	23 *b*	»	1	illius
»	134 *b*	»	36	possent	»	28 *b*	»	21	posset
»	135 *b*	»	20	quiescere	»	30 *a*	»	13	quiescere posset
»	135 *b*	»	22	et caeca	»	30 *a*	»	15	caeca
»	137 *b*	»	9	Patri	»	33 *a*	»	7 *ult.*	Patris
»	138 *a*	»	18-23	etiam... meruerat	»	34 *a*	»	11-16	ut etiam... meruerit
»	138 *a*	»	33	ut vere	»	34 *a*	»	25	vere
»	138 *a*	»	22 *ult.*	In primis	»	34 *a*	»	1	Cumque in primis
»	139 *a*	»	23 *ult.*	studium	»	36 *a*	»	12	stadium
»	139 *b*	»	26	nullique	»	36 *b*	»	17	nonnullique
»	146 *b*	»	38	possessio	»	47 *b*	»	13 *ult.*	possessione
»	148 *b*	»	9 *ult.*	abbatis	»	51 *a*	»	11	abbatiis
»	150 *b*	»	4	ad	»	53 *b*	»	22 *ult.*	ac
»	150 *b*	»	11	nominumque	»	53 *b*	»	14 *ult.*	nominaque
»	151 *b*	»	5 *ult.*	et	»	55 *b*	»	13 *ult.*	ad
»	154 *b*	»	22 *ult.*	quorum	»	59 *b*	»	8 *ult.*	quibusvis
»	156 *a*	»	7	aliàs	»	61 *b*	»	10	alias

Edit. Rom. Main., Tom. V, *Part.* V.					*Edit. Taur. Tom.* XIII.				
Pag.	156 *b*	linea	1	prius	*Pag.*	62 *a*	linea	21	plus (*vel* magis)
»	157 *a*	»	10	*ult.* ei	»	63 *a*	»	11	*ult.* eis
»	159 *b*	»	18	factis	»	66 *a*	»	9	*ult.* factas
»	160 *a*	»	15	*ult.* et de hoc	»	67 *a*	»	15	*ult.* et, si de hoc
»	160 *b*	»	23	Et ipsum	»	67 *b*	»	19	Et si ipsum
»	162 *b*	»	14	*ult.* vacaturi	»	70 *a*	»	9	*ult.* vacaturis
»	163 *a*	»	24	*ult.* pro expresso	»	71 *a*	»	4	pro expressis
»	163 *a*	»	23	*ult.* extendendos	»	71 *a*	»	5	..... (?)
»	163 *a*	»	10	*ult.* de veritate	»	71 *a*	»	17	ne de veritate
»	163 *a*	»	3	*ult.* expeditas	»	71 *a*	»	23	expeditis
»	163 *b*	»	12	solita	»	71 *a*	»	3	*ult.* solitam
»	165 *a*	»	19	valeamus	»	73 *b*	»	19	*ult.* non valeamus
»	165 *b*	»	1	*ult.* nec	»	74 *b*	»	1	*ult.* necnon (?)
»	167 *a*	»	19	*ult.* XX	»	77 *a*	»	1	X
»	167 *a*	»	5	*ult* fuisset	»	77 *a*	»	16	an fuisset
»	169 *a*	»	2	*ult.* nostra	»	80 *a*	»	8	*ult.* nostrae
»	171 *a*	»	26	personatus	»	83 *a*	»	2	personas
»	172 *b*	»	13	*ult.* rerum prout,	»	85 *b*	»	14	prout, rerum
»	174 *b*	»	31	natalium	»	88 *a*	»	5	*ult.* natalium contraxerint
»	175 *b*	»	20	pensionum	»	89 *b*	»	9	*ult.* pensionum seu fructuum
»	175 *b*	»	32	aliquas	»	90 *a*	»	4	per aliquas
»	175 *a*	»	34	pensiones	»	90 *a*	»	6	ac pensiones
»	176 *b*	»	5	specialibus	»	91 *a*	»	10	*ult.* editis specialibus
»	177 *b*	»	1	dotata	»	92 *b*	»	8	*ult.* dotatam
»	177 *b*	»	22	perpetuo	»	93 *a*	»	15	perpetuo pertineat
»	178 *a*	»	15	*ult.* anteriori	»	94 *a*	»	12	posteriori
»	178 *b*	»	15	publicare	»	94 *b*	»	18	pubblicantes
»	178 *b*	»	32	aggravandi	»	94 *b*	»	7	*ult.* aggravando
»	179 *b*	»	25	absolutos	»	96 *b*	»	17	absolutas
»	180 *a*	»	14	*ult.* praedictis	»	97 *b*	»	9	praedicti
»	184 *a*	»	11	*seq.* Vicentinae	»	102 *a*	»	13	*ult. seq.* Vicensis (?)
»	185 *a*	»	41	*ult.* Legionis regnorum in	»	103 *b*	»	6	*ult.* Legionis in
»	185 *a*	»	32	*ult.* supplicant	»	104 *a*	»	5	supplicat
»	185 *b*	»	8	*ult.* Christi	»	105 *a*	»	5	Christus
»	187 *a*	»	3	indemnitati	»	106 *b*	»	18	indemnitate
»	187 *a*	»	29	factae	»	107 *a*	»	4	facta
»	188 *a*	»	23	episcopum	»	108 *b*	»	7	episcopum pertinere
»	190 *a*	»	16	*ult.* Sane, licet	»	111 *b*	»	14	*ult.* Sane, cum licet
»	190 *b*	»	34	*ult.* elegi	»	112 *a*	»	3	*ult.* eligi
»	191 *a*	»	13	*ult.* contenia	»	113 *b*	»	2	contenta sunt
»	191 *b*	»	9	*ult.* Imperscrutabili	»	114 *a*	»	15	*ult.* Imperscrutabilis
»	192 *a*	»	26	*ult.* Nivernensium	»	114 *b*	»	6	*ult.* Nivernensis
»	193 *b*	»	15	concedere	»	116 *b*	»	2	*ult.* condere
»	195 *a*	»	31	*ult.* licet asserta quaedam	»	119 *b*	»	6	assertâ quadam
»	196 *a*	»	10	*ult.* illisque	»	121 *a*	»	26	illasque
»	196 *b*	»	7	et interdum	»	121 *b*	»	11	interdum
»	196 *b*	»	17	praedecessores	»	121 *b*	»	21	praedecessor
»	196 *b*	»	25	circa	»	121 *b*	»	30	citra
»	197 *a*	»	28	*ult.* Constitutiones	»	122 *b*	»	16	Constitutionem
»	197 *a*	»	11	*ult.* 7 *ult.* eos... qui... voluerit	»	122 *b*	»	8	*ult.* 4 *ult.* eum... qui... voluerit
»	197 *b*	»	2	*ult.* VI	»	123 *b*	»	25	VII
»	198 *b*	»	9	militarium	»	124 *b*	»	14	militarium fuerint requisiti,
»	199 *a*	»	18	*ult.* a nobis ipsis	»	125 *b*	»	9	*ult.* nobis ipsi (?)
»	201 *b*	»	4	Ordinis	»	129 *a*	»	18	Ordinis, etiam
»	201 *b*	»	19	*ult.* erga personas	»	129 *b*	»	17	erga quascumque personas

Edit. Rom. Main., Tom. V, *Part.* V.		*Edit. Taur. Tom.* XIII.	
Pag. 201 *b* linea 13 *ult.*	tam	*Pag.* 129 *b* linea 24	etiam (?)
» 202 *a* » 20 *ult.*	cuilibet	» 130 *a* » 16 *ult.*	a quolibet
» 202 *b* » 20	cuiusvis	» 130 *b* » 3 *ult.*	cuivis
» 202 *b* » 4 *ult.*	quăcumque	» 131 *a* » 1 *ult.*	quaecumque
» 203 *a* » 20	et	» 132 *b* » 1	in
» 204 *a* » 18 *ult.*	ut	» 133 *b* » 7	ac, ut
» 204 *b* » 1	Singulari	» 133 *b* » 2 *ult.*	Singularia
» 204 *b* » 5	annuemus	» 134 *a* » 3	annuamus
» 204 *b* » 17 *ult.*	extra gabellam . . .	» 134 *a* » 11 *ult.*	ex gabella
» 205 *a* » 25 *ult.*	exercent	» 135 *a* » 12	exercerent (?)
» 205 *b* » 17 *ult.*	quae	» 136 *a* » 8	quo
» 207 *b* » 2 *ult.*	3.	» 139 *a* » 10 *ult.*	30
» 181 *b* » 36	earum	» 139 *b* » 4 *ult.*	eorum
» 208 *b* » 1	eorumque	» 141 *a* » 15	earumque
» 209 *a* » 30 *ult.*	quae	» 142 *a* » 10 *ult.*	qua
» 210 *b* » 35 *ult.*	reddituram	» 144 *b* » 13	redituram
» 211 *a* » 12	interpellatos	» 145 *a* » 17	interpolatos
» 211 *b* » 10 *ult.*	existentibus	» 146 *b* » 3	existentium
» 212 *a* » 25 *ult.*	22 *ult.* Cum nuper iubilaei celebrationem a vigilia Nativitatis D. N. I. C. anni proxime venturi inchoandam et usque	» 147 *a* » 23 *ult.*	21 *ult.* Cum nuper iubilaei celebrationem in annum proxime venturum a vigilia nativitatis D. N. I. C. proxime futurae inchoandam, et usque
» 212 *a* » 17 *ult.*	beatissimi	» 147 *a* » 15 *ult.*	beatissimorum
» 213 *b* » 10	Sedis	» 149 *a* » 19	Sedi
» 214 *a* » 22	percipientium . . .	» 150 *a* » 15	percipientium personis
» 214 *a* » 25	conferenda	» 150 *a* » 18	conferendae
» 214 *b* » 7	persolvenda	» 150 *b* » 19 *ult.*	persolvendae
» 214 *b* » 23 *ult.*	tenoribus	» 151 *a* » 23	tenores
» 214 *b* » 9 *ult.*	eorum	» 151 *a* » 8 *ult.*	eorumque
» 215 *a* » 22	manifestari	» 151 *b* » 7 *ult.*	manifestare
» 215 *b* » 31 *ult.*	qui	» 152 *b* » 20	quae
» 216 *b* » 21	ad lites... extinguendas	» 154 *a* » 14	ac lites... extinguendo
» 217 *a* » 33 *ult.*	nihil omnino teneri, prout in quibusdam, per eius litteras	» 154 *b* 155 *a* »	nihil omnino per eius litteras
» 217 *b* » 20	innovata	» 155 *b* » 10	innovatum
» 218 *a* » 39 *ult.*	Ut ea	» 156 *a* » 2 *ult.*	Ea (?)
» 218 *a* » 35 *ult.*	ut firma	» 156 *b* » 3	firma
» 218 *a* » 13 *ult.*	quandam	» 156 *b* » 25	quamlibet
» 219 *a* » 14 *ult.*	nempe in antiquiori provincia ex duabus quae venient in ordinem, ad hoc ut votorum sit paritas in qualibet natione, et provincia, in qua non fuit electio pro hac vice carebit suo voto.	» 158 *a* » 1-5	nempe illa e duabus antiquioribus provinciis quae venient in ordine (ad hoc ut votorum sit paritas in qualibet natione) pro hac vice carebit suo voto (*).
» 220 *a* » 23-24	deberent... eligent . .	» 159 *a* » 2-3	deberet... eliget (?) (**)
» 220 *b* » 12	statuta	» 159 *b* » 1	statutae
» 221 *a* » 8	tam	» 159 *b* » 6 *ult.*	iam

* *Aliàs etiam emendari potest sic:* nempe in alia e duabus antiquioribus provinciis quae venient in ordinem (ad hoc ut... natione); et provincia, in qua non fuit electio, pro hac vice carebit suo voto.

** At ista correctio non est admittenda.

Edit. Rom. Main. Tom. v, *Part.* v.						*Edit. Taur. Tom.* xiii.					
Pag.	222 *b*	linea	33		ac propterea	*Pag.*	162 *b*	linea	4		propterea
»	222 *b*	»	43		quod uniones	»	162 *b*	»	14		uniones
»	222 *b*	»	16	*ult.*	aestimationem valoris .	»	162 *b*	»	17	*ult.*	aestimationem
»	223 *a*	»	17	*ult.*	quorum	»	163 *b*	»	12		eorum
»	224 *b*	»	19		non comedissent . . .	»	165 *b*	»	8		comedissent
»	224 *b*	»	23	*ult.*	Ordinum	»	165 *b*	»	14	*ult.*	Ordinis
»	224 *b*	»	27	*ult.*	earum quae Sedi . . .	»	165 *b*	»	10	*ult.*	earum Sedi
»	225 *a*	»	11		regularium	»	166 *a*	»	15		regularem
»	225 *a*	»	32		existit	»	166 *b*	»	7		non existit
»	225 *b*	»	16		ob idque	»	167 *a*	»	23		ob id
»	225 *b*	»	22		quae	»	167 *b*	»	14		qua
»	226 *a*	»	31	*ult.*	quantocumque . . .	»	168 *a*	»	13	*ult.*	quantacumque
»	227 *a*	»	10	*ult.*	Ordinibus	»	170 *a*	»	3		quae Ordinibus
»	227 *b*	»	23	*ult.*	reponi	»	170 *b*	»	17		reponi facientes
»	228 *b*	»	14	*ult.*	maiores	»	172 *a*	»	14	*ult.*	maioris (nempe ecclesiae)
»	229 *a*	»	1		maiores	»	172 *b*	»	1		maioris
»	229 *a*	»	15		facere	»	172 *b*	»	16		factae
»	229 *a*	»	19		expedire	»	172 *b*	»	20		expediri facere
»	229 *a*	»	21	*ult.*	tamen	»	173 *a*	»	13		tam
»	229 *a*	»	1	*ult.*	profitendum	»	173 *a*	»	8	*ult.*	profitendi
»	229 *b*	»	11		profitendum	»	173 *b*	»	4		profitendi
»	230 *b*	»	19	*ult.*	factis	»	175 *b*	»	17		factas
»	231 *a*	»	34		fuit	»	176 *a*	»	17	*ult.*	fuerit
»	231 *a*	»	23	*ult.*	eis	»	176 *a*	»	4	*ult.*	illi
»	232 *a*	»	6	*ult.*	illosque	»	178 *a*	»	18		illisque
»	232 *b*	»	4		reponi	»	178 *a*	»	26		reponi facientes
»	233 *a*	»	16		praedictae	»	179 *a*	»	6	*ult.*	praedictis
»	233 *a*	»	22		intendet	»	179 *a*	»	1	*ult.*	intendat
»	234 *a*	»	4		notariorum	»	180 *b*	»	13	*ult.*	notarium
»	234 *a*	»	11		recipiendis	»	180 *b*	»	5	*ult.*	recipienda
»	235 *b*	»	9	*ult.*	gubernatori et praesidi	»	181 *b*	»	16	*ult.*	gubernatoris et praesidis
»	237 *a*	»	38		aut aliud	»	185 *b*	»	16		aut adversus illas aliud
»	237 *b*	»	20	*ult.*	quae	»	186 *b*	»	12		qua
»	239 *a*	»	13	*ult.*	auri	»	189 *a*	»	2		aurei
»	240 *a*	»	1-4		Cum nuper ob sacri iubilaei celebrationem a vigilia Nativitatis D. N. I. C. anni proxime venturi inchoandam	»	189 *b*	»	3	*ult.*	Cum nuper, ob sacri iubilaei celebrationem in annum proxime venturum a vigilia Nativitatis D. N. I. C. prossime futurae inchoandam.
»	243 *b*	»	23		prospiciente	»	194 *a*	»	18	*ult.*	prospicientes
»	243 *b*	»	20	*ult.*	Ordini	»	194 *b*	»	11		Ordinis
»	245 *a*	»	32	*ult.*	facere	»	196 *b*	»	14	*ult.*	facere possunt
»	245 *a*	»	14	*ult.*	possint et consueverint .	»	197 *a*	»	5		possit et consueverit
»	246 *b*	»	8		quae	»	198 *b*	»	12	*ult.*	qua
»	246 *b*	»	13	*ult.*	erexisti	»	199 *a*	»	7	*ult.*	erexisse
»	249 *a*	»	12	*ult.*	redierit	»	203 *a*	»	10	*ult.*	redierint
»	250 *a*	»	9		Ne quae	»	204 *a*	»	7	*ult.*	Ne qua
»	250 *b*	»	30	*ult.*	directeque	»	295 *b*	»	12		districteque
»	250 *b*	»	25	*ult.*	Mendicantium	»	205 *b*	»	17		etiam Mendicantium
»	250 *b*	»	19	*ult.*	quoad eiusdem conventus	»	205 *b*	»	23		quoadusque iidem conventus
»	250 *b*	»	11	*ult.*	activae	»	205 *b*	»	7	*ult.*	activae et passivae (?)
»	250 *b*	»	8	*ult.*	possessiones	»	205 *b*	»	3	*ult.*	professiones
»	251 *a*	»	1	*rubr.*	revocationis	»	206 *a*	»	6	*rubr.*	renovationis
»	251 *a*	»	5	*text.*	restitutionibus . . .	»	206 *a*	»	14		restitutioni
»	251 *b*	»	32		Certas vero licentias sive particulares	»	207 *a*	»	19		Ceteras vero licentias sive generales sive particulares

Edit. Rom. Main., Tom. V, *Part.* V.					*Edit Taur. Tom.* XIII.				
Pag.	252 *a*	linea	19	certis	*Pag.*	207 *b*	linea	8 *ult.*	ceteris
»	252 *a*	»	25	aut alicui	»	207 *b*	»	2 *ult.*	aut eorum alicui
»	252 *a*	»	40	quo	»	208 *a*	»	14	quominus
»	253 *a*	»	15 *ult.*	eâdem	»	209 *b*	»	11 *ult.*	eâdemque
»	253 *b*	»	6 *ult.*	serventur	»	210 *b*	»	20 *ult.*	servetur
»	254 *b*	»	25 *ult.*	superioribus	»	212 *a*	»	17	superiores
»	255 *a*	»	12 *ult.*	generalibus	»	213 *a*	»	8	generalis
»	255 *b*	»	21	iulii	»	213 *b*	»	3	iunii
»	255 *b*	»	31	infrascriptis	»	213 *b*	»	14	in infrascriptis
»	255 *b*	»	17 *ult.*	editum	»	213 *b*	»	6 *ult.*	editae
»	256 *a*	»	27 *ult.*	mandat	»	214 *b*	»	15	mandavit (?)
»	256 *a*	»	22 *ult.*	hactenus designandis	»	214 *b*	»	18	hactenus designatis et approbatis, seu imposterum designandis
»	256 *a*	»	22 *ult.*	nullatenus	»	214 *b*	»	21	ullatenus
»	256 *b*	»	21	10	»	215 *a*	»	14 *ult.*	19 (?)
»	256 *b*	»	18 *ult.*	continentur, tam in eis aliàs	»	215 *b*	»	19	continentur, tam in aliàs
»	256 *b*	»	7 *ult.*	ac	»	215 *b*	»	11 *ult.*	an
»	257 *b*	»	7 *ult.*	orationis	»	217 *b*	»	1	orationi
»	259 *a*	»	6 *ult.*	in locis, nisi	»	219 *b*	»	10 *ult.*	nisi in locis
»	259 *b*	»	29 *ult.*	facta	»	220 *a*	»	8 *ult.*	factae
»	260 *b*	»	1	demandari	»	221 *b*	»	5	demandare
»	262 *a*	»	21 *ult.*	Nihilominus cum	»	224 *a*	»	9 *ult.*	Nihilominus
»	262 *a*	»	13 *ult.*	et forsan maiora,	»	224 *a*	»	1 *ult.*	haec et forsan maiora
»	263 *a*	»	9 *ult.*	intendimus	»	226 *a*	»	11	intendamus
»	263 *b*	»	37	alia	»	226 *b*	»	13	et alia
»	264 *b*	»	15	praedictorum	»	228 *a*	»	1	praedictorum mortem (?)
»	264 *b*	»	24	Clementis III	»	228 *a*	»	10	Clementis VIII
»	264 *b*	»	11 *ult.*	sub	»	228 *b*	»	7	sui
»	265 *a*	»	20	afferent	»	228 *b*	»	6 *ult.*	afferrent
»	265 *a*	»	28 *ult.*	quoad	»	229 *a*	»	17	etiam quoad
»	265 *a*	»	15 *ult.*	immediate	»	229 *a*	»	9 *ult.*	mediate
»	265 *b*	»	2	illa	»	229 *b*	»	8	illae
»	265 *b*	»	20	deberi	»	229 *b*	»	25	censeri
»	265 *b*	»	21 *ult.*	legitimae	»	230 *a*	»	12	legitime
»	265 *b*	»	8 *ult.*	praedictas	»	230 *a*	»	24	praedicta
»	265 *b*	»	7 *ult.*	tam	»	230 *a*	»	14 *ult.*	tamen
»	266 *a*	»	6	ad praesens	»	230 *a*	»	2 *ult.*	ad praesens gaudent
»	266 *a*	»	35	et pro tempore et personis	»	230 *b*	»	12 *ult.*	pro tempore personas
»	266 *a*	»	37	illis	»	230 *b*	»	10 *ult.*	illae (?)
»	266 *a*	»	20 *ult.*	omnia illa	»	231 *a*	»	2	omnia in illâ
»	266 *b*	»	13	etsi	»	231 *a*	»	8 *ult.*	et si
»	266 *b*	»	16 *ult.*	ac etiam supra	»	231 *b*	»	6 *ult.*	ac etiam ut supra
»	267 *a*	»	1	aut illum	»	232 *a*	»	11	aut contra illam
»	267 *a*	»	4	immemorabili	»	232 *a*	»	14	immemorabilis
»	242 *a*	»	33	claritatem	»	234 *b*	»	4 *ult.*	charitatem (?)
»	270 *a*	»	5	articulo	»	237 *b*	»	23	mortis articulo
»	272 *b*	»	11	apostolicae	»	239 *b*	»	11 *ult.*	apostolicâ
»	275 *b*	»	15	fuerint	»	243 *a*	»	7 *ult.*	fuerunt
»	275 *b*	»	3 *ult.*	mandare	»	244 *a*	»	3	mandare compositiones musicales
»	276 *a*	»	33	obtinere	»	244 *a*	»	6 *ult.*	obtinere possint
»	278 *a*	»	23 *ult.*	accedat	»	246 *b*	»	13	excedat
»	278 *b*	»	7	intelligatur	»	246 *b*	»	1 *ult.*	intelligantur
»	278 *b*	»	28 *ult.*	mittant	»	247 *a*	»	10 *ult.*	admittant
»	278 *b*	»	5 *ult.*	inibi	»	247 *b*	»	14	ubi

Edit. Rom. Main. Tom. V, *Part.* V.					*Edit. Taur. Tom.* XII.				
Pag.	279 *a*	linea	30	et exceptis	*Pag.*	248 *a*	linea	5	exceptis
»	280 *a*	»	7	exercitationem	»	249 *a*	»	11 *ult.*	exercitationum
»	280 *a*	»	27	peragendas	»	249 *b*	»	24	peragenda
»	280 *b*	»	17	an	»	250 *a*	»	25	ac
»	280 *b*	»	6 *ult.*	quod	»	250 *b*	»	15 *ult.*	quae
»	281 *a*	»	21	sumendi	»	251 *a*	»	13	sumendi extra collegium
»	281 *a*	»	32	quae	»	251 *a*	»	24	qua
»	281 *b*	»	20 *ult.*	neque iocis modo	»	252 *a*	»	23	atque iocis, non modo
»	282 *a*	»	11 *ult.*	qui	»	253 *a*	»	12	eorum qui
»	283 *a*	»	29	non tamen	»	254 *a*	»	12 *ult.*	non tam
»	283 *a*	»	30 *ult.*	consuletur	»	254 *a*	»	2 *ult.*	..... (?)
»	284 *a*	»	11 *ult.*	habendum	»	256 *a*	»	20	habendam
»	285 *b*	»	4	procurandique	»	257 *b*	»	8 *ult.*	procurari
»	285 *b*	»	6	quae	»	257 *b*	»	6 *ult.*	quando
»	285 *b*	»	29	de Fratris	»	258 *a*	»	19	de Frattis
»	285 *b*	»	37	ecclesiam	»	258 *a*	»	36	ecclesia
»	285 *b*	»	39	cuius	»	258 *a*	»	38	cum
»	286 *a*	»	35	quodquam	»	259 *a*	»	9	quoddam
»	286 *b*	»	34	acceptam	»	259 *b*	»	11 *ult.*	acceptatam
»	286 *b*	»	10 *ult.*	donatione praedictorum	»	260 *a*	»	15	donatione praedictis (?)
»	287 *a*	»	16	adhaerendo	»	260 *a*	»	4 *ult.*	ei adhaerendo,
»	287 *b*	»	10	collegio	»	261 *a*	»	16	collegii
»	287 *b*	»	35	qualificari	»	261 *a*	»	4 *ult.*	qualificati
»	287 *b*	»	20 *ult.*	eis	»	261 *b*	»	12	eo
»	288 *a*	»	5	illis	»	261 *b*	»	9	illo
»	288 *a*	»	36	facientibus	»	262 *a*	»	21 *ult.*	faciendis
»	288 *b*	»	7	superiores	»	262 *b*	»	19	superioris
»	289 *b*	»	22	nisi specialem	»	264 *a*	»	7 *ult.*	specialem
»	289 *b*	»	18 *ult.*	oriundis	»	264 *b*	»	24	oriundos
»	291 *a*	»	25	tam	»	266 *b*	»	8 *ult.*	tum
»	291 *a*	»	33	praefatorum	»	267 *a*	»	2	praefectorum
»	292 *a*	»	13 *ult.*	sit	»	268 *b*	»	12	si
»	292 *b*	»	1 *ult.*	impares	»	269 *b*	»	4	imperes
»	293 *a*	»	22 *ult.*	percipiantur	»	270 *a*	»	8	praecipiantur
»	293 *b*	»	10	personas	»	270 *a*	»	4 *ult.*	per personas
»	294 *a*	»	2	dices	»	271 *a*	»	13	dicas
»	296 *a*	»	30 *ult.*	primodictam	»	274 *b*	»	19	ad primodictam
»	297 *a*	»	1 *ult.*	opera et conditiones requisitas	»	276 *b*	»	10	onera et conditiones appositas
»	297 *b*	»	16 *ult.*	dicuntur	»	277 *a*	»	18 *ult.*	dicentur (?)
»	299 *a*	»	1	ob	»	278 *b*	»	4 *ult.*	sed ob
»	299 *b*	»	9	quae	»	280 *a*	»	1	qua
»	300 *a*	»	15 *ult.*	quae	»	281 *a*	»	11	qua
»	300 *b*	»	8	Graecis	»	281 *a*	»	12 *ult.*	gregis
»	302 *a*	»	26 *ult.*	per se	»	284 *a*	»	5	per te (?)
»	302 *b*	»	10 *ult.*	christifideles principes, tenebrarum astutia	»	285 *a*	»	2	christifideles, principis tenebrarum astutia
»	303 *a*	»	13	beneficia	»	285 *a*	»	17 *ult.*	ad beneficia
»	303 *b*	»	20	facta	»	286 *a*	»	17	factas
»	303 *b*	»	32 *ult.*	qui	»	286 *a*	»	8 *ult.*	quae
»	303 *b*	»	10 *ult.*	ac eadem	»	286 *b*	»	12	ac si eadem
»	304 *a*	»	30	habere	»	287 *a*	»	13	haberi
»	304 *a*	»	15 *ult.*	resignantis seu cedentis	»	287 *a*	»	5 *ult.*	resignantes seu cedentes
»	304 *b*	»	5	posse	»	287 *b*	»	17	non posse
»	304 *b*	»	31	Calaguritanum	»	287 *b*	»	6 *ult.*	Calaritanum (1)

(1) Istam emendationem nunc addimus, etenim *Calaguris* est civitas in Hispania non in Sardinia, et ideo lectio Main. improbabilis videtur.

Edit. Rom. Main., Tom. V, *Part.* V.						*Edit. Taur. Tom.* XIII.					
Pag.	304 *b*	linea	6	*ult.*	eius	*Pag.*	288 *a*	linea	13	*ult.*	eis
»	305 *a*	»	37		idemque	»	288 *b*	»	12	*ult.*	idem
»	305 *a*	»	44		pro	»	288 *b*	»	6	*ult.*	pio
»	305 *b*	»	13		aut	»	289 *a*	»	11	*ult.*	aut contra eas
»	306 *a*	»	29		omnimodo	»	290 *a*	»	14	*ult.*	omnimoda
»	306 *a*	»	40		aut commissarios	»	290 *a*	»	4	*ult.*	non autem per commissarios (?)
»	306 *b*	»	21	*ult.*	auctoritatem et etiam	»	291 *a*	»	10	*ult.*	auctoritate et
»	306 *b*	»	1	*ult.*	fungentes	»	291 *b*	»	11		fungenti
»	307 *a*	»	22	*ult.*	Dallato	»	292 *a*	»	10		Pallotto (1)
»	307 *b*	»	21		ad exequutionem	»	292 *b*	»	6		ab exequutione
»	308 *a*	»	1		porrecti	»	293 *a*	»	9		porrectis
»	308 *a*	»	9		confessis unam	»	293 *a*	»	17		confessis, ut unam
»	308 *a*	»	25		visitando	»	293 *a*	»	9	*ult.*	visitandas
»	308 *a*	»	30		remissione	»	293 *a*	»	4	*ult.*	remissione recitando
»	308 *a*	»	25	*ult.*	delegerit	»	293 *b*	»	12		delegarit
»	312 *b*	»	19		ut illud	»	300 *a*	»	7		illud
»	312 *b*	»	25	*ult.*	hebraeorum	»	300 *a*	»	11	*ult.*	hebraeorum stirpe
»	312 *b*	»	9	*ult.*	Quod ad	»	300 *b*	»	7		Quoad (?)
»	313 *a*	»	28		nullo	»	301 *a*	»	1		ullo
»	313 *b*	»	18	*ult.*	petentes	»	302 *a*	»	8		petentis
»	314 *a*	»	20		quod si	»	302 *b*	»	1		si
»	315 *a*	»	26	*ult.*	eoque	»	304 *a*	»	14	*ult.*	eo
»	315 *b*	»	20		vel ad	»	304 *b*	»	12	*ult.*	vel ante
»	316 *a*	»	13		Romani	»	305 *b*	»	17		Romano
»	317 *a*	»	15		quamcitissime	»	307 *a*	»	7		quamcitissime possimus
»	317 *b*	»	7	*ult.*	assignare	»	308 *a*	»	11	*ult.*	assignare valeas
»	318 *a*	»	2		praebendae	»	308 *a*	»	3	*ult.*	praebenda
»	318 *a*	»	16		abfueris, etsi	»	308 *b*	»	13		abfueris, vacantia, etsi
»	321 *b*	»	20	*ult.*	praestando	»	314 *a*	»	5	*ult.*	praesentando
»	321 *b*	»	16	*ult.*	disponendi	»	314 *a*	»	1	*ult.*	disponendi facultatem
»	322 *b*	»	26	*ult.*	consequimur	»	315 *b*	»	8	*ult.*	consequitur
»	323 *b*	»	19		valeant	»	317 *a*	»	16		valeat
»	324 *a*	»	31	*ult.*	sicut accepimus, charissimus	»	318 *a*	»	12		sicut charissimus
»	324 *a*	»	10	*ult.*	nunquam	»	318 *a*	»	10	*ult.*	et nunquam
»	324 *a*	»	2	*ult.*	ac	»	318 *a*	»	1	*ult.*	ne
»	325 *b*	»	22	*ult.*	divini muneris	»	320 *a*	»	4	*ult.*	divini numinis
»	331 *a*	»	23	*ult.*	quod, cum	»	328 *b*	»	13	*ult.*	quod, etsi, cum
»	331 *b*	»	30		quaecumque... voluit	»	329 *b*	»	1-2		quaecumque... contingeret
»	331 *b*	»	34		cum	»	329 *b*	»	5		tum
»	331 *b*	»	41		dictas	»	329 *b*	»	12		et dictas
»	332 *b*	»	6		provenientia	»	330 *b*	»	11	*ult.*	provenientium
»	332 *b*	»	33		obtinuerit	»	331 *a*	»	18		obtinuerint
»	333 *a*	»	7	*ult.*	affectum	»	332 *a*	»	20		affectu
»	333 *b*	»	14	*ult.*	Aranciae	»	332 *b*	»	6	*ult.*	Franciae
»	334 *a*	»	12		anno	»	333 *a*	»	20		ut anno
»	334 *a*	»	30		visitando	»	333 *a*	»	5	*ult.*	visitandas
»	334 *a*	»	36		remissione	»	333 *b*	»	1		remissione recitando
»	334 *a*	»	9	*ult.*	absolvi	»	333 *b*	»	16	*ult.*	absolvere
»	334 *b*	»	4		praescribendum	»	333 *b*	»	4	*ult.*	praescribere
»	334 *b*	»	11		inchoandum	»	334 *b*	»	3		inchoandos
»	335 *b*	»	23		tenorem	»	335 *b*	»	19		tenores
»	336 *a*	»	12		aut quod	»	336 *a*	»	14	*ult.*	quod
»	336 *a*	»	15		reductum	»	336 *a*	»	11	*ult.*	reductas

(1) Hanc etiam emendationem de novo addimus ex pag. 334 *a* lin. 17 et alibi saepe.

Edit. Rom. Main., Tom. V, *Part.* V.					*Edit. Taur. Tom.* XIII.				
Pag.	338 *a*	linea	20	quod	*Pag.*	339 *b*	linea	3	quoad
»	338 *b*	»	23	quod	»	340 *b*	»	6	quid
»	339 *a*	»	1	cappellani	»	340 *b*	»	14 *ult.*	cappellaniae
»	339 *b*	»	7	Sanctorum	»	341 *b*	»		Fidelium defunctorum (?)
»	341 *a*	»	5	constitutionem	»	343 *b*	»	7 *ult.*	concessionem (?)
»	341 *a*	»	23	prorogatum et extensum	»	344 *a*	»	14	prorogatam et extensam
»	341 *a*	»	18 *ult.*	regni	»	344 *b*	»	4	regnis
»	342 *a*	»	33 *ult.*	nuncupat.	»	345 *b*	»	8 *ult.*	(?)
»	343 *a*	»	16	eximeretur	»	347 *a*	»	21	eximetur
»	343 *a*	»	13 *ult.*	alia	»	347 *b*	»	18	aliae
»	343 *b*	»	35	redditibus quod	»	348 *a*	»	21	redditibus illius quod
»	344 *a*	»	12	neque impediet subdelegans	»	348 *b*	»	17 *ult.*	neque impediet quominus subdelegati
»	344 *b*	»	13	omnes	»	349 *b*	»	10	omnem
»	344 *b*	»	28 *ult.*	filiis	»	349 *b*	»	5 *ult.*	filiis
»	345 *a*	»	4-8	compescendo... aggravando... invocando...	»	350 *a*	»	15 *ult.*	12 *ult.* compescendi... aggravandi... invocandi
»	345 *a*	»	16 *ult.*	reservata	»	350 *b*	»	13	reservatae
»	345 *b*	»	14 *ult.*	concessionem	»	351 *b*	»	13	communionem (?)
»	346 *b*	»	8 *ult.*	passivae	»	353 *a*	»	22	passivae privationis
»	347 *a*	»	31 *ult.*	eisque	»	353 *b*	»	23	eique (?)
»	348 *a*	»	16	Clianorum	»	355 *a*	»	1	priorum (?)
»	348 *a*	»	1 *ult.*	regis illorum	»	355 *b*	»	12	regis, dicti et illorum
»	349 *b*	»	14	omnibus	»	357 *a*	»	20 *ult.*	ut omnibus
»	349 *b*	»	34	iniungendi, mandandi, iubendi et imperandi	»	357 *b*	»	1	iniungas, mandes, iubeas et imperes
»	353 *a*	»	1 *ult.*	contractis	»	363 *a*	»	16	contractâ
»	353 *a*	»	22 *ult.*	obligatos	»	365 *a*	»	16 *ult.*	obligatas (?)
»	355 *b*	»	1	extra	»	366 *a*	»	15 *ult.*	citra
»	358 *a*	»	3 *ult.*	reservata	»	369 *a*	»	22 *ult.*	reservati
»	359 *a*	»	21 *ult.*	a	»	370 *b*	»	11	ac
»	370 *b*	»	1 *ult.*	studiis	»	374 *b*	»	8 *ult.*	studii
»	371 *b*	»	30 *ult.*	studiis	»	376 *a*	»	11	studii
»	372 *a*	»	28 *ult.*	lecturae	»	376 *b*	»	8 *ult.*	lectura
»	372 *a*	»	24 *ult.*	ob	»	376 *b*	»	3 *ult.*	hoc
»	372 *b*	»	26 *ult.*	per hoc	»	377 *b*	»	21	super hoc
»	373 *a*	»	13	legi	»	378 *a*	»	15	legere
»	374 *a*	»	26 *ult.*	praecedente	»	379 *b*	»	21	procedente
»	376 *a*	»	27	1625	»	382 *b*	»	22	1626
»	378 *a*	»	17	aut	»	385 *b*	»	11	ut
»	379 *b*	»	23 *ult.*	quieti	»	388 *a*	»	10	quietè
»	380 *a*	»	26 *ult.*	deputandum	»	388 *b*	»	12 *ult.*	deputandi
»	381 *a*	»	17 *ult.*	superintendentes	»	390 *b*	»	2	superintendente
»	362 *b*	»	27	privatis	»	394 *a*	»	10	pro privatis
»	362 *b*	»	26 *ult.*	amoris	»	394 *a*	»	17 *ult.*	amotis
»	363 *a*	»	27 *ult.*	vel etiam conventum	»	395 *a*	»	7	vel etiam ad alium conventum (*aut potius* vel etiam extra conventum)
»	363 *a*	»	24 *ult.*	redditus	»	395 *a*	»	11	reditus
»	363 *a*	»	7 *ult.*	innitendum	»	395 *a*	»	17 *ult.*	enitendum
»	384 *b*	»	23	nummum	»	398 *b*	»	12 *ult.*	nummorum
»	385 *a*	»	12	aliasque	»	399 *b*	»	2	aliàs
»	385 *a*	»	27 *ult.*	nullo	»	399 *b*	»	9 *ult.*	ullo
»	388 *b*	»	13 *ult.*	annectendum	»	405 *a*	»	17	annectere
»	390 *b*	»	14	aliisque apostolicis et dicti collegii constitutionibus et ordinationibus	»	407 *b*	»	9 *ult.*	aliisque apostolicis constitutionibus et ordinationibus, et dicti collegii
»	391 *a*	»	21 *ult.*	ad ea	»	409 *a*	»	9	ad eas

Edit. Rom. Main., Tom. v, *Part.* v.					*Edit. Taur. Tom.* XIII.				
Pag.	365 *b*	linea	8	munimine roboremus	*Pag.*	409 *b*	linea	3 *ult.*	munimen adiiciamus
»	366 *a*	»	34 *ult.*	quae	»	410 *b*	»	7 *ult.*	qua
»	366 *a*	»	11 *ult.*	quae	»	411 *a*	»	18	qua
»	367 *b*	»	1	Ad	»	412 *b*	»	6 *ult.*	Ac
»	368 *a*	»	33	nobis	»	414 *a*	»	7	vobis (?)
»	391 *b*	»	5 *ult.*	capitulum praedicti	»	420 *a*	»	13 *ult.*	capitulum et canonici praedicti
»	396 *a*	»	32	Sedis	»	426 *b*	»	4 *ult.*	Sedi
»	396 *b*	»	21 *ult.*	quod congregatio	»	427 *b*	»	13 *ult.*	congregatio
»	396 *b*	»	19 *ult.*	inhibi	»	427 *b*	»	11 *ult.*	inibi
»	396 *b*	»	13 *ult.*	intendant	»	427 *b*	»	5 *ult.*	intendat
»	398 *a*	»	26	1625	»	429 *b*	»	8 *ult.*	1626 (?)
»	401 *a*	»	17 *ult.*	per praesentes	»	434 *b*	»	12	..... (?)
»	401 *b*	»	7	recepi	»	434 *b*	»	6 *ult.*	recipi (1)
»	402 *b*	»	16 *ult.*	subiecta	»	437 *a*	»	7	subiectae
»	403 *a*	»	9	praeessent	»	437 *a*	»	10 *ult.*	praeessent, erexerat
»	403 *a*	»	15-16	ecclesiis	»	437 *a*	»	2 *ult.*	ecclesiae
»	403 *a*	»	23	ex a die	»	437 *b*	»	7-8	ex ea die
»	403 *a*	»	35	praefatae	»	437 *b*	»	18-19	praefatae effectum sortitae non forent
»	403 *b*	»		Warnestens...	»	438 *b*	»	8	Warnestens... assignaverint
»	404 *a*	»	1	aliàs	»	438 *b*	»	1 *ult.*	alias
»	404 *b*	»	36	cappellanis	»	440 *a*	»	17	cappellaniis
»	404 *b*	»	2 *ult.*	per civitatensem	»	440 *b*	»	6	per civitatem gerat
»	405 *a*	»	28	canonicatos	»	440 *b*	»	6 *ult.*	canonicatus
»	405 *a*	»	27 *ult.*	comprehensam	»	441 *a*	»	11	comprehensa
»	405 *a*	»	22	ipsas	»	441 *b*	»	18	ipsas quas
»	405 *b*	»	10 *ult.*	sacerdotes	»	442 *a*	»	13	sacerdotales
»	406 *b*	»	35	archipresbyteratus.	»	443 *a*	»	3 *ult.*	archipresbyteratibus
»	407 *a*	»	15	praebendae	»	444 *a*	»	2	praebendas
»	407 *a*	»	22	acceptare	»	444 *a*	»	9	acceptari
»	408 *b*	»	10	beneficia	»	446 *a*	»	14 *ult.*	beneficia praedicta
»	408 *b*	»	38	secundo	»	446 *b*	»	14	primo (?)
»	408 *b*	»	8 *ult.*	praedictarum	»	446 *b*	»	4 *ult.*	praedictorum
»	409 *a*	»	29 *ult.*	attentari	»	447 *b*	»	2	attentari statuimus
»	410 *b*	»	10 *ult.*	ac postea	»	449 *b*	»	19 *ult.*	postea
»	410 *b*	»	3 *ult.*	aut personis	»	450 *a*	»	9	aut pro personis
»	411 *b*	»	3 *ult.*	cessionem	»	451 *b*	»	17	cessio
»	361 *a*	»	31 *ult.*	tenore	»	454 *a*	»	3	tenores
»	361 *a*	»	19 *ult.*	requiescit	»	454 *a*	»	15	requiescit confluentibus
»	413 *b*	»	23 *ult.*	capituli	»	455 *b*	»	3	capituli vota
»	413 *b*	»	2 *ult.*	iudicis	»	455 *b*	»	19 *ult.*	iudices
»	414 *a*	»	21	ex	»	456 *a*	»	4	et
»	416 *a*	»	21 *seq.*	Eleborensem	»	459 *b*	»	3 *seq.*	Eborensem (2)
»	416 *a*	»	2 *ult.*	indecise pendentium	»	459 *b*	»	22	indecisae pendent
»	417 *b*	»	21 *ult.*	illorum	»	461 *b*	»	19 *ult.*	illarum
»	421 *b*	»	12	ut autem fraudibus	»	467 *b*	»	3	ut fraudibus
»	421 *b*	»	31	fecerint	»	467 *b*	»	23	fecerunt
»	422 *b*	»	12 *ult.*	Laudensis et Comensis	»	469 *a*	»	3	Papiensis et Novariensis (?)
»	422 *b*	»	8 *ult.*	eiusdem	»	469 *b*	»	3	eisdem
»	423 *a*	»	21	universitatibus	»	469 *b*	»	13 *ult.*	universitatum (?)
»	423 *a*	»	3 *ult.*	aliis quae	»	470 *a*	»	11 *ult.*	aliis quam quae

(1) Hoc mendum Main. serius deprehendimus.

(2) Ita nunc puto esse corrigendum; nam Ebora est Portugalliae civitas, Elboram vero nullibi notatam reperio.

Edit. Rom. Main., *Tom.* v, *Part.* v.					*Edit. Taur. Tom.* xiii.				
Pag.	423 *b*	linea	8	executio	*Pag.*	470 *b*	linea	1	exercitio
»	423 *b*	»	22	iurisdictioni	»	470 *b*	»	15	iurisdictionis
				Tom. vi, *Part.* i.					
»	2 *a*	»	24	solutione	»	474 *b*	»	2 *ult.*	solutiones
»	2 *a*	»	2 *ult.*	noluerit	»	475 *a*	»	2 *ult.*	noluerint
»	3 *a*	»	18 *ult.*	deputatione	»	476 *b*	»	17 *ult.*	deputatorum
»	7 *b*	»	19	atque ea	»	483 *a*	»	14 *ult.*	atque secundum ea
»	8 *a*	»	35 *ult.*	sufficienti facultate . .	»	484 *a*	»	19 *ult.*	sufficientem facultatem
»	13 *a*	»	24 *ult.*	ad id deputandos . . .	»	490 *a*	»	15 *ult.*	ad id ab eis deputandos
»	14 *b*	»	9	olim ad militiam Teutonicorum ex eo . . .	»	492 *a*	»	19	olim ad militiam Teutonicorum, nunc autem ad se, ex eo
»	14 *b*	»	11 *ult.*	approbationem	»	492 *b*	»	20 *ult.*	appropriationem
»	15 *a*	»	9 *ult.*	conservationem . . .	»	493 *b*	»	5	conservatione
»	15 *b*	»	11	congregatis	»	493 *b*	»	21 *ult.*	congregati
»	15 *b*	»	22 *ult.*	absque conscientiae . .	»	494 *a*	»	17	absque conscientiae periculo (*vel* scrupulo)
»	16 *a*	»	17	omnino	»	494 *b*	»	9	adimplere omnino
»	16 *b*	»	22	spectantibus	»	495 *a*	»	1 *ult.*	spectantes
»	16 *b*	»	21 *ult.*	quibus	»	495 *b*	»	18 *ult.*	quibusvis
»	17 *b*	»	15	conservationem . . .	»	497 *a*	»	1	conservatione
»	18 *a*	»	9	conscientiae	»	497 *b*	»	6	conscientiae scrupulo
»	18 *b*	»	1	vestrum	»	498 *a*	»	15 *ult.*	eorum
»	18 *b*	»	5	consequendum	»	498 *a*	»	10 *ult.*	consignetur
»	29 *a*	»	16 *ult.*	omnibus	»	501 *a*	»	21	ut omnibus
»	22 *a*	»		suavis	»	504 *b*	»	3	suavi
»	23 *a*	»	4 *ult.*	nostri	»	506 *a*	»	2	nostro
»	23 *b*	»	6	exerceant	»	506 *a*	»	12	exercere
»	23 *b*	»	28	constitutos	»	506 *a*	»	9 *ult.*	constitutas
»	27 *a*	»	16	religiosis	»	512 *b*	»	21	religiosis moto
»	32 *a*	»	3	ingredietur	»	520 *a*	»	13	ingredientur
»	32 *a*	»	33	quotidie	»	520 *b*	»	2	quo die
»	32 *a*	»	23 *ult.*	contigerit	»	526 *b*	»	7 *ult.*	vacare contigerit
»	36 *a*	»	8 *ult.*	canonicatum et praebendam praedictos . . .	»	527 *a*	»	9	canonicatu et praebenda praedictis
»	46 *b*	»		alumnos	»	541 *b*	»	22	alumnorum
»	46 *b*	»		praecipuam	»	541 *b*	»	2 *ult.*	praecipue
»	47 *b*	»	17	eorumdem	»	543 *a*	»	19	earumdem
»	48 *a*	»	18	patrimonii	»	544 *a*	»	3	patrimonii titulo
»	48 *a*	»	39	ut imposterum	»	544 *a*	»	25	et imposterum
»	48 *a*	»	7 *ult.*	easdem	»	544 *b*	»	6	easdemque
»	48 *a*	»	5	seminariorum	»	544 *b*	»	17	seminaria
»	48 *b*	»	31	aut illa	»	544 *b*	»	1 *ult.*	ut illas
»	48 *b*	»	32	quoscumque	»	545 *a*	»	1	et quoscumque
»	49 *b*	»	32	servanda, et tenores . .	»	546 *b*	»	6	servanda foret, tenores
»	50 *a*	»	2 *ult.*	etiam	»	547 *b*	»	15	etiamsi
»	51 *b*	»	38	eo ipso	»	549 *b*	»	15	ut eo ipso
»	55 *b*	»	7	a nuntio	»	555 *a*	»	3 *ult.*	ac nuntio
»	57 *a*	»	3 *ult.*	plenam et liberam facultatem et auctoritatem oeconomos	»	558 *a*	»	8 *ult.*	oeconomos
»	58 *b*	»	23	quidem	»	560 *a*	»	20	si quidem
»	59 *a*	»	19 *ult.*	aliis	»	561 *a*	»	18 *ult.*	aliàs
»	61 *a*	»	21-22	illis	»	564 *a*	»	14	illi
»	61 *b*	»	6	te	»	564 *b*	»	3	a te
»	65 *b*	»	20	sive	»	570 *b*	»	5	nomine
»	66 *a*	»	34	absumpissent	»	571 *a*	»	4	absumpsisset

Edit. Rom. Main., Tom. VI, *Part.* I.						*Edit. Taur. Tom.* XIII.					
Pag.	66 *b*	linea	15	*ult.*	quod	*Pag.*	572 *a*	linea	2	*ult.*	ut
»	67 *a*	»	11		excederent	»	573 *b*	»	9		excederet
»	70 *a*	»	25	*ult.*	datae	»	577 *b*	»	5		datas
»	71 *a*	»	30		Lateranensem	»	578 *b*	»	5	*ult.*	Lateranensis
»	71 *a*	»	40		unum	»	579 *a*	»	6		uno
»	72 *b*	»	14		etiam	»	581 *a*	»	7		etiamsi
»	75 *b*	»	3	*ult.*	saepe dictam	»	585 *b*	»	2	*ult.*	super dictam
»	77 *b*	»	12	*ult.*	prioribus ordinum	»	588 *b*	»	12	*ult.*	priorum ordinum (?)
»	78 *b*	»	4		Nos, ne si quid	»	589 *b*	»	15	*ult.*	Nos, si quid
»	80 *a*	»	4	*ult.*	visitantes	»	592 *b*	»	12	*ult.*	visitantibus
»	80 *b*	»	3-4		remissione	»	592 *b*	»	6	*ult.*	remissione recitando
»	80 *b*	»	16	*ult.*	adhiberi	»	593 *a*	»	9	*ult.*	adhibere
»	83 *a*	»	30	*ult.*	impositarum	»	597 *a*	»	1		impositiones
»	84 *a*	»	27	*ult.*	auctoritate iudicari et definire debere	»	598 *b*	»	10		auctoritate
»	85 *a*	»	3	*ult.*	datas, editas	»	600 *a*	»	13		datis editas
»	85 *b*	»	29	*ult.*	uni	»	600 *b*	»	13		uno
»	86 *a*	»	39-40		committendas	»	601 *a*	»	8	*ult.*	committendi
»	86 *b*	»	35	*ult.*	nostrum	»	602 *a*	»	13		nostros
»	86 *b*	»	33	*ult.*	praefectum	»	602 *a*	»	15		in praefectum
»	87 *a*	»	16	*ult.*	illorum pro sufficienti	»	603 *a*	»	16		pro sufficienti illorum
»	88 *a*	»	20		libere, licite	»	604 *a*	»	17	*ult.*	libere et licite
»	88 *b*	»	12	*ult.*	ac interim spiritualiter consolentur; illos quoque	»	604 *b*	»	18		ac, ut interim spiritualiter consolentur, illos quoque
»	90 *a*	»	4	*ult.*	praesertim cum nobis	»	607 *a*	»	11		..... (?)
»	91 *a*	»	38	*ult.*	illud	»	608 *a*	»	20	*ult.*	illam
»	91 *b*	»	27		quae	»	609 *a*	»	1		qua
»	91 *b*	»	30		nostro	»	609 *a*	»	4		nostris
»	93 *b*	»	23	*ult.*	actu exercentibus	»	612 *a*	»	9	*ult.*	actu non exercentibus (*)
»	93 *b*	»	9	*ult.*	et similiter abbatibus	»	612 *b*	»	5		abbatibus
»	99 *a*	»	6		quae	»	620 *a*	»	5	*ult.*	qua
»	99 *b*	»	7	*ult.*	deputatis	»	621 *b*	»	10	*ult.*	deputatos
»	101 *a*	»	15	*ult.*	Augustini	»	625 *a*	»	12	*ult.*	S. Augustini
»	101 *a*	»	13	*ult.*	Nobiliaco	»	625 *a*	»	10	*ult.*	Nohaliaco
»	102 *b*	»	2		danda	»	627 *a*	»	12		dandae
»	102 *b*	»	16	*ult.*	auctoritate	»	627 *b*	»	22		auctoritate factarum
»	103 *a*	»	13		sed	»	628 *a*	»	7		ad
»	103 *b*	»	27	*ult.*	et	»	629 *a*	»	24		ex
»	104 *a*	»	18-19		quomodolibet	»	629 *b*	»	25		quomodolibet edendis
»	104 *b*	»	20		consuetudinibus	»	630 *b*	»	9		consuetudinibus, privilegiis quoque et indultis
»	105 *b*	»	37	*ult.*	proponeretur	»	632 *b*	»	2	*ult.*	postponeretur (?)
»	106 *a*	»	15		latas emanata	»	633 *b*	»	7		lata, emanata
»	106 *a*	»	22	*ult.*	dominationes	»	633 *b*	»	3	*ult.*	denominationes
»	106 *b*	»	27		venditorum	»	634 *b*	»	4		venditionis
»	107 *b*	»	34		Quia	»	636 *a*	»	20		Quia vero
»	107 *b*	»	20	*ult.*	etsi	»	636 *a*	»	8	*ult.*	et si
»	108 *a*	»	4		iurium eiusdem	»	636 *b*	»	17		iurium, eisdem
»	109 *b*	»	32	*ult.*	centum	»	639 *a*	»	7	*ult.*	quinque (?)
»	110 *a*	»	28		erigenda	»	640 *a*	»	10		eligenda
»	112 *a*	»	8	*ult.*	et sigillo	»	643 *b*	»	6		manu alicuius notarii subscriptis, et sigillo
»	112 *b*	»	12		exhausta	»	643 *b*	»	9	*ult.*	exhaustas
»	114 *a*	»	13	*ult.*	an. VI	»	647 *b*	»	13		an. V

(*) Sed retinenda est lectio Main. *actu exercentibus*, et potius hucusque protrahenda parenthesis in qua includuntur exceptiones.

Edit. Rom. Main., *Tom.* VI, *Part.* I.					*Edit. Taur. Tom.* XIII.				
Pag.	114 *b*	linea	1	*ult.* XI kal.	*Pag.*	648 *b*	linea	6	XII kal.
»	117 *a*	»	4	*ult.* affixa	»	652 *a*	»	2	*ult.* affixa fuerunt
»	122 *a*	»	18	Deum	»	657 *b*	»	22	in Deum
				Tom. V, *Part.* V.					
»	271 *a*	»	5	debere	»	665 *a*	»	9	*ult.* deberi
»	271 *a*	»	9	canonem	»	665 *a*	»	5	*ult.* et canonem
»	271 *a*	»	11	appositis	»	665 *a*	»	3	*ult.* oppositis
				Tom. VI, *Part.* I.					
»	132 *b*	»	20	constitutionem	«	668 *b*	»	4	constitutiones
»	129 *b*	»	36-37	consuetudinibus etiam immemorabilibus	»	673 *b*	»	10	*ult.* consuetudinis etiam immemorabilis
»	129 *b*	»	43	sine	»	673 *b*	»	4	*ult.* sive
»	130 *b*	»	16	*ult.* unite	»	675 *b*	»	11	unita
»	135 *b*	»	2	(*rubr.*) bonae memoriae	»	677 *b*	»	13	*ult.* B. Mariae
»	135 *b*	»	26	*ult.* pro	»	678 *a*	»	18	*ult.* pio

URBANUS VIII

PONT. CCXXXVII.

Anno Christi MDCXXIII.

An. C. 1623 Die VI augusti anni MDCXXIII electus est in Summum Pontificem Maphaeus tituli S. Onuphrii presbiter cardinalis Barberinus Antonii filius, natione Florentinus, et die XXIX septembris eiusdem anni sacrâ thiarâ redimitus est. Sedit in pontificatu annos XX, menses XI, dies XXI, temporibus Ferdinandi II et Ferdinandi III imperatorum. Creatisque LXXII cardinalibus, obiit IV kalendas augusti anno MDCXLIV. Sepultus est in Basilica Vaticana ad Cathedram B. Petri. Vacavitque Sedes mense I, dies XVI.

I.

Privilegia et indulta concessa conclavistis, qui inservierunt praecedenti conclavi[1].

1 Singuli Pontifices post sui ad Summum Apostolatum assumptionem assueverunt nonnulla nedum conclavistis, sed etiam dapiferis, tum suis, tum etiam cardinalium, concedere privilegia, distincta tamen constitutione. Privilegia itaque conclavistarum vide in Constit. II Gregorii XV, tom. XII, pag. 492 et alibi.

Urbanus Episcopus,
Servus Servorum Dei,
ad futuram rei memoriam. An. C. 1623

Prooemium. Circumspecta in omnibus Romani Pontificis providentia singulorum merita aequâ lance considerans, illos potioribus gratiis et favoribus prosequitur, quos erga se et Sedem Apostolicam benemeritos, et in laboribus et vigiliis pro Sede ipsâ sufferendis indefessos et pluribus cognoscit meritis adiuvari.

Conclavistae, donatis iis decem mille scutis. § 1. Hinc est quod nos, dilectos filios conclavistas, qui in conclavi, in quo nos, divinâ favente clementiâ, ad summi apostolatus apicem assumpti fuimus, nobis et venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, uti familiares et continui commensales inserviendo, interfuerunt, quique eâ de causâ labores, vigilias et incommoda plura subierunt, habitâ ratione obsequiorum huiusmodi, favoribus gratiis et privilegiis, pro cuiusque meritis, exornare volentes, ipsosque conclavistas et quemlibet eorum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis

sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad ipsorum conclavistarum, vel alicuius eorum, vel alterius pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex nostrâ merâ liberalitate, ipsos conclavistas et eorum singulos (quibus etiam hodie summam decem millium scutorum auri in auro in tot locis montium vacabilium de Urbe, cum primum illos vacare contigerit, per duos saltem ex deputatis ab ipsis conclavistis inter eosdem conclavistas et per singula eorum capita solitum praescriptum numerum non excedentia, non autem singulas cellulas, aequis portionibus distribuendorum, gratiose et irrevocabiliter apostolicâ auctoritate donavimus);

Papae familiares, comites Lateranenses et Sedis Apostolicae notarii creantur.

§ 2. In veros, indubitatos et non fictos familiares continuos commensales nostros, ac eos, qui ex illis clerici existunt, seu militiae clericali adscribi desiderant, quosque tres huiusmodi cardinales singulatim in quolibet ordine antiquiores gradu, nobilitate et aliis meritis dignos tali dignitate iudicaverint, in nostros et Apostolicae Sedis notarios, sine praeiudicio dilectorum filiorum notariorum de numero participantium, recipimus; et tam illos, quam alios conclavistas singulos, qui singulatim ab eisdem tribus cardinalibus digni tali honore reputati fuerint, sacri palatii et aulae lateranensis comites et milites, ac tam illos, quam omnes et quoscumque alios conclavistas indistincte, qui nobiles non sunt, nobiles, quique Urbis vel alicuius alterius ex civitatibus, temporali dominio eiusdem Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis, cives esse voluerint, singulos in eâ ipsâ civitate, quam sigillatim quisque eorum elegerit, et ad quam ab eisdem tribus cardinalibus se admitti petierit, veros cives ad instar et nullâ prorsus differentiâ inter eos et singulos alios veros, originarios et antiquissimos etiam nobiles et participantes cives ipsius Urbis vel civitatis, ita ut ipsum ius civitatis ad quoscumque illorum haeredes eodem modo transeat, creamus, constituimus et assignamus, ac nobilitatis et civilitatis titulo, honore et insignibus decoramus, aliorumque familiarium et continuorum commensalium nobis actu in palatio nostro apostolico inservientium, ac illius tinello comedentium et bibentium, ac nostrorum ac Sedis praedictae notariorum, palatiique et aulae praedictorum comitum, militum et nobilium ac civium huiusmodi originariorum numero et consortio favorabiliter aggregamus, ac pro veris, indubitatis et non fictis familiaribus, continuis commensalibus, ac notariis nostris, comitibus, militibus, nobilibus et civibus deinceps haberi et reputari volumus, ac mandamus.

Solitisque decorantur privilegiis.

§ 3. Eisque, ut in quibuscumque impetrationibus, concessionibus et litteris, tam gratiam quam iustitiam concernentibus, se familiares continuos commensales nostros, comites, milites, nobiles et cives etiam originarios nominare, nec propterea impetrationes, concessiones et litterae subreptionis vitio subiaceant, sed validae et efficaces existant, ac ex nunc deinceps in perpetuum omnibus et quibuscumque, ac prorsus similibus antelationum[1] antelationibus, praerogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, decretis, declarationibus, derogationibus, mandatis, suspensionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, indultis ac iuribus, quibus alii nostri familiares tempore dictae assumptionis nostrae ad summi apostolatus apicem, ac quibus alii eiusdem

1· Vox *antelationum* redundat (R. T.).

Sedis notarii etiam de numero partipantium existentes, etiamsi habitum et rocchettum notariorum ipsius Sedis non deferant, palatiique et aulae praefatorum comites, milites, nobiles etiam originarii ac antiquissimi cives eiusdem Urbis vel civitatis, quam, ut praefertur, elegerint, quique ex utroque parente vere nobili et cive originario et antiquissimo procreati, de iure, statuto, consuetudine, vel aliàs ex aliquo speciali privilegio, seu aliàs quomodolibet, etiam quoad assequutionem quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, etiam per quascumque litteras seu constitutiones apostolicas pro tempore editas, utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, ubique locorum in iudicio et extra, sine tamen eorumdem notariorum de numero participantium praeiudicio, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite valeant, realiter et integre, in omnibus et per omnia, etiamsi in Urbe et civitate huiusmodi non habitaverint, perinde ac si de vere nobili genere et ex utroque parente nobili originario ac antiquissimo cive procreati forent, et huiusmodi praerogativae, privilegia, exemptiones, gratiae, favores, concessiones, indulta et iura, quae pro aliis nobilibus et civibus originariis emanarunt, et quae ratione nobilitatis et civilitatis naturalis et originariae aliis competunt, pro eisdem conclavistis in specie emanassent seu emanarent, et eis naturaliter de iure, statuto, consuetudine, fundatione, vel aliàs, competerent, auctoritate et tenore similibus indulgemus.

Eximuntur a solutione quorumcumque onerum ad instar cardinalium.

§ 4. Singulosque conclavistas praedictos a solutione et exactione decimarum et cuiuscumque pedagii, subsidii, gabellae, et cuiuscumque oneris tam ordinarii quam extraordinarii, ubique locorum et ex quacumque quantumvis urgentissima et inexcogitabili causâ et occasione, etiam ad instantiam imperatoris, regum et rerumpublicarum, etiam Venetiarum, ac aliorum quorumcumque principum impositarum et impositorum pro tempore, ex nunc, prout ex tunc, et e contra, et postquam casus huiusmodi impositionis et solutionis evenerit, liberamus et eximimus, liberosque et exemptos fore et esse ad instar sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium decernimus.

A censuris, si quas incurrerunt occasione conclavis, absolvuntur.

§ 5. Ac a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas quomodolibet propter contraventiones contentorum in constitutionibus super creatione Romani Pontificis pro tempore editis, vel aliàs quomodolibet incurrerunt, in foro conscientiae tantum absolvimus et liberamus.

Pontifex supplet quoscumque defectus provisionum beneficiorum ecclesiasticorum, etc.

§ 6. Ac omnes et quoscumque defectus, si qui forte sint, omnium provisionum beneficiorum, dignitatum ac pensionum eorumdem conclavistarum, tam ex multiplicitate titulorum, et ob incursionem quarumcumque censurarum et irregularitatis, quam aliàs ex quavis causâ provenientes, sanamus, ac huiusmodi provisiones, vigore eorum privilegiorum, in foro conscientiae tantum, perinde ac si novas provisiones obtinuissent, revalidamus, et, quatenus opus sit, omnibus et singulis eorum de omnibus et singulis dignitatibus et aliis cum curâ et sine curâ beneficiis ecclesiasticis quomodolibet qualificatis et nuncupatis, etiam cuiusvis Ordinis regularibus, per eos respective obtentis, de novo etiam respective providemus, et omnes et singulas pensiones eis et eorum singulis super quibusvis beneficiis ecclesiasticis quomodolibet qualificatis et nuncupatis, etiam alicuius Ordinis regularibus, respective reservatas[1], similiter de novo reservamus.

1 Erronee edit. Main. legit *reservatis* (n. r.).

Fructusque male perceptos remittit.

§ 7. Ipsisque conclavistis, eorumque singulis, quoscumque fructus, redditus et proventus ecclesiasticos occasione quarumcumque dignitatum, canonicatuum et praebendarum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque, ac quarumcumque pensionum annuarum ipsis vel eorum cuilibet collatorum et reservatarum, tam ex antedictis, quam ex aliis defectibus et occasionibus, etiam ratione omissionis recitationis horarum canonicarum indebite perceptos, cuiuscumque quantitatis fuerint, gratiose remittimus et condonamus.

Dispensat super inhabilitate ad sacros ordines suscipiendos.

§ 8. Ac cum eis super inhabilitate et irregularitate per eos propterea quomodolibet contracta, vel etiam ex eo, quod censuris huiusmodi ligati missas et alia divina officia, dummodo tamen non in contemptum clavium, celebraverint, aut aliàs in divinis se immiscuerint, quodque illâ et aliis praemissis non obstantibus ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, aliàs rite et dummodo nullum alicui eorum obstet canonicum impedimentum, promoveri, et in illis et in susceptis per eos aliàs rite ordinibus etiam in altaris ministerio ministrare etiam libere et licite valeant, dispensamus.

Et super defectu natalium.

§ 9. Ac eosdem conclavistas, si qui eorum defectum natalium patiuntur, ex quocumque damnato et illicito coitu, etiamsi ex nobilissimis parentibus et vilibus feminis forsan procreati sint, etiamsi legitimati existant, legitimamus, omnemque ab illis geniturae huiusmodi maculam sive notam abstergimus et abolemus, ac legitimis natalibus restituimus.

Habilesque reddit ad succedendum in bonis consanguineorum.

§ 10. Et cum eorum singulis, ut in quibuscumque bonis paternis et maternis aliorum consanguineorum seu cognatorum, vel aliorum quorumcumque, sine tamen praeiudicio venientium ab intestato, vel ex fideicommisso, seu aliàs de iure validâ dispositione, et praeterquam in bonis ecclesiasticis et ab Ecclesiâ provenientibus, succedere, et illa donationis vel alio quovis titulo consequi et habere, ac ad aequales portiones cum legitimis succedere (eos ad omnia iura, legitimas successiones ex testamento, vel ab intestato haereditates, legata, libertates, restituendo realiter et cum effectu),

Et beneficia ecclesiastica obtinenda.

§ 11. Ac ad dignitates, honores et quaecumque alia officia secularia, publica vel privata, etiam assumi, illaque gerere et exercere, in omnibus et per omnia, ac si de legitimo matrimonio procreati forent, ac eodem defectu non obstante, si aliud canonicum eis non obsistat, ut clericali caractere, qui illo nondum insigniti sint, insigniri, ac ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, si nondum ad illos promoti sint, promoveri, ac postmodum charactere et ordinibus huiusmodi, illorumque privilegiis uti, ac in eisdem ordinibus etiam in altaris ministerio ministrare, ac quaecumque et qualiacumque cum curâ et sine curâ beneficia ecclesiastica (etiamsi personatus, administrationes et officia, etiam curata et electiva in cathedralibus et metropolitanis, vel collegiatis ecclesiis, seu parochiales ecclesiae, vel eorum perpetuae vicariae ac canonicatus et praebendae dignitates, non tamen maiores post pontificalem aut principales in collegiatis ecclesiis huiusmodi, fuerint), si sibi aliàs canonice conferantur, aut ipsi eligantur, praesententur, vel aliàs assumantur ad illa, et instituantur in eisdem, recipere, et dummodo plura simul non sint, quam quae a Concilio Tridentino permittuntur, retinere libere et licite valeant;

Indulget, ut aliis resignare possint pensiones ecclesiasticas usque ad summam centum ducatorum.

§ 12. Ac eisdem conclavistis, et eorum singulis, ut quicumque loci Ordinarii, vel canonici metropolitanarum, vel cathedralium, seu duarum insignium Urbis collegiatarum ecclesiarum, aut personae aliae quaecumque ecclesiasticae in dignitate ec-

clesiasticâ constitutae, tam in Romanâ curiâ quam extra eam, ad id per eos et eorum singulos eligendi seu eligendae, quascumque pensiones annuas eis et eorum singulis super quibuscumque fructibus, redditibus et proventibus quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, etiam per sanctae Romanae Ecclesiae cardinales obtentorum et imposterum obtinendorum, cum curâ et sine curâ, secularium et quorumvis Ordinum regularium, seu fructus, redditus et proventus huiusmodi beneficiorum reservatos seu reservandos, etiamsi aliàs semel aut pluries translatae seu translati fuerint, usque ad summam centum ducatorum auri de camerâ similium, in toto vel in parte, ac etiam in mortis articulo, cassare et extinguere, et postquam cassatae et extinctae fuerint, alias similes pensiones annuas seu fructus, redditus et proventus huiusmodi, usque ad summam praedictam, uni vel pluribus aliis personis ecclesiasticis, vel etiamsi clericali charactere tunc temporis nondum insigniti sint, cum clausulâ tamen ex tunc, prout postquam dicto charactere rite insigniti fuerint, per eosdem conclavistas et eorum singulos nominandis, etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus et expectantibus, aliàs tamen capacibus, similiter eis quoad vixerint, vel eorum procuratoribus legitimis, eisdem modo et formâ, quibus eisdem conclavistis reservatae seu reservati fuerint, etiam absque beneficia ipsa obtinentium consensu, integre persolvendas, ac per eos propriâ auctoritate percipiendas, exigendas et levandas, reservare, constituere, concedere et assignare valeant, atque in quasi possessione dictas pensiones exigendi, in qua ipsi conclavistae tempore translationis per eos praesentium vigore faciendae existebant, in omnibus et per omnia subrogati esse censeantur, etiam concedimus et indulgemus,

§ 13. Etiamsi similem gratiam a praedecessoribus nostris aliàs forsan obtinuerint, seu quilibet eorum obtinuerit, tam vigore aliorum privilegiorum conclavistarum, quam ex quocumque alio indulto et privilegio, quorum effectum per hanc novam gratiam et concessionem impediri nolumus, sed cumulative concessam vel concessas esse volumus; ita ut quilibet eorum cumulative et ampliative praedictis facultatibus praesentibus, ac praeteritis privilegiis hac in re concessis, uti, frui et potiri possit; decernentes ipsas translationes et novas reservationes, constitutiones et assignationes pensionum seu fructuum, reddituum et proventuum huiusmodi, ut praefertur faciendas, ex nunc, prout postquam factae fuerint, plenam roboris firmitatem obtinere, ipsosque beneficia, super quorum fructibus, redditibus et proventibus reservatae fuerint, obtinentes, ad illas persolvendas efficaciter obligatos fore.

Praesens indultum cumulative cum praecedentibus censeri debet.

§ 14. Ac cum eisdem conclavistis, quod, ratione quarumcumque pensionum annuarum eis et eorum cuilibet, super quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, etiam cathedralibus, et aliis ecclesiis, seu monasteriis, etiam a praedictis sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus obtinendis, vel aliàs quomodolibet qualificatis, non tamen ultra summam ducatorum ducentorum parium pro quolibet, nunc et pro tempore reservatarum et reservandarum, habitum et tonsuram clericales gestare, et in illis, dummodo aliàs ipsi habitum decentem et honestum deferant, incedere minime debeant, nec ad id a quoquam desuper cogi seu compelli, minusque aliquas sententias, censuras, ac etiam privationis seu cassationis ipsarum pensionum poenas occasione praemissorum incurrere possint, sed easdem pensiones ad praedictam summam ducentorum ducatorum ascendentes, et reservatas ut praefertur, etiamsi matrimonium iam contraxerint, vel posthac con-

Conclavistae dispensantur super delatione habitus et tonsurae.

trahere voluerint, cum unicâ tamen et virgine, recipere et libere retinere;

Facultas testandi de bonis ex redditibus ecclesiasticis acquisitis.

§ 15. Postremo, quod bona quaecumque ad dictos conclavistas, et eorum quemlibet spectantia, et per eos, etiam ratione quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, etiam canonicatuum et praebendarum, ac dignitatum, etiam maiorum et principalium, etiam speciali notâ et expressione dignarum quarumcumque, per eos aliàs obtentorum et obtinendorum, aut aliàs quomodolibet et quovis quaesito colore vel ingenio, seu eorum industriâ, licitâ tamen, ac aliàs licite acquisita et acquirenda, etiam in Urbe, eiusque districtu, ac ubique existentia[1], spoliis minime subiaceant; sed conclavistae praedicti, etiamsi religioni alicuius militiae, etiam S. Ioannis Hierosolymitani adscripti fuerint, de illis in favorem quarumcumque personarum, etiamsi curiales esse desierint, et in quocumque loco quantumvis remoto, etiam extra eorum et cuilibet ipsorum propriam residentiam eos decedere contigerit, testari, et aliàs disponere, iisque ab intestato decedentibus legitimi eorum haeredes quicumque succedere, libere et licite valeant, simili modo concedimus et indulgemus.

Mandatum spoliorum collectoribus de iis non molestandis.

§ 16. Praecipientes ac mandantes, dilectis filiis nunc et pro tempore existentibus sanctae Romanae Ecclesiae camerario et thesaurario, praesidentibus clericis camerae nostrae apostolicae, et quibusvis aliis spoliorum huiusmodi collectoribus et subcollectoribus, ac militiarum praedictarum officialibus et prioribus, ne in huiusmodi bonis manus apponant, neque haeredes praedictorum conclavistarum desuper molestare audeant seu praesumant; ac etiam decernentes donationes, etiam per viam testamenti et codicillorum, per ipsos conclavistas de eorum bonis huiusmodi faciendas, semper et perpetuo validas et efficaces fore;

Etiamsi praesentes litterae in camerâ apostolicâ registratae non fuerint, valeant.

§ 17. Nec eosdem conclavistas eorumve aliquem ad praesentes litteras in dictâ camerâ insinuandum, aut admitti et registrari petendum teneri, nec illas, etiamsi illae intra tempus legitimum insinuatae, admissae, seu registratae non fuerint, propterea minus validas censeri, sed suos plenarios effectus sortiri debere;

Clausulae pro earumdem litterarum firmitate.

§ 18. Ac easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus decretis, constitutionibus apostolicis similium gratiarum revocatoriis, vel quae eas limitarent, seu moderarentur, quae a nobis et dictâ Sede, et pro tempore, et ex quibusvis causis, etiam urgentissimis, etiam in favorem fidei et divini cultus augmentum, etiam consistorialiter, vel aliâ quavis auctoritate hactenus vel in posterum emanaverint, minime comprehensas esse, sed quoties illae emanabunt toties easdem praesentes in pristinum statum restitutas, repositas et reintegratas esse et censeri;

Clausula *sublatâ*.

§ 19. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, in quavis causâ et instantiâ (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate) ubique iudicari et definiri debere, irritumque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Praesentium expeditio per viam secretam facienda.

§ 20. Et insuper dilectis filiis nostro Ludovico tituli S. Laurentii in Damaso presbytero cardinali Ludovisio nuncupato S. R. E. vice-cancellario et litterarum apostolicarum summatori, ac secretariis apostolicis et praesidenti plumbi, aliisque officialibus, ad quos litterarum earumdem expeditio per viam secretam spectat, in virtute sanctae obedientiae, et sub poenâ indignationis nostrae, motu simili et ex

1 Erronee ut puto edit. Main. legit *existentium* (R. T.).

certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, etiam mandamus, ut easdem praesentes litteras super praemissis omnibus et singulis, tam coniunctim quam separatim, ac pro singulis, quibus concessa fuerunt, ac seorsim et separatim, cum omnibus et quibuscumque derogationibus, decretis et clausulis in eis contentis, gratis etiam quoad compositionem datariae, et per viam secretam absque alio mandato expediant et expediri faciant.

Confirmatio privilegiorum, quae concessa sunt ab aliis Pontificibus.

§ 21. Et insuper omnia et singula privilegia, gratias et concessiones eisdem conclavistis, et eorum cuilibet a diversis summis Pontificibus praedecessoribus nostris hucusque concessa, motu, scientiâ, et potestatis plenitudine similibus confirmamus et approbamus, ac de novo liberalissime concedimus.

Obstantium derogatio.

22. Non obstantibus praemissis, ac de certo eorumdem notariorum numero, etiamsi ad illum nondum sit deventum, cui per hoc aliàs non intendimus derogare, ac nostrâ et cancellariae apostolicae regulâ de praestando consensu in pensionibus ac felicis recordationis Pii IV de similibus vel dissimilibus gratiis in camerâ apostolicâ infra tres menses praesentandis et registrandis, ac Pii V, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum; contra illegitimos, necnon Pictaviensis concilii, ac nostris et cancellariae praedictae regulis, etiam in crastinum assumptionis nostrae ad summi apostolatus apicem editis, et in praedictâ cancellariâ publicatis, et etiam in universalibus, provincialibusque conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, ac ecclesiarum, monasteriorum, Ordinum etiam S. Ioannis Hierosolomytani, ac etiam Urbis Romanae, et aliarum civitatum, oppidorum et terrarum, camerae praedictae, ac quarumvis universitatum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus, naturis, decretis, etiam novis reformationibus et legibus, tam pontificiis quam imperialibus, regiis et ducalibus, et sacris canonibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis, eorumque superioribus et personis, ac locis quibuscumque, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis irritantibus et aliis decretis, etiam vim contractus et statuti perpetui continentibus, ac etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter et aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscunque: aut si quibusvis communiter aut divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuscemodi mentionem.

Nomina autem conclavistarum, qui in conclavi huiusmodi interfuerunt, sunt haec, videlicet:

Conclavistarum nomina.

Venerabilis frater noster Fulgentius Gallutius Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, episcopus Tagastensis, sacrarii pontificii sacrista, et dilecti filii Paulus

Alaleo canonicus, Ioannes Baptista etiam Alaleo et Carolus Antonius Vaccarius clerici respective, perpetui beneficiati, beneficiatus et clericus respective nuncupati basilicae Principis apostolorum de Urbe, et Petrus Ciammariconus perpetuus beneficiatus ecclesiae Lateranensis, magistri ceremoniarum; Mutius Riccerius Camerinensis canonicus ecclesiae S. Angeli in Foro Piscium, collegii sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium secretarius; Franciscus Hadrianus Ceva Montis Regalis, et Antonius Chrysolinus a S. Sofia clerici nostri etiam dum cardinalatus honore fungebamur; Iulius Piccininus Mutinensis, Albertus Danesius clerici Narniensis dioecesis, Antonii Ostiensis Saulii; Marcus Antonius Dognasius Mediolanensis, Sebastianus Brusattus clerici Casalenses, Ioannes Baptista Butus laicus Narniensis dioecesis, Francisci Tusculani Sfortiae; Alphonsus Carandinus clericus coniugatus Mutinensis et miles militiae Iesu Christi, Petrus de Castro Toletanus et Tobias Aldinus Caesenatensis, clerici Odoardi Sabinensis Farnesii; Franciscus Cavalcantes perpetuus commendatarius monasterii S. Petri de Laderchia, aliàs de Riolo Imolensis dioecesis; Soterus Tardettus clericus Sabinensis dioecesis, Octavii Praenestinensis Bandini; Ioseph Buccellas presbyter Politianensis; Fabius Tavianus Pistoriensis; Nicolaus Acorsinius de S. Flora clerici, Ioannis Baptistae Albanensis Deti, venerabilium fratrum nostrorum episcoporum; Ioannes Ambrosius Villa presbyter Mediolanensis, Hieronymus Ponzonus laicus etiam Mediolanensis, Federici Borromaei; Petrus Franciscus Bonioannes presbyter Firmanus ecclesiae S. Mariae Maioris de Urbe praepositus, et Franciscus Fracassinus clericus Urbevetanus, Andreae S. Laurentii in Lucina Peretti; Galeottus Oddus laicus Perusinus et miles militiae S. Stephani, Paulus Æmilius Andrutius laicus romanus, miles militiae Iesu Christi, Pelegrinus Trevesanus clericus Ferrariensis, Bonifacii S. Mariae in Transtyberim Bevilacquae; Æmilius Sperellus laicus Esiniensis, Franciscus Thedeschius Ferrariensis, Guglielmus Valleta Avenionensis clerici, Dominici sanctorum duodecim Apostolorum Gymnasii; Bernardinus Machanus presbyter Senogalliensis, Caroli sancti Caesarei Madruzzii; Franciscus Ghettus Faventinus, Thomas Pastorus Vellenensis clerici, Scipionis S. Chrysogoni Burghesii; Petrus Roncius clericus Nepesinensis dioecesis, Ioannis Garziae sanctorum Quatuor Coronatorum Millini; Ioannes Baptista Laurus Perusinus, Franciscus Baruffaldus Cremonensis clerici, Marcelli sanctorum Quirici et Iulittae Lantis; Alexander Bissius Florentinus, et Ioannes Crisentus Corrigiensis laici, Fabritii S. Augustini Veralli; Alexander Barbantes laicus, sive clericus Urbinatensis, Ioannis Baptistae S. Caeciliae Lenii; Ioannes Restius Ragusinensis, et Vitalis Tovanus Ravennatensis laici, Aloysii sancti Petri ad Vincula Capponii; Alexander Viola presbyter Aquilanensis, et Ioannes Paulus Leonardus Terrae Camatariae clericus, seu laicus Beneventanae dioecesis, Decii sanctorum Ioannis et Pauli Caraffae; Ludovicus de Horatiis Bononiensis, Gaspar Morellus Romanus, laici, Dominici S. Martini in montibus Rivarolae; Cornelius Henricus Mormannus clericus Leodiensis et Armonius Mancinellus laicus Urbevetanus, Petri Pauli sanctorum Nerei et Achillei Crescentii; Ioannes presbyter Ianuensis, et Ioannes Antonius Pasiadescus laicus Albinganensis dioecesis, Iacobi sanctae Mariae de Pace Serrae; Raynaldus Magnanus Sarsinatensis, canonicus ecclesiae S. Laurentii in Damaso; Petrus Antonius Pugliolus presbyter Mutinensis, Augustini S. Mariae in Ara-Coeli de Ara-Coeli; Ioseph de Hacredia clericus Illerdenensis Gasparis S. Crucis in Hierusalem

Borgiae; Franciscus Maria Costagutus canonicus ecclesiae S. Mariae in Via-Lata, Ianuensis, Petrus Settimius Cestarius Narniensis presbyteri, Felicis S. Anastasiae de Ascolo; Andronicus Spinellus clericus Patavinus, Roberti S. Alexii Ubaldini; Aurelius Martignonus Mediolanensis et Iulius Lavorius de Laurino Caputaquensis dioecesis clerici, Tyberii S. Priscae Muti; Philippus de Escobar, et Benavides clericus Vallisoletanensis, Petrus Muñonz de Castro laicus Clauriensis, Gabrielis S. Bartholomaei in Insula Tressii; Petrus Palla presbyter Reatinensis dioecesis, et Vincentius Benignus clericus Camerinensis, Iulii S. Sabinae Sabelli; Iacobus Weiskircher Viennensis, Marcus Antonius Guardanilla Romanus, laici, Melchioris S. Sylvestri Kleselli; Michaël Angelus Anchianus clericus Lucenensis, Petri S. Thomae in Parione Camporei, Ioannes Dominicus Cera Vincentinus, et Simon Brunus Nonantulanus, presbyteri, Antonius Apastorellius clericus Nursinus, Matthaei S. Marci Prioli; Delius conversus clericus Narniensis dioecesis, Scipionis S. Susannae Cobellutii; Albertus Mamianus presbyter Parmensis, Ioannes Baptista Mangilius clericus Romanus, Francisci S. Marcelli Cennini; Alderanus Bellactes clericus Lunensis Sarzanensis dioecesis, Ioannes Doupye laicus Leodiensis, Guidonis S. Mariae de Populo Bentivoli; Ioannes Thomas Guglielmus laicus, seu clericus, Pisaurensis, Antonius Benedellus Nonantulanus presbyter nullius dioecesis, ac Annibal Palutius clericus Firmanus, Petri S. Salvatoris in Lauro Valerii; Alexander Simon Antuerpiensis, Carolus Scatz Constantiensis, et Franciscus Antonius Rentinus Tiburtinus, clerici Itali, Friderici S. Laurentii in Pane et Perna Zollerensis; Didacus Busca presbyter Papiensis, Sextilius Balducius de Volsinio clericus Urbevetanus, Iulii S. Mariae supra Minervam Romae; Antonius Grassellus Nucerinus, Germanicus de Leonibus Perusinus, clerici, Laurentius Sclarra clericus Firmanus, Caesaris S. Petri in Monte Aureo Gherardi; Hadrianus Tanus presbyter Nucerinae dioecesis, Ioannes Baptista Moranus Parmensis, Andreas Morellus Florentinus, clerici, Albertus Burius laicus Urbinatensis dioecesis, Desiderii S. Clementis Scaliae; Hieronymus Lanfrancus clericus Neapolitanus, Vincentius Iacobellus Romanus clericus, Ioannes Baptista Belardus de Monte Castello Tudertinus laicus, Stephani S. Mariae in via Pignatelli; Ioannes Nicolaus Tighettus presbyter Senogalliensis basilicae S. Petri de Urbe canonicus, Epiphanius Rosa clericus Spoletanus, Vincentius Crucius Ianuensis et Ioseph de Burgonsonis Bononiensis laici, Ludovici S. Laurentii in Damaso Ludovisii; Franciscus Petrillus presbyter Capuanus, Antonii S. Pudentianae Caetani; Ludovicus Paulucius clericus Maceratensis, Francisci S. Matthaei in Merulana Sacrati; Anellus Deamatus et Matthaeus Deamatus clerici Campanienses, Dominicus Brindolus de Mancinis clericus Romanus, Lucii sancti Stephani in Monte Coelio Sanseverini; Octavius Placidus presbyter Firmanus, canonicus S. Mariae in Cosmedin nuncupatae de Urbe, et Aurelius Stiaticus laicus Bononiensis, Marci Antonii S. Eusebii Gozadini; Georgius Cedolinus Iadrensis, commendatarius S. Ambrosii Nonensis, Ricciardus Sissa Placentinus, clerici, Cosmi S. Pancratii de Torres; Monaldus de Monaldis de Aspello Fulginatensis dioecesis, Petrus Franciscus Rinuccinus Florentinus, clerici, Octavii S. Agnetis in Agone, titulorum presbyterorum Rodulphii nuncupatorum; Ioseph Fontanella Regiensis miles militiae S. Iacobi de Spatha, Tyberius Rubeus Ariminensis, et Petrus Paulus Mecis Anigninensis clerici, Alexandri sanctae Mariae in Via-Lata Estensis; Ambrosius del Pueyo clericus Tirasonensis, Fran-

ciscus Rizzius clericus, seu laicus Ianuensis, Ioannettini S. Hadriani de Auria; Petrus de Notes clericus Papiensis, Lucas Massarentes laicus Reatinus, Caroli Emanuelis S. Nicolai in Carcere Tulliano Pii; Angelus Magnesius Polignanensis perpetuus commendatarius monasterii S. Mariae della Grottella Hidruntinae dioecesis, et Claudius Amadaeus Vibò Gratiopolitanensis clerici, Mauritii Emanuelis S. Eustachii de Sabaudia; Octavianus de Lotto Florentinus miles militiae eiusdem S. Stephani et Franciscus Acursius Bombaglinus laicus, Caroli S. Mariae in Domnica Medices; Fabius Leonidas de S. Flora et Ulixes Severinus clerici Auximanae dioecesis, Francisci S. Angeli in Foro Piscium Boncompagni; Laurentius Bernardinus presbyter Lucensis et Hieronymus Adimarius clericus Florentinus, Hyppoliti S. Mariae Novae Aldobrandini, diaconorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, etiam nuncupatorum: Frater Marcus Antonius Vianus Bononiensis cum dicto Fulgentio episcopo, Stephanus de Bubalo Romanus presbyter Societatis Iesu, commissarius, Gabriel Fonseca laicus Physicus, Prosper Cecchinus chirurgus, Franciscus Amplius clericus Romanus, adiutor dicti secretarii collegii, Fabius Novellus cum dictis magistris coeremoniarum, Appollonius de Appolloniis Senensis, aromatarius, Antonius Fernacutus clericus Romanus, Tarquinius Galardus laicus, eius adiutores; Linus Blasinus de S. Oresto nullius dioecesis custos fontis, Franciscus Anna et Ioannes Baptista Carpana, barbitonsores, Iacobus Philippus Tanus et Secundus Tassonus eorum adiutores; Franciscus Soria, faber lignarius, Ioannes Antonius Bernasconus, caementarius, Ioannes Scorcius, Dominicus Tognardellus, Ioannes Augustinus, Simon Petricciolus, Basilius Colarellus, Ioannes Augustinus Laurentii, Petrus Pomol, Andreas Palumbus, Hieronymus Tamansinus, Petrus Fumarettus et Iulianus Fulginatensis, scopatores conclavis.

Eadem privilegia Francisco Viario conclavistarum procuratori conceduntur.

§ 23. Et insuper, cum dilectus filius Franciscus Viarius, laicus burgi sancti Sepulchri, tanquam dictorum conclavistarum procurator, in praemissis sedulam pro ipsis operam, ut accepimus, navaverit; propterea et aliorum meritorum suorum ac obsequiorum nobis et Sedi Apostolicae impensorum intuitu, volentes ipsum specialibus favoribus et gratiis prosequi, eidem Francisco Viario, quod, licet in conclavi praedicto non inservierit, nihilominus omnibus et singulis supradictis gratiis, privilegiis, facultatibus, immunitatibus, libertatibus, honoribus, praerogativis, praeeminentiis, indultis, exemptionibus, ceterisque praemissis, non tamen quoad participationem decem millium scutorum huiusmodi per nos, ut supra, dictis conclavistis donatorum et inter ipsos, ut praefertur, distribuendorum, tamquam conclavista et unus ipsorum frui et gaudere libere et licite possit et valeat, perinde ac si conclavi huiusmodi vere et realiter interfuisset, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque supradictis et aliis contrariis nequaquam obstantibus, motu et auctoritate similibus de speciali gratiâ indulgemus.

Transumptis danda fides.

§ 24. Volumus autem, quod praesentium transumptis impressis, et sigillo ac manu alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis et subscriptis, eadem fides tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 25. Nulli ergo omnino hominum liceat hac paginam nostrae absolutionis, receptionis, creationis, constitutionis, assignationis, decorationis, aggregationis, liberationis, exemptionis, remissionis, condonationis, dispensationis, legitimationis, abstersionis, abolitionis, restitutionis, de-

cretorum, concessionum, indultorum, praeceptorum, mandatorum, derogationis et voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXIII, VIII idus augusti, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 6 augusti 1623, pontif. anno I.

II.

Canonizatio B. Philippi Nerii Congregationis Oratorii fundatoris[1].

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Rationi congruit et convenit aequitati, ut ea, quae de Romani Pontificis providentiâ processerunt, licet eius superveniente obitu litterae apostolicae desuper confectae non fuerint, suum debitum consequantur effectum.

Gregorius XV inter Sanctos, qui ecclesiam illustrarunt, § 1. Dudum siquidem felicis recordationis Gregorius Papa XV praedecessor noster, pie praemeditatus, quod supremus ille et diligens paterfamilias, qui ab origine mundi plantavit vineam suam, universalem scilicet in eam quotidie non desinat mittere operarios, quorum assiduitate culturae illa vepribus expurgata fructum afferat, vel centesimum, vel sexagesimum, vel trigesimum; quodque ante Incarnationem Verbi misit in eam patriarchas et prophetas, virosque sanctissimos, qui portaverunt pondus diei et aestus; post assumptam vero humanitatis nostrae substantiam, venit vocare novissimos, sanctos videlicet apostolos, qui vineam hanc, et fidei fervore, et praedicationis verbo, per universum propagarunt orbem, iisque adiunxit non solum fortissimorum martyrum exercitus, qui effuso sanguine illam irrigarunt uberrime, sed etiam confessorum laudabilem numerum, quorum sanctitatis exemplo haec vinea ubique terrarum odorem afflat suavissimum,

B. Philippum Nerium adnumerare decreverat. § 2. Inter quos paucis ante annis sanctimoniam redolere satis constiterat B. Philippum Nerium, Congregationis Oratorii fundatorem, cuius et vitae puritas et omnium virtutum congeries et miraculorum gloria plurimum elucebat, ipsius B. Philippi catalogo sanctorum adscriptione decrevit intendere.

Etenim ipso eius obitus anno confecti sunt processus super illius virtutibus et miraculis. § 3. Cumque iam, ab ipso die quo dictus B. Philippus obdormiverat in Domino, fama sanctitatis et miraculorum eius adeo crevisset, ut statim dignus canonizatione acclamaretur, et multi viri graves de illâ promovendâ cogitassent, et apud piae memoriae Clementem VIII etiam praedecessorem nostrum desuper egissent, et eiusdem Clementis praedecessoris auctoritate, vivae vocis oraculo concessâ, statim, eodem ipsius B. Philippi obitus anno, in Urbe et extra eam fuissent receptae informationes et facti processus super illius virtutibus, sanctitate et miraculis;

Nonnulli principes eius canonizationem a Paulo V postularunt. § 4. Et successive, coram similis recordationis Paulo V pariter praedecessore nostro, pro eâdem canonizatione charissimus in Christo filius noster Ludovicus Franciae et Navarrae rex christianissimus et charissima etiam in Christo filia nostra Maria, eiusdem Ludovici regis mater, ac dilecti filii nobiles viri senatus, populusque Romanus, et Maximilianus utriusque Bavariae, necnon Carolus Gonzaga Nivernensium, et, dum in humanis agerent, Ferdinandus I, et, post eius obitum, Cos-

1 Hunc Philippum Gregorius XV retulerat in Sanctorum Confessorum numerum unâ cum sanctis Isidoro, Ignatio Francisco et confessoribus ac Theresia virgine, sed, morte praeventus, bullam desuper expedire non potuit, et ideo iste Pontifex modo illam expedivit (B. T. ex Cherub.).

mus II, magni Hetruriae eis subiectae duces et dilectae in Christo filiae nobiles mulieres Christiana, Cosmi mater, et Catharina, Caroli praefati uxor, ac etiam dilecti filii presbyteri dictae Congregationis institissent;

Qui congregationis rituum ut inquireret in genere commisit,

§ 5. Et Paulus praedecessor praedictus venerabilibus fratribus nostris, tunc suis, S. R. E. cardinalibus, super sacris ritibus deputatis, per suas in formâ Brevis sub annulo piscatoris desuper expeditas litteras commisisset, ut inquirerent in genere prius, ac deinde in specie super famâ sanctitatis, virtutibus et miraculis dicti B. Philippi formarent, iuris ordine servato, processum;

Decretumque deinde confici processum in specie.

§ 6. Eoque diligentissime peracto et factâ per bonae memoriae Dominicum eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalem Pinellum nuncupatum relatione, ex processu videlicet in genere facto plene constare de famâ sanctitatis et miraculorum dicti beati Philippi, ac deveniri merito posse ad inquisitionem in specie;

Rotae auditoribus commissa relatio.

§ 7. Dictus Paulus praedecessor bonae memoriae Francisco Peniae rotae decano et Horatio Lancellotto, ipsoque Horatio promoto ad cardinalatus honorem, Alexandro Ludovisio, tunc in minoribus constituto, qui deinde ad Summi Apostolatus apicem assumptus Gregorius XV praedictus fuit nuncupatus, ac venerabili fratri nostro Dionysio de Marquemont, ecclesiae Lugdunensi postmodum praefecto, omnibus causarum palatii apostolici tunc auditoribus, ut coniunctim, vel saltem duo eorum procedentes, inquisitiones et probationes huiusmodi facerent, factasque referrent, demandasset;

Qui rem Pontifici referunt.

§ 8. Dictique auditores commissarii, iniuncto sibi officio diligenter perfuncti, totius negocii seriem in scriptis eidem Paulo praedecessori retulissent;

Decretum congregationis rituum constare

§ 9. Et dictus Paulus praedecessor relationem, ut praefertur factam, unâ cum iteratis instantiis ac precibus dictorum principum et presbyterorum dictae Congregationis Oratorii, ad praedictos cardinales, ut praefertur deputatos, remisisset, ac omnibus per bonae memoriae Robertum dictae sanctae Romanae Ecclesiae cardinalem Bellarminum nuncupatum, ad id specialiter electum, examinatis et relatis in octo congregationibus diversis temporibus habitis, de validitate processuum in specie factorum, tam in dictâ Urbe, quam extra eam, et de fide, spe, charitate, virginitate, de prophetiâ, aliisque donis et virtutibus, de famâ sanctitatis et miraculis quamplurimis tum in vitâ tum post obitum dicti B. Philippi plene constare, servatis servandis, conclusum et decretum extitisset;

de virtutibus, miraculis et fama sanctitatis.

Indultum recitandi officium et missam in eius honorem.

§ 10. Idem Paulus praedecessor, ut in illius honorem tamquam de Confessore non Pontifice missa celebrari et officium recitari in ecclesiâ Beatissimae Virginis Mariae et S. Gregorii in Vallicella de Urbe licite posset, indulsit, et successive indultum huiusmodi ad alias eiusdem instituti congregationes in aliis ecclesiis extra Urbem canonice erectas extendit.

Gregorius XV canonizationis negocium perfici statuit.

§ 11. Dictoque Paulo praedecessore viam universae carnis ingresso, praedictus Gregorius praedecessor, qui illi in apostolatus ministerio successit, beati viri sanctitatem (quippe qui virtutum illius excellentiam in minoribus, ut praefertur, constitutus bene noverat) veneratus et christifidelium devotione, precibusque dictorum principum; instantius quam unquam repetitis, permotus, negotium canonizationis illius perficiendum constituit;

Mandatque dictae congregationi, ut illud reassumat.

§ 12. Et ad hunc effectum praedictis cardinalibus dictae congregationis sacrorum rituum mandavit, ut praedictos processus omni, qua[1] decebat, diligentiâ rursus inspicerent, et universam causam sibi referrent.

1 Edit. Main. legit *quam* (R. T.).

Decretum congregationis deveniri posse ad canonizationem.

§ 13. Qui quidem cardinales dictum Robertum cardinalem denuo elegerunt, eoque ab humanis exempto, dilectum filium nostrum, tunc eiusdem Gregorii praedecessoris, Petrum Paulum eiusdem S. R. E cardinalem Crescentium nuncupatum in eius locum subrogarunt, et negotio exactissime discusso, ac diligentissime examinato, servatis similiter servandis, unanimiter congregati censuerunt, plenissime constare tam de validitate processuum, quam de vitae sanctitate, virtutibus et miraculis tum in vitâ tum post mortem dicti B. Philippi, ita ut si dicto Gregorio praedecessori videretur, posset dictus B. Philippus in Sanctorum numerum adscribi.

His omnibus in secreto consistorio relatis;

§ 14. Cumque nihil iam superesset ulterius, idem Gregorius praedecessor voluit in consistorio suo secreto, de his omnibus relationem fieri, et venerabilis frater noster, tunc suus, Franciscus Maria episcopus Ostiensis, tunc Portuensis, et cardinalis a Monte nuncupatus, suo et aliorum dictae sacrorum rituum congregationis cardinalium nomine, summam processus exposuit, et ex rebus ab ipso B. Philippo praeclare gestis selegit nonnullas, quas disertis plane verbis enarravit, ac se, ceterosque dictae congregationis sacrorum rituum cardinales censuisse asseruit, dictum B. Philippum, si ipsi Gregorio praedecessori visum foret, Sanctorum catalogo aggregari posse: in quorum sententiam reliqui omnes cardinales in dicto consistorio tunc assistentes, de quorum numero nos quoque tunc eramus, suo quisque suffragio ex ordine devenerunt.

Propositisque in consistorio publico principum instantiis;

§ 15. Et successive idem Gregorius praedecessor, ex antiquo Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, tunc suorum, instituto, publico consistorio, in quo, praeter dictos cardinales, etiam venerabiles fratres nostri patriarchae, archiepiscopi, episcopi, ac alii Romanae curiae praelati, et dicti Gregorii praedecessoris familiares dilecti filii convenerunt, convocato, dilectus filius magister Ioannes Baptista Spada iunior, in utrâque signaturâ referendarius, tunc aulae consistorialis advocatus, de vitâ, virtutibus et miraculis dicti B. Philippi diserte dixit, et nomine praedictorum principum illius canonizationem suppliciter petiit. Quibus auditis, dictus Gregorius praedecessor respondit, se precibus libenter assentire.

Publicisque indictis precibus;

§ 16. Sed quoniam non audebat sancta Sedes librum aeternae vitae perscrutari, nisi Spiritu Sancto aperiente, respondit velle se diutius immorari, ac maturius procedere: et propterea omnes in Domino rogavit, ut secum unâ orationibus, ieiuniis ac eleemosynis divinae voluntatis arbitrium explorarent.

Ac habito semipublico consistorio;

§ 17. Demum vero[1] consistorio, quod semipublicum vocant, indicto, in quo praedicti omnes, ac etiam Sedis Apostolicae notarii, et causarum dicti palatii auditores dilecti filii interfuerunt, omnes beatum virum canonizandum esse publicis suffragiis iudicarunt: quorum unanimi consensu audito, ipse Gregorius praedecessor aperiens os suum in benedictiones, gratias egit divinae eclementiae, quod tantam contulisset gratiam Servo suo;

Eum statuit canonizandum.

§ 18. Statuitque illum inter Sanctos referre unâ cum B. Isidoro agricola, et Ignatio Loyola, ac Francisco Xaverio, nec non Theresia: de cuius quidem beati viri Philippi origine, vitâ, virtutum donis et miraculis aliqua ex multis in processu deductis recensenda duxit.

B. Philippi ortus, atque adolescentia.

§ 19. Est igitur natus B. Philippus Florentiae, millesimo quingentesimo decimoquinto salutis anno, sedente Leone X Pontifice Maximo, et in ecclesia S. Ioannis Baptistae baptismali fonte ablutus. Franciscum Nerium, et Lucretiam Soldiam ho-

1 Videretur legendum *altero* ut infra pag. 30 *b* (R. T.).

nestissimae vitae atque probatae integritatis parentes habuit; a quibus adhuc puerulus optimis moribus imbutus, ab ipsâ ineunte aetate, ob praeclaram, quam praeferebat, naturae indolem, non modo aliorum animos in sui rapiebat amorem, ut *Pippus bonus* appellaretur, sed, divinâ in omnibus iuvante gratiâ, videretur de se magnum aliquid praemonere.

A vitae periculo incolumis evadit.

§ 20. Non[1] VIII annos natus, unâ cum asello quem conscenderat, in cellam vinariam praeceps delapsus, atque iumenti onere oppressus, ingenti admiratione, qui mortuus credebatur, extractus est vivus et incolumis.

Mercaturam addiscit.

§ 21. Ubi vero ad annum pervenit aetatis decimum octavum, missus est a patre ad oppidum S. Germani, ut ibi, apud patruum opibus abundantem, mercaturam exerceret: qui adolescentis optimi laetificatus adventu, ipsum brevi propter eius probitatem in haereditatem vocare constituit.

Romam se confert, studioque scientiarum et pietatis animum addicit.

§ 22. At vero Philippus, caelestium desiderio in dies ardentior, a patruî gratiâ et benevolentiâ sibi timere cepit, donec duobus annis transactis, mercaturae nobilioris avidus, contemptâ viginti millium aureorum haereditate ab illo oblatâ, Romam inde se contulit: ubi, opportunum et aptum ad solida virtutum officia nactus locum, pietatis operibus philosophiae ac theologiae studium adiunxit.

Nonnulla pietatis opera ipsius recensentur.

§ 23. Et interim, arctam vitae viam ingressus, humi plerumque cubare, tenui victu atque assiduo ieiunio delectari, et aliquando per triduum ab omni cibo abstinere, septem praecipuas Urbis ecclesias obire, et in coemeterio Callisti nuncupato in oratione pernoctare saepe consuevit.

Mirabilem patitur palpitationem cordis et fracturam costarum.

§ 24. Ac vix annum aetatis suae vigesimum nonum attigerat, cum inter alia divinitus accepta dona plane mirabilis cordis palpitatio fuit ac fractura constarum: quae publico medicorum testimonio praeter naturae ordinem obtigit, quasi mentis dilatato sinu, etiam caro dilataretur et exultaret in Deum vivum.

Quam plurimos Deo lucratur.

§ 25. Et ad animarum propterea subsidium se multo magis vocari sentiens de solitariae vitae severitate divino nutu remittere cepit, atque inter cuiusque conditionis homines eâ mente versari, ut publicis adhortationibus et privatis colloquiis Christo Domino quamplurimos lucraretur, nullo incommodo, nullo penitus devitato labore.

Coram sanctissimo sacramento noctes deducit insomnes.

§ 26. Eodemque fere tempore, quo sanctissimae Trinitatis confraternitas, ad peregrinorum et convalescentium commoditatem, ipsius consilio atque operâ fuit instituta, cum unoquoque mense quadraginta horarum supplicatio decreta esset, ipse totas pene noctes deducebat insomnes, et confratres ad orationem hortabatur et exemplo mirifice incitabat.

In ecclesia sancti Hieronymi aliorum eruditionem curat.

§ 27. Cum vero ad quadragesimum fere annum pervenisset, confessarii iussu sacerdos factus, et audiendis fidelium confessionibus praefectus, in aedibus S. Hieronymi de Charitate nuncupati habitavit.

Sacros ordines suscepit XL suae aetatis anno.

§ 28. In cuius ecclesiâ ad sacramentorum frequentiam, et ad dandam scientiam salutis semper intentus, in proprio etiam cubiculo piâ de divinis collocutione illos erudiebat, qui eius sese disciplinae tradiderant.

Indias adeundi desiderio flagrat.

§ 29. Et in hoc ipso suorum progressu attendit animum Indias adeundi ad vineam Domini excolendam, et fructus uberiores etiam profuso sanguine reportandos.

Sed monitus a Deo, consilium mutat.

§ 30. Ut autem eâ de re supernum consilium exploraret, virum Cisterciensis Ordinis pietate insignem consuluit, a quo, revelante Deo, admonitus est, eius Indias Romae futuras.

Nonnullos hebraeos ad christianam fidem adducit.

§ 31. Quamobrem, maiori succensus ardore, non solum durissimâ peccatorum servitute pressos ad Christi Domini obsequium traducere studuit, verum etiam sedentes in tenebris et umbrâ mortis in-

1 Scilicet *nondum* (R. T.).

fideles ad clarissimum fidei lumen adduxit, quo illustrati nonnulli hebraei Christum regem recipere, et haeretici ad catholicam veritatem redire non dubitarunt.

Auctor est cardinali Baronio, ut annales ecclesiasticos scribat.

§ 32. Certe de novatoribus revincendis[1], vel ad Romanam Ecclesiam reducendis, maxime visus est fuisse sollicitus, cum bonae memoriae Caesarem presbyterum cardinalem Baronium nuncupatum, adhuc in minoribus constitutum, ad opus *Annalium* per tot annos urgere non destitit, ut ipsemet postea cardinalis scripserit, non se *Annalium Ecclesiasticorum*, sed Philippum auctorem extitisse.

Congregationem Oratorii fundat.

§ 33. Iamque in ecclesiâ S. Hieronymi piis ac familiaribus colloquiis diu ad virtutes erudierat confluentes, cum ad maiorem fructum ex verbi Dei semine percipiendum, ex filiis, quos Christo genuerat, delectis nonnullis, recolendae memoriae Gregorii XIII etiam praedecessoris nostri auctoritate, apud dictam ecclesiam beatissimae Virginis Mariae et S. Gregorii Congregationem praedictam Oratorii fundavit;

Ipsamque optimis munit institutis.

§ 34. Et congruentibus institutis, a praedicto Paulo praedecessore postea confirmatis[2], in presbyterorum secularium statu, absque voti ullius vel promissionis vinculo, ad quatuor familiares sermones singulis in hebdomadâ feriis, exceptâ die sabbati, divinis de rebus habendos, ad quotidianam sub vesperam in oratorio publico orationem, ad sacramentorum frequentiam, et ad alias complures christianae pietatis exercitationes retinendas munivit ac stabilivit.

Eius in Deum charitas.

§ 35. Ut autem speciatim tanti viri virtutes agnoscantur, et per viam salutis incedentibus subsidio esse valeant, non est omittendum, quod is fuit in primis charitate in Deum admirabili, ut internus ille ignis nonnunquam, dum attenderet ad divina, redundaret in corpus, et facies atque oculi scintillulis micarent, atque etiam ex improviso illa Apostoli verba saepius usurparet, *Cupio*, sed mox animadvertens, suae in Deum devotionis occultandae gratiâ, reliquum sententiae retinebat, nimirum, *dissolvi et esse cum Christo.*

Devotio erga SS. Eucharistiae sacramentum;

§ 36. Perpetuo atque ardenti studio venerandum Eucharistiae colebat sacramentum: vel enim laicus, vel sacerdos celebrans, vel aegrotans in lectulo, illius quotidianâ susceptione reficiebatur. Verum inter celebrandum fervidus ligneum altaris gradum quodam exultationis tremore concutiebat.

Et Passionem dominicam.

§ 37. In ipsâ dominicae Passionis memoriâ, atque iniquorum hominum ingratitudine gemitus fundebat uberrimos, et miraculo tribuebatur, quod prae assiduâ lachrymandi consuetudine vim oculorum non amisisset.

Studium orationis.

§ 38. Inter cetera, quibus ad huiusmodi charitatis gradum pervenit Philippus, summum fuit orationis studium, cui inexplicabili desiderio semper addictus, omnia Congregationis exercitia in eam quodammodo tendere curavit, ut inde merito Oratorii Congregatio fuerit appellata.

Charitas in proximos.

§ 39. Haec ipsa beati viri charitas miris modis redundabat in singulos cuiusque conditionis homines. Nam omnium utilitati ac necessitati expositus, nullum sibi tempus certum esse voluit, in quo suae parceret valetudini, et, quod habitabat cubiculum, non pateret aliorum commoditati, summâ lenitate excipiens ad se venientes, factus omnibus omnia, ut omnes Christo lucrifaceret.

Adolescentium cura,

§ 40. Singulari praesertim industriâ per christianae laetitiae semitas deduxit adolescentes, qua, vel septem Urbis ecclesias, vel xenodochia, vel alia pia exercitia frequentantes labore ac molestiâ ex parte levarentur.

1 Edit. Main. habet *revincendis* (R. T.).

2 Huiusmodi confirmatio legitur in tom. XII, pag. 36 et seq. nostrae editionis (R. T.).

Atque aegrotorum.

§ 41. Summâ item assiduitate visebat aegrotantes, praesertim e suis, nec eos deserebat, dum nosset mortis periculum instare.

Daemones suâ voce fugat.

§ 42. Tentationes diaboli repellebat mirabiliter, atque a plurimis laborantibus in extremis, cum ipse accederet, proferretque verba, *Quis est hic?*, daemones ad vocem perterriti, sese in fugam visi sunt conjicere.

Largus in pauperes.

§ 43. Curabat autem hominum saluti non solum interno, sed etiam externo subvenire subsidio; et numerosis plerumque familiis necessaria suppeditare, dotem indigentibus virginibus elargiri, egenis religiosorum domibus opem ferre, vinctis in carcere eleemosynas abundanter impertiri, ut merito pater animarum diceretur et corporum. Quem charitatis affectum etiam miraculis Dominus comprobavit.

Angelo sub pauperis specie praebet eleemosynam.

§ 44. Intempestâ enim nocte panem deferens ad familiam in egestate multâ constitutam, in profundam foveam incidens, ab angelo incolumis ereptus est, qui etiam aliàs angelo sub specie pauperis eleemosynam sibi petenti omnem pecuniam, quam apud se habebat, prompto atque hilari obtulit animo.

Virginitatis donum.

§ 45. Charitati virginitatis donum adjunctum habuit, quo multi, qui cum ipso versabantur, vel vultu atque oculorum intuitu, vel suavi fragrantiâ, qua illius corpus redolere consueverat, recreabantur.

Impudicos ex foetore cognoscit, contactuque curat.

§ 46. Solitus ipse pudicitiam ex odore, impudicitiam ex foetore dignoscere, soloque manuum contactu impuris tentationibus esse remedio.

Tentationes oratione repellit.

§ 47. Huic integerrimae puritati saepe humani generis hostis per impudicas mulieres tetendit insidias: ipse vero ad orationem semper confugiens victor gloriosus evasit.

Cibi potusque abstinentissimus.

§ 48. Eam ob causam perpetuae deditus abstinentiae, loco prandii tenui utebatur jentaculo, cui coena succedebat non absimilis. Abstinuit semper a cujusvis generis lacticiniis: raro pisces, carnes vero rarissime degustavit; potu fuit admodum tenui, aquâ magis usus quam vino. Ea demum erat potus, cibique parcitas, ut eâ sustentari, medicorum attestatione, naturae viribus non valeret, crederetur tamen (praesertim a suis) Eucharistiae virtute vitam ad senectutem traduxisse.

Rerum contemptor humanarum;

§ 49. Cum hujusmodi abstinentiâ conjunxit etiam rerum omnium mundanarum contemptum: non modo enim haereditatem ac patrimonium respuit et quammultas sibi testamento relictas facultates summâ animi constantiâ repudiavit, sed etiam, dum in aedibus S. Hieronymi habitaret, nudis contentus cellulis, consueta stipendia recusavit.

Dignitates ecclesiasticas recusat.

§ 50. Ab honoribus atque ecclesiasticis dignitatibus alienus, adduci nunquam potuit, ut pensiones atque beneficia reciperet. Canonicatus in Urbe primos, episcopatum et cardinalitiam dignitatem a piae etiam memoriae Gregorio XIV et praedicto Clemente praedecessoribus nostris sibi oblatam omnino recusavit.

Eius humilitas.

§ 51. Humillimus fuit, atque beati Francisci exemplo se maximum ex peccatoribus constanter affirmabat; ideoque contestari quotidie solitus Deum his fere verbis: *A me tibi caveas, Domine; te enim hodie traditurus sum, et omnia perpetraturus mundi peccata, nisi tuâ me gratiâ benigne protexeris.*

Praesertim aegrotans.

§ 52. Cumque aegrotaret aliquando, atque ipsum obsecrarent adstantes, ut, suorum saltem beneficio, illam S. Martini dirigeret ad Deum orationem, *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem,* summâ animi demissione respondit: *Non sum ego S. Martinus, nec me talem unquam existimavi; quod si me vobis necessarium reputarem, perditum crederem.*

Nec patitur se Congregationis fundatorem appellari.

§ 53. Atque hinc est, quod se rectoris et praepositi necnon Congregationis a se erectae fundatoris titulo aegre admodum tulerit appellari. Quinimmo biennio ante obitum Congregationis administrandae munus deposuit.

Summa patientia,

§ 54. Tantae eius humilitati patientia non defuit; tranquillo semper animo excitatas, tam adversum se quam Oratorii sui exercitia, persequutiones tolerans, in quibus etiam pro persequutoribus verus Christi imitator assidue deprecabatur; isque fuit precationum fructus, ut ex eis plurimos solâ patientiâ ad Deum converterit, qui vero ab inceptis non destitere, divinam ultionem sint experti.

In perferendis praecipue infirmitatibus.

§ 55. Magnae insuper patientiae extitit in perferendis diuturnis corporis infirmitatibus, quibus singulis fere annis divexabatur, ita ut ad extremum vitae perductus, oleo sancto quater inunctus fuerit. Quo autem tempore aegrotabat, nullâ unquam de doloribus habitâ querimoniâ, sed hilaris facies incredibilem animi laetitiam indicabat; ab ipsâ vero infirmitate, quantumvis gravi, convalescere saepe solebat repente prorsus ac mirabiliter.

Sensuum mortificatione clarus.

§ 56. In christianâ mortificatione adeo praecellebat, ut merito habitus fuerit eiusdem virtutis singularis magister, et in primis mentis discursum, quem ipse rationalem[1] nominare consueverat, assidue comprimere, et captivare intellectum in obsequium Christi studuerit: ideoque ea ipse plerumque faciebat, et facienda proponebat aliis, quae intuentibus animi potius levitatem atque stultitiam saperent.

Extases, raptusque frequenter patiebatur.

§ 57. Iam vero nonnulla etiam dona recensenda sunt, quibus beati viri virtutes immensa Dei bonitas illustravit. Frequenter enim extasim raptusque divinos patiens, e terrâ sursum totus undique splendore circumfusus elevabatur.

1 Heic aliquod nomen substantivum deesse videtur (R. T.).

§ 58. Celestibus item visionibus dignabatur assidue. Dominicae etenim Nativitatis nocte Christum in altari pueri specie intuitus est, et aliquando in sacratissimâ hostiâ paradisi gloriam conspexit. Vidit etiam beatissimam Virginem veteris ecclesiae S. Mariae in Vallicella tectum manibus sustinentem, donec imminentis casus ademptum est periculum. Eamdem iterum vidit, cum anno ante obitum aegrotaret, quem ipsa sibi obviam sublatum[1] in aëra mirifice recreatum repente sanavit.

Christum et B. Virginem saepe intuetur.

§ 59. Quamplurium insuper confitentium atque amicorum animos evolantes in caelum intueri, atque angelos concinentes interim audire solitus erat, quin etiam interiorem eorum pulchritudinem qui essent in statu gratiae divinitus agnoscebat.

Angelos et amicorum animas ad caelum euntes conspicit.

§ 60. Sanctorum Caroli Borromaei et Ignatii Loyolae facies miris splendoribus vidit coruscantes.

§ 61. Eâ erat prudentiâ praeditus, et discretione spirituum ita excellebat, ut propterea cuiusque conditionis homines ad ipsum, tanquam ad oraculum, consulendi gratiâ confluerent, et ipsimet summi Pontifices praedecessores nostri eius consilium magni semper facerent.

Prudentia in directione animarum.

§ 62. Veras a falsis visiones discernebat, et licet saepissime antiquus nostri generis hostis, horribili se formâ videndum offerens, deterrere ipsum conaretur, semper tamen fortis et invictus de eodem gloriose triumphans, pacem, veramque tranquillitatem, qua fruebatur interius, retinuit.

Veras visiones a falsis discernit.

§ 63. In prophetiae dono et absentium rerum, ac si praesentes essent, praevisione, occultisque cordis humani divinitus dignoscendis talis erat, ut de ipso vere affirmari possit: *Non est inventus similis illi.*

Prophetia ac rerum praevisione clarus.

§ 64. Illud etiam Philippo collatum a

Diversis in locis apparet.

1 Vocem *in* addimus ex Cherub. (R. T.).

Deo fuit, ut, dum uno esset in loco, in alio longe distante, uno eodemque prorsus tempore, nonnullis apparuerit.

§ 65. Quapropter, cum in aedibus sancti Hieronymi commoraretur, cuidam e suis, apud dictam ecclesiam Beatissimae Virginis Mariae et S. Gregorii degenti, se praesentem ostendens, subsidio quo indigebat, adfuit.

§ 66. Et Romae aliàs existens quemdam ex numero sibi confitentium, in mari pene submersum, mediis e fluctibus capillis apprehensum liberavit.

§ 67. Iterumque, cum in Urbe maneret, tunc in humanis agentem Catharinam Ricciam sub regulâ S. Augustini monialem Prati in Hetruria commorantem longo temporis spatio est alloquutus.

Miraculis clarus.

§ 68. Inter haec miram ad patranda miracula a praepotenti Domino consequutus gratiam, quamplurimos liberavit a quacumque detinerentur infirmitate.

Quam plurimi salutii redditi.

§ 69. Nonnullos enim solo sanctissimae crucis adhibito signo; alios salutari manuum contactu; inter quos Clemens VIII praedecessor noster, gravissimis chiragrae doloribus oppressus, sanus illico factus est; nobilis quidam romanus a pestiferâ corporis contagione curatus; alios praeterea pristinae sanitati restituit solâ orationis virtute;

Maria Felix a Castro;

§ 70. Alios morbis, quibus tenebantur, tantum imperando, quod praecipue contigit Mariae Felici a Castro in monasterio Turris Speculorum moniali, quae continuâ febri correpta, Philippo iubente, statim convaluit;

Cardinalis Baronius;

§ 71. Alios remediis omnino contrariis curavit, quod dictus Caesar cardinalis est expertus, cui stomachi et capitis debilitate ita laboranti, ut retinere vix cibum, atque orare nullâ ratione posset, imperavit, ut coram se panem integrum cum malo citreo comederet; qui, statim atque servi Dei mandatum exequutus est, stomachi atque capitis molestiis sensit se omnino liberatum.

Eugenia Mansueta;

§ 72. Alii vero, rebus, quibus utebatur Philippus, morbo admotis, sanitatem pristinam recepere; inter quos Eugenia Mansueta de Colle Scipionis, naribus ulcere quodam decem et octo mensium spatio horrendum in modum infectis, linteoli parte, servi Dei adhuc viventis sanguine respersâ, ulceri summâ fide appositâ, confestim curata est.

Paulus de Maximis vitae restitutus.

§ 73. Quin etiam constat, mortuos fuisse eius voce vitae restitutos: quod Paulo Fabritii de Maximis filio contigit, qui mortuus, nomen illius inclamante Philippo, illico ad vitam rediit, et confessione peractâ, ab eodem interrogatus, an libens iterum e vitâ decederet, annuens in pace quievit.

Philippus a summis, sanctisque viris maxima in veneratione habitus.

§ 74. His virtutibus ac donis, quibus a Deo tam liberaliter auctus est Philippus, tantae extitit mortalibus admirationi, ut qui servum Dei nossent, eius sanctitatem ubique praedicarent, et praedicti praedecessores nostri summo honore ac veneratione prosequerentur. Clemens, praedecessor praedictus, eius manus etiam osculans, et Gabriel Paleottus in libro, quem scripsit *De bono senectutis*, Philippum, adhuc viventem, tamquam verum eximiae sanctitatis, atque virtutum omnium exemplar proposuerit, et Augustinus dictae sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis Veronensis nuncupatus libellum, quem composuit, beato viro itidem vivente, *Philippum*, seu de laetitiâ christianâ, inscripserit. Summae etiam venerationi habitus est a sanctis viris et quamplurimis Dei famulis, ut a sancto Carolo, qui, quotiescumque eum adibat, ponere genua et manus eius osculo petere consuevit.

Eius mors.

§ 75. Verum, ingravescente iam aetate, cum incitato semper cursu susceptam salutaris vitae rationem feliciter persequutus esset, die mortis suae atque horâ

multifariam praedictis, plenus dierum, octavo kalendas iunii, anno millesimo quingentesimo nonagesimoquinto, qua die Dominici Corporis celebritas contigit, cum mane vehementi devotionis spiritu, quasi prae laetitiâ concinens, sacrosanctum missae sacrificium celebrasset, et nonnullis adstantium, quorum confessiones audierat, eucharistiae sacramentum ministrasset, consuetis exercitationibus de more expletis, post mediam noctem, eâ qua praedixerat horâ, omnipotenti Deo, cui fideliter servierat, spiritum placidissime reddidit, et post obitum quam plurimis, tam Romae quam alibi, gloriae claritate illustris apparuit.

Ad eius corpus populi frequentia.

§ 76. Et summo mane, servi Dei corpore in ecclesiâ super feretrum exposito, mortis felicissimae famâ iam divulgatâ, innumerabilis cuiusque conditionis hominum illuc multitudo convenit; inter quos multi ex viris principibus, praesulibus, atque cardinalibus confluxere; et toto bidui spatio, quo corpus, antequam conderetur, in ecclesiâ pie reservatum est, ingenti[1] populi frequentia, absque intermissione, manus, pedesque exosculari, coronas atque rosaria venerando corpori admovere non destitit; et ii, quibus prae multitudine ad corpus non dabatur accessus, feretrum in quo iacebat osculabantur.

Miracula tunc edita.

§ 77. Eo interim tempore multa sunt, eius suffragantibus meritis, edita miracula.

Strumis laborantes curati.

§ 78. Inter ceteros enim adolescens, unâ cum sorore, strumis diu laborantes, servi Dei manu loco admotâ ubi morbus residebat, extemplo curati sunt.

Multi infirmi sanati.

§ 79. Quemadmodum et mulier quaedam a diutinâ difficultate respirandi, et alii quamplures a variis infirmitatum generibus convaluere.

Appensae ad eius sepulchrum

§ 80. Post haec, ubi selectiori in loco corpus reconditum est, ad ipsum venerandum populi concursus fieri, votivae deferri tabellae, donaria permulta appendi, ac suavissimus quidam odor a multis inde percipi cepit.

votivae tabellae.

§ 81. Septem autem post annos integrum repertum, summâ omnium laetitiâ translatum est in sacellum erectum atque ornatum a quondam Nerio de Nigris, nobili Florentino et domicello romano, cui Deus sancti huius intercessione filium concessit Philippum propterea a parentibus nominatum, quem post menses decem et octo gravi morbo correptum, mortique iam proximum, beatus vir sibi commendatum pristinae statim sanitati restituit.

Post septem annos corpus repertum est integrum.

§ 82. Sed ne videamur singula recensere miracula, quibus servus suum mirificavit Altissimus, nosse satis erit, alios praecordiis eiusdem sanatos, ut Theodosiam monialem monasterii S. Luciae in Silice de Urbe, quae, splenis morbo decem et quinque annos afflicta, extemplo curata fuit;

Theodosia monialis splenis morbo liberata.

§ 83. Alios vero capillis, ut puerulum natum mortuum, qui, ut baptismo ablui posset, est revocatus ad vitam;

Puerulus vitae redditus.

§ 84. Alios quibusdam servi Dei coronis, ut Felicem Sebastianam, quae a diuturnis crurium ulceribus statim convaluit;

Felix Sebastiana,

§ 85. Alios linteolis, ut Septimiam Neriam, quae interiori oculi parte ignito ferro incaute a sorore perculsa, illaesa omnino remansit;

Septimia Neria,

§ 86. Et Iosephum Sermeium, qui, cum ob gravem infirmitatem eo devenisset, ut omnium iudicio mox efflaturus animam crederetur, sanus repente factus, a lectulo, in quo iacebat, incredibili omnium admiratione surrexit;

Iosephus Sermeius sanati,

§ 87. Alios, aliis eiusdem reliquiis, gravissimis tentationibus ereptos, ut Stephanum Calcinardum, qui ab impurissimâ quadam feminâ sollicitatus, sancti viri

Stephanus Calcinardus,

1 Videretur legendum *ingens* vel *ingentis* (R. T.).

reliquiis, quas devotionis ergo[1] secum deferebat, sibi pectus occultâ quadam vi percuti sensit, et vocem eius audiens increpantis se ut a peccato caveret atque inde festinus abiret, dicto obtemperans, continuo aufugit;

Vincentius Valesius a tentationibus liberati.

§ 88. Nonnullos solâ eius vitae lectione, ut Vincentium Valesium, qui vehementi vexatus tentatione, supradictum exemplum perlegens, ex animo Philippum compellans his verbis affatus[2] est, *cur modo non id ipsum mihi abs te, Pater?*, et eodem temporis instanti discessit omnis illa permolesta mentis agitatio:

Alia patrata miracula.

§ 89. Quamplures miris apparitionibus, ut Drusillam Fantinam, quae praecipiti casu prostrata, ac horribili capitis, oculorum et totius corporis collisione semiviva iacens, tribus servi Dei apparitionibus mirabiliter liberatur; non absimile accidit Leonardo Rovello, cui sanitatem a medicis desperatam petenti Philippus in sui festi pervigilio noctu apparens, pronuntiansque verba illa, *fili vade in pace*, confestim praebuit; et adveniente die Leonardus accepti beneficii memor ad audiendam in eius sacello missam, pro gratiarum actione, ecclesiam adivit;

§ 90. Multos sepulchrum eius visitantes, veluti Claudiam Grignanam, quae, post longam sexennii infirmitatem, non valens in ipsâ summâ dolorum acerbitate loco se penitus movere, ad Philippi sepulchrum aliorum auxilio perducta, vovens de servando singulis annis in vigiliâ festivitatis eius panis et aquae ieiunio, statim doloribus, quibus tenebatur, liberata est, et omnino sana, per ecclesiam nullius adminiculo incessit;

§ 91. Denique fere innumerabiles editis votis, ut fratrem Ioannem Baptistam Massiam de Valentia, Ordinis sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, qui Neapoli cum esset, annumque ageret supra septuagesimum, vovens se Dei servo eâdem prorsus horâ, qua Romae in eiusdem sacello sacrum votivum peragebatur, tribus desperatis infirmitatibus, quibus toto biennii spatio laboraverat et ita consumptus fuerat ut de facie vix amplius agnosceretur, repente curatus est.

Gregorius Papa novas indicit orationes.

§ 92. Praescripto itaque canonizationis die in festo sancti Gregorii Magni nuncupati, quarto videlicet idus martii, pontificatus ipsius Gregorii praedecessoris anno secundo, iterum dictus Gregorius praedecessor est hortatus ad iteratas preces, ieiunia et eleemosynas, ut in tanto opere exequendo lumen Eius, qui lucem habitat inaccessibilem, implorarent ad ea peragenda, quibus divinae gratiae honor et catholicae Ecclesiae fides augeretur.

Ac demum B. Philippum Sanctorum albo adscribit.

§ 93. Omnibus vero iuxta sanctorum patrum traditiones sacrorumque canonum instituta et Romanae Ecclesiae consuetudinem rite et recte peractis, dictâ die, quarto idus martii, idem Gregorius praedecessor, ad Principis apostolorum basilicam, cum cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, praelatis et ipsius Gregorii praedecessoris familiaribus, nec non dilectis filiis clero seculari et regulari, ac maximâ populi frequentiâ convenit, et post iteratas primo, secundo ac tertio pro canonizationis decreto petitiones per dilectum filium nostrum, tunc suum, Ludovicum tituli S. Mariae Transpontinae presbyterum cardinalem Ludovisium nuncupatum, nomine praedictorum, qui pro eâ insteterant, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces, et post imploratam Spiritus Sancti gratiam, ad honorem sanctissimae et individuae Trinitatis et fidei catholicae exaltationem, et christianae religionis augmentum, auctoritate eiusdem Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti, et beatorum Petri et Pauli apo-

1 Erronee edit. Main. legit *devotionis erga* (R. T.).

2 Ibid. legitur *afflatus* (R. T.).

stolorum decrevit et definivit, dictum Philippum Nerium Florentinum, dictae Congregationis Oratorii fundatorem, unâ cum beatis Isidoro et Ignatio ac Francisco nec non Theresiâ praedictis, Sanctum et Sanctorum catalogo adscribendum esse, prout adscripsit et aggregavit,

Ac declarat, altaria eius in honorem erigi;

§ 94. Statuens, ut ab universis christifidelibus in eius honorem ecclesiae et altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, aedificentur;

Festumque posse celebrari.

§ 95. Et quolibet anno, dictâ die illius obitus, septimo videlicet kalendas iunii, festum ipsius et officium tanquam de Confessore non Pontifice, ad formam in rubricis romani breviarii praescriptam, solemniter celebrari possit.

Eiusque visitantibus sepulchrum indulgentias concessit.

§ 96. Insuper eâdem auctoritate omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui annis singulis in ipsius festo ad sepulchrum, in quo corpus eius requiescit, visitandum accesserint, unum annum et quadraginta dies; iis vero, qui in eiusdem festi octavâ id fecerint, etiam quadraginta dies de iniunctis eis aut aliàs quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavit.

Missam ipse solemni pompâ celebravit.

§ 97. Et decantato solemniter hymno *Te Deum laudamus*, et divinâ ope implorată sancti Philippi et aliorum Sanctorum praedictorum meritis, per peculiarem ad id orationem, quam dictus Gregorius praedecessor pie et solemniter recitavit, sacrosanctum missae sacrificium, solemni pompâ et ritu, cum eorumdem Sanctorum commemoratione, ad altare Principis apostolorum celebravit; et omnibus christifidelibus, tunc praesentibus, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem ad Dei laudem, et gloriam Sanctorum eius impertitus fuit.

Mortuo Gregorio ante expeditionem bullarum, gestae rei testimonium ab Urbano perhibetur.

§ 98. Ne autem de decreto, definitione, adscriptione, aggregatione, statuto, relaxatione aliisque praemissis, pro eo quod super illis ipsius Gregorii praedecessoris litterae, eius superveniente obitu, confectae non fuerunt, valeat quomodolibet haesitari, volumus et apostolicâ auctoritate decernimus quod decretum, definitio, adscriptio, aggregatio, statutum, relaxatio, impartitio, aliaque praemissa, a dictâ die, quarto idus martii, suum debitum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Gregorii praedecessoris litterae, sub datum eiusdem diei, confectae fuissent, prout superius enarratur; quodque praesentes litterae ad probandum plane decretum, definitionem, adscriptionem, aggregationem, statutum, relaxationem, aliaque praemissa, ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Transumptis danda fides.

§ 99. Ceterum, quia difficile foret praesentes nostras litteras ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem ubique fides habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Clausulae.

§ 100. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum voluntatum et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXIII, VIII idus augusti, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 6 augusti 1623, pontif. an. I.

Papae,

✠ EGO URBANUS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

Cardinalium-que subscriptiones.

†

† Ego Franciscus Maria episcopus Portuensis cardinalis a Monte.

† Ego Odoardus episcopus Tusculanus cardinalis Farnesius.

† Ego Octavius episcopus Praenestinus cardinalis Bandinus.

† Ego Ioannes Baptista episcopus Albanensis cardinalis Detus.

† Ego Federicus tituli S. Mariae Angelorum presbyter cardinalis Borromaeus.

† Ego Andreas tituli S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis Perettus.

† Ego B. tituli S. Mariae in Transtyberim presbyter cardinalis Bevilaqua.

†

†

† Ego Dominicus Ss. Apostolorum presbyter cardinalis Gymnasius.

†

† Ego Carolus tituli S. Caesarei presbyter cardinalis Madrutius.

† Ego S. cardinalis Burghesius tituli S. Chrysogoni, maior poenitentiarius.

† Ego Ioannes Garzia tituli Ss. Quatuor Coronatorum presbyter cardinalis Millinus.

† Ego M. tituli Ss. Quirici et Iulittae presbyter cardinalis Lantes.

†

†

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Caeciliae presbyter cardinalis Lenius.

† Ego A. tituli S. Petri ad Vincula presbyter cardinalis Capponius.

†

† Ego D. tituli S. Martini in Montibus cardinalis Rivarola.

† Ego Petrus Paulus tituli S. Nerei et Achillei presbyter cardinalis Crescentius, eiusdem S. Philippi discipulus.

†

† Ego Fr. Aug. tituli S. Mariae de Aracoeli presbyter cardinalis S. R. E.

† Ego G. tituli S. Crucis in Hierusalem cardinalis Borgia.

† Ego F. Felix tituli S. Anastasiae presbyter cardinalis Asculanus.

† Ego Robertus tituli S. Alexii presbyter cardinalis Ubaldinus.

† Ego Tiberius tituli S. Priscae presbyter cardinalis Mutus.

† Ego Gabriel tituli S. Bartholomaei in Insula presbyter cardinalis de Treio.

†

† Ego Iulius tituli S. Sabinae presbyter cardinalis Sabellus.

†

† Ego Melchior tituli S. Mariae de Pace presbyter cardinalis Kleselius.

† Ego P. tituli S. Thomae in Parione cardinalis Camporeus.

†

† Ego S. presbyter cardinalis S. Susannae, S. R. E. bibliothecarius.

†

† Ego Franciscus Cenninus cardinalis S. Marcelli.

†

† Ego Guido tituli S. Mariae de Populo presbyter cardinalis Bentivolus.

†

†

† Ego Iulius S. M. supra Minervam presbyter cardinalis Romanus.

† Ego Desiderius tituli S. Clementis presbyter cardinalis de Cremona.

†

† Ego Ludovicus tituli S. Laurentii in Damaso presbyter cardinalis Ludovisius S. R. E. vicecancellarius et summator sanctissimus.

†

†

†

†

† Ego Cosmus tituli S. Pancratii presbyter cardinalis Torres.

†

†

†

†

† Ego C. S. Nicolai in Carcere diaconus cardinalis Pius.

† Ego M. S. Eustachii diaconus cardinalis de Sabaudia.

† Ego Carolus S. Mariae in Domnica diaconus cardinalis Medices.

† Ego Alexander S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis Ursinus.

†

† Ego Fr. S. Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Boncompagnus.

† Ego Hippolytus S. Mariae Novae diaconus cardinalis Aldobrandinus S. R. E. camerarius.

†

III.

Canonizatio beati Ignatii Loiolae Societatis Iesu fundatoris.

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Rationi congruit et convenit aequitati, ut ea, quae de Romani Pontificis providentiâ processerunt, licet, eius supervenientе obitu, litterae apostolicae desuper confectae non fuerint, suum debitum consequantur effectum.

Causae, quibus motus Gregorius XV de beato Ignatio Sanctorum catalogo adscribendo cogitavit.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Gregorius Papa XV praedecessor noster, pie attendens, quod ineffabilis Dei bonitas et misericordia, quae miro consilio suis quaeque temporibus apte disponit, et praeteritis seculis, sive ad disseminandum evangelium inter gentes, sive contra subnascentes haeresiarchas, destinavit plures sanctitate ac doctrinâ illustres viros, novissimis temporibus, cum pii Lusitanorum reges in longinquas Indiarum terras ac remotissimas insulas late patentem vineae Domini propagandae aditum aperuissent, nec non[1] minorem catholici Castellae reges novum in orbem ad occidentem repertum patefacerent, veterem autem religionem, omnemque illis[1] sanctitatem ac perfectioris vitae professionem Luterus, monstrum teterrimum, aliaeque detestabiles pestes blasphemis eorum linguis in septemtrionis partibus corrumpere et depravare, ac Sedis Apostolicae auctoritati detrahere conarentur, excitavit spiritum Ignatii Loiolae, qui, ex medio honorum cursu et a seculari et terrenâ militiâ admirabili quadam ratione vocatus, ita se divino imperio regendum et formandum tradidit, ut demum novâ Societatis Iesu, quae, inter alia pietatis et charitatis opera, gentilibus convertendis, haereticis ad fidei veritatem revocandis, et Romani Pontificis potestati tuendae ex instituto se totam impendit, religione fundatâ, vitam admirabili sanctitate traductam sanctissimo pariter concluserit exitu, ac plurimis sit miraculis illustratus, eiusdem Ignatii catalogo Sanctorum adscriptioni, de qua dudum agebatur, decrevit intendere.

1 Legendum *et non*, vel *necnon non* (R. T.).

Id petentibus nonnullis a Clemente Papa VIII,

§ 2. Quippe, increbescente in dies in diversis mundi partibus ipsius Ignatii sanctitatis famâ et miraculorum gloriâ, cum clarae memoriae Philippus II et Philippus III Hispaniarum reges catholici, et Maria similis memoriae Maximiliani II Romanorum regis illustris in imperatorem electi et Margarita dicti Philippi III regis coniuges, necnon plures ecclesiarum praesules et populi, unâ cum dilectis filiis praeposito et aliis dictae Societatis religiosis, apud piae memoriae Clementem Papam VIII, etiam praedecessorem nostrum, oblatis illi processibus per diversos locorum Ordinarios, etiam auctoritate tunc existentis Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum nuntii, super praedictis sanctitate et miraculis fabricatis, pro litterarum remissorialium et compulsorialium ad faciendos pro canonizatione progressus concessione institissent;

1 Aut potius legendum *illius* (R. T.).

Res congregationi sacrorum rituum commissa fuit,

§ 3. Ipseque Clemens praedecessor oblatos processus et petitionem ad dilectos filios nostros, tunc suos, sanctae Romanae Ecclesiae cardinales super sacris ritibus deputatos discutiendos commisisset; dictique cardinales petitioni praedictae satisfaciendum esse censuissent, si ita eidem Clementi praedecessori placuisset; et dictus Clemens praedecessor morte praeventus nihil desuper constituere potuisset:

Ac deinde rotae auditoribus per Paulum Papa V.

§ 4. Similis recordationis Paulus Papa V similiter praedecessor noster, repetitis per dictos principes ac praepositum et religiosos ac novis per clarae etiam memoriae Henricum IV Francorum et Navarrae regem christianissimum porrectis instantiis permotus, praedicto Gregorio praedecessori, tunc in minoribus constituto, et officio auditoris causarum palatii apostolici fungenti, ac dilectis filiis Alphonso Manzanedo et Ioanni Baptistae Pamphilio, etiam causarum earumdem auditoribus, dedit in mandatis, ut causam huiusmodi, in statu et terminis quibus reperiebatur, reassumentes, coniunctimque procedentes, acta omnia et probationes perpenderent; et, si opus esset, alios testes super vitâ et miraculis eiusdem Ignatii per se et alios ab eis subdelegandos de novo in genere reciperent, et super his suum ipsorum interponerent iudicium, ut, si ex iis constaret inquisitiones, probationes ac processus huiusmodi esse legitime factos, causamque sufficienter esse instructam, ea posset ipse Paulus praedecessor exequi quae sanctorum patrum dogmata et sacrorum canonum postulant instituta.

Eisque referentibus, idem Pontifex devenit ad beatificationem Ignatii.

§ 5. Unde dicti auditores, visis et diligenter discussis processibus coram eis exhibitis, censuerunt cum illis debere coniungi processus auctoritate apostolicâ conficiendos, et ad hunc effectum per se ipsos in Romanâ Curiâ, et per nonnullos archiepiscopos et episcopos extra eam in diversis mundi partibus ab eis subdelegatos, iuridicos processus super praemissis confici curarunt: quibus, iussu eiusdem Pauli praedecessoris, ad eosdem cardinales super sacris ritibus, ut praefertur, deputatos transmissis, et per eos visis et perpensis, idem Paulus praedecessor, ex sententiâ eorumdem cardinalium, quod dictus Ignatius Beatus nuncupari, et de eo missa et officium de communi Confessoris non Pontificis celebrari posset, benigne concessit et indulsit.

Deinde novae datae commissiones ut procederi posset ad sanctificationem.

§ 6. Et deinde, cum preces eorum, qui pro canonizatione eiusdem beati Ignatii institerant, fierent in dies auctiores, volens idem Paulus praedecessor in huiusmodi causâ secundum consuetudinem sanctae Sedis Apostolicae procedere, eisdem auditoribus per speciale rescriptum mandavit, ut processus factos etiam de novo perpenderent, et alios testes super veritate praemissorum in specie diligentissime examinarent, et ipsi Paulo praedecessori referrent.

Rotae auditores Papae referunt processus legitime esse confectos.

§ 7. Quod quidem mandatum auditores praedicti exequi, prout par erat, volentes, causam similiter de novo excutere ceperunt, et alios quamplures testes super eisdem praemissis per se ipsos receperunt in dictâ curiâ, et per alios ab eis subdelegatos extra eam examinari curarunt, ac nonnulla iura ad causam facientia ex archivio dictae Societatis extraxerunt, et Alphonsus ac Ioannes Baptista auditores praedicti, necnon dilectus filius noster Franciscus eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis Sacratus nuncupatus, tunc, tamquam archiepiscopus Damascenus, unus ex auditoribus causarum dicti palatii locumtenens, et in locum dicti Gregorii praedecessoris, qui iam ad ecclesiam Bononiensem assumptus fuerat, subrogatus, in pluribus congregationibus inter eos habitis de novo fabricatos et alios processus praedictos etiam perpenderunt: illosque legitime confectos, ac

sanctitatem et miracula satis, superque probata fuisse, praedicto Paulo praedecessori retulerunt.

Gregorius rem congregationi rituum examinandam remittit.

§ 8. Cumque, ipso Paulo praedecessore viam universae carnis ingresso, dictus praepositus eiusdem Societatis humiliter apud Gregorium praedecessorem praedictum institisset, ut ad ulteriora in canonizatione eiusdem beati Ignatii procedere dignaretur, idem Gregorius praedecessor, illius petitionem benigne audiens, relationem, ut praefertur, factam, ad eosdem cardinales super praedictis sacris ritibus deputatos recognoscendam etiam remisit.

Decretum in consistorio deveniri posse ad sanctificationem.

§ 9. Cumque, pendente dictae relationis discussione, supervenissent charissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum et Navarrae regis christianissimi primum, mox vero nobilis viri Maximiliani utriusque Bavariae ducis, et successive etiam charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Romanorum regis in imperatorem electi preces accessissent; dictique cardinales relationem praedictam comprobassent; venerabilis frater noster Franciscus Maria episcopus Portuensis, eiusdem S. R. E. cardinalis a Monte nuncupatus, rei summam, suamque et aliorum, ut praefertur deputatorum, cardinalium sententiam in nostro tunc eiusdem Gregorii praedecessoris consistorio secreto exposuit; et alii, qui in illo consistorio aderant, cardinales, dilecti filii nostri, in eamdem sententiam devenerunt, posse videlicet dictum Gregorium praedecessorem, iuxta sacros dictae S. R. E. ritus, dictum beatum Ignatium inter Sanctos referre.

Factaque est relatio de sanctitate et miraculis.

§ 10. Quare idem Gregorius praedecessor ad ulteriora procedi mandavit. Voluerat autem ipse Gregorius praedecessor nonnulla ex iis, quae in processibus et actis de vitâ, sanctitate et miraculis eiusdem beati Ignatii constabant, in eodem consistorio recenseri, videlicet:

Ignatii natales.

§ 11. Natus est B. Ignatius in eâ Hispaniarum regione, quae ad Pyrenaeum pertinet, ad oppidum Aspeithiae, Pampilonensis dioecesis, anno Domini MCDXCI, ex Beltramo Loiola et Maria Sanchez nobilibus, catholicis et piis parentibus, qui simili pietate filium educandum curarunt:

In lectulo iacens piorum librorum lectione motus sanctorum vestigia sequi decernit.

§ 12. Adolescens ille factus, cum esset eximiâ et animi et corporis indole, missus fuit in clarae similiter memoriae Ferdinandi regis catholici curiam; ubi, cum inter honorarios pueros aliquandiu mansisset, ad tunc existentem Navarrae prorege, in civitate Pampilonensi degentem, se contulit, et rei militari operam dare cepit; cumque dicta civitas ab exercitu Gallorum obsideretur, ipsi Ignatio ante alios dimicanti lapis ex muro bombardae vi excussus laevam laesit tibiam, dexteram vero ita confregit, ut semivivus corruerit; quorum vulnerum acerbam, gravem et diuturnam curationem ita patienter tulit, ut omnibus esset domesticis admirationi; cumque eidem, in lecto affixo, libros profanos, tunc sic Deo volente, non repertos, petenti, nonnulli pii libri legendi causâ porrecti fuissent, ex eorum lectione tam ardenter fuit incensus, ut ingenti sui odio concepto, decreverit Christi et Sanctorum vestigia sequi, Hierosolymam proficisci, ut sacra illa loca veneraretur, et fideles in spiritu promoveret, ac infideles ad Evangelium adduceret:

In ecclesiae B. Mariae de Monte Serrato divino cultui se addicit.

§ 13. Curatis ergo vulneribus, patriam, parentes, res omnes fluxas et caducas reliquit; et Christo deinceps militaturus, ad monasterium B. Mariae de Monte Serrato Ordinis S. Benedicti Vicensis dioecesis perrexit; ibique, generali confessione peractâ, gladio et pugione in templo eiusdem monasterii suspensis, asperâ talari tunicâ indutus, fune praecinctus, nudo capite, baculum manu gestans, totam eam noctem, cui dies festus angelicae salutationis illuxit, ante aram eiusdem B. Ma-

riae Virginis inter preces et lachrymas vigilavit, seque penitus divino cultui, novum exinde militiae genus sequuturum, addixit:

Minoressae in hospitali et specu asperam vitam ducit.

§ 14. Minoressam inde vicinum oppidum petiit; et ad hospitale S. Luciae divertit, et in eo, et quodam specu, ad praeterfluentis amnis ripam sito, faciens dignos poenitentiae fructus, pauperem atque asperam vitam transegit inter egentes et sordidos homines, quibus etiam humillimis inserviebat obsequiis:

Studiis litterarum operam dat: sociisque adscitis vovet se Romano Pontifici exhibere, ut proximorum salutem operetur.

§ 15. Post aliquod vero tempus almam Urbem nostram et successive Venetias, ac postmodum Hierosolymam contendit, et perlustratis sacris locis, ibidem permanere et animarum saluti incumbere vetitus, rediit ad partes Hispaniarum; et, quo melius posset in spiritu proximis utilitatem afferre, triginta natus annos, grammaticae primo in civitate Barchinonensi et deinde Compluti philosophiae et theologiae per annum cum dimidio operam dedit; ac demum Parisiis omnia illa studia repetiit, ex eleemosynis victitans, et officia charitatis, humilitatis et poenitentiae non intermittens; sociis eiusdem propositi, inter quos fuit Franciscus Xaverius, vir sanctus et Indiarum apostolus, collectis et voto cum eis nuncupato, ut, consummatis studiis inceptis, evangelicâ contenti paupertate, Hierosolymam omnes adirent unanimi ac summo conati saluti proximorum inservituri; quod si per annum navigandi se non offerret occasio, vel Hierosolymis permanere prohiberentur, illo voto absoluti Romam irent et suam ipsorum operam Summo Pontifici in auxilium spirituale primi offerrent:

In patriam valetudinis recuperandae causa revertitur.

§ 16. Verum, cum ex studiorum laboribus et vigiliis gravem stomachi morbum Parisiis contraxisset, iussu medicorum et ex sociorum consilio in patriam rediit, anno eiusdem trigesimo quinto; ibique per tres menses in hospitali S. Mariae Magdalenae, ostiatim victum emendicans et pauperibus inserviens, tempus sedulo traduxit:

Venetiis sacris initiatus ordinibus paupertatis et castitatis vota emittit.

§ 17. Quo transacto, cum convaluisset, Venetias, quo socii ex composito venire debebant, etiam ipse profectus, in eâ civitate ad sacerdotium promoveri voluit, et paupertatis, castitatisque in manibus Hieronymi Veralli archiepiscopi Rossanensis, in eâ tunc Sedis Apostolicae nuntii, votum emisit:

Paulo III suam sociorumque operam offert.

§ 18. Et elapso anno inter eos condicto, et navigatione in Palaestinam, propter pacem inter Turcas et Venetos per id tempus sublatam, interclusâ, Romam cum sociis venit anno millesimo quingentesimo trigesimo septimo; ubi a quodam Quirico Garzonio romano cive, in quadam ipsius Garzonii vineâ sub monte Pincio, receptus hospitio, constitutam operam piae similiter memoriae Paulo III, pariter praedecessori nostro, ad animarum salutem obtulit paratissimam:

Societatis confirmationem obtinet, cuius ipse praepositus eligitur.

§ 19. Quam causam, quo uberius et cumulatius tractare posset, dictam Societatem a se institutam (ad tria cum aliis religionibus communia vota quarto adiuncto, per quod peculiarem polliceretur Romano Pontifici obedientiam in missionibus, non petito viatico, etiam ad infideles, turcas, haereticos, schismaticos et quoscumque alios, obeundis) a praedicto Paulo III praedecessore confirmandam curavit; eamque postmodum optimis etiam constitutionibus et legibus stabilivit, et in praepositum generalem electus, summâ cum prudentiâ et probitatis laude moderatus est:

Moritur.

§ 20. Ac post multos labores, Iesum appellans, in eâdem Urbe pie obdormivit in Domino pridie kalendas augusti anni eiusdem Domini millesimi quingentesimi quinquagesimisexti. Vir vere, quem praeelegerat Dominus, ut eorum dux foret, qui portarent eius sanctissimum nomen coram

gentibus et populis, et infideles ad veræ fidei cognitionem inducerent, ac rebelles haereticos ad illius unitatem revocarent, suique in terris vicarii auctoritatem defenderent.

Eius virtutes.

§ 21. Ornavit enim illud Dominus magnitudine et excellentiâ fidei et maximâ spe communivit, ut satis superque eius testantur actiones.

Charitas in proximum,

§ 22. Assiduum autem obsequium, quod pauperibus et aegrotis exhibuit in hospitalibus, et eleemosynarum distributio quas a piis personis suo ipsius studio corrogabat, maximâ etiam cura et studium, quod iam inde a principio suae conversionis in eo posuit, ut rudes et pueri doctrinam christianam perdiscerent, et detentorum in carcere visitatio ac sublevatio quam instituit et exercuit accurate, necnon per universum terrarum orbem missiones quas fecit et domus, ecclesiae et collegia quae erexit, et in dictâ Urbe, praeter scholas grammaticae et humanarum litterarum quas gratis aperuit, collegium Germanicum, ac orphanorum et cathecumenorum domus, et S. Marthae, ac S. Catharinae monasteria, aliaque loca pia, quae excitari curavit, et dissidentium reconciliatio, salubria consilia data, et spiritualia exercitia ab eo composita, sacramentorum frequentationes procuratae, iniuriarum denique remissio et pro inimicis oratio, quam ardenter amaret proximum propter Deum, plane demonstrant.

Et in Deum.

§ 23. Deum autem ipsum quantopere diligeret, patet ex illâ summâ curâ et diligentiâ, qua studuit propter Deum proximo in spiritualibus et temporalibus semper benefacere et maximâ vigilantiâ, qua curavit cor suum mundum custodire. A suâ conversione nullum in eo deprehensum est dictum, factumve, quod censeri posset esse peccatum mortale; omnes suas cogitationes, verba et opera in Deum tamquam in finem referebat et ad Deum et Dei gloriam et honorem destinabat; atque haec verba, videlicet, *Ad maiorem Dei gloriam*, uti symbolum in ore semper habebat.

Prudentia.

§ 24. Prudentia quoque fuit in eo admirabilis. In negotiis enim ad Dei honorem peragendis prius quidem omnia Deo commendabat; deinde solerti habitâ consultatione, et rationibus ad examen vocatis, congruentia ad optatum finem adhibebat praesidia, et eo pacto contingentia mala facile declinabat.

Iustitia.

§ 25. Eius erga Deum et homines iustitiam aspera vita et voluntariae poenitentiae, quibus offenso iam Deo satisfacere se putabat, spiritus devotio et religio qua Deo reddidit debitum cultum et honorem, gratitudo quoque, quam erga suos et societatis benefactores continuo ostendit, et pura veritas, quae ex eius ore sine ullâ fallaciâ, fuco, fictione, aut obscuritate procedebat, cum cordis puritate et simplicitate satis commendant. Animi praeclara magnitudo ex poenitentiis, obsequio erga aegrotos, ex operibus charitatis, a quibus propter labores et difficultates, irrisiones, iniurias et contumelias non recessit, sed in illis constanter usque ad optatum finem perseveravit,

Patientia et mansuetudo.

§ 26. Patientia vero admirabilis et mansuetudo ex multis et ingentibus laboribus, ex propriis confusionibus et persequutionibus libenter et alacriter pro Dei amore perpessis, ex gratiarum actione in maledicentes relatâ et beneficiis in iniuriantes collatis apparent.

Assiduus in ieiuniis.

§ 27. Ieiunium ipse adeo coluit, ut, eo tempore quo fuit Minorissae et Barchinonae, per totam ieiunans hebdomadam, exceptis diebus dominicis, solo pane vesceretur, et aquam biberet, et propter continuatas orationes et abstinentias semel et iterum debilis, ac fere sine viribus est inventus.

Castitatis custos.

§ 28. Castitatis fuit adeo diligens custos

in se et in aliis, ut in constitutionibus Societatis voluerit, illam suis esse tam perfecte servandam, ut eniti debeant, corporis, mentisque munditiâ, angelicam puritatem imitari.

Eius humilitas.

§ 29. Profundae etiam humilitatis non obscura dedit indicia, dum, se ad novae vitae genus accingens, noluit suum audire germanum sibi familiae nobilitatem, opes et in militiâ strenuitatem, ac futuram inde gloriam repraesentantem; sed statim atque ex morbo et vulnere convaluit, seculo nuntium remisit. Idem etiam denotatur, quia in patriam valetudinis causâ rediens, cum se a quodam iam cognitum esse animadvertisset, timens honorem, quem et germanum et incolas Aspeithiae sibi exhibituros esse intelligebat, noluit cum eo, a quo cognitus fuerat, viâ rectâ Aspeithiam proficisci; sed per montes et semitas obliquas solus illuc accessit et nobile palatium cum vilitate humilis hospitalis libentissime commutavit; nullisque precibus adduci potuit, ut domum paternam ingrederetur.

§ 30. Denique non solum vanam mundi gloriam, sed se etiam ipsum egregiâ magnanimitate contempsit. Renuntiatus enim praepositus generalis Societatis, tandiu id muneris subire recusavit, quoad eius confessarius ei, ut demandatum reciperet officium, imperavit, et post receptum munus, ut eos, quos in constitutionibus ad humilitatem hortatur verbo, firmaret exemplo, primum quidem in coquinae ministeriis aliquot versatus est dies, tum docere aggressus est pueros et rudes doctrinam christianam.

Splendida divinitus facies.

§ 31. Excellentem vero famuli sui sanctitatem comprobari voluit etiam Altissimus super naturali splendore vultus, quem, dum viveret, aliquando viderunt B. Philippus Nerius et quondam Oliverius Manareus Flander eiusdem Societatis religiosus,

§ 32. Ac testimonio miraculorum: quorum plura etsi ab eo vivente facta in processibus recensentur, insigniora tamen post eius felicem dormitionem edita probantur. Miracula.

Isabella Rebelles, monialis,

§ 33. Isabella enim Rebelles monialis, Ordinem S. Clarae in monasterio S. Elisabethae Barchinonensi eiusdem Ordinis expresse professa, annos nata sexaginta septem, dum aliquid operis alto in loco molitur, repente tam gravi casu ad terram est collapsa, ut coxendicis, seu femoris os, quod maximum est in humano corpore, totum fuerit confractum: et per quadraginta dies et ultra adhibitis per medicum et chirurgum, eventu plane irrito, medicamentis, ac dolore et febri, quae ex confractione supervenerant, non cessantibus, aegrota apud omnes erat citra ullam salutis opem, quae saltem naturalibus parari posset[1] remediis, ut eâdem die moritura crederetur: petitâ tamen piâ cum religione et impetratâ reliquiâ B. Ignatii, et super coxendicem applicatâ, statim sana est reddita, et coxendicem ac tibiam, prius tumentem atque immobilem, expedite ac sine dolore movere cepit, et die proximâ surrexit, ac libere et perfecte ambulavit.

Ioannes Leida.

§ 34. Ioannes Leida Maioricensis in valde acutam et periculosam febrim inciderat: augebat periculum maxima stomachi nausea: post duodecimum, vel tertium decimum diem aucto periculo, cum Deo sese per merita B. Ignatii impense commendasset, sequenti nocte somno excitatus, magno splendore circumfusum cubiculum vidit; et uxorem inclamans: *Nonne,* inquit, *vides me a B. Ignatio sanatum?* Et illucescente die sanus et valens sine alicuius auxilio e lecto surrexit et vestibus se induit, ac in gratiarum actionem templum Societatis expedite adiit.

1 Edit. Main. legit *possent* (R. T.)

§ 35. Hieronymus Honuphrius Hetruscus, incola oppidi Gandiae Valentinae dioecesis, puer decennis, cum lethale in supercilio prope tempora vulnus accepisset, propter quod totius oculi tumor et vehemens febris accesserant, et, post adhibita per mensem integrum per chirurgum ex artis praescripto medicamenta, vulnus non solum non solidaretur, sed adeo latum et profundum esset, ut linamentum digitale inferendum esset, ac tanta sanies et putredo flueret, ut chirurgus ipse miraretur, et crederet os aliquod intus confractum, et alterum chirurgum etiam vocari iussisset, et ambo coram infirmo convenissent; remotis fasciis, quibus vulnus erat apertum et obligatum, praeter omnem expectationem, meritis B. Ignatii, cui mater pueri, voto iam facto, illum commendaverat, vulnus illud penitus obductum, clausum et solidatum invenerunt.

Hieronymus Honuphrius Hetruscus,

§ 36. Magdalena Talavera, in eodem oppido Gandiae commorans, cum per tres annos gravibus laborasset obstructionibus, quae in hydropisim, quam confirmatam appellant, terminaverant, eiusque ventrem adeo tumentem et inflatum reddiderant, ut se de loco ad locum movere non posset, nisi permoleste, videns remedia per duos medicos adhibita sibi nihil profuisse, ad divina confugit subsidia: et voto Deo facto, ac imagine dicti Beati ventri admotâ, statim melius se habuit, depulsusque est morbus obstructionis et hydropisis, ita prorsus, ut intra tres vel quatuor dies detumuerit venter, et exinde illa se bene habuerit.

Magdalena Talavera,

§ 37. Ferdinandus Pretel de Mendoza, cum in febrim incidisset tertianam, quae mox in duplicem, deinde in pestilentem unâ cum mentis stupore et extraordinariis horroribus, ex humorum abundantiâ et virium naturalium defectu accidentibus, degeneraverat; et ex multis purgationibus, incassum adhibitis, vis morbi adeo aucta esset, ut a medicis destitutus, in supremo iam mortis discrimine versaretur, rite confessus et communione instructus, ac sacro perunctus oleo, manibus tenens imaginem beati Ignatii, quam collo pendentem gestabat, et ex toto corde illi se commendans, convalescere cepit, et morbo est liberatus.

Ferdinandus Pretel de Mendoza,

§ 38. Anna Barzellona fere sexagenaria, cum toto biennii spatio morbo paralysis graviter vexata immobilis esset ad omne opus laboris, et gradus ascendere non posset, nisi scipionibus innixa, et insuper novus apoplexiae in altero latere morbus accessisset, humanis remediis omnino destitutam se intelligens, voto nuncupato, melius se habere cepit, e toto illo die ac nocte insequenti inchoata valetudo ita est aucta, ut iam illucescente mane sana omnino ad ecclesiam collegii dictae Societatis accurrerit expeditissime, gratias Deo ac beato Ignatio redditura.

Anna Barzellona,

§ 39. Ioannae quoque Clarae et Noquerae, mulieri Maioricensi, annos natae LVI, caecitate laboranti, videndi facultatem reddidit beatus Ignatius.

Ioanna Clara Noquera,

§ 40. Bartholomaeus Contesti chirurgus adeo acerbis et diuturnis capitis doloribus opprimebatur, ut prae nimio dolore saepe ad terram allideretur: accessit in oculorum altero tam gravis inflammatio, ut alterum etiam divexaret, ita ut ne tenuissimum quidem lucis radium perferre, aut aliquantulum quiescere posset; ob idque in tenebroso conditus cubiculo inde non egrediebatur: et eo deventum est, ut ex intolerando dolore non dubitaret affirmare, quod si quidam chirurgus iam defunctus in humanis ageret, oculum sibi erui iussurus esset: religione demum eximiâ erga Beatum incensus, illius reliquiam ad se afferri iussit; et in puncto, quod fuit illa delata, bene se habuit: capitis et oculorum cessavit dolor, visum recuperavit, et lucis splendorem sine ullâ

Bartholomaeus Contesti,

offensione sustinuit; utque intelligeretur, subitam curationem divinae virtuti, atque intercessioni beati Ignatii tribuendam esse, bis, terve sacrâ reliquiâ e cubiculo exportatâ, dolor rediit, eâque in cubiculum reductâ, illico morbus discessit: quo facto admonitus Bartholomaeus, sacram reliquiam penes se retinuit, atque ita intra tres vel quatuor dies ita perfecte sanatus

Columna Cortei et Vich,

est, quasi nunquam aegrotasset. Quo audito Columna Cortei et Vich, quae capitis dolore ita vexabatur, ut neque noctu quiescere posset[1], et, superveniente in uno oculorum tanto cruciatu ut palpebram attollere non posset,[2] caeca denique remansisset; misit qui eamdem reliquiam ad se deferret, qua allatâ, et super oculos, praeviâ invocatione eiusdem Beati, impositâ, palpebra, quae prius per chirurgos aperiri non poterat, confestim ultro ac per se cepit aperiri, cessavit dolor, lucis splendorem Columna pertulit, et intra tres dies paulatim visum omnino recuperavit, et perfecte convaluit.

Ioanna Pignatella, variis infirmitatibus liberati.

§ 41. Ioanna quoque de Aragona et Pignatella, ducissa Terrae Novae, quae quatuor iam menses vehementissimo dolore cruciabatur ex tumore et duritie alterius mammillae, eoque reducta erat, ut neque pedes, neque brachia movere posset, quin sibi viscera transfigi quodammodo viderentur; ad opem eiusdem Beati confugiens, et illius imaginem religiose de mane venerata et illi se commendans, vespere eiusdem diei sana sine tumore, sine duritie et sine ullo doloris sensu reperta est.

His aque in consistorio relatis;

§ 42. Demum his et quamplurimis aliis permotus idem Gregorius praedecessor, ex antiquo Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, tunc suorum, instituto, publico prius (in quo, praeter praedictos cardinales, etiam venerabiles fratres nostri patriarchae, archiepiscopi et episcopi ac alii Romanae curiae praelati et dicti Gregorii praedecessoris familiares dilecti filii convenerunt, et dilectus filius Nicolaus Zambeccarius, aulae pontificiae consistorialis advocatus, dicti beati Ignatii merita et principum ac populorum super huiusmodi canonizatione vota retulit),

Gregorius XV eum inter Sanctos ducit referendum.

§ 43. Et successive altero, quod semipublicum vocant (in quo praedicti omnes, ac etiam Sedis Apostolicae notarii, et causarum dicti palatii auditores dilecti filii interfuerunt, et omnes, quod dictus beatus Ignatius canonizandus esset, publicis suffragiis iudicarunt), convocatis consistoriis, toto cordis affectu exultans in Domino, eumdem beatum Ignatium, unâ cum beatis Isidoro Agricola et Francisco Xaverio, inter Sanctos referendum duxit.

Quod praestitit IV idus martii in basilica sancti Petri.

§ 44. Praescripto itaque canonizationis die festo S. Gregorii Magni nuncupati, IV videlicet idus martii, pontificatus ipsius Gregorii praedecessoris anno II, iterum dictus Gregorius praedecessor est hortatus ad iteratas preces, ieiunia et eleemosynas, ut in tanto opere exequendo lumen Eius, qui lucem habitat inaccessibilem, implorarent ad ea peragenda, quibus divinae gloriae honor et catholicae Ecclesiae fides augeretur. Omnibus vero iuxta sanctorùm patrum traditiones, sacrorumque canonum instituta, et Romanae Ecclesiae consuetudinem rite et recte peractis, dictâ die IV idus martii, idem Gregorius praedecessor ad Principis apostolorum basilicam, cum cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, praelatis, et ipsius Gregorii praedecessoris familiaribus praedictis, necnon dilectis filiis clero seculari et regulari, ac maximâ populi frequentiâ, convenit, et post iteratas primo, secundo ac tertio pro canonizationis decreto petitiones per dilectum filium nostrum, tunc suum, Ludovicum tituli sanctae Mariae Transpontinae presbyterum cardi-

1 Verbum *posset* nos addimus (R. T.).
2 Coniunctionem *et* delemus (R. T.).

dinalem Ludovisium nuncupatum, nomine praedictorum, qui pro eâ institerant, post sacros hymnos, litanias, aliasque preces, et post imploratam Spiritus Sancti gratiam, ad honorem sanctissimae et individuae Trinitatis, et fidei catholicae exaltationem, et christianae religionis augmentum, auctoritate eiusdem Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti et beatorum Petri et Pauli apostolorum decrevit et definivit, dictum Ignatium Loiolam, praedictae Societatis fundatorem, unâ cum Isidoro et Francisco praefatis, ac beatis Philippo, necnon Theresia, Sanctum, et Sanctorum catalogo adscribendum et aggregandum esse, prout adscripsit et aggregavit,

Indultum missam celebrandi et officium recitandi.

§ 45. Statuens, ut ab universis christifidelibus eius in honorem ecclesiae et altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur aedificari, et quolibet anno, dictâ die illius obitus pridie kalendas augusti, festum ipsius et officium, tamquam de Confessore non Pontifice, ad formam in rubricis romani breviarii praescriptam, solemniter celebrari possint.

Propositae eius tumulum visitantibus indulgentiae.

§ 46. Insuper eâdem auctoritate omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui annis singulis ipsius festo ad sepulchrum, in quo corpus eius requiescit, visitandum accesserint, unum annum et quadraginta dies, iis vero, qui in eiusdem festi octavâ id fecerint, etiam quadraginta dies de iniunctis eis aut aliàs quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavit.

Alii ritus in sanctificatione servati.

§ 47. Et decantato solemniter hymno, *Te Deum laudamus*, et divinâ ope imploratâ S. Ignatii et aliorum Sanctorum praedictorum meritis, per peculiarem ad id orationem quam dictus Gregorius praedecessor pie et solemniter recitavit, sacrosanctum missae sacrificium solemni pompâ et ritu, cum eorumdem Sanctorum commemoratione, ad altare Principis apostolorum celebravit; et omnibus christifidelibus tunc praesentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, ad Dei laudem, et gloriam Sanctorum eius, impertitus fuit.

Gestae rei testimonium ab Urbano Papa perhibetur.

§ 48. Ne autem de decreto, definitione, adscriptione, aggregatione, statuto, relaxatione, impertitione, aliisque praemissis, pro eo quod super illis ipsius Gregorii praedecessoris litterae, eius superveniente obitu, confectae non fuerunt, valeat quomodolibet haesitari, volumus et apostolicâ auctoritate decernimus, quod decretum, definitio, adscriptio, aggregatio, statutum, relaxatio, impertitio, aliaque praemissa, a dictâ die IV idus martii suum debitum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Gregorii praedecessoris litterae sub datum eiusdem diei confectae fuissent, prout superius enarratur; quodque praesentes nostrae litterae ad probandum plene decretum, definitionem, adscriptionem, aggregationem, statutum, relaxationem, impertitionem et alia praemissa ubique sufficiant: nec ad id approbationis alterius adminiculum requiratur.

Exemplis danda fides.

§ 49. Ceterum, quia difficile foret, praesentes nostras litteras ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Clausulae.

§ 50. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam utriusque nostrarum voluntatum et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud sanctum Petrum,

anno Incarnationis Dominicae MDCXXIII, VIII idus augusti, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 6 augusti 1623, pontif. an. 1.

Papae,

✠ EGO URBANUS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

Cardinalium-que subscriptiones.

† Ego Franciscus Maria episcopus Portuensis cardinalis a Monte.

† Ego Octavius Praenestinus cardinalis Bandinus.

† Ego Ioannes Baptista episcopus Albanensis cardinalis Detus.

† Ego And. tituli S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis Perettus.

† Ego B. tituli S. Mariae Transtyberim presbyter cardinalis Bevilaqua.

† Ego Dominicus Ss. Apostolorum cardinalis Gymnasius.

† Ego Carolus cardinalis tituli S. Caesarei Madrutius.

† Ego S. tituli S. Chrysogoni presbyter cardinalis Burghesius, maior poenitentiarius.

† Ego Ioannes Garzia tituli Ss. Quatuor Coronatorum presbyter cardinalis Millinus.

† Ego M. tituli Ss. Quirici et Iulittae presbyter cardinalis Lantes.

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Caeciliae, presbyter cardinalis Lenius.

† Ego D. tituli S. Martini in Montibus, cardinalis Rivarola.

† Ego G. tituli S. Crucis in Hierusalem presbyter cardinalis Borgia.

† Ego F. Felix tituli S. Anastasiae presbyter cardinalis Asculanus.

† Tyberius tituli S. Priscae presbyter cardinalis Mutus.

† Ego Gabriel tituli S. Bartholomaei in Insula presbyter cardinalis de Treio.

† Ego Iulius tituli S. Sabinae presbyter cardinalis Sabellus.

† Ego Melchior tituli S. Mariae de Pace presbyter cardinalis Kleselius.

† Ego S. presbyter cardinalis S. Susannae, S. R. E. bibliothecarius.

† Ego Guido tituli S. Mariae de Populo presbyter cardinalis Bentivolus.

† Fr. Desiderius tituli S. Clementis, presbyter cardinalis de Cremona.

† Ego Ludovicus presbyter cardinalis Ludovisius tituli S. Laurentii in Damaso, S. R. E. vicecancellarius.

† Ego Cosmus tituli S. Pancratii presbyter cardinalis de Torres.

† C. S. Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis Pius.

† M. S. Eustachii diaconus cardinalis de Sabaudia.

† Ego Alexander S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis Ursinus.

† Ego Franciscus S. Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Boncompagnus.

† Ego Hyppolitus S. Mariae Novae diaconus cardinalis Aldrobandinus, sanctae Romanae ecclesiae camerarius.

IV.

Canonizatio beati Francisci Xaverii e Societate Iesu[1].

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Procemium. Rationi congruit et convenit aequitati, ut ea, quae de Romani Pontificis providentiâ processerunt, licet, eius superveniente obitu, litterae apostolicae desuper confectae non fuerint, suum debitum consequantur effectum.

Causae huius constitutionis. § 1. Dudum siquidem felicis recordationis Gregorius Papa XV, praedecessor noster, pie praemeditans, quod unigenitus et coaeternus aeterni Patris[2] Filius, cum de regalibus sedibus in hunc mundum, ut salutem humani generis operaretur, descendisset, semen bonum verbi sui in agro orbis terrarum seminaverat, ut omnium caelestium virtutum et ad extremum aeternae vitae fructum credentibus germinaret; quodque, cum, pro divinae huius segetis incremento, pretiosissimum sanguinem suum, ignominiam crucis voluntarie subiens, effudisset, ac, perfecto demum opere ad quod missus fuerat, super omnibus caelorum sublimitatibus ad dexteram Patris in saeculorum aeternitate consessurus ascendisset, plurimos servos et amicos suos in terris reliquerat, qui laboribus, vigiliis, atque, ad ipsius exemplum, proprii sanguinis effusione, divinam hanc excolentes sementem, messem quamuberrimam in horreum eius congregarent, eiusque fines eo usque dilatarent, donec, iuxta promissionem Patris, omnes gentes et termini terrae darentur ei in haereditatem et possessionem; et, quamvis verbum eius semper a generatione in generationem prosperatum esset, attamen, quando ab aeternis temporibus praedestinatum beneplaciti eius tempus advenerat ut abundare faceret quasi imbrem inundantem misericordiam suam magnam super universum semen filiorum Adam, gloriamque crucis suae usque ad ultimum terrae, et in mari longe propagaret, vere admirabilis facta erat potentia ipsius, cum revelatis incognitis antea tribubus et linguis ac populis et nationibus, messem magnam atque uberem aperuerat, atque in eâ operarios multiplicaverat, tantâque fructuum abundantiâ labores eorum compleverat, ut, ipsis annuntiantibus, evangelicae praedicationis sonus usque ad extremos orbis terrarum fines penetrasset, et a solis ortu usque ad occasum, ab aquilone et mari, magnum nomen Domini Dei nostri in universis gentibus redditum esset; inter ceteros vero, quos ad perficiendum voluntatis suae sacramentum in tantarum gentium vocatione Dominus praeordinaverat, egregius servus eius Franciscus Xaverius, novus Indiarum apostolus, gloriâ sanctitatis et meritorum splendore praecipue emicue-

1 Recole adnot. ex Cherub. supra pag. 11 ad Constit. II (R. T.).

2 Edit. Main. legit *Patri* (R. T.).

rat, qui, cum a iuventute suâ perfecte coram Deo ambulasset, spretisque ac conculcatis divitiis ac seculi dignitatibus, ac semetipso iuxta verbum Domini abnegato, animam suam pro nomine Domini nostri Iesu Christi tradidisset, dignus inventus erat, qui a Spiritu Sancto in tam insigne opus assumeretur, ac, tanquam aliorum dux divinâ providentiâ constitutus, apostolicis charismatibus affluenter decoraretur[1], etiam ob signa apostolatus, quae in eo in omni patientia, in signis et prodigiis ac virtutibus manifesta facta erant, novarum gentium apostolus unanimi totius christiani orbis consensu meruerat appellari; ac propterea decebat, ut tantum Dei famulum (qui pro gloriâ eius et animarum Domini nostri Iesu Christi sanguine redemptarum salute innumeros, maximosque labores atque aerumnas perpessus erat, ingentiaque terrâ, marique subiverat pericula, quem Deus adeo magnificaverat, ut nomen eius honorabile esset apud omnes gentes) idem Gregorius praedecessor, pro suo pastorali munere, ut[2] vere sanctum et electum Dei in militanti Ecclesiâ declararet, eiusque virtutes, tamquam eximias et praecellentes, universis christifidelibus imitandas proponeret, ut populus christianus, actiones suas ad honorem Dei, ipsius exemplo, dirigens, eum apud Deum et Dominum Iesum Christum in eius necessitatibus habere mereretur intercessorem, atque ut omnes christifideles promptius ad laudandum Deum omnipotentem secundum multitudinem magnitudinis eius excitarentur, devotionisque ardor erga tantum Dei famulum augeretur, dum eius in terris caelestem et laudabiliter actam vitam orbi terrarum explicaret et patefaceret;

1 Videretur legendum *ut etiam ..... meruerit appellari* (R. T.).

2 Ista particula *ut* mihi videretur ex tota syntaxi redundare; nam praecessit iam *decebat*, *ut* (R. T.).

Recenset eximias virtutes et merita sancti Francisci Xaverii, quibus permotus Gregorius XV eum in sanctorum confessorum numerum retulit.

§ 1. In primis et ante omnia praemitteret[1]: Quod natus erat insignis hic Dei servus Navarrae in oppido Xaverio Pampilonensis dioecesis, maternae ditionis loco, nobilibus ac piis progenitoribus; qui, cum ipsum ab infantiâ timere Deum, ac ab omni peccato abstinere edocuissent, ubi aetas demum adoleverat, Lutetiam Parisiorum, studiorum gratiâ, eumdem miserant. Quibus cum alacriter operam daret, post haud multum temporis de eo domum revocando pater cogitare ceperat. Quod cum tunc in humanis agens Maria Magdalena eius soror (quae monasterium monialium oppidi civitatis nuncupati Gandiae, Ordinis sanctae Clarae, Discalceatarum nuncupatarum, Valentinae dioecesis, non sine ingenti sanctitatis famâ tunc regebat) persensisset, fratris vocationem divinitus edocta, per litteras cum patre vehementius egerat, ut Francisci studia omni ope, etiam cum rei domesticae detrimento, foveret: eum enim incognitarum gentium apostolum divinâ providentiâ praeordinatum esse praevidebat. Cumque Lutetiae commoraretur, in familiaritatem sancti Ignatii insinuatus, ac postmodum in socium ipsius, qui id ardentibus precibus a Deo ad ingentem Ecclesiae utilitatem praestandam postulaverat, adscriptus, eoque duce ingressus erat arctam viam, quae ad vitam ducebat: ut enim spiritu vivificaretur, carnem suam, ad antiquorum sanctorum patrum exemplum, severissime mortificaverat. Interdicto enim sibi, non solum carnis et vini, sed panis etiam triticei usu, vilibus tantummodo ac insulsis cibis, iisque quam parcissime usus erat. Quin etiam frequenter integro biduo, triduoque ab omni cibo prorsus abstinuerat; aliquando vero omnes maioris hebdomadae dies usque ad sabbatum paschatis ieiunus transegerat:

1 Syntaxis, ut vides, adhuc suspensa manet, et foret § 2 incipienda: *Cumque in primis* (R. T.).

somnoque brevissimo vires reficere consueverat, humi, vel lectulo vilissimis stragulis contecto iacens. Corpus suum ferreis flagellis adeo diverberabat, ut saepe copiosus sanguis affluerat: aliquando autem, funiculis arctissime constrictis lacertis et coxendicibus, iter aggressus erat: cumque plures dies in eo cruciatu perseverasset, vincula adeo corpori eius infixa erant, ut prae doloris magnitudine viribus destitutus in viâ concideret; ac, nisi praecipuo Dei beneficio, absque ullâ humana ope, disrupta fuissent, de eius vitâ omnino desperatum fuisset. Quam praeclare vero in eius animo reliquae christianae virtutes effulsissent; quam potenter scuto fidei protectus omnia nequissimi ignea tela extinxisset; et quam firmiter in Deo sperasset, et sacramentorum frequentia, quibus non solum semetipsum, sed et alios etiam summâ cum devotione ac indefessâ assiduitate pascebat, et verbi Dei assidua praedicatio, qua tam ingentem orbis terrarum partem illuminaverat, insigniter attestabantur. Sed inter ceteras eius virtutes, quasi sydus matutinum, praecipue resplenderat charitas; quae in omnibus quidem eius actionibus, praesertim tamen cum aegrotis inserviret, manifestabatur. Eo etenim dilectionis ardore erga inopes infirmos, qui in domibus vel hospitalibus morabantur, se gerebat, ut raro ab eis discederet: tantâque sensuum mortificatione quantumvis sordidissima ministeria peragebat, ut aquam saepius, qua horribilia et incurabilia ulcera laverat, ebibisset. Cum vero vitâ periclitarentur, tunc cibi, somnique prorsus oblitus, et praeter proprias vires a Deo confortatus, veluti a commissâ custodiâ nec die nec nocte discedebat: illisque sanctissima Ecclesiae sacramenta, ceterasque spirituales alimonias praebebat; quae adeo libenter atque hilariter exequebatur, ut deliciae eius deservire aegrotis ac morientibus esse dicerentur, et quasi aliquod talentum sibi divinae benignitatis munificentiâ creditum negotiaretur; assiduamque hanc erga aegrotos curam, ac vigilantiam toto vitae suae tempore, ubicumque moraretur, exercuerat. Sed et per eamdem charitatem, quae per Spiritum Sanctum diffusa erat in corde ipsius, adeo ad Deum accedebat, tantoque spiritus fervore in oratione perseverabat, ut huiusmodi cibo intentus, quo interiorem hominem reficiebat, noctes integras transigeret: nec, cum in navi esset, atque in aperto vitae discrimine in summis tempestatibus versaretur, desisteret, aut quidquam animo commoveretur: fieretque aliquando talis super eum mentis excessus, ut oculis in caelum defixis, divinâ vi a terrâ elevaretur vultu adeo inflammatus, ut angelicam prorsus claritatem repraesentaret, nec divini amoris perferre valens incendium saepius exclamaret: *Satis est, Domine, satis est.* Cum vero sacrosanctum missae celebraret sacrificium, saepenumero a sensibus usque adeo abalienabatur, ut nec ministri vestem succutientes, nisi post diuturnam moram, excitare possent. Quin etiam aliquoties altius cubito a terra elatus, ab universa adstantium multitudine, miraculi magnitudinem obstupescente ac servi Dei sanctitatem suspiciente, conspectus fuerat. Nec solum vigilans vir sanctus Deum in corde et ore habebat, sed et dormiens in ipso requiescebat. Frequenter enim in somnis sanctissimum nomen Iesu cum summâ mentis dulcedine proferre audiebatur. Cumque tam singularibus floreret virtutibus, atque in dies a Deo potioribus augeretur muneribus, non modo non extollebatur, sed crescebat in eo semper virtus humilitatis; adeo ut infima quaeque domus officia semper, tanquam omnium postremus, obiret. Vestibus vero adeo pannosis ac vilibus utebatur, ut pueris quan-

doque de ridiculo esset. Venerabatur autem maxime vir Dei non episcopos modo, sed sacerdotes quoscumque; sancto vero Ignatio, tunc praeposito suo, nonnisi flexis genibus scribebat. Honores vero ac laudes hominum adeo horrebat, ut amplissimam apostolici nuntii dignitatem, qua instructus in Indias a summo Pontifice missus fuerat, quamstudiosissime occultaret: nec nisi semel eâ potestate, necessitate coactus, usus fuerat.

Ad Indias orientales missus tempore Pauli Papae III varia perpessus incommoda multum in vastissimis illis regionibus profecit ad animarum salutem.

§ 3. Ceterum, tantus vir insigne stadium[1] a Deo consequutus erat, in quo gloriose, usque ad consummationem cursus et coronam iustitiae, decertaret. Cum etenim clarae memoriae Ioannes Lusitaniae rex a piae memoriae Paulo Papa III, tunc dicti Gregorii, nunc etiam nostro respective praedecessore, nonnullos ex Ignatii sociis postulasset, quos ad Orientales Indias, ut in vastissimis illis regionibus verbum Dei disseminarent, transmitteret; idem Pontifex, sancti Ignatii hortatu, ad tantum opus peragendum Franciscum Xaverium elegerat, quem etiam apostolici nuntii dignitate et amplissimâ potestate decoraverat. Cumque viatici nomine plurima ei a praetore regio pararentur; homo, qui pro viatico ac perâ de Dei benignitate, in cuius evangelii opus segregabatur, praesumebat, nunquam adduci potuerat, ut quidquam, praeter vilissimum centonem, acciperet, et in navi super funem nauticam dormiebat, ac e mendicato vivebat: aegrotis in vilissimis ministeriis indefessâ charitate noctu, diuque serviebat. In Indiam ut pervenerat, statim, nec modico quidem tempore ad quietem post longissimam ac difficillimam navigationem sumpto, ad praedicandum illis gentibus evangelium se accinxerat; et indutus virtute ex alto, apostolico spiritus fervore ministerium, quod sortitus erat, tanto cum fructu exequebatur, ut, gratiâ Dei efficaciter verbo cooperante, non solum christianorum mores depravatos ad meliorem frugem passim toto Oriente revocaret, sed multa centena hominum millia, qui in tenebris et in regione umbrae mortis ambulabant, ad agnitionem verae lucis perducti, regenerationis lavacro mundarentur. Nam praeter Indos, Brachmanes et Malabares (in quorum regnis apostolica praedicatio, quae antiquis temporibus illic viguerat, sed hostis humani generis fraude ex omnium memoriâ prorsus abolita erat, Xaverii praedicatione revixerat), ipse primus Paravis, Malais, Iais, Acenis, Mindanais, Malacensibus et Iaponibus evangelium Christi annuntiaverat, nonnullique[1] illarum nationum reges et magni principes, ingenti cum fidei nostrae emolumento, suavi Christi iugo colla subdiderant. Incredibilia autem videbantur, quae propter nomen Domini nostri Iesu Christi toleraverat. Per diversa etenim regna, in vastis illis orbis terrarum spatiis, semper pedibus, et saepius nudis, per arenas calidas pergebat: per spinas longissima itinera conficiebat: contumeliis saepe numero, probris et illusionibus, quin etiam verberibus et lapidibus appetitus, in periculis itinerum versatus, saepe naufragus, vigilias, frigus et nuditatem, sitim, famemque perpessus erat, contractis, ob assiduos ac intolerabiles labores, gravissimis morbis: nec enim, Apostoli exemplo, animam suam faciebat pretiosiorem quam se, dummodo consummaret cursum suum, et ministerium verbi quod acceperat, testificari Evangelium gratiae Dei.

Multis signis ac miraculis praedicationem servi sui Dominus confirmavit, quae hic enarrantur.

§ 4. Signa vero et prodigia, quibus Dominus Apostolorum suorum sermonem in nascentis Ecclesiae exordiis confirmavit, ad illius novae sobolis incrementum, in manu etiam servi sui Francisci misericorditer renovaverat. Subito enim a Deo

1 Male, ut puto, edit. Main. legit *studium* (R.T.).

1 Perperam edit. Main. legit *nullique* (R. T.).

diversarum ac incognitarum gentium linguas, quas non noverat, edoctus, disertissime, quasi in iisdem terris educatus esset, loquebatur: et acciderat quandoque, ut eum, ad diversarum nationum populos concionem habentem, unusquisque eodem tempore linguâ suâ, in qua natus erat, magnalia Dei loquentem cum stupore et extasi audiret: eoque miraculo multitudo magna commota reciperet verbum Dei.

Hinc, post praemissa, ad christifidelium aedificationem, aliqua ex insignioribus prodigiis et signis, quibus praedicationem et gesta ipsius Dominus illustraverat, recenseret[1]:

Et primum illud memorandum videbatur, quod, cum numerosus Badagarum exercitus in exitium christianorum a Francisco baptizatorum immineret, atque omnia atrocitatis exempla se in christianos editurum minaretur, ipse solus fide armatus procedens obviam, ac severe eorum impietatem increpans, steterat illico immobili vestigio universus exercitus, deterritus (ut milites, ducesque referebant) ab homine quodam magno, nigris vestibus induto, qui iuxta Franciscum stabat, cuius maiestatem ac splendorem vultu, oculisque micantem, ferre non poterant: itaque vir sanctus, quos Christo peperat, a caede ac direptione liberaverat.

Successive apud Comorinum promontorium, cum in quadam ecclesiâ Servus Dei infidelibus concionaretur, ac propter duritiam cordis eorum nihil proficeret, factâ oratione, iussit sepulchrum, in quo pridie defunctus tumulatus fuerat, aperiri: ac populo significans, ad comprobandam christianae fidei veritatem, mortuum illum Dei voluntate rursus victurum; linteo, quo cadaver involutum erat, rescisso, ac rursus precibus ad Deum fusis, mortuo, ut viveret, imperaverat: qui statim, stupentibus omnibus, surrexerat vivus: quo tam insigni miraculo commoti, qui aderant, tum alii multi, crediderant in Deum.

Eodem postea loco mendicus quidam beato viro occurrerat ulceribus plenus: cuius plagas Franciscus magno charitatis affectu lavans, atque aquam, qua eas laverat, ebibens, ac deinde Deum Patrem misericordiarum, ut illius pauperis misereretur, orans, e vestigio, ab omni plagâ atque ulcere, Dei munere, pauper ipse omnino liber surrexerat.

Sed et puer quidam Mutani in Orientali India pestilenti febre e vitâ sublatus, ac linteo insutus, de more gentis, viginti quatuor horis asservatus, flentibus parentibus ferebatur ad sepulchrum: quos ut vir Dei vidit, misericordiâ motus super eos, Deum omnipotentem, ut puerum vivificaret, genibus flexis precatus fuerat: atque aquâ benedictâ aspersum, rescisso linteo, signo crucis signaverat: apprehensâque manu eius, in nomine Domini Iesu Christi, vivum atque incolumem parentibus restituerat: erectâ illo in loco, ad tantae rei memoriam conservandam, ab incolis magnâ cum celebritate cruce.

Et successive apud oppidum Combuturae in ora Piscariae puer alius in puteum delapsus, suffocatusque, maximo cum matris et cognatorum eiulatu efferebatur; cumque ex proximâ ecclesiâ Franciscus occurrisset, misertus eorum, in genua provolutus, oculisque in caelum fixis, Deum pro vitâ pueri precatus, eum apprehensâ manu in nomine Domini Iesu Christi surgere iusserat: et confestim puer surrexerat vivus: quem sanctus vir reddiderat matri suae: stupentibus omnibus, ac maximo cum clamore Deo gratias agentibus: quibus ipse praecepit, ne cui rem gestam narrarent.

Insuper dum in Iaponiâ insulâ Fran-

1 Nempe *Gregorius XV*, nam adhuc manet syntaxis suspensa ex § 2 (R. T.).

ciscus Christi fidem praedicaret, accesserat ad eum mercator quidam, a multis annis caecus, petens, ut sibi a Deo, ut videret, impetraret: Franciscus, recitato super eum evangelio, signum crucis oculis eius impresserat, qui eodem temporis momento lucem amissam recuperaverat. Postero vero die, reversus ad eum cum uxore ac universâ familiâ, genibus advolutus, gratias agens, et christianam fidem professus, ad baptismi gratiam unâ cum suis omnibus pervenerat.

Exierat autem tam illustris miraculi fama per omnem terram illam: ac multi, relictis idolis suis, conversi erant ad verum Deum et Iesum Christum filium eius. Cumque Servus Dei ad Sinas in magnâ navi, qua quingenti vehebantur, navigaret; cessaverant adeo venti, ut quatuordecim diebus navis eodem loco haesisset immota. Cumque, inter ceteras difficultates, aquae penuriâ valde laboraret, multique iam siti deficerent; vir sanctus omnia navis vasa marinâ aquâ impleri iusserat: fusisque instanter ad Deum precibus, super eâ signum crucis fecerat: ac repente aqua illa salsa, dulcis, salubrisque effecta erat. Quo miraculo plures, qui in navi erant, infideles credideraut in Deum: quin etiam aquae illius, quae abunde superfuerat, potu plurimi per multas Indiarum provincias variis, quibus vexabantur, morbis sanati fuerant.

Ad easdem Sinas contendens, cum, saevissimâ ortâ tempestate, omnes de se actum esse existimarent, et gubernator navis, ne repentinae vis procellae scapham auferret, validis eam rudentibus ad onerariam alligari iussisset; non multo post abruptis retinaculis, scapham tempestas abstulerat tanto impetu, ut pene temporis momento omnium conspectum effugisset: et prout quisque cognatos et necessarios in scaphâ habebat, certatim eorum casum deplorare ceperant. Franciscus ergo universos collacrymantes bonum eos habere animum iusserat, ac praedixerat, fore ut ante triduum filia remearet ad matrem: significans, scapham ad onerariam redituram: prout, Deo dante, apparere visa fuerat, et recte ad onerariam tendere, et sponte ad illius latus accedere; atque ita apte se applicare, ut illi omnes, qui in eâ erant, commode excepti fuissent: quae etiam in mediis fluctibus, nemine illam retinente, tamdiu steterat, quod religaretur ad navim, attonitis omnibus ex miraculo remanentibus.

Ad Moluchas insulas etiam Franciscus advenerat, ubi magno spiritus fervore verbum Dei primus annuntiabat: atque in urbe Tolo vigintiquinque millia hominum baptizaverat: qui, cum suasu tyramni cuiusdam Christi fidem deseruissent, ecclesiam solo aequassent, cruces, sanctorumque imagines confregissent et conculcassent, Franciscus, zelum Domini zelatus, viginti Lusitanos, ac quadrigentos circiter indigenas ad ultionem tanti sceleris incitaverat: eoque duce ac victoriae sponsore, tam pauca militum manus adversus urbem munitissimam, Christi rebellem, expeditionem aggrediebatur; sed cum prope urbem pervenissent, substiterat vir Dei, ac orationi se dederat; statimque vicinus mons magnum emiserat incendium; adeoque ingentem cineris, ac pumicum vim eructaverat, ut urbis, atque arcis, quae in edito sita erat, muros aequasset: horribilisque propterea terrae motus totam urbem concusserat, plurimasque domos subverterat: quibus malis exterriti incolae, desertâ urbe, in proximas sylvas confugerant. Urbs itaque a Francisci militibus facile capta erat: cives vero ad eius pedes prostrati, acceptaque salutari poenitentiâ, delicti veniam impetrarant.

Ulterius, cum inter easdem insulas

Franciscus navigaret, ac saevissima orta esset maris tempestas, ad eam sedandam, crucifixi imaginem, quam collo appositam gestare solebat, undis immiserat: quae, vi procellae a manibus excussa, in profundum maris, non sine magno eius moerore, delapsa erat: sed laetificaverat Dominus animam servi sui: nam, cum ad terram applicuisset, aç secus littus iter faceret, marinus cancer ex undis subito prosiluerat: atque ante pedes ipsius steterat, eamdem crucem morsibus elevatam gerens: et Franciscus in genua provolutus eam devote susceperat, ac diuturnâ oratione ob tam egregium munus Deo gratias egerat.

Prophetico etiam spiritu Deus servum suum, quem in lucem gentium dederat, illuminaverat: atque adeo insigne donum plurimis manifestaverat exemplis. Atque inter cetera, cum Aceni populi, inter quos etiam turcae erant multi, sexaginta navium classe vecti christianorum naves concremassent, ac multos crudelissimis supplíciis affectos enecassent; ducenti ac triginta milites, in octo naves distribuiti, Francisco suadente, ac in nomine Domini exercituum victoriam promittente, classem barbarorum insequuti erant: transactoque iam mense, cum nullus ab ipsis nuntius adveniret, consternatis omnibus, iamque de civium suorum salute desperantibus, Franciscus in ipsâ conflictus horâ, classium congressum, ac insignem christianorum victoriam, haud secus ac si praesens esset, in concione narraverat: ac diem, quo tantae rei nuntius adventurus esset, praedixerat. Quae omnia, cum ingenti omnium admiratione, eo ipso, quod designaverat, tempore, certis nuntiis approbata fuerant.

Cumque duae naves eodem tempore e portu solvissent, praedixerat Franciscus, subortâ magnâ maris tempestate, alteram naufragium passuram, alteram vero (et in hac ipse reperiebatur) extra omne maris periculum in navali dissolvendam: quam praedictionem utriusque exitus comprobaverat: cum alterius fragmenta non multo post conspecta fuissent; altera vero, multis tute peractis itineribus, cum, publicato vaticinio, sancti patris navis vocaretur, ac ubicumque appelleret, cum plausu exciperetur, demum, post multos annos, in navali, ut reficeretur, subducta, sponte corruerat.

Grassante quoque pestilentiâ in Lusitanorum ac Hispanorum classibus, quae ad Amboinam insulam appulerant, cum sanctus vir aegrotis de more ministraret, a Ioanne de Arausio, ut vinum sibi ad eorum usum elargiretur, petierat: quod Arausius gravatim, timens ne sibi deesset, miserat: quem Dei Servus admonuerat, ut in charitatis operibus largior esse vellet, brevi etenim fore, ut vitâ defungeretur, eiusque omnia bona in usus pauperum cederent. Cumque, post non multum temporis spatium, ad Ternatem insulam, quae ducentis amplius milliaribus a loco distabat, adventasset, ac missae sacrificium celebraret, versus ad populum: Orate (dixerat) pro animâ Ioannis de Arausio, qui modo expiravit: stupentibus omnibus, post duodecimum diem supervenerat, qui visionem sancti viri verissimam fuisse, nuntiatâ Arausii morte, declaraverat.

Mercatori cuidam Meliapore discessuro, ac munusculum aliquod, tamquam benevolentiae signum, a se postulanti, Servus Dei beatae Mariae Virginis coronam precariam a collo detractam elargitus erat; affirmans, fore ut, quamdiu illam penes se haberet, ab omni maris periculo incolumis esset evasurus; a portu itaque mercator solvens naufragium fecerat: cumque in tabulata, ex lignis raptim composita, cum nonnullis aliis vectoribus exiliisset; in alto mari, alienato a sensibus animo, visus esset sibi cum ipso Servo Dei Fran-

cisco in eo loco, in quo coronam precariam praedictam acceperat, colloqui; quinto demum die, ex quo desilierat in illa tabulata, ab eâ animi extasi, velut ab alto somno experrectus, cum neque tabulata, neque socii unquam comparuissent, in littore Negapatani prope Meliaporem salvum et incolumem se repererat.

Petro Vellio autem, qui summâ voluntate in quoddam charitatis opus pecuniam viro Dei elargitus fuerat, promiserat, fore, ut nunquam ei necessaria deessent, ac mortis horam divinitus praecognosceret; quorum utrumque acciderat. Nam, quamvis Petrus maxima perpessus esset rei familiaris detrimenta, semper tamen ab omnibus summam liberalitatem expertus erat: ac, transactis demum multis annis, revelatâ sibi mortis horâ, se in ecclesiâ in feretro composuerat, auditâque missâ, ac precibus, quas pro animae suae salute recitari iusserat, ibidem statim in pace obdormiverat.

Moritur die 11 decembris MDLII et post obitum etiam eius sanctitatem Dominus miraculis plurimis, declaravit.

§ 5. Demum vir Dei, consummato feliciter peregrinationis suae cursu, famâ sanctitatis clarus et bonis operibus plenus, cum ei benedictionem patriarchae Abrahae Dominus spiritualiter elargitus esset, ut multarum gentium pater efficeretur, et filios, quos Christo Iesu genuerat, super stellas caeli, et super arenam, quae est in littore maris, multiplicatos videret; et ex eis plurimos proprio sanguine laureatos ad caelestia regna praemisisset, Orientalium Indiarum Apostolus ab universis Indiae regnis, totoque christiano orbe appellatus, dum aditum evangelio in vastissimo Sinarum imperio quaerebat, assiduis laboribus, quos ultra humanas vires pro gloriâ Dei toleraverat, confractus, in insulâ prope Sinas, die secundâ decembris anni Domini millesimi quingentesimi quinquagesimi secundi ad caelestem gloriam, perpetuo cum Deo regnaturus, evolaverat.

Eiusque corpus ad varia loca delatum, postremo Goa conditum fuit in ecclesiâ Societatis Iesu.

Defuncti corpus, vivâ calce perfusum, ut, exesâ carne, ossa in Indiam exportarentur, inclusumque arcâ ligneâ, sepultum fuerat: quod post quatuor menses effossum, ita recens ac tractabile, vestimentisque adeo integris, ac si nuper esset tumulatum, repertum exiterat. Et quamvis nullo odoramentorum genere curatum fuisset, divino tamen munere eam odorum fragrantiam spirabat, ut esset super omnia aromata. Calce itaque rursus iniectâ, Malacam, quae in Orientali India urbs est celeberrima, delatum extiterat. In qua cum saevissima pestis plurimos quotidie conficeret, ingenti beneficentiâ adventum eius Deus insigniverat. Nam, sacro corpore in urbem illato, adeo omnis contagio desierat, ut eâ deinceps nullus omnino correptus fuisset. Arcâ itaque rursus apertâ, integrum sicut antea, eamdemque odoris suavitatem diffundens, repertum etiam fuerat. Cumque in novo loculo conderetur, ex humero, ob arculae brevitatem paulum compresso, recens sanguis effluxerat. Nono demum post obitum mense, sepulchro iterum patefacto, rursus ut antea divinâ virtute a corruptione immune ac caelestibus perfusum aromatibus inventum; velo, quo facies eius operta fuerat, ob ingestae terrae pondus, recenti cruore consperso. Novâ itaque arcâ, sericeâ, aureâque veste contectâ, pretiosissimum pignus inclusum in Indiam ad Coccini portum delatum erat: confluentibus undique, ad honorandum communis in Christo Iesu parentis corpus, plurimis earum gentium populis. Inde Goam insigni celebritate translatum, a prorege, ac omnibus civium ordinibus maximâ frequentiâ ac devotione exceptum, et in ecclesiâ Societatis Iesu, ut populorum devotioni satisfieret, validis cancellis inclusum, omnium oculis per triduum expositum remanserat: eiusdemque proregis iussu ab insigni medico, deindeque vicario Goano, visitatum, ac pertentatum, omni ex parte incorruptum,

integris etiam intestinis, compertum fuerat: manante etiam ex parvo inflicto vulnere recenti cruore.

Miracula nonnulla ab eo patrata post mortem.

Quo tempore, cum mulier quaedam affectu devotionis incitata, specie osculantis, pedis digitum, ut illum abscinderet, morsu apprehendisset, statim sanguis efluxerat. Sed Altissimi benignitas non his modo mirabilibus Sanctum suum in conspectu omnium populorum mirificaverat: sed omni tempore ingentia praestabat beneficia his, qui eius intercessionem fideliter implorabant: ut plurimis exemplis, praesertim vero infra insertis, manifestum erat.

Puer quidam Goae natus, qui utrumque pedem a nativitate adeo aridum et crura sicca habebat, ut illis non posset insistere, sed manibus reptare cogeretur; ad Servi Dei sepulchrum ab educatrice perductus, singulis novem diebus visitare statuerat. Cumque votum cepisset adimplere, tertiâ iam die, qua sepulchrum visitabat, puer in eius gremio existens, repente ferream sepulchri cratem manibus apprehendens, suis stare pedibus et ambulare ceperat et statim omnino sanus evaserat: et intra novem dies, quos promiserat, crura carne repleta fuerant: et sic semper valens et sanus deinde vixerat.

Cottatae, Indiae orientalis civitate, unius mensis infans mortuus ad sepulturam delatus erat. Voverant itaque cum ingenti fide parentes, se insigne donum, si puer reviveret, sepulchro Servi Dei oblaturos, ac Francisci nomen ei imposituros. Repente infans aperire oculos, brachia, pedesque movere, ac vagire ceperat: ac paulo post, non vivum modo, sed et omnino sanum, atque incolumem filium receperunt: redditisque cum ingenti gaudio votis, tam insigne miraculum per totam illam regionem divulgarant.

In eâdem urbe caeco cuidam Sanctus per quietem apparuerat: eumque monuerat, ut ad ecclesiam eius visitandam, oculorum lumen ibi recepturus, pergere non differret. Paruerat fideliter homo: ac, dum per novem dies ante Francisci imaginem orabat, repente, discussâ omni caecitatis caligine, sanatus erat et perfecte viderat.

Quin etiam leprosus quidam in eodem loco magnâ fiduciâ ad Sancti intercessionem confugerat: proprioque corpore, oleo lampadis, quae ad eius imaginem ardebat, peruncto, dum prostratus orabat, repente a leprâ mundatus, atque omnino sanus effectus erat.

Eamdem virtutem experta erat Francisca Rebelles, quae a multo tempore sanguinis fluxum ac ventris tumorem cum ingenti dolore patiebatur. Lampadis enim ante eius imaginem pendentis identidem se oleo ungens, statim adeo perfecte convaluerat, ut nullas amplius eorum morborum sensisset reliquias.

Frequenter enim acciderat, ut lampades ad eamdem Servi Dei imaginem appensae, aquâ tantum benedictâ infusâ, haud secus, ac si oleo plenae essent, arderent, lucerentque: stupentibus etiam infidelibus, quos ad tantae rei miraculum conspiciendum, non sine magno fidei nostrae incremento, christiani invitabant.

Cum frustra omnes medicae artis opes expertus esset Gundisalvus Coccinensis civitatis incola, ut inveterato cancri morbo, qui pectus eius assiduis doloribus vexabat, mederetur; ad divinam opem conversus, omnipotentis Dei misericordiam, ut se beati Francisci meritis sanum faceret, imploraverat. Imaginem igitur eius, aere excusam, ulceri applicaverat: eodemque momento ab omni plagâ incolumis evaserat.

Eiusdem urbis civis Emmanuel Rodriguez pedes habebat ulceribus plenos, ac ob nervorum contractionem adeo debiles, ut illis insistere non valeret: quibus malis gravis et periculosa dysenteria accesse-

rat. Medicis itaque de eius vitâ diffidentibus, cum ad intercessionem famuli Dei Francisci aeger confugisset, eâdem imagine corpus suum in formam crucis signaverat, et aquam, in qua eadem mersa fuerat, ebiberat: talemque divinae virtutis senserat effectum, ut intra tridui tempus ab omnibus morbis incolumis integram consequutus fuisset sanitatem.

Eiusdemmet Servi Dei imaginis praesentem agnoverat virtutem Maria Diaz: septem etenim annis caecitatem ac paralysim perpessa, signum crucis debilitatis membris impresserat; eaque eiusdem imaginis immersione aquâ sanctificatâ laverat: necdum septem praeterierant dies, cum oculorum lumen, ac totius corporis caelesti dono acceperat incolumitatem.

Vulgatis tandem per universum orbem eius miraculis, Philippus III Hispaniarum rex instat pro canonizatione, pro qua Paulus V et Gregorius XV miracula et alia necessaria examinanda demandarunt.

§ 5. Hincque factum erat, ut, cum tot tantisque signis Servum suum omnipotens Deus in brachio excelso clarificaret, et per universum iam terrarum orbem tot mirabilium praeconia longe, lateque diffunderentur, ac propterea non solum christifidelium erga ipsum devotio magna susciperet incrementa, sed multorum etiam infidelium corda ad cognoscendum Deum et Dominum nostrum Iesum Christum illuminarentur, Ioannes Lusitaniae Rex praedictus, zelo devotionis accensus, institerat, ut a diversis locorum Ordinariis super eius sanctitate et miraculis processus fierent. Qui cum diligenter munus suum explevissent, ac procedentibus temporibus omnia acta ad hanc Sanctam Sedem transmissa fuissent, recolendae memoriae Paulus Papa V, etiam praedecessor noster, tunc suus, instante pro Servi Dei canonizatione etiam clarae memoriae Philippo III Hispaniarum rege catholico, deputavit bonae memoriae Horatium Lancellottum, tunc Rotae auditorem, eoque ad cardinalatus honorem sublimato, dilectum filium Magistrum Ioannem Baptistam Coccinum eiusdem Rotae decanum, et pariter bonae memoriae Franciscum Sacratum, tunc archiepiscopum Damascenum, et auditoris Rotae locumtenentem, ac deinde S. R. E. cardinalem: qui et antiquos processus examinarent, et novos auctoritate apostolicâ faciendos, quatenus ipsis videretur, decernerent; atque omnia eidem Paulo praedecessori unâ cum eorum sententiâ referrent. Qui litteras remissoriales ad diversos praelatos, in Hispaniarum, Lusitaniae ac Indiarum regnis constitutos, decreverant: atque ipsi interim in curiâ novos testes examinarant. Cumque praedicti iudices partibus suis perfuncti essent, eisdem auditoribus processus a se confectos transmiserunt. Qui, omnibus summâ cum maturitate per plurimum temporis spatium (ut negotii gravitas postulabat) consideratis ac perpensis, eidem Paulo praedecessori retulerant, iuxta canonicarum sanctionum decreta abunde constare de vitae sanctimonia, ac eximiis virtutibus servi Dei Francisci; deque miraculis, quae tam eo vivente, quam post felicem eius obitum, eius meritis et intercessionibus, Deus omnipotens operari dignatus erat: dignumque videri, si eidem placeret, ut in Sanctorum Confessorum catalogo adscriberetur. Cumque interim praedictus Paulus praedecessor humanitatis debitum persolvisset, et praedictus Gregorius praedecessor ad sacri apostolatus apicem divinâ providentiâ assumptus fuisset; ac pro parte charissimi in Christo filii nostri, tunc sui, Philippi III Hispaniarum regis catholici instanter requisitus esset, ut negotium huiusmodi promovere, ac ad ulteriora procedere dignaretur; accederentque aliorum principum, ac praelatorum, et totius Indiae cleri idem suppliciter exposcentium preces; praedictus Gregorius praedecessor ut in re tam gravi eâ, qua decebat, maturitate progrederetur, praedictorum auditorum relationem ad sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sacris ritibus praefectos,

ut rursus totum negotium quamdiligentissime discuterent, remisit[1].

Relationibus auditis, omnes censuerunt esse canonizandum.

§ 7. Quod cum illi accurate perfecissent, ac pro Servi Dei canonizatione omnes unanimiter censuissent, bonae memoriae Franciscus Maria episcopus Portuensis S. Romanae Ecclesiae cardinalis de Monte nuncupatus totius processus summam, et suam, collegarumque sententiam, coram dicto Gregorio praedecessore, et venerabilibus fratribus nostris, tunc suis, sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, in consistorio suo secreto exposuit. Quibus auditis, reliqui cardinales ad ulteriora fore procedendum communi suffragio pronuntiarunt. Igitur, cum in publico consistorio quondam Iulius Zambeccarius, tunc aulae consistorialis advocatus, plurima de huius Servi Dei vitâ et virtutibus enarrasset; atque eiusdem Hispaniarum regis catholici preces pro eâdem canonizatione exposuisset; utque ad eam procedere dignaretur, humiliter supplicasset: dictus Gregorius praedecessor, praedicti regis pietatem, et religionis zelum plurimum in Domino commendans, super re tantâ eosdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales atque episcopos in Romanâ curiâ praesentes consulendos esse respondit: atque interim cardinales et episcopos praedictos intimo cordis sui affectu vehementer in Domino hortatus est, ut in omni humilitate, et lachrymis, in ieiuniis, et eleemosynis, exposcerent ab eo, qui est via et veritas, ut dirigere dignaretur gressus suos in semitis suis, ut ingrederetur in veritate suâ, ut quod beneplacitum esset in conspectu eius, intelligere ac perficere eo auxiliante valeret. Sequenti itaque semipublico consistorio, ad quod non cardinales modo, sed etiam patriarchas, archiepiscopos, atque episcopos in curiâ praesentes convocari mandavit; praesentibusque etiam Sedis Apostolicae notariis, necnon sacri palatii apostolici causarum auditoribus; cum plurima de egregiâ viri Dei Francisci Xaverii vitâ, ac miraculis enarrasset; quanta insignis hic Dei Servus pro nomine Domini nostri Iesu Christi pertulisset, quantoque cum proventu (Domino incrementum dante) per incognitas nationes verbum eius disseminasset, exposuisset; commemoratis etiam instantiis, quae coram dicto Gregorio praedecessore tum a rege catholico, tum ab aliis etiam reipublicae christianae regibus et principibus fiebant, cum singulorum sententias requisisset, omnes uno ore benedicentes Deum, qui honorificantes se glorificat, servum eius Franciscum Xaverium canonizandum esse, atque inter Sanctos Confessores adscribendum consuerunt. Quorum omnium audito consensu, exultavit in Deo salutari nostro, gratias agens ei, qui est gloria virtutis nostrae, in cuius beneplacito contra omnes adversarias potestates exaltatur cornu nostrum, qui Ecclesiam suam in diebus istis hoc lumine illustrare, ac novo patrocinio munire dignatus esset. Canonizationis itaque publicavit diem infrascriptum: eosdemque fratres et filios nostros paternâ charitate monuit, ut bonis operibus inhaerentes, precarentur Deum misericordiarum, ut super eos sereno vultu respicere, et eorum actiones ad voluntatem eius perficiendam dirigere dignaretur.

Demum Gregorius XV Sanctorum catalogo adscripsit die XII martii.

§ 7. Demum, peractis omnibus, quae ex sacris constitutionibus ac Romanae Ecclesiae consuetudine peragenda erant, quarto idus martii, pontificatus sui anno secundo, in sacrosanctâ Principis apostolorum basilicâ, cum eisdem cardinalibus, necnon patriarchis, archiepiscopis et episcopis, Romanae curiae praelatis, officialibus, familiaribus suis, clero seculari et regulari, maximaque populi frequentia, convenit. Ubi, repetitis pro canonizationis decreto, nomine eiusdem charissimi in Christo filii

1 Huc tandem videtur absolvi syntaxis (R. T.).

nostri Philippi Hispaniarum regis catholici, a dilecto filio nostro, tunc suo, Ludovico tituli S. Mariae Transpontinae cardinali Ludovisio nuncupato, eius secundum carnem nepote, per Iulium Zambeccarium advocatum praedictum petitionibus; decantatis sacris precibus, ac litaniis, et Spiritus Sancti gratiâ humiliter imploratâ, ad honorem sanctissimae et individuae Trinitatis, fidei catholicae exaltationem, auctoritate omnipotentis Dei, Patris et Filii et Spiritus Sancti, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum, ac suâ, de eorumdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in Romanâ curiâ praesentium consilio, ac unanimi consensu, gloriosae memoriae Franciscum Xaverium, de cuius vitae sanctitate, fidei sinceritate, ac miraculorum magnitudine ac frequentiâ plene constabat, Sanctum esse definivit: et in Sanctorum Confessorum catalogo adscribendum esse decrevit, et adscripsit: illumque ab universis christifidelibus tanquam vere Sanctum honorari, ac venerari mandavit.

In eius honorem ecclesias et altaria aedificari, et consecrari, et die II dec. officium recitari posse statuit.

§ 8. Ac, ut ab universali Ecclesiâ in eius honorem ecclesiae et altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, aedificari et consecrari; et singulis annis, die secundâ decembris, qua ad caelestem gloriam vocatus est, eius officium, ut de Sancto Confessore, ad praescriptum Romani Breviarii, celebrari posset, statuit.

In die festo eiusdem indulgentiam concessit.

§ 9. Eâdemque auctoritate omnibus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui singulis annis eodem festo die ad sepulchrum, in quo corpus eius requiescit, visitandum accederent, unum annum et unam quadragenam; iis vero, qui in eiusdem festi octavâ, XL dies de iniunctis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavit.

Postremo missam cum sancti Francisci commemoratione cecinit, et indulgentiam populo fuit elargitus.

§ 10. Postremo, gratiis Deo cum exultatione actis, quod Sanctum suum in conspectu omnium gentium honorificasset, ac tam insigni splendore Ecclesiam suam decoraset, cantatâ in sancti Francisci honorem solemni Sanctorum Confessorum oratione, ad altare Principis apostolorum missam celebravit, cum eiusdem Sancti Confessoris commemoratione: omnibusque christifidelibus praesentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam elargitus est.

Huius rei testimonium hisce litteris perhibetur.

§ 11. Ne autem de definitione, decreto, adscriptione, mandato, statuto, relaxatione, aliisque praemissis (pro eo quod super illis ipsius Gregorii praedecessoris litterae, eius superveniente obitu, confectae non fuerunt) valeat quomodolibet haesitari; volumus, et apostolicâ auctoritate decernimus, quod definitio, decretum, adscriptio, statutum, relaxatio, impartitio, aliaque praemissa, a dictâ die, quarto idus martii, suum debitum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Gregorii praedecessoris litterae sub datum eiusdem diei confectae fuissent, prout superius enarratur: quodque praesentes litterae ad probandum plene definitionem, decretum, adscriptionem, aggregationem, statutum, relaxationem, et alia praemissa, ubique sufficiant; nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Transumptis fides danda.

§ 12. Ceterum, quia difficile foret, praesentes nostras litteras ad singula loca, ubi opus esset, deferri; volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem ubique fides habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum decreti et voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno

Incarnationis Dominicae MDCXXIII, octavo idus augusti, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 6 augusti 1623, pontif. an. I.

Papae,

EGO URBANUS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

Cardinalium subscriptiones.

† Ego Dominicus tituli S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis Gymnasius.

† Ego M. tituli Ss. Quirici et Iulittae presbyter cardinalis Lantes.

† Ego P. tituli Ss. Nerei et Achillei presbyter cardinalis Crescentius.

† Ego A. tituli S. Petri in Vincula presbyter cardinalis Capponius.

† Ego G. tituli Sanctae Crucis in Hierusalem presbyter cardinalis Borgia.

† Ego Tiberius tituli S. Priscae presbyter cardinalis Mutus.

† Ego Rob. tituli S. Alexii presbyter cardinalis Ubaldinus.

† Ego Iulius tituli S. Sabinae presbyter cardinalis Sabellus.

† Ego Guido tituli S. Mariae de Populo presbyter cardinalis Bentivolus.

† Ego Iulius tituli S. Mariae super Minervam presbyter cardinalis Roma.

† Ego Fr. Desiderius tituli S. Clementis presbyter cardinalis de Cremona.

† Ego Cosmus tituli S. Pancratii S. R. E. cardinalis de Torres.

† C. S. Nicolai in Carcere diaconus cardinalis Pius.

† Ego Hippolitus S. Mariae Novae diaconus cardinalis Aldobrandinus, sanctae Romanae Ecclesiae camerarius.

† Ego A. S. R. E. diaconus cardinalis de la Cueva.

V.

Officiali curiae ecclesiasticae Xanctonensis committitur unio monasterii B. Mariae de Castellariis Ordinis Cisterciensis eiusdem Xanctonensis dioecesis Domui Parisiensi Congregationis Oratorii[1].

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,

Dilecto filio officiali Xanctonensi,
salutem et apostolicam benedictionem.

Proœmium. Ex debito pastoralis officii nostri, meritis licet imparibus, supernâ dispositione commissi, ad ea nostrae sollicitudinis studium libenter convertimus, per quae fidelibus quibuslibet, praesertim vero ecclesiasticis, in suis necessitatibus cum divini cultus augmento valeat congrue subveniri.

Vacans monasterium de Castellariis ob resignationem abbatis commendatarii, § 1. Cum itaque monasterium B. Mariae Virginis de Castellariis, vulgo des Chastelliers nuncupatum Cisterciensis Ordinis Xanctonensis dioecesis, quod dilectus filius Ludovicus de Meranvillier presbyter Ebroicensis dioecesis magister in theologiâ in commendam ad sui vitam ex concessione apostolicâ nuper obtinet, commendâ huiusmodi ex eo, quod dictus Ludovicus illi hodie, ac omni et cuicumque iuri et actioni sibi in dicto monasterio, illiusque regimine et administratione, vel ad illa quomodolibet competentem, per dilectum filium Ioannem Marchand clericum Pictavensem procuratorem suum, ad hoc ab eo specialiter constitutum, in manibus nostris sponte et libere cessit, nosque cessionem huiusmodi duximus admittendam, cessante, adhuc eo, quo ante commendam ipsam vacabat, modo vacare noscatur ad praesens;

Quod ab haereticis diruptum, direptumque, ecclesiastico caret ministerio; § 2. Et, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Petri de Romila generalis et presbyterorum Congregationis Oratorii Domini nostri Iesu Christi petitio continebat, dictum monasterium quadraginta annis et ultra cum eius ecclesiâ et omnibus aedificiis nefario haereticorum tum in illis partibus impune grassantium ausu penitus dirutum et solo aequatum, ac religiosis destitutum existit, et ab eo tempore divina officia minime celebrantur, et ob haeresim in illâ provinciâ late disseminatam ac oppidi Rupelle dictae dioecesis vicinitatem nulla spes affulget, quod dictum monasterium in primaevum statum restitui possit, et etiamsi restitueretur, nihilominus continuis haereticorum iniuriis expositum remaneret;

Presbyteri congregationis Oratorii Franciae * Sic. § 3. Superioribus vero annis Congregatio presbyterorum huiusmodi in honorem orationum, quas in diebus carnis suae fudit*[1] ad gloriam Dei Patris, et sanctificationem animarum apostolicâ auctoritae erecta et instituta fuit, et presbyteri dictae Congregationis, quorum principale institutum est, singulas actiones Ordini sacerdotali convenientes et essentiales amplecti, assiduis verbi Dei praedicationibus et spiritualibus exhortationibus, orationibus, aliisque piis exercitiis, quibus iugiter vacant, magnâ probitatis et devotionis famâ in dies efflorescere, ac in excolendâ ac purgandâ vineâ Domini fructus uberes in plerisque regni Franciae locis producere dignoscuntur, ac domus dictae congregationis Parisiensis redditibus annuis admodum exiguis dotata existit, iique ad supportationem onerum dictae domus incumbentium et expensarum pro adimplendis ipsorum presbyterorum piis operibus et spiritualibus exercitiis continuo faciendis minime sufficiunt, et, ad provisionem eorum, labores et progressus adiuvandos, operae pretium esse de ampliori opportunae subventionis auxilio providere:

Suae petunt uniri Congregationi. § 4. Et sicut eadem subiungebat petitio, si dictum monasterium eidem domui pro eius reddituum augmento per nos et Sedem Apostolicam perpetuo, ut infra, uniretur et incorporaretur, ex hoc pro-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Subintelligitur autem D. N. I. C. (R. T.).

fecto non solum presbyteri dictae Congregationis in continuis laboribus per eos pro fidei catholicae propagatione et a recto illius tramite aberrantium reductione perferri solitis facilius et commodius perseverarent, eorum tamen bonorum et iurium ecclesiasticorum dicti monasterii conservationi opportunâ admodum ratione consuleretur: Quare pro parte Petri generalis et presbyterorum praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eis, ut infra, opportune providere de benignitate apostolica dignaremur:

Urbanus Papa Xanctonensi officiali committit, rerum veritatem inquirat.

§ 5. Nos igitur (qui dudum inter alia voluimus, statuimus et ordinavimus, quod, petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum communem aestimationem tam beneficii uniendi, quam illius, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, quodque semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis interesse habentibus), eosdem Petrum generalem et presbyteros (asserentes praedictum Ludovicum aliunde commode vivere valere) a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, ac certam de praemissis notitiam non habentes, verumque et ultimum dicti monasterii vacationis modum, etiamsi ex illo quaevis generalis reservatio etiam in corpore iuris clausa resultet, praesentibus pro expresso habentes, huiusmodi, ac charissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum et Navarrae regis christianissimi nobis desuper porrectis supplicationibus inclinati, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus de praemissis omnibus et singulis, eorumque circumstantiis universis inquiras, auctoritate nostrâ, diligentius veritatem.

Verisque existentibus narratis, illud domui Parisiensi dictae Congregationis Oratorii apostolicâ auctoritate uniat

§ 6. Et, si per inquisitionem eamdem ita esse repereris, super quo conscientiam tuam oneramus, monasterium praedictum, quod curâ caret, et de quo consistorialiter disponi non consuevit, ac cuius fructus, redditus et proventus XXIV ducatus auri de camerâ secundum communem aestimationem valorem annuum, ut Petrus generalis et presbyteri praedicti asserunt, non excedunt, quando et ex cuiuscumque personâ, seu per liberam cessionem cuiusvis de regimine et administratione praedictis, in Romanâ curiâ, vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factâ, aut constitutionem felicis recordationis Ioannis XXII praedecessoris nostri, quae incipit, *Execrabilis*, vel assequutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati, commendâ ipsâ cessante, vacet (etiamsi tanto tempore vacaverit, quod eius provisio iuxta Lateranensis statuta concilii aut alias canonicas sanctiones ad Sedem Apostolicam legitime devoluta existat, et illa ex quavis causâ ad Sedem eamdem specialiter vel generaliter pertineat, et ad illud consueverit qui per electionem assumi, eique curà iurisdictionalis tantum immineat animarum, ac super eisdem regimine et administratione inter aliquos lis, seu illorum possessio[1] vel quasi molestia, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa), cum annexis huiusmodi, ac iuribus et pertinentiis suis universis, dictae domui (ita, quod liceat generali et superiori domus et presbyteris Congregationis praedictorum, nunc et pro tempore existentibus, corporalem, realem et actualem monasterii, illiusque regiminis et administrationis, ac annexorum, iuriumque et pertinentiarum praedictorum, tam ad abbatialem, quam ad conventualem illius

1 Forsan legendum *possessione* (R. T.).

mensas quomodolibet spectantium, possessionem per se, vel alium, seu alios, eorum ac dictae domus nomine, propriâ auctoritate libere apprehendere et apprehensam perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus et proventus, ac iura, obventiones et emolumenta quaecumque recipere, exigere, levare, recuperare, locareque et arrendare, ac in communes eorum et dictae domus usus et utilitatem convertere, Dioecesani loci, vel cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ), dilectorum filiorum Nicolai et Caroli Boucheau et Dionysii Largentin Cisterciensis dicti Ordinis capitis, et a quo dictum monasterium de Castellariis dependere, et Pontigniaco et Claraevallis praedicti Ordinis, Cabilonensis et Antissiodorensis ac Lingonensis respective dioecesis, monasteriorum respective abbatum ad hoc expresso accedente consensu, auctoritate nostrâ, perpetuo unias, annectas et incorpores.

Quam unionem ratam habet, solitisque clausulis firmat.

§ 7. Nos unionem, annexionem et incorporationem praedictas, si per te vigore praesentium fieri contigerit, ut praefertur, et easdem praesentes nullo umquam tempore, ex eo quod quicumque in praemissis interesse forsan habentes illis non consenserint, nec ad ea vocati fuerint, seu alio quocumque praetextu de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari, in ius, aut controversiam vocari, vel ad terminos iuris reduci, seu adversus illas quodcumque iuris, gratiae, vel facti remedium impetrari posse; neque sub ullis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et eum, in quo ante praemissa quomodolibet erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ, per generalem et superiorem ac presbyteros dictae domus et congregationis pro tempore existentes quandocumque eligendâ, concessas, ac validas et efficaces fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; ac sic per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, iudicari et definiri debere, et si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Contraria tollit.

§ 8. Non obstantibus prioribus voluntate, statuto et ordinationibus nostris huiusmodi, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri, ac beneficia unius, beneficiis seu locis alterius dioecesis uniri prohibentis, et piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, aliisque apostolicis, ac in provincialibus ac synodalibus, universalibusque conciliis editis et edendis, specialibus vel generalibus constitutionibus, ac monasterii primodicti et Ordinis, ac domus et Congregationis huiusmodi (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, contrariis quibuscumque: aut si dilectis filiis vassallis, et aliis subditis eiusdem monasterii, communiter aut divisim, ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Onerum monasterio annexorum satisfactioni consulit.

§ 9. Volumus autem, quod propter unionem, annexionem et incorporationem praedictas, si illas per te vigore praesentium

earumdem fieri contigerit, ut praefertur, primodictum monasterium in spiritualibus non laedatur, et in temporalibus detrimenta non sustineat, sed eius congrue supportentur onera consueta.

Pensionem autem perpetuam MDC librarum imponit collegio S. Bernardi Parisiensi persolvendam.

§ 10. Insuper etiam volumus, atque statuimus et ordinamus, quod moderni, et pro tempore existentes, domus et congregationis huiusmodi superiores, ex fructibus, redditibus et proventibus primodicti monasterii, pensionem annuam et perpetuam mille et sexcentarum librarum turonensis monetae in regno Franciae currentis, in victum et vestitum, aliasque necessitates sex monachorum dicti Ordinis, quatuor in presbyteratus ordine constitutorum, theologiae, aliisque litterarum studiis incumbentium, duorum videlicet per Nicolaum, et quatuor per Carolum, abbates praedictos, et eius successores pro tempore existentes, nominandorum et deputandorum convertendam, modernis et pro tempore existentibus provisori et procuratori collegii S. Bernardi Parisiensis eiusdem Ordinis annis singulis unicâ solutione, videlicet in festo Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, Parisiis perpetuo persolvere teneantur; aliàs unio, annexio et incorporatio huiusmodi eo ipso perpetuo dissolutae esse censeantur; et si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Datum Romae, apud Sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXIII, VII kalendas octobris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 25 septembris 1623, pontif. anno I.

VI.

Confirmatio constitutionis Pii V et eius successorum de non alienandis et infeudandis civitatibus, terris et locis S. Romanae Ecclesiae[1].

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Sacrosancti Apostolatus ministerii cura, et quam altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei humilitatem nostram, nullo licet meritorum suffragio, gerere voluit, iugiter nos admonet, ut in iis praecipuam apostolicae servitutis sollicitudinem adhibeamus, per quae temporalis S. R. E. ditionis conservationi consulitur: atque ideo nos, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris provide sancita fuerunt, ea non solum ipsi inviolate hanc ob causam curabimus custodire, sed etiam aliis perpetuo observari debere statuemus.

Refert Pii Papae V constitutionem,

§ 1. Dudum siquidem a felicis recordationis Pio Papa V praedecessore nostro litterae tenoris sequentis emanarunt: *Pius Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Admonet nos suscepti cura regiminis* (Prout loc. cit.) etc.

Confirmationem Pontificum, qui ei successerunt,

§ 2. Quae quidem constitutio, veluti optima, et ad conservandam S. R. E. iurisdictionem et dignitatem plane salutaris, approbata, confirmata et innovata fuit ab iis, qui eodem Pio V successerunt, recolendae memoriae praedecessoribus nostris Gregorio XIII, Sixto V, Gregorio XIV, Innocentio IX (qui etiam de fratrum suorum tunc S. R. E. cardinalium consilio et assensu declaravit, eâdem constitutione prohibitum fuisse et prohiberi omnem et quamcumque infeudationem ac alienationem civitatum, terrarum, oppidorum et locorum Sedi Apostolicae tam mediate quam immediate subiectorum, non solum

1 Pii V Constit. LIII vide tom. VII, pag. 560; Gregorii XIII Const. V, tom. VIII, pag. 11; Sixti V Const. XXXVI, tom. VIII, pag. 670, aliasque suo loco.

ne fiat, neve attentetur post eorum devolutionem, sed etiam antequam civitates, terrae, oppida, et loca praedicta devolvantur, ac omnem et quamcumque, in perpetuum vel ad tempus, prorogationem ac extensionem infeudationum, investiturarum et concessionum de dictis civitatibus, terris, oppidis et locis finitarum, quarumque incorporationem, quoad effectum impediendae infeudationis, alienationis, prorogationis, et extensionis huiusmodi, non a die eorum devolutionis, sed a die ipsius constitutionis, etiam antequam illa devolvantur, ipso iure, cum omnibus clausulis et decretis in praedictâ constitutione contentis, Camerae et Sedi Apostolicae factam censeri: adiecto etiam decreto et declaratione, ut promissio et iuramentum praestitum et praestandum de servandâ eâ Pii praedecessoris praedicti constitutione per ipsum Innocentium, et successores suos, Romanum Pontificem, ac praedictos S. R. E. cardinales, intelligatur de ipsâ Pii V praedecessoris constitutione per eum, ut supra, declaratâ, et secundum huiusmodi declarationem eamdem constitutionem ad unguem et inviolabiliter observari oportere et debere, sicuti etiam se servaturum esse promisit, ac sancte et solemni more iuravit, prout in eiusdem Innocentii praedecessoris sub datum pridie nonas novembris, pontificatus sui anno I, expeditis litteris latius continetur) subinde vero a Clemente VIII et novissime a Paulo V Romanis Pontificibus et praedecessoribus nostris, iuxta eamdem Innocentii IX declarationem, confirmata, approbata et innovata fuit.

Eamque se spondet servaturum.

§ 3. Quare nos, cum primum ad apostolicae dignitatis gradum divinâ providentiâ vocati sumus, id ipsum ad exequendum nostri pastoralis officii debitum praecipue pertinere existimantes, praeinsertas Pii praedecessoris litteras, ac omnia in eis contenta, etiam iuxta declarationem praedictam per ipsum Innocentiium praedecessorem factam, ac desuper confectarum litterarum continentiam et tenorem, quem pariter praesentibus haberi volumus pro expresso ac ad verbum inserto, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, comprobamus, confirmamus, innovamus, easque firmiter et inviolate, ac iuxta declarationem praedictam, nos similiter servaturos esse promittimus et iuramus, atque per eos, ad quos spectat, pariter perpetuo observari praecipimus et mandamus.

Clausulae.

§ 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum comprobationis, confirmationis, innovationis, promissionis, iuramenti, praecepti et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXIII, pridie kalendas octobris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 30 decembris 1623, pontif. an. I.

VII.

Castra ad monasterium Farfense aliàs spectantia, et Camerae Apostolicae quoad temporale dominium addicta, regimini gubernatoris a Romano Pontifice eligendi subiiciuntur [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In supremo militantis Ecclesiae solio per abundantiam divinae gratiae constituti, et ad decorem terrarum et locorum ditio-

1 Ex Regest. in Secret. Brev. Haec castra Camerae Apostolicae univit Sixtus Papa V Const. XL, tom. IX, pag. 344; et quamvis Gregorius XIV monasterio Farfensi restituerit, Innocentius tamen Papa IV unionem a Sixto V factam innovavit Const. IV, tom. IX, pagina 513.

nis nostrae temporalis ampliandum, illorumque hominum et incolarum statum salubriter dirigendum, paternis studiis intendentes, ea, quae propterea opportuna esse comperimus, libenter impertimur, prout rerum, temporum et personarum qualitatibus diligenter pensatis conspicimus salubriter in Domino expedire.

Sixtus Papa V, castra ad monasterium Farfense spectantia, quae in statu ecclesiastico sunt, quoad iurisdictionem et fructus temporales, camerae apostolicae univit, ac subiecit.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Sixtus Papa V praedecessor vacantibus tunc monasteriis, abbatiis[1] nuncupatis, B. Mariae Farfensis nullius, et S. Salvatoris de Scantrilia Sabinensis dioecesis, insimul unitis, per obitum bonae memoriae Alexandri cardinalis Farnesii, qui illa in commendam ad sui vitam ex dispensatione et concessione apostolicâ, dum viveret, obtinebat, omnia et singula castra in Statu Ecclesiastico sub temporali dictorum monasteriorum iurisdictione existentia, quoad temporalem iurisdictionem, proprietatem, dominium, et superioritatem, unâ cum eorumdem introitibus, redditibus ac emolumentis ex dictâ iurisdictione provenientibus in suo consistorio secreto de venerabilium fratrum suorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio et assensu, ac de suae apostolicae potestatis plenitudine, a dictis monasteriis perpetuo separavit, ac Sedi et Camerae Apostolicae applicavit, prout in decreto consistoriali eiusdem Sixti praedecessoris, ac litteris apostolicis desuper expeditis, plenius continetur.

Capta autem eorum possessione, ad eorumdem regimen nonnulli officiales fuerunt constituti.

§ 2. Cuius quidem decreti ac dictarum litterarum vigore, realis et corporalis possessio terrarum et castrorum praedictorum, ac eorum temporalis iurisdictionis, cum omnibus annexis, per tunc camerae praedictae commissarium, seu eius substitutum, nomine Sedis et camerae praedictarum capta, iuramentum debitum fidelitatis a vassallis terrarum et castrorum praedictorum receptum, officiales et ius dicentes ad regimen et temporalem iurisdictionem in illis exercendam deputati per plures menses fuerunt.

Gregorius vero XIV huiusmodi iurisdictionem abbatibus restituit.

§ 3. Subinde autem recolendae memoriae Gregorius Papa XIV, etiam praedecessor noster, earumdem Sixti praedecessoris litterarum revocationem, et redintegrationem quamdam de iurisdictione ac dominio praedictis monasteriis et eorum commendatariis extra consistorium fecit.

Sed Innocentius Papa IX iterum apostolicae camerae addixit.

§ 4. Postea autem similis memoriae Innocentius Papa IX, similiter praedecessor noster, die v decembris MDXCI, motu proprio, et ex certâ scientiâ suâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, et etiam de venerabilium fratrum suorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio et assensu, terrarum et castrorum praedictorum temporalis iurisdictionis, dominii et superioritatis, cum illius emolumentis et annexis, prout in eiusdem Sixti praedecessoris decreto ac litteris continetur, a dictis monasteriis separationem, ac Sedi et Camerae praedictae applicationem et appropriationem, apostolicâ auctoritate approbavit, confirmavit, renovavit, et, quatenus opus esset, de novo fecit et decrevit.

Et sub constitutione Pii Papae V de bonis ecclesiasticis non alienandis iussit comprehendi.

§ 5. Nec non quamdam etiam eiusdem Sixti praedecessoris extra consistorium post primodictas suas litteras emanatam declarationem, seu restitutionem, super iure cognoscendi causas appellationum et recursuum ad favorem dictorum monasteriorum factam sub datum kalendis augusti MDLXXXIX, pontificatus vero sui anno v, ac ipsam Gregorii XIV praedecessoris praedicti revocationem et redintegrationem de medio substulit, ac prorsus abrogavit, terrasque seu castra praedicta cum illorum temporali iurisdictione praedictâ immediate Sedi et camerae praedictae perpetuo applicavit et appropriavit, ac eisdem ita perpetuo esse incorporata decrevit, ut omnino comprehensa essent, et esse intelligerentur, sub prohibitione alienationis et aliorum in constitutione

1 Edit. Main. legit *abbatis* (R. T.).

similis memoriae Pii Papae V similiter praedecessoris nostri contentorum, perinde ac cetera castra et loca sub immediato Sedis praedictae dominio et iurisdictione existentia, et aliàs, prout in diversis Gregorii XIV et Innocentii IX praedecessorum praedictorum expeditis litteris, quarum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis haberi volumus, plenius similiter continetur.

Urbanus in gubernium erigit sub regimine gubernatoris a Romano Pontice eligendi.

§ 6. Nunc autem nos, terrarum seu castrorum praedictorum decori et prospero statui atque regimini, quantum nobis ex alto conceditur, per amplius consulere volentes, motu etiam proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, terras seu castra praedicta, ac dilectos filios universitates et homines nunc et pro tempore in illis ac illorum districtibus et comitatibus existentes et habitantes, in gubernium perpetuum pro uno gubernatore ad nostrum et Romani Pontificis pro tempore existentis nutum ponendo et amovendo, qui in utrâque, vel alterâ signaturâ nostrâ referendarius, aut noster et Sedis praedictae notarius, seu alterius praelaturae titulo insignitus existat, ac omnimodam iurisdictionem in omnibus et singulis causis civilibus et criminalibus, ac meris et mixtis dictorum universitatum et hominum terrarum seu castrorum huiusmodi plene et libere habeat et exerceat (salvà tamen venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consultationibus et negotiis Status nostri Ecclesiastici praepositorum pro tempore existentium superintendentiâ ac superioritate et cognitione super annonâ et rebus illam concernentibus, persequutione et punitione bannitorum et delictorum laesae maiestatis et rebellionis, ac falsae monetae, nec non assassinii, et pacis violatorum, ac vindictarum transversalium, et latronum, ac viarum grassatorum, homicidiorumque appensate commissorum), qui etiam gubernator, in casibus gravibus qui occurrerent et necessario indigerent aliquâ subitaneâ et promptâ provisione pro tollendis et removendis scandalis, possit iuxta datam sibi a Domino prudentiam salubriter et congrue providere, cum hoc, ut in manutentione et seu provisione dicti gubernatoris scuta quadraginta menstrua monetae romanae, quae distribui debeant in singulos menses pro ratâ gubernatori pro tempore existenti in fine cuiuslibet mensis ex redditibus et proventibus dictarum universitatum et hominum, qui, solutis cameralibus ac aliis oneribus et expensis pro communi eorum utilitate seu necessitate supportari solitis et consuetis, supersunt et remanent, aliàs ex eorum, et cuiusque ipsorum hominum, terrarum, seu castrorum praedictorum introitibus et redditibus, pro ratâ tamen et portione unumquemque tangente iuxta vires suas, realiter et cum effectu persolvantur, tenore praesentium perpetuo erigimus et instituimus.

Clausulae pro praesentium litterarum firmitate.

§ 7. Praesentes vero litteras de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quopiam defectu notari vel impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi vel retractari, seu invalidari, aut ad viam et terminos iuris reduci, vel in ius et controversiam vocari, aut adversus eas quodcumque iuris et facti, vel iustitiae, aut gratiae remedium intentari, impetrari, vel concedi nullatenus umquam posse, sed eas, adversus quascumque impugnationes, validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, quos concernunt, et concernent quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari debere, ac illas ad plenam hîc narratorum proba-

tionem sufficere, nec ad id alicuius alterius probationis adminiculum requiri; sicque ab omnibus et singulis censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, ac etiam causarum palatii apostolici auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus piae memoriae Pii Papae IV similiter praedecessoris nostri de gratiis camerae apostolicae interesse quomodolibet concernentibus in eâdem camerâ infra certum inibi expressum tempus praesentandis et registrandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non legibus etiam municipalibus, novis reformationibus, ac statutis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et allis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ, et de apostolicae potestatis plenitudine similibus, et etiam consistorialiter, ac aliàs in contrarium quomodolibet factis, concessis et confirmatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis et specifica mentio habenda esset, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque: aut si aliquibus communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX septembris MDCXXIII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 30 septembris 1623, pontif. an. I.

VIII.

Confirmatio translationis haereditatis Ioannis Pizzullis e conventu S. Andreae de Frattis de Urbe Ordinis Minimorum sancti Francisci de Paula, ad conventum et collegium eiusdem Ordinis in Regione Montium.

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
Dilecto filio nostro in Urbe, eiusque districtu, vicario in spiritualibus generali, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Ex iniuncto nobis desuper apostolicae servitutis officio his, quae pro religiosorum quorumlibet, praesertim iuventuti religionem ingredi, ac[1] litterarum humanarum et divinarum studiis incumbere animum habenti destinatorum, commoditati et feliciori directione, praevio superiorum examine, ac aliàs provide facta fuisse dicuntur, ut firma et illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, etiam voluntates testantium ac bona sua ad id erogantium nominaque[2] commutando, apostolicae mandamus adiici munimis firmitatem.

Ioannes Pizzullus instituit haeredes fratres conventus sancti Andreae de Frattis.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Ioannis Baptistae a sanctâ Agatha, et Francisci de Spezzanno, ac Dionysii de Paula, et Vincentii de Cusentia, necnon Laurentii etiam de Spezzanno, ac Michaëlis a Regina, et Pauli de Rovita, ac Ioannis etiam a Regina, et Antonii de Morano, Ordinis Minimorum nuncupatorum fratrum Ordinis S. Francisci de Paula expresse professorum, petitio continebat, quod, cum aliàs tunc in

1 Edit. Main. legit *ad* (R. T.).

2 Male, ut puto, ib. leg. *nominumque* (R. T.).

humanis agens Ioannes Pizzullus presbyter ex oppido Bisagnanensis dioecesis oriundus, almae Urbis incola et civis, dum vixit, effectus, volens de bonis sibi a Deo collatis vitâ adhuc sibi comite pie disponere, perpetuumque suae erga sanctum Franciscum de Paula singularissimae devotionis monimentum relinquere, in suo ultimo quod condidit, et sub cuius dispositione decessit ab humanis, testamento in omnibus et singulis bonis suis mobilibus et immobilibus ac semoventibus, iuribus, actionibus, creditis, aliisque quibuscumque, praesentibus et futuris, ac quomodolibet nuncupatis et qualificatis, ubicumque existentibus, et in quibuscumque rebus consistentibus, haeredes suos universales dilectos filios fratres domus regularis S. Andreae de Frattis nuncupatae de Urbe, eiusdem Ordinis

Iniuncto onere erigendi collegium pro Calabris,

§ 2. [Eâ tamen lege et conditione, ut ad minimum summa sex millium scutorum monetae in emptionem cuiusdam siti, seu fundi, aut praedii in Urbe praedictâ per eos impenderetur, ecclesiaque in illo seu illâ, sub invocatione sancti Francisci de Paula, unâ cum hospitio seu collegio (in quo fratres dicti Ordinis nationis Citerioris Calabriae studiorum gratiâ recipi et admitti possent,

Eosque substentandi;

§ 3. Ac omnibus ad victum et studiorum suorum prosequutionem necessariis et opportunis ex reliquis dictae haereditatis bonis et facultatibus commode instrui deberent) extrueretur et aedificaretur,

Constituto ad hoc necessario censu;

§ 4. Necnon proprietas haereditatis huiusmodi in censuum annuorum, aut bonorum stabilium tutorum et securorum, sive etiam locorum montium non vacabilium emptionem, ad electionem patris generalis pro tempore existentis dicti Ordinis, aut eius vicarii, et cum consensu suorum exequutorum testamentariorum, saltem maioris partis illorum, investiretur,

Quem alienari prohibuit.

§ 5. Et sic investita perpetuo, absque aliquâ bonorum sic emptorum huiusmodi in toto vel in parte alienatione, conservaretur,

Et ex fructibus dictae haereditatis tot fratres theologiae studentes iuxta reddituum quantitatem sustentari voluit.

§ 6. Ex fructibusque exinde provenientibus tot fratres studentes Ordinis praedicti, qui praecipue sacrae theologiae studio incumbere deberent, iuxtâ fructuum et reddituum huiusmodi quantitatem proportionabiliter alerentur et manutenerentur, et sub aliis certis conditionibus licitis et honestis, vinculis et oneribus tunc expressis] instituisset;

Ipse testator vivens emit palatium in regione Montium, illudque dictis fratribus irrevocabiliter donavit.

§ 7. Ac deinde volens ipse testator, et dum adhuc vitâ frueretur, pro tutiori et certiori propositi sui huiusmodi complemento, manum operi per se ipsum adhibere, quoddam palatium Romae in Regione Montium et plateâ S. Petri ad Vincula situm, per ipsum a dilecto filio nobili viro Ioanne Giorgio Caesarino duce emptum, unâ cum mansionibus, ac etiam spheristerio, seu ludo pilae, aliisque stantiis posterioribus eidem palatio propinquis, necnon cum viridariis, membris et pertinentiis illius universis (exceptis tamen quodam parvo viridario sito in calce montis eiusdem S. Petri ad Vincula, et casaleno contiguo ad usum caprarum hodie destinato, duabusque aliis stantiis terraneis etiam contiguis, cum stabulis existentibus in viâ S. Pantaleonis, dilecto etiam filio Laurentio Bonincontro per ipsum testatorem irrevocabiliter donatis), dicto Ordini, et pro eo Ioanni Baptistae et Francisco fratribus professis praedictis ad effectum inibi ecclesiam et collegium huiusmodi construi faciendi, amore Dei, et ob singularem suam erga ipsum sanctum Franciscum de Paula, illiusque Ordinem praedictum observantiam et devotionem, ac pro praedictae suae voluntatis exequutione irrevocabiliter et inter vivos perpetuo donasset;

Cum onere, ut deberet reduci

§ 8. Cum onere et pacto inter cetera, quod dictum palatium etiam ipso dona-

ad usum dicti collegii, etc.

tore vivente reduci et destinari deberet ad usum collegii, seu monasterii, pro condecenti mansione, studio et habitatione fratrum eiusdem Ordinis theologiae studiis operam dantium nationis Citerioris Calabriae huiusmodi,

In quo manerent fratres hic nominati.

§ 9. Et in ipso collegio, seu monasterio, semper commorari possent et debeant Ioannes Baptista et Franciscus, necnon Dionysius et Vincentius praesentes, omnesque alii fratres eiusdem Ordinis ex dicto oppido Reginae orti et oriundi respective, donec et quousque viverent, sub poenâ nullitatis et revocationis dictae donationis, ac poenis et caducitatibus in dicto testamento contentis, in reliquis vero modo et formâ, ac sub eisdem conditionibus, vinculis, oneribus et caducitatibus in eodem testamento expressis, prout in publicis desuper respective confectis instrumentis plenius dicitur contineri;

Eosque in possessionem induxit.

§ 10. Et consequenter idem donator et testator respective Ioannem Baptistam et Franciscum, ac Dionysium et Vincentium praedictos, necnon Laurentium a Spezzanno, ac Michaëlem et Paulum, ac Ioannem et Antonium praedictos, dictaeque suae patriae ac Citerioris Calabriae huiusmodi oriundos, in actualem et corporalem possessionem dicti palatii, viridariorumque et pertinentiarum praedictarum introduxisset;

Qui testatoris mentem exequi curant.

§ 11. Ipsique sic introducti, per modum provisionis ac superiorum auctoritate, templum vel cappellam seu oratorium sub invocatione eiusdem S. Francisci in certâ parte eiusdem palatii aperuissent, et clausuram conventus appellassent, ordinationem ipsius donationis successive exactius ad effectum perducturi;

Fratres conventus sancti Andreae donationem fratribus Calabris cedunt.

§ 12. Atque interea testator praedictus, sicut Domino placuit, rebus fuisset humanis exemptus: fratres dicti, domus S. Andreae haeredes, ut praemittitur, instituti, mature considerantes praedictum testatorem nationis suae religiosos ex dicto eorum Ordine existente Ecclesiâ, collegioque, seu monasterio huiusmodi honorare voluisse, omniaque ad eorum usum et utilitatem destinasse, et consequenter onera diversa sic, et bonorum administrationem eis demandare in mente forsan habuisse, praedictumque Ioannem Baptistam dicti collegii vicarium deputatum, et pro tempore existentes illius superiores, idoneos et opportunos dictae haereditatis administratores, eosque qui dicti testatoris voluntatem et ordinationem melius et efficacius ad unguem observent et observari faciant, fore perspicientes, de dilectorum filiorum moderni generalis, illiusque collegarum assensu, ac cum interventu et praesentiâ tam dictorum collegarum, quam etiam dilecti filii Hippolyti tituli S. Mariae Novae diaconi cardinalis Aldobrandini nuncupati, dicti Ordinis protectoris, sive eius auditoris, ac sub nostro et Sedis Apostolicae beneplacito, acceptatam per eosdem dicti testatoris haereditatem, omneque commodum et incommodum illius, nec non sua et dictae domus S. Andreae iura et actiones quaecumque eis et eorum cuilibet quomodolibet attributa et competentia ac competitura, cum omnibus et singulis vinculis, oneribus et honoribus, pactis, conditionibus et poenis in dicto testamento contentis, ad[1] Ioannem Baptistam vicarium praedictum praesentem, ac pro se et successoribus suis, dictoque collegio et monasterio, illiusque religiosis acceptantem, et pro tempore futurum dicti collegii seu monasterii superiorem, ac illius collegiales sive religiosos pro tempore existentes transtulerunt, eisque cesserunt et mandarunt, constituentes propterea eosdem Ioannem Baptistam et futuros dicti collegii seu monasterii superiores ac collegiales sive religiosos veros et proprios administratores, procuratores

1 Perperam edit. Main. legit *et* (R. T.).

generales, gestores et agentes totius dictae haereditatis, cum facultate et auctoritate illam regendi et gubernandi, regique, gubernari, administrari faciendi, ac conventum, ecclesiam et monasterium erigendi et fabricandi, aliaque omnia et singula faciendi et adimplendi, ad quae ex dispositione testamenti et donationis praedictorum quomodolibet tenebuntur, et aliàs, prout in alio publico desuper confecto instrumento similiter dicitur contineri.

Fratres dicti collegii Pontificiam praedictorum confirmationem petunt.

§ 13. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, firmiora sint ea, quae a Sede praedictâ approbantur et confirmantur, pro parte Ioannis Baptistae et Francisci, ac Dionysii et Vincentii, necnon Laurentii de Spezzanno, ac Michaëlis et Pauli, ac Ioannis et Antonii praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus translationem et concessionem, ac mandatum huiusmodi, nostro, et Sedis praedictae munimine roborari, aliàsque eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Urbanus mandat cardinali vicario, ut omnia apostolicâ auctoritate approbet et confirmet.

§ 14. Nos igitur, certam de praemissis notitiam non habentes, ipsosque Ioannem Baptistam et Franciscum, ac Dionysium et Vincentium, necnon Laurentium de Spezzanno, Michaëlem et Paulum, ac Ioannem et Antonium praedictos, ac eorum quemlibet, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, nec non instrumenti, ac singulorum testamentorum tenores, etiam veriores, ac data praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, circumspectioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint vocandi, translationem et cessionem, ac ultimo dictum mandatum huiusmodi, nec non instrumentum desuper, ut praemittitur, confectum, et tam praemissa, quam alia omnia et singula, licita tamen et honesta, ac sacris canonibus, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis, maximeque sacri Concilii Tridentini decretis non contraria, in illo contenta, cum omnibus et singulis inde legitime sequutis et sequendis, apostolicâ auctoritate perpetuo approbes et confirmes, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicias;

Suppleatque defectus.

§ 15. Ac omnes et singulos tam iuris quam facti, etiam solemnitatum de iure, usu, consuetudine, aut aliàs quomodolibet requisitarum et necessariarum, ac quosvis alios etiam quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet interveniant, in eisdem suppleas;

Eaque omnia ab iis ad quos spectat observari faciat.

§ 16. Necnon translationem, cessionem et mandatum huiusmodi perpetuo valida et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac tam a fratribus dictae domus S. Andreae, quam a generali, et superioribus nunc et pro tempore existentibus dicti Ordinis, aliisque universis, ad quos nunc quomodolibet spectat et spectare poterit in futurum, perpetuo firmiter et inviolabiliter observari et adimpleri debere, ab illisque, et ultimo dicto instrumento desuper confecto, nullo unquam tempore, quovis praetextu, colore, vel ingenio, resiliri vel recedi posse;

Clausulae irritantes.

§ 17. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, dictâ auctoritate decernas.

Derogatio contrariorum.

§ 18. Non obstantibus testatoris voluntate, quam quoad praemissa, quatenus opus sit, illâ aliàs in suo robore perman-

sura, hac vice dumtaxat specialiter et expresse commutamus, aliisque praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae domus S. Andreae, ipsiusque Ordinis, quatenus in aliquo obstent, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ, roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXIII, XV kalendas novembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 18 octobris 1623, pontif. an. I.

IX.

Regulae, ordinationes et constitutiones cancellariae apostolicae.

Sanctissimus in Christo Pater et D. N. D. Urbanus divinâ providentiâ Papa VIII, suorum praedecessorum vestigiis inhaerendo, normam et ordinem gerendis dare volens, in crastinum suae assumptionis ad summi apostolatus apicem, videlicet die VII mensis augusti, anno ab Incarnatione Domini MDCXXIII, reservationes, constitutiones et regulas infrascriptas fecit, quas etiam ex tunc licet nondum publicatas et suo tempore duraturas observari voluit, ac quas nos Ludovicus tituli S. Laurentii in Damaso presbyter cardinalis Ludovisius S.R.E. vicecancellarius, die XXI mensis octobris dicti anni in cancellariâ apostolicâ publicari fecimus.

Reservationes generales et speciales.

1. In primis fecit easdem reservationes, quae in constitutione felicis recordationis Benedicti Papae XII, quae incipit, *Ad regimen,* continentur, et illas innovavit, ac locum habere voluit, etiamsi officiales ante obitum eorum esse desierint, quoad beneficia, quae tempore, quo officiales erant, obtinebant; declarans nihilominus, beneficia, quae dictae Sedis officiales, qui ratione officiorum suorum huiusmodi eiusdem Sedis notarii erant, etiam dimissis ipsis officiis et quandocumque assequuti fuerint, sub huiusmodi reservationibus comprehendi. Ac reservavit beneficia, quae per constitutionem piae memoriae Ioannis Papae XXII, quae incipit, *Execrabilis,* vacant vel vacare contigerit; quam constitutionem et reservationem Sanctitatis Suae tam ad beneficia obtenta, quam alia quaecumque, de quibus Ordinarii et alii collatores contra Concilii Tridentini decreta disposuerunt et disponent, in futurum extendit et ampliavit. Et ea etiam beneficia omnia dispositioni suae reservavit, de quibus per dictos Ordinarios aut alios collatores contra eiusdem Concilii decretorum formam dispositum fuerit.

Reservatio cathedralium ecclesiarum et monasteriorum, ac de tempore vacationis episcopatuum et vacaturorum beneficiorum.

2. Item reservavit generaliter omnes ecclesias patriarchales, primatiales, archiepiscopales, episcopales, necnon omnia monasteria virorum valorem annuum ducentorum florenorum auri communi aestimatione excedentia, nunc quomodocumque vacantia et imposterum vacatura, et voluit quod excessus huiusmodi in litteris exprimatur. Ac etiam reservavit dignitates et beneficia omnia ad collationem, praesentationem et electionem et quamcumque aliam dispositionem patriarcharum, primatuum, archiepiscoporum et episcoporum, necnon abbatum, ac aliorum quorumcumque collatorum et collatricum, secularium et regularium, quomodolibet (non tamen ad collationem cum alio, vel aliis, aut etiam ad alterius praesentationem, vel electionem) pertinentia, quae post illorum obitum, aut ecclesiarum seu monasteriorum, vel aliarum dignitatum suarum dimissionem vel privationem, seu translationem, vel aliàs quomodocumque vacaverint, usque ad provisionem successorum ad easdem ecclesias, aut monasteria, vel dignitates, apostolicâ auctoritate faciendam, et adeptam ab eisdem succes-

soribus pacificam illorum possessionem, quomodocumque vacaverint et vacabunt in futurum.

Extensio reservationis beneficiorum per pacificam assequutionem vacaturorum.

3. Item, qui de beneficiis ecclesiasticis, praesertim curam animarum habentibus, seu aliàs personalem residentiam requirentibus, dum pro tempore vacant, apostolicâ auctoritate provisi, seu providendi, ante illorum assequutionem alia cum eisdem incompatibilia beneficia ecclesiastica per eos tunc obtenta in fraudem reservationis suae resignarent, seu dimitterent, voluit, decrevit et declaravit, quod, si imposterum quibusvis personis de aliquibus beneficiis ecclesiasticis tunc vacantibus, seu vacaturis, per Sanctitatem Suam aut eius auctoritate provideri; ipsosque provisos), seu providendos, intra vacationis et provisionis seu assequutionis eorum beneficiorum tempora, quaecumque alia cum illis incompatibilia beneficia ecclesiastica secularia vel quorumvis Ordinum ac etiam hospitalium regularia per eos tunc obtenta, nullâ speciali et expressâ de eisdem in provisionibus praedictis factâ mentione, simpliciter, vel causâ permutationis, ac aliàs quomodolibet, sive in Sanctitatis Suae, vel alterius Romani Pontificis pro tempore existentis, aut legatorum, vel nuntiorum dictae Sedis, sive ordinariorum vel aliorum collatorum quorumcumque manibus resignare, seu dimittere, aut iuribus sibi in illis vel ad illa competentibus cedere contigerit, omnes et singulae concessiones, collationes, provisiones, et quaevis aliae dispositiones de beneficiis seu iuribus sic resignandis, dimittendis et cedendis pro tempore faciendae, cum inde sequutis quibuscumque, cassae et irritae, nulliusque roboris vel momenti existant, nec cuiquam suffragentur; sed beneficia et iura, ut praefertur, resignata, dimissa et cessa, eo ipso vacent, et vacare, ac sub reservatione praedictâ, quam Sanctitas Sua etiam quoad hoc extendit et ampliavit, comprehensa censeantur; ita quod de illis per alium, quam eamdem Sanctitatem Suam vel pro tempore existentem Romanum Pontificem, nullatenus disponi possit, in omnibus et per omnia, perinde ac si per pacificam assequutionem beneficiorum aliorum huiusmodi vere et realiter vacavissent. Decernens irritum, etc., attentari.

Reservatio dignitatum, necnon suorum et sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium familiarum, beneficiorum.

4. Item reservavit generaliter dispositioni suae omnes dignitates maiores post pontificales in cathedralibus, etiam metropolitanis et patriarchalibus, necnon valorem decem florenorum auri communi aestimatione excedentes principales in collegiatis ecclesiis. Reservavit etiam prioratus, praeposituras, praepositatus, ac alias dignitates conventuales et praeceptorias generales Ordinum quorumcumque (sed non militiarum) ac quaecumque beneficia, quae sui, etiam dum cardinalatus fungebatur honore, existentes, ac S. R. E. viventium nunc et qui erunt suo tempore cardinalium familiares continui commensales obtinent et imposterum obtinebunt, eorum familiaritate durante, ac in quibus, seu ad quae ius eius competit, aut competierit, etiamsi ab ipsâ familiaritate per obitum cardinalium eorumdem, vel aliàs recesserint. Declarans, dignitates, quae in cathedralibus etiam metropolitanis post pontificales maiores existunt, et quae ex Apostolicae Sedis indulgentiâ, vel ordinariâ auctoritate, aut consuetudine praescriptâ, vel aliàs quovis modo in collegiatis ecclesiis principalem praeeminentiam habere noscuntur, sub reservatione praedictâ comprehendi debere.

Reservatio beneficiorum collectorum et subcollectorum.

5. Item reservavit generaliter omnia et singula beneficia ecclesiastica quorumcumque collectorum et unicorum in quacumque civitate vel dioecesi, qui suo tempore officia exercuerint, subcollectorum fructuum et proventuum camerae apostolicae debitorum, illa videlicet be-

neficia dumtaxat, quae durante eorum officio obtinebant et quibus, seu ad quae, ius eis competebat.

Reservatio beneficiorum curialium, dum curia transfertur.

6. Item reservavit omnia et singula beneficia ecclesiastica quorumcumque curialium, quos, dum curia romana de loco ad locum transfertur, eam sequendo decedere contigerit in quovis loco quantumcumque etiam a dictâ curiâ remoto.

Reservatio beneficiorum cubiculariorum et cursorum.

7. Item reservavit generaliter idem D. N. Papa dispositioni suae omnia beneficia cubiculariorum, etiam honoris nuncupatorum, ac cursorum suorum; declarans in praedecessorum suorum Romanorum Pontificum constitutionibus et regulis reservatoriis beneficiorum cubiculariorum etiam cubicularios honoris nuncupatos etiam a die earum editionis et publicationis intelligi et comprehendi, et comprehensos fuisse et esse. Irritumque, etc., attentari decernens.

Reservatio beneficiorum ecclesiarum S. Ioannis Lateranensis et S. Petri, ac B. Mariae Maioris de Urbe, et beneficiorum titulorum cardinalium a curiâ absentium.

8. Item reservavit dispositioni suae generaliter quoscumque canonicatus et praebendas, ac dignitates, personatus et officia in S. Ioannis Lateranensis et Principis apostolorum, ac B. Mariae Maioris de Urbe ecclesiis, necnon ad collationem, provisionem et praesentationem, seu quamvis aliam dispositionem S. R. E. cardinalium a romanâ curiâ absentium, ratione suorum episcopatuum, cardinalatus, ac ipsorum cardinalium titulorum et diaconiarum, spectantia, quamdiu absentia sua duraverit, canonicatus et praebendas, dignitates, personatus, administrationes et officia, ceteraque beneficia ecclesiastica, cum curâ et sine curâ, vacantia et in antea vacatura, tam in eâdem Urbe, quam in ecclesiis, civitatibus et dioecesibus dictorum episcopatuum consistentia. Ac decrevit irritum, etc.

Reservatio mensium apostolicorum, et alternativa pro episcopis residentium.

9. Item, cupiens idem D. N. Papa pauperibus clericis et aliis benemeritis personis providere, omnia beneficia ecclesiastica, cum curâ et sine curâ, secularia et quorumvis Ordinum regularia, qualitercumque qualificata et ubicumque existentia, in singulis ianuarii, februarii, aprilis, maii, iulii, augusti, octobris et novembris mensibus, usque ad suae voluntatis beneplacitum, extra romanam curiam aliàs quam per resignationem quocumque modo vacatura, ad collationem, provisionem, praesentationem, electionem et quamvis aliam dispositionem quorumcumque collatorum et collatricum, secularium et quorumvis Ordinum regularium, non tamen sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, aut aliorum sub concordatis inter Sedem Apostolicam et quoscumque alios initis, et per eos qui illa acceptare et observare debuerant acceptatis et observatis, quae ledere non intendit, comprehensorum quomodolibet pertinentia, dispositioni suae generaliter reservavit. Volens in supplicationibus, seu concessionibus gratiarum, quae de dictis beneficiis tunc vacantibus etiam motu proprio fient, de mense in quo vacaverint dispositive mentionem fieri, alioquin gratias nullas esse. Ac consuetudines etiam immemorabiles optandi maiores et pinguiores praebendas, necnon privilegia, etiam in limine erectionis concessa, et indulta apostolica circa ea, ac etiam disponendi de huiusmodi beneficiis, aut quod illa sub huiusmodi reservationibus nunquam comprehendantur, etiam cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, et fortioribus, efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, quorum[1] personis et collegiis, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentibus, quomodolibet concessa, adversus reservationem huiusmodi minime suffragari. Insuper Sanctitas Sua, ad gratificandum patriarchis, archiepiscopis et episcopis intenta, ipsis, quamdiu apud ecclesias aut dioeceses suas vere ac per-

1 Videretur legendum *quibusvis*, non *quorum* (R. T.).

sonaliter resederint dumtaxat, de omnibus et quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, cum curâ et sine curâ, secularibus et regularibus (ad liberam ipsorum dumtaxat non autem aliorum cum eis dispositionem, seu praesentationem, vel electionem, nec etiam cum consilio, vel consensu, seu interventu capitulorum, vel aliorum, aut aliàs, pertinentibus) quae in antea in mensibus februarii, aprilis, iunii, augusti, octobris et decembris extra curiam ipsam vacare contigerit (dummodo aliàs dispositioni apostolicae reservata, vel affecta non fuerint) libere disponendi facultatem concessit. Ac etiam voluit, ut si ipsi in collatione, aut aliâ dispositione beneficiorum in aliis sex mensibus, videlicet ianuarii, martii, maii, iulii, septembris et novembris, vacaturorum (quae etiam dispositioni suae, ut praefertur, reservavit), seu etiam aliorum dispositioni, suae et dictae Sedi aliàs quomodolibet reservatorum, vel affectorum, sese intromiserint, aut quominus provisiones et gratiae Sanctitatis Suae de illis debitum effectum consequantur impedimentum quoquo modo praestiterint, usu et beneficio praedictae facultatis eo ipso privati existant, ac collationes et aliae dispositiones de beneficiis, illius praetextu deinceps faciendae, nullius sint roboris, vel momenti. Illi vero, qui gratiam alternativae praedictae acceptare voluerint, acceptationem huiusmodi per patentes litteras manu propriâ subscriptas, suoque sigillo munitas, et in suâ quisque civitate vel dioecesi datas, declarare, et litteras ipsas huc ad datarium Sanctitatis Suae transmittere teneantur, quibus ab eo receptis et recognitis, tunc demum et non antea uti incipiant gratiâ supradictâ. Decernens, sic in praemissis omnibus per quoscumque, etc., iudicari debere, ac irritum, etc.

De litteris in forma *Rationi*

10. Item voluit idem D. N. Papa, quod concessa per felicis recordationis Paulum V et Gregorium XV praedecessores suos, et de eorum mandato, expediantur in formâ *Rationi congruit*, a die assumptionis suae ad summi apostolatus apicem. Et idem quoad concessa per piae memoriae Leonem XI etiam praedecessorem suum, ad sex menses dumtaxat, ab ipso die assumptionis incipiendos, observari voluit.

congruit expediendis.

Declaratio reservationis ecclesiarum et beneficiorum per praedecessores reservatorum.

11. Item declaravit, omnium et singularum ecclesiarum cathedralium et monasteriorum provisiones, quas praedicti praedecessores sui ordinationi et dispositioni eorum, necnon omnia et singula beneficia ecclesiastica, quae dicti praedecessores etiam praedictae dispositioni cum interpositione decreti reservaverant (quae quidem ecclesiae, monasteria, necnon sic reservata beneficia, tempore obitus eorumdem praedecessorum vacabant, aut ecclesiae ipsae, vel monasteria huiusmodi, si commendata, vel ei administratores deputati non fuissent, etiam tunc vacassent) remansisse et remanere per huiusmodi reservationem et decretum affecta, nullamque de illis, praeter Romanum Pontificem, ex vice se intromittere vel disponere potuisse sive posse quoquomodo. Decernens irritum et inane, si secus super illis attentatum forsan erat tunc, vel imposterum contingeret attentari.

Revalidatio litterarum praedecessoris gratiae et iustitiae infra annum concessarum.

12. Item praedictus D. N. omnes et singulas, ab ipsis Paulo V et Gregorio XV Romanis Pontificibus praedecessoribus suis infra annum ante diem obitus eorum concessas gratiae vel iustitiae litteras, temporibus debitis eorum executoribus seu iudicibus non praesentatas, omnino revalidavit, et in statum pristinum, in quo videlicet antea fuerant, vel pro quibus erant obtentae, quoad hoc plenarie restituit, ac decrevit per executores seu iudices praedictos, vel ab eis subdelegandos, ad expeditionem negotiorum in eis contentorum procedi posse et debere iuxta illarum formam.

Revocatio unionis.

13. Item, rationabilibus suadentibus causis, ipse D. N. omnes uniones, annexiones, incorporationes, suppressiones, extinctiones et dismembrationes, etiam perpetuas, de quibusvis cathedralibus, necnon aliis ecclesiis, eorumve domibus, praediis et locis, per cessum vel decessum, aut quamvis aliam dimissionem vel amissionem, qualiacumque fuerint, invicem, vel aliàs ecclesiis, monasteriis et mensis, etiam capitularibus, dignitatibus, personatibus, officiis, beneficiis, ac piis et aliis locis, universitatibus, etiam studiorum generalium, et collegiis, etiam in favorem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, seu ecclesiis, monasteriis et beneficiis per eos obtentis, quomodolibet, apostolicâ, vel aliâ quavis (non tamen Concilii Tridentini) auctoritate, necnon pro fundatione, seu donatione, augmento, vel conservatione collegiorum et aliorum piorum et religiosorum locorum ad fidei catholicae defensionem et propagationem, bonarumque artium cultum, institutorum factas, quae suum non sint sortitae effectum, ac quaecumque cõncessiones et mandata super unionibus, annexionibus, incorporationibus et aliis praemissis faciendis, revocavit, cassavit et irritavit, nulliusque decrevit existere firmitatis. Nec alicui quascumque clausulas, vel adiectiones, aut decreta, quae Sanctitas Sua pro expressis haberi voluit, in quibusvis apostolicis (etiam quae motu proprio, aut ex certâ scientiâ, et consistorialiter processerunt et emanarunt) litteris, etiamsi in eis decretum esset, illas ex tunc effectum sortitas esse, aut ius quaesitum fore, quomodolibet contenta, adversus revocationem et irritationem huiusmodi voluit aliquatenus suffragari.

Revocatio facultatum quibusvis concessarum.

14. Item revocavit quascumque facultates concessas quibusvis patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis praelatis et personis, necnon Apostolicae Sedis nuntiis, ac fructuum et proventuum camerae apostolicae debitorum collectoribus, de dispensando cum quibusvis personis super matrimonio contracto vel contrahendo in gradu prohibito, ac natalium et aetatis defectibus, et de incompatibilibus beneficiis ecclesiasticis insimul retinendis, necnon de notariis publicis creandis, ac de disponendo quomodolibet de quibusvis beneficiis ecclesiasticis, et alias[1] a praemissis officia ipsorum nuntiorum et collectorum directe non concernentes, etiam si in litteris desuper confectis sint clausulae restitutoriae, et derogatoriarum derogatoriae, et aliae efficaciores, quas pro expressis haberi voluit, quoad omnia, in quibus facultates ipsae non sunt sortitae effectum, etiamsi nuntiis eisdem et dictae Sedis legatis de latere competens sit concessa potestas. Decernens irritum, etc.

Revocatio facultatum conferendi beneficia reservata.

15. Item revocavit quascumque facultates et litteras desuper confectas, per quas quicumque sui praedecessores Romani Pontifices quibusvis personis, ordinariam collationem seu aliam dispositionem beneficiorum ecclesiasticorum de iure vel consuetudine habentibus, quavis etiam patriarchali, archiepiscopali, episcopali, vel aliâ dignitate, vel alio, non tamen cardinalatus honore, fulgentibus, quavis consideratione vel intuitu, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine, cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ac irritantibus et aliis decretis, quorum tenores haberi voluit pro expressis, concesserant, ut quamdiu viverent, vel suis ecclesiis seu monasteriis praeessent, aut ad aliud tempus, de beneficiis ecclesiasticis generaliter reservatis seu affectis, ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, electionem et quamvis aliam dispositionem communiter vel divisim spectantibus, disponere libere et licite

1 Male, ut puto, ed. Main. legit *aliàs* (R. T.).

valerent, aut etiam ad id per eosdem praedecessores vicarii perpetui vel ad tempus constituti forent. Decernens irritum et inane, etc.

De dictionibus numeralibus.

16. Item, ut in apostolicis litteris committendi crimen falsi per amplius tollatur occasio, voluit et ordinavit, quod dictiones numerales, quae in dictis litteris ante nonas, idus et kalendas immediate poni consueverunt, per litteras et syllabas extense describantur, et illae ex praedictis litteris, in quibus huiusmodi dictiones aliter scriptae fuerint, ad bullariam nullatenus mittantur.

De concurrentibus in datâ.

17. Item voluit, quod de concurrentibus in datâ eiusdem diei super vacantibus seu certo modo vacaturis beneficiis, illi, quibus gratiae motu proprio conceduntur, ceteris simili modo gratias non habentibus, aliàs graduati graduatis, aut inter graduatos prius[1] graduati, ac inter aequaliter graduatos prius graduati, necnon colorato titulo possessores non possessoribus, ac inter personas alias in curiâ praesentes absentibus ab eâ, ac inter praesentes non beneficiati beneficiatis, et similiter inter absentes, ceteris paribus, oriundus non oriundo, et dioecesanus non dioecesano; in reliquis vero singulis, qui prius apostolicas desuper litteras eorum exequutoribus praesentaverint, aliis, in ipsorum, de quibus agi contigerit, beneficiorum assequutione praeferantur.

De non tollendo ius quaesitum.

18. Item, ne, per varias quae, pro commissionibus seu mandatis et declarationibus habendis in causis plerumque fiunt suggestiones, iustitia postponatur, idem D. N. decrevit et declaravit suae intentionis fore, quod deinceps per quamcumque signaturam, seu concessionem, aut gratiam, vel litteras apostolicas, pro commissionibus, seu mandatis, aut declarationibus huiusmodi, etiamsi motu proprio, ex certâ scientiâ, ac etiam ante motam litem, a Sanctitate Sua emanaverint, vel de eius mandato faciendas, nulli ius sibi quaesitum quomodolibet tollatur.

Regula de viginti.

19. Item voluit, quod, si quis in infirmitate constitutus resignaverit aliquod beneficium, sive simpliciter, sive ex causâ permutationis, vel aliàs dimiserit, aut illius commendae cesserit, seu ipsius beneficii unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatae, et postea, infra viginti dies a die per ipsum resignantem praestandi consensus computandos, de ipsâ infirmitate decesserit, et ipsum beneficium quavis auctoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio huiusmodi sit nulla, ipsumque beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare.

De idiomate.

20. Item voluit, quod si contingat, ipsum alicui personae de parochiali ecclesiâ vel quovis alio beneficio exercitium curae animarum parochianorum quomodolibet habente, providere, nisi ipsa persona intelligat et intelligibiliter loqui sciat idioma loci, ubi ecclesia vel beneficium huiusmodi consistit, provisio, seu mandatum et gratia desuper, quoad parochialem ecclesiam vel beneficium huiusmodi, nullius sint roboris, vel momenti.

De non impetrando beneficium per obitum viventium.

21. Item si quis supplicaverit sibi de beneficio quocumque tamquam per obitum alicuius, licet tunc viventis, vacante provideri, et postea per obitum eius vacet, provisio et quaevis dispositio dicto supplicanti per obitum huiusmodi denuo facienda nullius sit roboris vel momenti.

De unionibus et unionum confirmatione.

22. Item voluit, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, teneantur exprimere verum annuum valorem secundum communem aestimationem tam beneficii uniendi, quam illius, cui uniri petitur, alioquin unio non valeat, et semper in unionibus commissio fiat ad partes, vocatis quorum interest, et idem voluit observari in quibusvis supplicationibus, perpetuis

1 Forsan legendum *magis* vel *maiores* (R. T.).

concessionibus, dismembrationibus et applicationibus, etiam de quibuscumque fructibus et bonis ecclesiasticis, ac etiam in confirmationibus unionum singularumque dispositionum huiusmodi.

De Mendicantibus transferendis.

23. Item de Mendicantibus transferendis, qui ad alios Ordines transierint pro tempore, constitutionem felicis recordationis Martini Papae V praedecessoris sui desuper factam et in libro cancellariae apostolicae descriptam, quae incipit: *Viam ambitiosae cupiditatis,* etc., firmiter observari.

De male promotis.

24. Item de clericis extra tempora a iure statuta, sive ante aetatem legitimam, aut absque dimissoriis litteris ad sacros Ordines se promoveri facientibus pro tempore, etiam voluit constitutionem piae memoriae Pii II similiter praedecessoris desuper editam in dicto cancellariae apostolicae libro descriptam, quae incipit: *Cum ex sacrorum ordinum*, etc., pari modo observari.

De moneta.

25. Item declaravit idem D. N. quod libra turonensium parvorum et florenus auri de camerâ pro aequali valore in concernentibus litteras et cameram apostolicam computari et aestimari debeant.

De beneficiis vacaturis per promotionem ad ecclesias et monasteria.

26. Item praedictus D. N. Papa voluit, decrevit et ordinavit, quod quaecumque concessiones, gratiae et mandata, etiam motu proprio, et cum derogatione huius constitutionis, quae ab eo pro quibusvis personis emanaverint, de providendo ei[1] de quibusvis beneficiis vacaturis per promotionem quorumcumque ad ecclesiarum et monasteriorum regimina (si huiusmodi concessiones et mandata diem promotionis promovendorum ipsorum praecesserint), necnon quaecumque collationes, provisiones et dispositiones pro tempore faciendae de praemissis ac quibusvis aliis beneficiis ecclesiasticis, secularibus et regularibus, quae per promovendos vel assumendos ad quascumque praelaturas inter illarum vacationis et huiusmodi promotionis vel assumptionis tempora simpliciter vel ex causâ permutationis ubicumque resignari vel aliàs dimitti contigerit, cum inde sequutis pro tempore, sint cassae et irritae, nulliusque roboris, vel momenti.

De non iudicando iuxta formam supplicationum, sed litterarum expeditarum.

27. Item, cum ante confectionem litterarum gratia apostolica sit informis, voluit, statuit et ordinavit idem D. N. quod iudices in romanâ curiâ et extra eam pro tempore existentes, etiamsi sint sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, causarum palatii apostolici auditores, vel quicumque alii, non iuxta supplicationum signatarum super quibusvis impetrationibus (nisi in dictâ curiâ dumtaxat sint commissiones, iustitiam concernentes, per *Placet*, vel per sanctae Romanae Ecclesiae vicecancellarium, iuxta facultatem super hoc sibi concessam, signatae), sed iuxta litterarum super eisdem impetrationibus et concessionibus confectarum tenores et formas, iudicare debeant. Decernens irritum, etc. Et, si litterae ipsae per praeoccupationem vel aliàs minus bene expeditae reperiantur, ad illorum, quorum interest, instantiam, ad apostolicam cancellariam remitti poterunt, per eius officiales, quibus huiusmodi tenores et formas restringere convenit, ad formas debitas reducendae.

De regulis cancellariae producendis.

28. Item, attendens D. N. Papa, quod, super habendis de cancellariâ apostolicâ regulis et constitutionibus inibi descriptis, faciliter per eos, qui in romanâ curiâ indiguerint, ad ipsam cancellariam recursus dirigi potest, nec consultum foret, quod super earumdem regularum et constitutionum (quae iuxta veritatem occurrentium causarum et negotiorum aliquoties immutari convenit) probando tenore, vel effectu, testium plerumque tenacem desuper memoriam non habentium dispositionibus stari deberet, voluit, statuit et

1 Forsan legendum *eis* (R. T.).

ordinavit, quod deinceps quilibet ex auditoribus causarum palatii apostolici et aliis (etiamsi sanctae Romanae Ecclesiae sint cardinales) in ipsâ curiâ pro tempore deputatis auctoritate apostolicâ iudicibus, etiam in causis actu pendentibus, super huiusmodi tenore vel effectu probando dumtaxat stet, fidemque adhibeat cedulae, seu scripturae, desuper a duobus maioris praesidentiae quod danda sit a tergo signatae, et etiam a duobus aliis litterarum apostolicarum abbreviatoribus in ipsâ cancellariâ auscultatae, et vicecancellarii seu dictam cancellariam regentis manu subscriptae, ut moris est. Quidquid autem secus fieri contigerit, nullius sit roboris vel momenti.

De subrogandis collitigantibus.

29. Item D. N., cupiens litium succidere anfractus, et ne novi colligantibus adversarii dentur providere, voluit, statuit et ordinavit, quod, quoties deinceps aliquem super quovis beneficio ecclesiastico collitigantem in iure vel ad ius, si quod forsan eius adversario in dicto beneficio competierit, subrogari concesserit (dummodo praedictus collitigans in dicto beneficio intrusus non fuerit, nec super eo contra dictum adversarium, postquam illud per triennium pacifice possederit, lis tunc mota fuerit), aliorum quorumlibet de praemisso iure, sive tunc vacet, vel cum vacaverit, impetrationes vel concessiones, etiam motu proprio, infra mensem ante concessionem huiusmodi factae, nullius sint roboris, vel momenti. Et nihilominus, cupiens eorum fraudibus obviare, qui viventium beneficia illorum praesertim, quibus, aut propter senium, aut propter infirmitatem, immineret vitae periculum, impetrant, ut, illis decedentibus, tamquam colligantes in eorum iuribus facilius subrogentur, voluit, ut deinceps nullius in iure vel ad ius in beneficio defuncti, quod illo vivente in casibus praemissis vel in similibus impetraverit, aliquo modo subrogetur, ac subrogatio vel gratia, Si neutri, Si nulli, seu Novae provisionis, aut Perinde valere, taliter impetranti nullatenus suffragetur. Quod etiam strictissime observari mandavit in impetrationibus beneficiorum per privationem et amotionem ex quibusvis criminibus et excessibus forsan perpetratis, etiamsi usque ad definitivam sententiam, quae tamen in rem non transiverit iudicatam, processum foret.

De verisimili notitiâ.

30. Item voluit et ordinavit, quod omnes gratiae, quas de quibusvis beneficiis ecclesiasticis, cum curâ vel sine curâ, secularibus vel regularibus, per obitum quarumcumque personarum vacantibus, in antea fecerit, nullius roboris vel momenti sint, nisi post obitum et ante datam gratiarum huiusmodi tantum tempus defluxerit, quod interim vacationes ipsae de locis, in quibus personae praedictae decesserint, ad notitiam eiusdem D. N. verisimiliter potuerint pervenisse.

Non valeant commissiones causarum, nisi in litteris expeditis.

31. Item, quod omnes et singulae commissiones causarum, quas in antea fieri contigerit, obtentae, vel occasione concessionum dumtaxat apostolicarum de beneficiis ecclesiasticis gratiarum, super quibus litterae apostolicae confectae non fuerint, ac processus desuper habendi, nullius sint roboris vel momenti.

De impetrantibus beneficia per obitum familiarium cardinalium.

32. Item voluit, quod, impetrans beneficium vacans per obitum familiaris alicuius cardinalis, teneatur exprimere nomen et titulum ipsius cardinalis, et, si ille in curiâ fuerit, eius ad id accedat assensus, aliâs desuper gratia sit nulla. Et idem servari voluit, si cardinales quomodolibet ab ipsâ curiâ absentes, et ubilibet etiam in locis infra duas dietas vicinis degentes, familiamque et lares in eâdem curiâ retinentes, ab ipsâ curiâ recesserint ad eamdem illico reversuri, et infra decem vel ad summum quindecim dies vere et personaliter reversi fuerint, ita quod cardinalibus, aliàs quam ut praefer-

tur, ex quacumque causâ quantumlibet necessariâ ac qualibet aliâ hic necessario exprimendâ absentibus, facultas praestandi consensum huiusmodi non competat, sed beneficia huiusmodi ad liberam Sanctitatis Suae et Sedis Apostolicae provisionem et dispositionem pertineant. Declarans regulas et constitutiones suorum praedecessorum etiam a die earum editionis et pubblicationis super assensu huiusmodi praestando sic intellectas et intelligendas fuisse, irritumque, etc. attentari decernens. Quodque, si praedicti familiares esse desierint, seu ad aliorum cardinalium familiaritatem similem transierint, quoad beneficia, quae familiaritate priori durante obtinuerint, et in quibus vel ad quae, priori ipsâ familiaritate durante, ius eis competierit, cardinales, quorum prius familiares fuerint, suum habeant adhibere consensum. Declarans presentem constitutionem locum non habere in illis beneficiis, quae familiares ipsi, tempore obitus eorum, in dictâ curiâ vel extra eam obtinerent, aut antea obtinuissent, et ratione officiorum per eos obtentorum dictae dispositioni generaliter reservata vel affecta fuisse apparerent. Necnon illos, quoad effectum dictae constitutionis, familiares eorumdem cardinalium censeri, qui ipsorum cardinalium familiares continui commensales ad minus per quatuor menses etiam ante cardinalatum fuisse probarentur. Decernens irritum, etc.

Super eâdem familiaritate.

33. Item idem D. N., ad evitandas lites et contentiones, quae ex precedenti suâ constitutione exoriri possent, vestigiis praedecessorum suorum inhaerendo, voluit, statuit et ordinavit, quod, si beneficia, quae per obitum familiarium continuorum commensalium eorumdem cardinalium in futurum vacabunt, cessantibus apostolicis reservationibus, ad alterius cardinalis collationem vel aliam dispositionem pertinere deberent, in dictâ praecedenti constitutione non comprehendantur quoad hoc, ut in provisionibus talium beneficiorum, super expeditione litterarum, illius cardinalis, cuius familiaris defunctus ille extitit, consensus requiri debeat, sed beneficia huiusmodi ad collationem seu quamvis dispositionem cardinalis ordinarii collatoris, ut praefertur, libere spectare censeantur. Et, si apud Sedem Apostolicam beneficia huiusmodi per obitum dictorum familiarium vacaverint, tunc in provisione talium beneficiorum, super expeditione litterarum, illius cardinalis exigatur consensus, si in romanâ curiâ praesens fuerit, ad quem eorumdem collatio et dispositio, ut praefertur, pertinere deberet.

Signatura per *fiat* praeferatur alteri per *concessum*.

34. Item voluit D. N., quod, concurrentibus eâdem die, super quocumque beneficio, per *fiat* et *concessum* signaturis, ex eis per *fiat*, etiam *ut petitur* habens, alteri per *concessum*, etiam *motu proprio* habenti, praeferatur, etiamsi in illâ per *concessum* praegnantiores et quantumlibet privilegiativae essent clausulae.

De annali possessore.

35. Item SS. D. N., ut improbi lites exquirentium motus reprimantur, voluit, statuit et ordinavit, quod, quicumque beneficium ecclesiasticum tunc per annum immediate praecedentem pacifice possessum, et quod certo modo vacare praetenditur, deinceps impetraverit, nomen, gradum et nobilitatem possessoris eiusdem, et quotannis ipse illud possederit, ac specificam et determinatam, ex qua clare poterit constare quod nullum ipsi possessori in dicto beneficio ius competat, causam in huiusmodi impetratione exprimere, et infra sex menses ipsum possessorem ad iudicium evocari facere, causamque ex tunc desuper infra annum usque ad sententiam definitivam inclusive prosequi debeat et teneatur, alioquin impetratio praedicta et quaecumque inde sequuta nullius existant firmitatis, et idem impetrans de damnis et interesse, posses-

sorem praefatum propterea contingentibus, ei satisfacere, et si possessorem ipsum iniuste, frivole et indebite molestasse repertus extiterit, quinquaginta florenos auri persolvere camerae apostolicae sit adstrictus. Nec alius quam praemisse vacationis modus, etiam per litteras Si neutri, aut subrogationis, aut alias, sibi quoad hoc, ut beneficium huiusmodi eâ vice consequi aut obtinere valeat, quomodolibet suffragetur, illudque nullatenus in antea litigiosum propterea censeatur. Quod etiam extendi voluit ad impetrantes beneficia ecclesiastica cuiuscumque qualitatis, per privationem et amotionem, vel aliàs, propter commissa, excessus et crimina, vacantia vél vacatura, et similiter ad impetrantes beneficia tamquam vacantia per devolutionem.

De triennali.

36. Item statuit et ordinavit idem D. N., quod si quis quaecumque beneficia ecclesiastica, qualiacumque sint, absque simoniaco ingressu, ex quovis titulo, apostolicâ, vel ordinariâ collatione, aut electione, et electionis huiusmodi confirmatione, seu praesentatione et institutione, illorum ad quos beneficiorum huiusmodi collatio, provisio, electio et praesentatio, seu quaevis alia dispositio pertinet, per triennium pacifice possederit (dummodo in beneficiis huiusmodi, si dispositioni apostolicae ex reservatione generali in corpore iuris clausâ reservata fuerint, se non intruserit), super eisdem beneficiis taliter possessis molestari nequeat, nec non impetrationes quaslibet de beneficiis ipsis sic possessis factas[1], irritas et inanes censeri debere decrevit; antiquas lites super illis motas penitus extinguendo.

De non appellando ante sententiam definitivam.

37. Item, idem D. N., ut finis litibus celerius imponatur, et litigantium parcatur sumptibus et expensis, suorum praedecessorum constitutionibus et statutis inhaerendo, statuit et ordinavit, quod in causis pendentibus, et quas imposterum contigerit agitari, nulli ante definitivam sententiam liceat appellare, nec appellatio, si fuerit emissa, debeat admitti, nisi ab interloquutoriâ, quae vim habeat definitivae; vel a gravamine minime concernente negotium principale, quod non possit per appellationem a definitivâ sententiâ reparari; nullaeque causae appellationum committantur, nisi in commissione exprimatur, quod interloquutoria vim definitivae habeat, vel gravamen sit tale, quod in appellatione a definitivâ non valeat reparari. Alioquin appellationes et commissiones imposterum, et quicquid idem sequutum fuerit, nullius sint roboris vel momenti; commissionibus appellationum, iam iudicibus praesentatis et exhibitis, in suo robore permansuris, in quibus, latis super eisdem sententiis, secundo, vel ulterius ab eis non liceat appellare; appellantes vero, et appellationes, etiam ab interloquutoriis et gravaminibus huiusmodi, suo vel alterius nomine prosequentes, si succubuerint, ultra expensas et damna, ad quae resarcienda de iure condemnatus compellitur, viginti florenorum auri poenâ mulctentur.

Non stetur commissioni post conclusionem.

38. Item statuit et ordinavit, quod in commissionibus de iustitiâ, seu mandatis etiam consistorialibus, per eum, seu de eius mandato, vel auctoritate, in causis, in quibus conclusum existat, imposterum concedendis, etiamsi in eis de conclusione huiusmodi implicite vel explicite mentio facta fuerit, nihil censeatur esse concessum, nisi per concessionem commissionis huiusmodi derogetur expresse.

De litteris religiosorum expediendis.

39. Item voluit et ordinavit, quod, si aliqui religiosi petunt aliquod beneficium ad nutum amovibile cum clausulâ, quod exinde pro solo nutu abbatis vel superioris amoveri non possint, litterae, quoad ipsam clausulam, nullatenus expediantur, nisi idem D. N. ponat in signaturâ, quod

1 Ed. Main. legit *factis* (R. T.).

non possit amoveri, vel ad partem clausulam ipsam concedat.

De clausulâ ponendâ in litteris permutationum beneficiorum.

40. Item, si committatur alicui beneficio resignationis receptio, ponatur clausula Attente quoque provideas, etc., et si ex causâ permutationis resignationes fiant, ponatur clausula Quod neuter permutantium ius acquirat, nisi quilibet ipsorum ius habuerit in beneficio per ipsum resignato.

De supplendis defectibus.

41. Voluit, quod si petatur suppleri defectus in genere, nullatenus litterae desuper concedantur, nisi in petitione desuper huiusmodi defectus exprimantur, vel per Fiat ut petitur, supplicatio signatà fuerit.

De derogatione iurispatronatus.

42. Item voluit, quod super quovis beneficio ecclesiastico de iurepatronatus laicorum non expediantur litterae, nisi ponatur expresse, quod tale beneficium tanto tempore vacavit, quod eius collatio ad Sedem Apostolicam legitime est devoluta, vel quia tempus patronis laicis ad praesentandum a iure praefixum lapsum existat, aut ad id patronorum ipsorum accedat assensus. Et si per ipsum iuripatronatus huiusmodi derogari contigerit, iurispatronatus huiusmodi mentio dispositive, ac specifice et determinate, non autem conditionaliter, fiat, si illud ad aliquem regem, ducem, marchionem, vel alium principem pertineat, et, si[1] de hoc in litteris provisionis, vel mandato de providendo de dicto beneficio, similis mentio facta non fuerit, non censeatur quomodolibet derogatum.

De commendis.

43. Item voluit, quod nulli seculari de regulari, nec religioso de seculari beneficiis commenda detur, nisi in signaturâ per clausulam Ad partem, super petitione commendae huiusmodi, de commendâ ipsa mentio fiat.

De reformationibus.

44. Item voluit, statuit et ordinavit, quod super quibuscumque reformationibus signatis super impetrationibus quorumcumque beneficiorum vacantium, vel certo modo vacaturorum, in quibus petitur, quod litterae super primâ datâ expediri possint, si ex huiusmodi expeditione sub tali datâ cuiquam videatur posse fieri praeiudicium, litterae huiusmodi sub ipsâ primâ datâ nullatenus expediantur, nisi reformationes huiusmodi per *Fiat* sub primâ datâ signatae fuerint.

De consensu in resignationibus et pensionibus.

45. Item voluit et ordinavit, quod super resignatione cuiuscumque beneficii ecclesiastici, seu cessione iuris in eo, quam in manibus suis vel in cancellariâ apostolicâ fieri contigerit, apostolicae litterae nullatenus expediantur, nisi resignans, vel cedens, si praesens in Romanâ curiâ fuerit, personaliter, alioquin per procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, expeditioni huiusmodi in eâdem cancellariâ expresse consenserit, et iuraverit, ut moris est. Et si[1] ipsum resignantem, seu cedentem, pluries super uno et eodem beneficio, in favorem diversarum personarum successive consentire contigerit, voluit Sanctitas Sua, quod primus consensus tenere debeat, et alii posteriores consensus, ac litterae illorum praetextu etiam sub priori datâ expeditae pro tempore, nullius sint roboris vel momenti. Nec litterae reservationis, vel assignationis, etiam motu proprio, cuiusvis pensionis annuae super alicuius beneficii fructibus expediri possint, nisi de consensu illius qui pensionem persolvere tunc habebit.

De ingressu religionis.

46. Item non dentur litterae super beneficiis vacaturis per ingressum religionis, nisi ille praecesserit datam desuper petitionis.

Non valeat impetratio facta per modum in cancelleriâ exprimendum.

47. Item voluit, quod si petatur aliquod beneficium vacans per modum in cancellariâ apostolicâ exprimendum, talis impetratio non valeat, nec litterae desuper expediantur.

De exequutione faciendâ.

48. Item voluit, statuit et ordinavit, quod quotiescumque per signaturam suam,

1 Particulam *si* addendam censuimus (R. T.).

1 Particulam *si* nos addimus (R. T.).

vel de eius mandato factam, super exequendis aliquibus, cum adiectione proprii nominis vel dignitatis cuiusvis, iudex datur, litterae desuper expediantur cum expressione, quod idem iudex exequutionem faciat per se ipsum.

De dispensationibus in gradibus consanguinitatis.

49. Voluit, quod in litteris dispensationum super aliquo gradu consanguinitatis vel affinitatis, aut aliàs prohibito, ponatur clausula: *Si mulier rapta non fuerit.* Et si scienter, ponatur clausula addita in quaterno.

Super defectu natalium.

50. Voluit, quod in dispensationibus super defectu natalium, quod possint succedere in bonis temporalibus, ponatur clausula, quod non praeiudicetur illis, ad quos successio bonorum ab intestato pertinere debet.

Super dispensationibus.

51. Item, quod per quamcumque signaturam in quavis gratiâ nullatenus dispensatio veniat, nisi dicta gratia totaliter effectum huiusmodi dispensationis concernat, vel aliàs nihil conferat ut operetur.

Nulli suffragetur dispensatio, nisi litteris confectis.

52. Item, cum concessiones super gratiis dispensationum quarumcumque quibusvis per ipsum D. N. concessarum, vel concedendarum, per regulas cancellariae apostolicae sint provide limitatae, licet aliquando in petitionibus super huiusmodi concessionibus oblatis multa sint petita, ne quis, talium concessionum praetextu, id dispensative tenere aut facere praesumat, ad quod concessiones huiusmodi se non extendant; voluit idem D. N. quod nulla talis dispensatio cuiquam in iudicio vel extra suffragetur, antequam super eâ litterae apostolicae sint confectae.

De clausulis ponendis in litteris indulgentiarum.

53. Item voluit, quod in litteris indulgentiarum ponatur, quod si ecclesiae, vel cappellae, vel aliàs, aliqua indulgentia fuerit per ipsum concessa, de qua inibi specialis mentio facta non sit, huiusmodi litterae sint nullae.

De indulgentiis concessis ad instar.

54. Item voluit idem D. N. quod litterae super indulgentiis non expediantur ad instar, nisi specificentur.

De exprimendo valorem beneficiorum in impetrationibus

55. Item voluit, quod in gratiis, quas quibusvis personis de beneficiis vacantibus, seu certo modo vacaturis, fieri contigerit, illorum et aliorum quorumcumque beneficiorum, quae dictae personae tunc obtinuerint, seu de quibus eis fuerit provisum vel concessum aut mandatum provideri, verus annuus valor per marcas argenti, aut sterlingorum, vel libras turonensium parvorum, seu florenos auri, aut ducatos, vel uncias auri, seu aliam monetam secundum communem aestimationem exprimatur, nisi personae praedictae beneficia, quae obtinuerint, aut in quibus, vel ad quae ius eis competit, iuxta ipsarum oblationes, aut aliàs, dimittere teneantur: alioquin gratiae praedictae sint nullae. Et idem servetur in gratiis, quas a Sanctitate Suâ motu proprio emanare contigerit. Quoad beneficia tamen, de quibus per Sanctitatem Suam pro tempore providetur, seu provideri mandatur, aut aliàs disponatur, ad litteras, per quas pro tempore ad ecclesiarum patriarchalium et cathedralium ac monasteriorum regimina promotio conceditur, ut monasteria et alia beneficia ecclesiastica, secularia et regularia per eos obtenta, et in quibus et ad quae ius competit, retinere possint.

De clausulis et beneficiis vacantibus ponendis.

56. Voluit et ordinavit, quod quando providet, seu mandat provideri alicui de beneficio ecclesiastico vacante, tunc dari poterunt clausulae, si petantur, *etiam si illud quovis modo*, etc., *seu per constitutionem* Execrabilis, *vacet, ac specialiter reservatum, inter aliquos litigiosum sit et eius collatio devoluta fuerit*, et si pro collitigante, vel subrogationem, aut si neutri, vel si nulli, etc., petente, si tunc lis specifice exprimatur. Nec detur aliqua generalis reservatio dispositive, nisi desuper in concessione specialis et expressa, ac pure, et non sub conditione,

mentio fiat, et tunc reliquae reservationes ibi contentae veniant. Si vero tempore expeditionis inde litterarum generalis reservatio huiusmodi probari non possit, aut in novis provisionibus, seu pro collitigantibus, si neutri, vel si nulli, etc., sit expressum, quod ab aliquibus asseritur, illum, cuius beneficium conceditur, collectorem, vel unicum subcollectorem, abbreviatorem, vel familiarem, notarium, aut dictae Sedis officialem fuisse, clausula ponatur, *Etiam si dictum beneficium, ex eo quod talis collector, vel unicus subcollector, abbreviator, vel familiaris, notarius, aut dictae Sedis officialis fuit, dispositioni apostolicae generaliter reservatum existat, dummodo non sit in eo alicui specialiter ius quaesitum.* In reliquis vero nulla clausula detur, unde reservatio generalis elici possit, nisi desuper signatura per duplex *Fiat* signata sit, aut reservatio, vel aliàs, specialiter habeatur.

De expressione qualitatum beneficiorum in impetrationibus

57. Item voluit, quod super beneficiis ecclesiasticis, de qualitatibus illorum, videlicet, an dignitates, personatus, vel officia sint, eisque immineat cura animarum, et ad illa consueverint qui per electionem assumi, mentio fiat, aliàs gratiae desuper factae sint nullae. Et si qualitates huiusmodi affirmative vel conditionaliter non exprimantur, negativa expresse desuper fiat in beneficiis, quae tales qualitates vel ex eis aliquas consueverint habere.

De beneficiis vacantibus per contractum matrimonii.

58. Item, si reservetur beneficium per contractum matrimonii, non dentur alii modi vacationum de futuro, nec censeatur beneficium reservatum specialiter, vel affectum, nisi sequatur matrimonium. Sed in beneficiis per promotionem, aut ingressum religionis, vel assequutionem, vacaturis, ponatur clausula, etiam si non petatur. Cum beneficia huiusmodi praemisso, vel aliàs quovis modo, etc., praeterquam per obitum obtinentis, vacare contigerit, etiam si vacent.

De clausulis ponendis in litteris religiosorum.

59. Item voluit, quod si petatur aliquem in religionem recipi et sibi de quovis beneficio ecclesiastico provideri, per simplicem signaturam fiat. Recepto huiusmodi dumtaxat detur, adiecto, si petens idoneus sit, aut aliud canonicum non obsistat; et exprimatur, si certus numerus regularium sit ibidem, cui etiam non derogetur, nisi expresse concedatur et si numerus iste non existat, ponatur: *Dummodo receptionis locus huiusmodi nimium propterea non gravetur.* Possintque exequutores provisionis huiusmodi, ad receptionem emissionis professionis, non expectato probationis anno, providere.

De translatione religiosorum.

60. Item, si regularis petat sibi de beneficio, ab aliquo monasterio vel regulari loco dependente, provideri, et appareat ex petitione huiusmodi, quod alterius monasterii vel loci religiosus sit, licet ibi translatio non petatur, nihilominus illa veniat.

De clausula *Si est ista.*

61. Item, quod in litteris super beneficiis per constitutionem *Execrabilis* vacantibus, ponatur clausula, *Si ista est;* similiter de quibuscumque narratis informationem facti requirentibus.

Petenti provideri de vacaturo, dentur litterae de vacanti.

62. Item, petenti sibi provideri de vacaturo, dentur litterae de vacanti, prout impetranti.

Revocatio decimarum et aliarum impositionum.

63. Item revocavit quascumque decimarum (non tamen nuper pro defensione fidei catholicae in Germania contra haereticos et imperii rebelles impositarum sub datum idibus ianuarii anno quintodecimo pontificatus eiusdem Pauli praedecessoris), necnon subsidiorum vigesimae, et aliorum onerum impositiones, quae a praedicto Paulo V praedecessore suo ex quavis causâ, etiam in subsidium expeditionis contra turcas et orthodoxae fidei hostes, emanarunt; et quascumque facultates super decimarum, vigesimae et onerum huiusmodi exactione, quibusvis fructuum et proventuum camerae apostolicae

debitorum collectoribus et Apostolicae Sedis nuntiis, ab iisdem praedecessoribus concessas. Suspendit quoque, ad Suae Sanctitatis et Sedis Apostolicae beneplacitum, quascumque plenarias indulgentias ab eisdem praedecessoribus ex quavis causâ etiam expeditionis huiusmodi concessas, si quae per nuntios vel quaestores deferebantur, necnon deputandi et eligendi confessores, qui plenarie absolvant et alia faciant ad earumdem indulgentiarum suspensarum effectum, reliquasque facultates ipsas indulgentias quomodolibet concernentes, praeterquam quoad ea, in quibus indulgentiae et facultates in aliquâ sui parte sint sortitae effectum, ita ut illis, qui, implentes iniuncta eis in litteris indulgentiarum huiusmodi, iam consecuti sint facultatem eligendi confessores qui absolvant eos plenarie in mortis articulo, per huiusmodi suspensionem non praeiudicetur, quin facultate ipsâ uti possint in futurum. Decrevit quoque irritum et inane quicquid facultatum revocatarum earumdem praetextu imposterum contigerit attentari.

Revocatio facultatum percipiendi pretium officiorum.

64. Item revocavit, cassavit et annullavit ac irritas declaravit quascumque facultates percipiendi pretium officiorum Romanae Curiae pro tempore vacantium, in toto vel in parte, in quasvis concessiones et collationes, aliasque dispositiones per felicis recordationis Gregorium XIV praedecessorem suum de dictis officiis, etiam ex die collatorum, concessionum et dispositionum earumdem in antea vacaturis[1], in favorem quarumcumque personarum, ecclesiarum, monasteriorum, piorum locorum, collegiorum, seu eorum mensarum, etiam perpetuo, etiam in vim contractus, et ex titulo oneroso, et sub aliâ quavis verborum formâ, quam, et praemissorum tenores pro expressis haberi voluit, concessas et factas, quoad officia, quae post obitum ipsius praedecessoris vacarunt, et imposterum quomodolibet vacabunt.

Item revocavit quoque, cassavit et annullavit ac irritas declaravit quascumque infeudationes, investituras, gratias, concessiones quoquomodo, etiam in emphyteusim, ad tempus seu in perpetuum, etiam motu proprio et de plenitudine potestatis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis (extra tamen consistorium, et sine sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio et consensu), a die constitutionis felicis recordationis Pii Papae V praedecessoris sui super prohibitione alienandi et infeudandi civitates et loca sanctae Romanae Ecclesiae, sub datum Romae, apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDLXVI, IV kalendas aprilis, pontificatus sui anno II, usque in praesentem diem, per quoscumque Romanos Pontifices suos praedecessores, aut mandato vel auctoritate eorum, quomodocumque ac qualitercumque et quovis colore factas et concessas, de civitatibus, terris, oppidis, castris, arcibus et locis sanctae Romanae Ecclesiae et sanctae Sedis Apostolicae et tam mediate quam immediate subiectis, tunc, videlicet de tempore dictarum infeudationum, investiturarum, gratiarum et concessionum, nondum devolutis: necnon quascumque prorogationes et extensiones quarumcumque infeudationum, investiturarum, gratiarum et concessionum de dictis civitatibus, terris, oppidis, castris, arcibus et locis, tunc, videlicet de tempore dictarum prorogationum et extensionum nondum finitarum, quibusvis personis, cuiuscumque gradus, status et conditionis, ac praeeminentiae, etiamsi imperiali, regali, ducali, aut aliâ quavis praefulgeant dignitate, etiam in vim contractus, ex quocumque titulo, etiam oneroso, et per quascumque, tam sub plumbo, quam in formâ Brevis, sub annulo Piscatoris, aut etiam aliàs quomodocum-

1 Ita ed. Cherub., ed. Main. legit *vacaturi* (R.T).

que et qualitercumque, expeditas litteras, ac sub quavis verborum formâ, quam, et praemissorum omnium tenores Sanctitas Sua pro expressis[1] haberi voluit, latissime extendendos[2].

Quod fructus in tertiâ parte augeri possint vigore clausulae.

65. Item, cum nonnulli in impetrationibus beneficiorum ecclesiasticorum pro tempore vacantium et certo modo vacaturorum, asserendo, illorum fructus, etc., certum per eos expressum annuum valorem non excedere, nonnunquam obtineant a Sanctitate Suâ, ut huiusmodi valorem annuum augere possint, ut verius possit in confectione litterarum super huiusmodi impetrationibus summa aut valor annuus exprimi, aliter desuper non specificato; ne[3] de veritate huiusmodi concessionis imposterum haesitari contingat, declaravit, praetextu concessionis huiusmodi, valorem ipsum usque ad tertiam partem valoris expressi, et in primâ, quae desuper fiet, litterarum expeditione, dumtaxat, augeri posse; et eas, quas, litteris iam expeditis[4] cum expressione valoris specificati, aut non integro augmento praedicto, denuo super expediri contigerit litteras cum aliquo augmento valoris huiusmodi, nullius esse roboris vel momenti, etiam si motu proprio beneficiales gratiae et dispositiones quaecumque a Sanctitate Suâ emanaverint.

De insordescentibus.

66. Item, ne personis, pro quibus litterae Suae Sanctitatis emanabunt, ob generalem absolutionem a censuris ecclesiasticis, quibus legati forent, ad eorum effectum indifferenter concedi et in litteris apostolicis apponi solitam[5], praestetur occasio censuras ipsas vilipendendi et insordescendi in illis, statuit et ordinavit, huiusmodi absolutionem et clausulam in litteris, quas in futurum cum illâ concedi continget, non suffragari non parentibus rei iudicatae, incendiariis, violatoribus ecclesiarum, falsificatoribus, et falsificari procurantibus litteras et supplicationes apostolicas, et illis utentibus, receptatoribus et fautoribus eorum, ac res vetitas ad infideles deferentibus, violatoribus ecclesiasticae libertatis, viâ facti ausu temerario apostolicis mandatis non obtemperantibus, et nuntios vel exequutores Apostolicae Sedis, et eius officiales, et eius commissa exequentes, impedientibus, qui propter praemissa vel aliquod eorum excommunicati, a iure vel ab homine, per quatuor menses scienter excommunicationis sententiam huiusmodi sustinuerint; et generaliter quibuscumque aliis, qui censuris aliquibus, etiam aliàs, quam ut praefertur, quomodolibet ligati, in illis per annum continuum insorduerint.

Officiales nihil exigant ultra debitum.

67. Item, idem Dominus Noster, exactionibus quas Sanctitas Sua, non sine displicentiâ, plerumque fieri intellexit per officiales Romanae curiae (qui constitutis sibi emolumentis pro exercitio officiorum, quae obtinent, non contenti, ultra a prosequentibus negotiorum quorumdam expeditionem in eâdem exigere non verentur) obviare volens, districte praecipiendo inhibuit omnibus et singulis quaevis officia in eâdem curiâ obtinentibus, ne de cetero quicquam praetextu officiorum, quae obtineant, quovis colore, etiam celerioris expeditionis, ultra emolumenta eiusmodi exigere, seu ad hunc effectum expeditionem eorum, quae eis incumbunt, malitiose differre, sub excommunicationis, et praeter illam, suspensionis a perceptione emolumentorum huiusmodi pro primâ ad semestre, et pro secundâ ad annum, et pro tertiâ vicibus, quibus sic excederent, privationis officiorum per eos obtentorum, in quibus sic excesserint, poenis. Ac vo-

1 Edit. Main. legit *pro expresso* (R. T.).

2 Sic omnes editiones (R. T.).

3 Particulam *ne* addimus ex edit. Cherub. (R. T.).

4 Edit. Main. legit *expeditas* (R. T.).

5 Erronee edit. oēs legunt *solita* (R. T.).

luit, quod sanctae Romanae Ecclesiae vicecancellarius et camerarius excedentes ipsos, respective prout eis subsunt, per subtractionem emolumentorum eorumdem, ac aliàs, ut praefertur, compellant ab huiusmodi illicitis exactionibus abstinere, et contra eos per praedictas poenas, aliàs prout melius expedire viderint, procedant.

Reservatio beneficiorum vacantium Sede Apostolicâ vacante.

68. Item, SS. D. N. provide considerans, consuevisse quandoque Romanos Pontifices praedecessores suos beneficia, quae vacante Sede Apostolicâ vacare contigerat, dispositioni suae reservare, intendens de beneficiis huiusmodi tam conclavistis, quam pauperibus clericis et aliis benemeritis personis providere, omnia et singula beneficia per regulas cancellariae apostolicae, aut quaslibet alias apostolicas constitutiones temporales Romani Pontificis pro tempore existentis dispositioni quomodolibet et ex quavis causâ reservari solita, quae a die obitus felicis recordationis Gregorii XV praedecessoris sui usque ad diem supradictam VII augusti vacaverunt, et de quibus per quoscumque ordinarios collatores tunc dispositum non fuerat, suae dispositioni reservavit, decernens irritum, etc.

Revocatio indultorum superviventiae.

69. Item, quia ad importunam nonnullorum suggestionem quandoque contigit, praedecessores suos Romanos Pontifices pro tempore existentes, sub contractorum debitorum vel diversis aliis praetextibus concessisse et indulsisse beneficiatis, ut fructus suorum beneficiorum aut partem eorum anticipatis solutionibus ad tempus elocare, vel erga creditores aut quascumque alias personas obligare, vel hypothecare, in solutum dare, aut aliàs quomodolibet de eis disponere liceret ad tempus minime restrictum ad vitam supplicantium, cum gravi successorum praeiudicio et ecclesiarum detrimento; ideo, indemnitati ecclesiarum et successorum in beneficiis huiusmodi salubriter consulere volens, revocavit, cassavit et annullavit omnia et singula indulta et facultates, in eâ parte qua nondum vere et realiter suum sunt sortita effectum, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores suos hactenus ad favorem quarumcumque personarum concessas, quibus, eis vel eorum singulis, ullo modo et ex quavis causâ vel praetextu, permittitur, fructus certos vel incertos, iura, obventiones et emolumenta quaecumque quorumlibet beneficiorum per eos obtentorum anticipatis solutionibus ultra unicum annum elocare, arrendare, ad firmam vel responsionem concedere, vel eos ad favorem quarumcumque personarum quomodolibet obligare vel hypothecare, in solutum dare, aut de eis quomodolibet et ex quavis causâ disponere pro tempore ad vitam beneficiatorum et tempus, quo beneficia huiusmodi obtinuerint, minime restricto, coarctato illorum tenores, etc., decernens, etc.

Quod cardinales non comprehendantur sub regulis faciendis.

70. Item, cum S. R. E. cardinales ipsi Sanctissimo Domino Nostro assistant, ac propterea debeant specialibus praerogativis et privilegiis gaudere, idem Dominus Noster statuit, ordinavit, decrevit et declaravit, quod in quibuscumque constitutionibus et regulis per Sanctitatem Suam imposterum post hanc primam editionem et suarum constitutionum et regularum publicationem faciendis non includantur ipsi cardinales, nisi illae eorumdem cardinalium favorem concernant, vel ipsae constitutiones edendae de eorumdem cardinalium vel maioris partis eorum consilio editae fuerint.

De potestate reverendissimi domini vicecancellarii et cancellariae regentis.

71. Primo, quod possit committere absolutionem illorum, qui ignoranter in supplicationibus vel in litteris apostolicis aliquid scriberent, corrigerent, vel desererent.

Item, quod possit corrigere nomina et cognomina personarum (non tamen eorum quibus gratia et concessiones fiunt) ac beneficiorum, dum tamen de corpore constet.

Item, quod possit omnes causas beneficiales etiam non devolutas committere in curiâ, cum potestate citandi ad partes.

Item, quod processus, apostolicâ auctoritate decretos, aggravare possit cum invocatione brachii secularis, et sententias exequutioni demandari facere contra intrusos et intrudendos per litteras apostolicas desuper conficiendas, et non aliàs.

Item, quod possit signare supplicationes, manibus duorum referendariorum signatas, de beneficiis ecclesiasticis secularibus et regularibus dispositioni apostolicae generaliter non reservatis, quorum cuiuslibet valor centum florenorum auri de camerâ, vel totidem in aliâ monetâ, secundum communem aestimationem valorem annuum non excedet.

Item, quod possit signare supplicationes, etiam duorum referendariorum manibus signatas, de novis provisionibus, *Si neutri*, et subrogationibus pro collitigantibus, in quibus non detur clausula generalem reservationem importans.

Item, quod possit ad ordines suscipiendos arctatis prorogare terminos de dictis suscipiendis ordinibus usque ad proxima tunc a iure statuta tempora, in quibus sic arctati successive ad ipsos ordines promoveantur.

Placet, publicentur et describantur: M.

Lectae et publicatae fuerunt suprascriptae regulae et ordinationes et constitutiones in cancellariâ apostolicâ, ab uno ex R. P. D. maioris praesidentiae abbreviatoribus, anno Incarnationis Dominicae MDCXXIII, *die vero* XXI *mensis octobris, pontificatus praelibati SS. D. N. anno* I.

PETRUS GENTILIS, procustos.

X.

Indictio orationis Quadraginta Horarum ad divinum auxilium initio pontificatus pro salutari catholicae Ecclesiae regimine implorandum.

Urbanus Papa VIII,

Universis christifidelibus, ad quos praesentes litterae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium et causae huius Constitutionis.

Æternus rerum conditor, cuius iudicia abyssus multa, eo vel maxime imperscrutabilis eius sapientiae atque inexhaustae potentiae thesauros recludit et manifestat, quod maximis in rebus, non fortiorum, sed imbecilliorum operâ plerumque uti non dedignatur. Quod quidem in catholicae Ecclesiae administratione, quam in hac temporum difficultate, nullo nostrorum suffragio meritorum, sed eius misericordiâ nobis demandatam agnoscimus, tanto luculentius apparet, quanto maiora earum, quibus circundamur, infirmitatum argumenta extare dignoscuntur. Hinc fit, ut quemadmodum misericordiam Dei humillime suscepimus, ita etiam trepide vereamur, ne, ingenti onere praegravati, christiani orbis necessitatibus apostolicâ providentiâ, ut par est, succurrere[1] valeamus. Tantae rei cogitatione permotis illud nobis saepius occurrit, beatum plane illum esse, quem Deus ipse erudierit, ac, ne facies nostrae confundantur, ad eum, ut illuminemur, accedendum esse.

Non indicit iubilaeum de more praedecessorum, sed aliter disponit, temporum habitâ ratione.

§ 1. Quoniam vero tanti regis maiestatem tum propriis cuiusque, tum etiam aliorum orationibus adiri certum est; id ut facilius assequi possemus, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum exempla nobis ob oculos proponentes, universis christifidelibus iubilaeum de more indicere statuissemus, ut saluberrimis poenitentiae operibus orationes sociatae, et rogantium merita cumulassent, et divinae nobis largitatis munera uberius impetrassent. Verum, habitâ temporis ratione, necnon aliis aequissimis causis eâ qua decuit maturitate perpensis, aliam opportunio-

1 Forsan hîc deest particula *non* (R. T.).

rem spiritualibus, quibus urgemur, necessitatibus consulendi rationem inire decrevimus.

Orationem XL horarum feriis IV et VI ac sabbato in certis Urbis et Orbis ecclesiis haberi decernit.

§ 2. Piam igitur XL horarum orationem in ecclesiâ Lateranensi, ac Principis apostolorum, et S. Mariae Maioris basilicis, necnon in unâ seculari et alterâ regulari ecclesiis cuiuslibet regionis almae Urbis nostrae, per dilectum filium nostrum in eâdem Urbe vicarium in spiritualibus generalem, extra vero dictam Urbem in quibuslibet virorum tam secularium quam regularium ecclesiis ubilibet existentibus, per Ordinarios locorum proximâ vel alterâ subsequenti hebdomadâ post praesentium notitiam respective designandis, et quoad ecclesias et basilicas Urbis praedictae, IV et VI feriis ac sabbato praesentis et sequentis hebdomadae, quo vero ad ecclesias extra Urbem, diebus ab eisdem Ordinariis pro utrâque hebdomadâ praescribendis, inchoandam, et semel pro qualibet ecclesiâ peragendam, tenore praesentium indicimus et instituimus; ad quas quidem ecclesiam Lateranensem ac basilicas nos ipsi private accedere, eidemque orationi interesse statuimus.

Ecclesias illas visitantibus quid orandum sit praescribit.

§ 3. Et propterea, ut divinam opem efficacius imploremus, et simul effusis multorum precibus, fructuosius exaudiamur, omnes et singulos utriusque sexus christifideles ubique existentes enixe in Domino hortamur, et paternâ charitate monemus, ut, durante oratione praedictâ, pias ad Deum preces effundant, ut ecclesiam suam sanctam tueatur et protegat, haereses undique evellere et extirpare, fidem sanctam catholicam augere et propagare, pacemque et concordiam largiri dignetur; nobis vero vires tribuat, quibus susceptum onus ad eius nominis gloriam, fideliumque et animae nostrae salutem, administrare valeamus.

Confessis, ac sacra communione refectis, et visitantibus dictas ecclesias et ibi (ac etiam monialibus in ecclesiis propriis) orantibus, indulgentiam plenariam impertitur.

Confessis, ac § 4. Quae, ut eo libentius praestare studeant, quo uberius spiritualibus muneribus et gratiis a nobis se refectos esse cognoverint, de omnipotentis Dei misericordiâ, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis praedictis vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui quamcumque ecclesiam, ubi oratio eiusmodi indicta et instituta fuerit, devote visitaverint, et ibi per aliquod temporis spatium, prout unicuique suggeret devotio, pias ad Deum, ut praefertur, preces effuderint, monialibus vero poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, quae, tempore orationis pradictae, in suorum monasteriorum ecclesiis similiter, ut supra, oraverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Omnibus utriusque sexus personis etiam regularibus confessarium sibi posse eligere concedit, qui valeat absolvere ab omnibus casibus exceptis contentis in Bulla Coenae Domini, et hic expressis, pro hac vice tantum.

§ 5. Necnon eisdem fidelibus etiam cuiuscumque ordinis, congregationis, et instituti regularibus utriusque sexus facultatem impertimur eligendi sibi presbyterum confessarium tam secularem, quam cuiusvis Ordinis et instituti regularem, ex approbatis ab Ordinariis locorum, qui eos ab omnibus et singulis peccatis, criminibus, excessibus et delictis, non tamen a casibus contentis in litteris, quae die Coenae Domini legi consueverunt, necnon violationis immunitatis, libertatis ecclesiasticae, ac clausurae monasteriorum monialium, si videlicet sine necessariâ et urgenti causâ, ac sine superiorum licentiâ, vel etiam si causâ et licentiâ abutentes praedicta monasteria ingressi fuerint, nec non violentae manus iniectionis in clericum, ac singularis certaminis, sive duelli, ac ab aliis etiam casibus, tam a nobis, quam a praefato nostro in dictâ Urbe vicario, et locorum Ordinariis respective reservatis, nec[1] etiam a quavis excommunicatione

1 Nescio an legendum *necnon* (R. T.).

ab homine latâ, in foro conscientiae tantum, hac vice dumtaxat absolvere, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet poenitentiâ salutari, ac aliis iniungendis, possint et valeant.

Ordinariis locorum huiusmodi Constitutionis publicationem praecipit.

§ 6. Mandantes insuper venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis, episcopis, et aliis quibuscumque ecclesiarum praelatis et locorum Ordinariis in virtute sanctae obedientiae, ut, cum harum nostrarum transumpta seu exempla acceperint, illas statim per suas civitates, dioeceses et territoria publicent et publicari faciant, gregemque eorum curae divinitus commissum, ut corde contrito et humiliato piae huiusmodi orationi, ut praefertur, intersint, sedulo moneant. Per praesentes autem super aliquâ irregularitate, publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate aut inhabilitate quomodolibet contractâ, nec etiam in foro conscientiae, dispensare, ullamve facultatem dispensandi tribuere non intendimus: declarantes, has ipsas praesentes quoad absolutionem in foro conscientiae tantum, non autem in foro fori consequendum ullo modo suffragari.

Contrariis derogat.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quorumcumque Ordinum, congregationum et institutorum regularium (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, congregationibus et institutis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, earumque totis tenoribus, specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut expressio habenda vel quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficiente expressis, ac formam in illis traditam penitus pro servatâ habentes, hac vice specialiter et expresse ad effectum praesentium derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 8. Volumus autem, ut praesentium transumptis vel exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique gentium et locorum adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII octobris MDCXXIII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 22 octobris 1623, pontif. an. II.

XI.

Confirmatio decretorum sacrae congregationis Concilii, quibus cassatis capituli Atrebatensis assertis privilegiis, competens episcopo asseritur iurisdictio ad formam Concilii Tridentini[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Decet Romanum Pontificem in beati Petri Principis apostolorum Sede a Domino constitutum, ut ea, quae per sanctae Romanae Ecclesiae cardinales in partem apostolicae sollicitudinis vocatos, pro sedandis litibus et controversiis inter personas ecclesiasticas vertentibus, mature et consulte declarata et firmata sunt, suum sortiantur effectum, opportune providere, et alias pastoralis officii sui partes desuper favorabiliter interponere, prout, rerum, temporum et personarum qualitatibus debite pensatis, conspicit salubriter in Domino expedire.

Causa inter episcopum et

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, in

1 Ex Regest. in Secret. Brev. Hanc constitutionem refert quoque Miraeus in Oper. Diplomat., tom. II, pag. 1112.

capitulum Atrebatense vertente.

causâ seu controversiâ aut quaestionis materiâ de et super iurisdictione inter venerabilem fratrem Hermannum episcopum Atrebatensem ex unâ et dilectos filios capitulum et canonicos ecclesiae Atrebatensis ex alterâ partibus vertente, et tunc Sedis Apostolicae in Belgicis ditionibus commoranti nuntio commissâ, per illum vero ad dictam Sedem, et ab eâ ad venerabiles fratres nostros sanctae Romanae Ecclesiae cardinales sacri Concilii Tridentini interpretes remissâ, super eiusdem causae seu controversiae statu et meritis infrascriptis ab eisdem cardinalibus emanarint declarationes, seu decreta, tenoris sequentis, videlicet:

Et ad sacram congregationem Concilii remissa;

Cuius causae series hic recensetur,

§ 2. Cum annis superioribus Hermannus Ortembergus episcopus Atrebatensis iurisdictionem, sibi a sacris canonibus et Tridentini Concilii decretis attributam, et quam felicis recordationis Paulus Papa IV in litteris erectionis ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium Belgii, instante gloriosae memoriae Philippo II rege catholico anno MDLIX expeditis, in civitates et dioeceses, cleros et populos eiusdem Belgii suis ipsorum, qui pro tempore fuerint, episcopis competere declaravit, exercere vellet in duos beneficiatos suae cathedralis ecclesiae, occasione incestus, necnon sacrilegii, seu forsan alicuius incontinentiae criminis, ab eis, ut praetendebatur, patrati; capitulum et canonici se opposuerunt, asserentes, se, unâ cum ecclesiâ cathedrali, eiusque beneficiatos ministros, seu habitum eiusdem ecclesiae deferentes, esse exemptos ab omnimodâ episcopi iurisdictione, praecipue in vim cuiusdam praetensae concordiae anno MCDXXXIX a Fortigano tunc Atrebatensi episcopo initae, et paulo post a felicis recordationis Eugenio Papa IV confirmatae, cum insertione totius tenoris in litteris confirmationis, atque ab immemorabili tempore observatae, quandoquidem assertam concordiam praetendebant non esse sublatam decretis Concilii, tum propter duplex vinculum, tum quia Concilium non substulit nisi exemptiones eorum, qui subsunt immediate Sedi Apostolicae, non autem capituli Atrebatensis, quod praetendit se immediate fuisse subiectum primum archiepiscopo Rhemensi, ac deinde Cameracensi, qui in illius locum fuit subrogatus, et propterea dicebant praesentem episcopum, qui iuravit se observaturum iura, consuetudines, privilegia ac libertates ecclesiae, non esse audiendum contra proprium iuramentum, sed eum debere stare sententiae, seu decreto, quod arrestum parlamenti Parisiensis vocant, super exequutionem eiusdem concordiae in partibus lato.

Cum vero eiusmodi causa nuntio apostolico commissa fuisset, idem nuntius, accedente etiam consensu inclytae memoriae archiducis Alberti Belgarum principis, sanctissimum Dominum nostrum duxit consulendum, cum ageretur de re ad interpretationem sacri Concilii Tridentini pertinente, cuius quidem concilii interpretatio et declaratio a solâ Sede Apostolicâ, seu ab illustrissimis cardinalibus eiusdem concilii interpretibus, et non aliis, peti aut obtineri potest. Et cum Sanctitas Sua huiusmodi controversiae declarationem ad sacram congregationem eorumdem cardinalium remisisset, ac deinde canonicorum et capituli agens saepius apud eamdem sacram congregationem pro eiusmodi interpretatione et declaratione obtinendâ auditus fuisset, tandem, re saepius ac diligenter discussâ, emanavit infrascriptum dubium, pro cuius declaratione nunc agitur, videlicet:

Positis scripturis ac iuribus utrimque exhibitis, an asserta concordia seu concessio Fortigarii olim episcopi Atrebatensis, ab Eugenio IV confirmata, fuerit a Concilio ex decretis cap. IV, sess. VI, et cap. VI, sess. XXV sublata, nec ne?

Una cum decretis sacrae congregationis;

Die XX[1] februarii MDCXXIII sacra congregatio cardinalium Concilii Tridentini interpretum, re accurato studio discussâ, declaravit fuisse sublatam.

ROBERTUS Card. UBALDINUS.

Cum die X februarii proxime praeteriti, audito capituli Atrebatensis agente, actum fuisset in sacrâ congregatione cardinalium Concilii Tridentini interpretum pro declaratione seu assertâ concordiâ seu concessione Fortigarii olim episcopi Atrebatensis ab Eugenio IV confirmatâ, qua capitulum et canonici, beneficiati, ministri, ac aliae ecclesiae cathedralis personae eximebantur ab omnimodâ episcopi iurisdictione, an[2] fuisset eiusdem Concilii decretis cap. IV, sess. VI, et cap VI, sess. XXV sublata, eadem sacra congregatio censuit fuisse sublatam; advertit enim inter cetera, eiusmodi concessionem, singulis eius partibus diligenter perpensis, non fuisse veram concordiam praeservatam a Concilio, quemadmodum capitulum contendebat, sed nudum privilegium ipsius episcopi, seu pactum gratuitum, quod Concilium non praeservavit, imo expresse sustulit dictis cap. IV et VI.

Et nihilominus, quatenus etiam fuisset vera concordia, advertit tamen sacra congregatio illam non fuisse ab Eugenio IV confirmatam ex certâ scientiâ et cum causae cognitione, vere et non ficte, quemadmodum copulative requiritur ad hoc, ut censeatur praeservata a Concilio, neque in ipsâ supplicatione, cuius vigore litterae confirmationis expeditae fuerunt, insertum fuisse vere totum tenorem ipsius praetensae concordiae, eamque coadiuvari haud posse sententiâ seu decreto super illius exequutione in partibus lato, et a capituli agente producto, neque ei suffragari immemorabilem observantiam, quatenus etiam de eâ constaret, aut praetensam immediatam subiectionem archiepiscopo, aut episcopo, cum his omnibus fuerit per Concilium amplissime derogatum.

Nunc vero dubium quoddam circa interpretationem et observantiam eiusdem declarationis emergit, quod, licet sit veluti pars et sequela declarationis praedictae, et satis per se clarum videatur, praesertim stantibus litteris felicis recordationis Pauli IV super erectione novorum episcopatuum Belgii, instante gloriosae memoriae Philippo II rege catholico, anno MDLIX expeditis, in quibus civitates, dioeceses, cleri et populi ipsius Belgii, quoad ordinariam episcopalem iurisdictionem et potestatem attinet, suis ipsorum, qui pro tempore fuerint, episcopis subiecti esse decernuntur, statutis, ordinationibus et consuetudinibus ac privilegiis quibuscumque non obstantibus; tamen ad contentiones evitandas supplicatur sacrae congregationi, ut dignetur huiusmodi dubium ad interpretationem ipsius Concilii pertinens specialiter declarare, videlicet: An episcopus Atrebatensis suam cathedralem ecclesiam, eiusque capitulum et personas visitare possit ad praescriptum dicti cap. IV, sess. VI, et extra visitationem capitularium causas criminales cum adiunctis, aliorum vero, qui nec dignitates obtinent, nec sunt de capitulo, per se ipsum cognoscere valeat, ex decreto dicti Concilii cap. VI, sess. XXV, assertâ concordiâ, exemptionibus, privilegiis, sententiis, praescriptione vel consuetudine etiam immemorabili contrariâ non obstantibus, et An in praemissis obstet episcopo iuramentum de observandis iuribus, consuetudinibus, privilegiis, ac libertatibus ecclesiae suae praestitum die XVII maii MDCXXIII. Sacra congregatio cardinalium Concilii Tridentini interpretum declaravit, episcopum Atrebatensem posse ecclesiam suam cathedralem, eiusque ca-

1 Videretur quod potius legendum foret X, ut patet ex sequentibus (R. T.).

2 Particulam *an* nos addimus (R. T.).

pitulum ac personas visitare, et extra visitationem causas criminales capitularium unâ cum adiunctis, aliorum vero, qui nec dignitates obtinent, nec sunt de capitulo, per se ipsum cognoscere ac definire, non obstante assertâ concordiâ, privilegiis, exemptionibus, sententiis et praescriptionibus vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus; eidemque episcopo, quominus praedicta exequi possit, minime obstare iuramentum, ut proponitur, praestitum de observandis iuribus, consuetudinibus, privilegiis atque libertatibus ecclesiae suae.

ROBERTUS card. UBALDINUS.

His tamen non acquiescens canonicorum et capituli agens, ad eamdem sacram congregationem recursum habuit, petens eiusmodi dubium, eiusque declarationem revideri, et de novo examinari, ac proinde nonnulla iura et documenta unâ cum voto seu allegationibus doctorum Lovaniensium et Duacensium universitatum exhibuit: quibus tamen obiectionibus cum fuerit abunde satisfactum, supplicatur declarari: An standum sit in declaratione seu decisione die x februarii proxime praeteriti editâ, nec ne?

Die I iulii MDCXXIII sacra congregatio cardinalium Concilii Tridentini interpretum perstitit in decisis:

Urbanus Papa VIII

§ 3. Nos, inviolabili declarationum seu decretorum eorumdem observationi, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio, non ad dicti Hermanni episcopi, vel alterius pro eo nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione

Praedicta confirmat decreta:

nostris, declarationes seu decreta praefata, cum omnibus et singulis in eis contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illiusque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos, tam iuris quam facti, et quosvis alios etiam quantumvis substantiales defectus, si qui in praemissis aut eorum aliquo quomodolibet intervenerint aut intervenisse dici vel censeri possit, supplemus.

Clausulas pro eorumdem decretorum firmitate necessarias apponit;

§ 4. Decernentes praesentes litteras, omniaque et singula in eis contenta, semper et perpetuo valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, quos illa concernunt, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Ac eorumdem exequutores hic designat.

§ 5. Quocirca venerabilibus fratribus Ioanni Francisco Patracensi moderno et pro tempore existenti nostro et Sedis Apostolicae in Belgicis ditionibus nuncio, ac Mechliniensi archiepiscopis, necnon episcopo Tornacensi, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dicti Hermanni moderni et pro tempore existentis episcopi Atrebatensis fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere, easdemque praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria tollit.

§ 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et dictae ecclesiae Atrebatensis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III novembris MDCXXIII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 3 novembris 1623, pontif. an. I.

XII.

Ecclesiarum Argentinensis et Passaviensis administratori interdicitur, quominus feuda, ad easdem ecclesias pertinentia, haereticis, seu de fide catholicâ male sentientibus, locet[1].

Dilecto filio Leopoldo ex archiducibus Austriae, ecclesiae Argentinensis administratori,

Urbanus Papa VIII,

Dilecte fili,

Exordium.

salutem et apostolicam benedictionem.

Pastoralis officii nostri cura, et ecclesiarum omnium solicitudo a nobis iugiter postulat, ut, quae fidei catholicae non mediocri detrimento esse, quaeque ecclesiis, earumque bonis et iuribus grave damnum afferre possunt, ea, quantum nobis ex alto conceditur, prohibeamus.

Praeceptum de quo in rubricâ.

§ 1. Iustis itaque de causis animum nostrum moventibus, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, tibi, ne quaevis Argentinensis et Passaviensis ecclesiarum, quarum administrator apostolicâ auctoritate deputatus existis, feuda, cuiuscumque speciei, qualitatis, quantitatis et valoris etiam minimi, seu alia quaecumque eiusdem ecclesiae bona, neque ad breve tempus, aut aliàs quomodolibet, haereticis seu personis de fide catholicâ male sentientibus, sub quovis quaesito colore, ingenio vel praetextu, concedere, locare, appignorare, aut aliàs quomodolibet distrahere audeas seu praesumas, sub indignationis nostrae, ac aliis censuris et poenis in sacris canonibus, conciliorum decretis, ac constitutionibus apostolicis contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus.

Locationes, si quas contra huiusmodi mandatum fieri contingat, irritantur.

§ 2. Decernentes nihilominus quascumque concessiones, locationes, oppignorationes aut distractiones, si quas per te contra praesentium tenorem fieri contigerit, nullas, irritas et inanes, nulliusque roboris et momenti esse, seu fore, nec ulli quovis modo suffragari posse; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari: in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII novembris MDCXXIII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 18 novembris 1623, pontif. an. I.

---

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

XIII.

Confirmatio capitulorum pro mercatoribus nationum Florentinae, Mediolanensis, Venetae et Bononiensis, in civitate Placentiae[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Ex iniuncto nobis desuper apostolicae servitutis officio christifidelium quorumlibet votis communem eorum utilitatem concernentibus libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis.

Mercatores statuta nonnulla efformant pro reformatione nundinarum cambiorum in civitate Placentina. § 1. Cum itaque, sicut dilecti filii mercatores sive negociatores nationum Florentinae, Mediolanensis, Venetae, ac Bononiensis, nobis nuper exponi fecerunt, ipsi aliàs, ne magno cum incommodo atque detrimento non solum totius Italiae, verum etiam aliarum nationum cum ipsis negociantium, nundinae cambiorum, statutis temporibus, in civitate Placentinâ, provinciae Bononiensis, eatenus haberi consuetae, destituerentur, quaedam capitula ad conservationem negociationis in praedictâ civitate Placentinâ, ac nonnullorum abusuum, qui in eâ aliquâ ex parte irrepsisse videbantur, correctionem, et ipsarum nundinarum in melius reformationem ediderint, illaque a felicis recordationis Gregorio Papa XV praedecessore nostro approbari et confirmari obtinuerint;

Et apostolicâ auctoritate petunt confirmari. § 2. Pro maiori autem capitulorum huiusmodi validitate et observantiâ, illa etiam apostolicae nostrae[2] confirmationis robore communiri plurimum desiderent:

Confirmat Urbanus. § 3. Nos, mercatores sive negociatores praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, capitula praedicta, dummodo tamen licita sint et honesta, sacrisque canonibus et Concili Tridentini decretis et constitutionibus apostolicis non adversentur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes capitula praedicta ab eisdem mercatoribus, seu negociatoribus, et aliis, quos illa concernunt, observari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariisqu derogat. § 4. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIX novembris MDCXXIII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 29 novembris 1623, pontif. anno I.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Erronee edit. Main. legit *nostra* (R. T.).

XIV.

Extensio indulti recitandi officium et Missam celebrandi de beata Margarita de Cortona, moniali Tertii Ordinis S. Francisci, pro omnibus, tam viris quam mulieribus, dicti Ordinis ubique existentibus.

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium Caelestis aquae flumen, quod ab inexhausto vitae fonte procedens, impetu perpetuo fluit, fidelium mentes septem cha-

rismatum donis felici inundatione fecundans, multo cernitur admirabilior, cum erga vascula infirmiora et sexum consilii imbecillioris apponens cor suum, misericordiarum suarum divitias superabundanter elargitur.

Leo X indulsit posse celebrari missam cum officio de hac Beata in civitate Cortonensi et illius dioecesi.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Leo Papa X praedecessor noster ex praeclaris attestationibus a piae memoriae Bonifacio VIII et Eugenio IV Romanis Pontificibus, etiam praedecessoribus nostris, de B. Margherita de Cortona, moniali Tertii Ordinis S. Francisci de Poenitentia, prolatis motus, quod festum ipsius B. Margheritae cum officio nec virginis nec martyris in ecclesiâ S. Margaritae civitatis Cortonensis singulis annis die XXII mensis februarii celebrari, eademque B. Margarita a quibusvis christifidelibus in civitate praedictâ et illâ dioecesi privatim et publice venerari libere et licite valeret, apostolicâ auctoritate indulsit, prout in suis exinde confectis litteris plenius continetur.

Hoc indultum congregationis sacrorum rituum extendit ad omnes fratres et moniales Ordinis S. Francisci.

§ 2. Nuperrime vero congregatio venerabilium fratrum nostrorum S. Romanae Ecclesiae cardinalium super sacris ritibus deputatorum, consideratâ sanctitate praedictae B. Margaritae, quae a trecentis annis et ultra continuo miraculorum splendore coruscat, necnon mirabili illius corporis integritate, quae his etiam diebus supra naturae vires odorem efflat suavissimum, ad instantiam, non solum cleri et populi Cortonensis, sed etiam fratrum Ordinis S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum, dilectorum filiorum, ad omnes eiusdem Ordinis S. Francisci viros et mulieres indultum praedictum extendi posse (habito super hoc felicis memoriae Gregorii Papae XV similiter praedecessoris nostri beneplacito, ac omnibus eiusdem S. Romanae Ecclesiae cardinalibus unanimiter consentientibus) decrevit.

Fratres supplicant pro humiliter supplicatum, quatenus pro eorum desiderio, ut infra, annuere de benignitate apostolicâ dignaremur.

ius decreti confirmatione.

§ 3. Quare pro eorumdem cleri et populi ac fratrum parte nobis nuper fuit

§ 4. Nos igitur, attendentes, quod sicut ipsa B. Margarita coruscat in caelis, ita quasi multiplici rutilantium honore gemmarum coronâ decorâ caelo universo praefulgeat, cleri et populi ac fratrum praedictorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes; necnon litterarum praedictarum et inde sequutorum quorumcumque tenores praesentibus pro expressis habentes; huiusmodi supplicationibus inclinati, de voto eiusdem congregationis sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium super ritibus Ecclesiae deputatorum, indultum et desuper confectas litteras huiusmodi ad omnes et singulas personas, tam viros videlicet quam mulieres, nunc et pro tempore existentes eiusdem Ordinis S. Francisci, earumque ecclesias, tam intra Italiam quam extra ubicumque consistentes (ita quod ex nunc de cetero perpetuis futuris temporibus possint huiusmodi festum dictae B. Margaritae in earum ecclesiis huiusmodi quotannis dictâ die XXII februarii cum officio nec virginis nec martyris celebrare, et eamdem B. Margaritam privatim et publice venerari libere et licite possint et valeant) apostolicâ auctoritate praedictâ extendimus, ac extensam et extensas ex nunc esse et fore, dictasque personas desuper a quoquam quovis praetextu, colore, vel ingenio molestari, perturbari, aut quoquomodo impediri nullatenus unquam posse; necnon quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit

Urbanus VIII confirmat.

attentari, irritum et inane dictâ auctoritate decernimus.

Contraria removet.

§ 5. Non obstantibes praemissis, ac, quatenus opus sit, regulâ nostrâ de gratiis ad instar non concedendis, aliisque quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis, quae dictus Leo praedecessor in dictis litteris voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, extensionis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXIII, idibus decembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 13 decembris 1623, pontif. anno I.

XV.

Deputatio archiepiscopi Cretensis in visitatorem totius regni Cretae [1].

Venerabili fratri
Lucae archiepiscopo Cretensi
Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Proœmium.

In speculâ militantis Ecclesiae meritis licet imparibus inscrutabili divinae sapientiae providentiâ constituti, pastoralis sollicitudinis oculos ad omnes christifideles et eas etiam orbis ecclesias, quae propter populorum distantiam opem et operam nostras magis implorare dignoscuntur, paterne dirigimus, ac per visitationis remedia, aliisque, quibus possumus, rationibus, religionem in illis catholicam conservare, et, ubi collapsa sit, restituere, indefessâ mentis nostrae vigilantiâ procuramus; quodque per nos ipsos praestare nequimus, idipsum per praelatos fide et integritate probatos adimplere studemus.

Cretensi archiepiscopo committitur visitatio apostolica totius regni Cretensis.

§ 1. Motu itaque proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, te, de cuius prudentiâ et catholicae religionis zelo plurimum in Domino confidimus, nostrum et Apostolicae Sedis generalem et specialem visitatorem, reformatorem et delegatum in totâ insulâ Cretensi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facimus, constituimus et deputamus, ac tibi per easdem praesentes mandamus, ut ad civitates, oppida, districtus, terras et loca quaecumque eiusdem insulae te conferas, ibique omnes et singulas cathedrales, collegiatas, parochiales et alias quascumque cum curâ et sine curâ ecclesias, cappellanias, aliaque beneficia ecclesiastica, etiam ruralia, et alia quocumque nomine nuncupata, aut qualificata, etiam de iure patronatus laicorum, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis et dignitatis illi sint, necnon hospitalia, oratoria, confraternitates, societates, seu scholas etiam laicorum, etiam disciplinantium, et alias quomodolibet nuncupatas, et alia pia loca etiam per laicos gubernari solita, etiam quomodolibet exempta, ac nobis et Apostolicae Sedi immediate subiecta, etiamsi nullius dioecesis, vel hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, vel aliarum militiarum existant, etiam ea, quae districtus et territoria propria habent, necnon etiam ea omnia, quae ipsi locorum Ordinarii, tamquam eiusdem Sedis Apostolicae delegati de iure vel ex decretis sacri Concilii Tridentini visitare possunt, eorumque capitula, archidiaconos, praepositos, archipresbyteros et alias dignitates, etiam maiores post pontificalem, vel principales in ipsis collegiatis, ac personatus et officia obtinentes, canonicos, parochialium ecclesiarum rectores, portio-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

narios, presbyteros, beneficiatos, clericos et personatus[1] cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentes, necnon monasteria et alia regularia loca cuiusvis ordinis et instituti seu congregationis existentia, etiam commendata, illorumque ecclesias, cappellas, membra, conventus, atque personas etiam exemptas, ac nobis et Apostolicae Sedi immediate, ut praefertur, subiectas, tam extra monasteria et loca regularia, quam intra ordinum, militiarum et hospitalium praedictorum domos et septa commorantes, auctoritate nostrâ visitare, ac in eorum statum, formam, regulas, instituta, regimen, statuta, consuetudines, vitam, mores, ritus et disciplinam, tam coniunctim quam divisim, ac tam in capite quam in membris, diligenter inquirere, corrigere et reformare libere et licite valeas, plenam, liberam et amplam auctoritatem et facultatem, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et impertimur.

Obedientia ei praestanda.

§ 2. Mandantes propterea omnibus et singulis, ad quos spectat, ut tibi in praemissis omnibus et singulis prompte pareant, obediant et assistant, tuaque salubria monita et mandata suscipiant humiliter, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiarum, monasteriorum et aliorum regularium locorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Relatio Sedi Apostolica facienda.

§ 4. Volumus autem, ut, quae in huiusmodi visitatione repereris, ea, necnon statum dictae insulae quoad Dei cultum religionemque catholicam huiusmodi, ac remedia pro illâ conservandâ et propagandâ, ad nos quamprimum diligenter transmittas.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV decembris MDCXXIII, pontificatus nostri anno I[1].

Dat. die 14 decembris 1623, pontif. an. I.

1 Heic videretur legendum *personas* (R. T.).

XVI.

Confirmatio litterarum Pauli V super carnibus in regno Siciliae mactandis[2].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Paulus V cavit, quominus in Regno Siciliae boves, aliaque pecudum ad arandum aptorum genera macterentur.

Aliàs a felicis recordationis Paulo Papa V praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis videlicet: Paulus Papa V ad futuram rei memoriam, *Aliàs ex causis* (reliqua vide in Constitutione LXXXI, tom. XI, pag. 434).

Pauli litteras confirmari prorex petit;

§ 1. Cum autem, sicut dilectus filius Philibertus a Sabaudia, prioratus Castellae et Legionis hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani prior, et modernus praedicti

1 Eiusdem exempli litterae die XII iulii anni MDCXXIV directae fuerunt Octavio archiepiscopo Iadrensi, ut ecclesias et ecclesiasticos omnes in Dalmatia existentes auctoritate apostolicâ visitaret.

2 Ex Regest. in Secret. Brev. Paulus V in Constitut. LXIX quae legitur tom. XI, pag. 385, aliâque ibidem positâ sub num. LXXXI, pag. 434 prohibuit, quominus ecclesiastici eiusdem regni animalia agrorum culturae utilia mactarent.

regni prorex nobis nuper exponi fecit, ipse plurimum cupiat, praeinsertas litteras huiusmodi pro firmiori illarum subsistentiâ et validitate apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut desuper opportune indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat Urbanus.

§ 2. Nos igitur, dicti Philippi proregis votis huiusmodi annuere, illumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praeinsertas litteras huiusmodi, ac omnia et singula in eis contenta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolabiliter observari debere, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis litteris concessa sunt non obstare, ceteris que contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI decembris MDCXXIII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 16 decembris 1623, pontif. an. I.

XVII.

Friderico cardinali Borromaeo archiepiscopo Mediolanensi committitur PP. Iesuitis, Barnabitis et Cappuccinis inhibeat, ne alumnos seminariorum Mediolanensium ad habitum regularem admittant[1].

Dilecto filio nostro Friderico tituli S. Mariae Angelorum presbytero cardinali Borromaeo nuncupato, ecclesiae Mediolanensis ex concessione et dispensatione apostolicâ praesuli,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Causae faciendae prohibitionis.

Cum, sicut accepimus, diversorum seminariorum civitatis Mediolanensis alumni litterarum studiis sub dilectorum filiorum clericorum regularium Societatis Iesu curâ et disciplinâ operam navent, ac, ut spiritualibus etiam documentis per amplius imbuantur, cum dilectis pariter filiis clericis regularibus Congregationis S. Pauli Decollati ac fratribus Minoribus Ordinis S. Francisci Cappuccinis nuncupatis conversari soleant, facile vero fieri possit, ut iidem alumni, sive educatione, sive conversatione huiusmodi, seu aliàs inducti, habitum per clericos regulares sive religiosos huiusmodi gestari solitum suscipiant, unde seminaria praedicta eum, ad quem instituta sunt, finem minime consequantur:

Commissio de qua in rubricâ.

§ 2. Nos, super praemissis, quantum cum Domino possumus, opportune providere volentes, ac felicis recordationis Pii V et Gregorii XIII Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, qui prospero istius ecclesiae Mediolanensis regimini de simili remedio consultum esse voluerunt, vestigiis inhaerentes, circumspectioni tuae per praesentes iniungimus, ut tam Societatis, quam Congregationis

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

et Ordinis praedictorum superioribus, quocumque nomine nuncupatis, ne alumnos seminariorum praedictorum, quamdiu in seminariis praedictis permanserint, nec etiam quadriennio, a die illorum e dictis seminariis recessus computando, durante, ad habitum et professionem regulares in Societate, sive Congregatione, aut Ordine huiusmodi sub quovis quaesito colore, ingenio vel praetextu admittant, sive quadriennio huiusmodi durante in aliquo ex collegiis sive domibus et locis regularibus Societatis, seu Congregationis, vel Ordinis huiusmodi, vel ab eis dependentibus, seu penes personas confidentes retineant, seu admittere vel retinere praesumant, sub censuris et poenis ecclesiasticis arbitrio tuo imponendis, auctoritate nostrâ inhibeas; contradictoresque quoslibet et rebelles, ac tibi in praemissis non parentes, censuras et poenas praedictas incurrisse declares. Decernentes irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Societatis, Congregationis et Ordinis praedictorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI decembris MDCXXIII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 16 decembris 1623, pontif. an. I.

XVIII.

Confirmatio litterarum Gregorii XV super regimine monialium Carmelitarum Discalceatarum regni Franciae[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brevium. Gregorii litteras vide tom. XII, pag. 505, seq.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem, aequi, bonique supremum assertorem, ea, quae per praedecessores suos pro felici christifidelium sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium et praesertim sanctimonialium regimine atque gubernio, nec non pace et quiete, maturâ consideratione adhibitâ, facta et decreta esse noscuntur, ut ab omnibus, quos ea concernunt, sublatis quibuslibet impedimentis, inviolabiliter observentur, apostolicae confirmationis robore communire, prout, rerum[1], personarum, ac temporum qualitatibus debite pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Gregorii XV recensentur litterae.

§ 1. Aliàs siquidem a recolendae memoriae Gregorio Papae XV praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: *Gregorius Papa XV ad perpetuam rei memoriam. Aliàs postquam felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor*, etc. (Reliqua vide in loc. cit. in not. ad rubricam).

Et confirmantur.

§ 2. Quare inviolabili praeinsertarum litterarum huiusmodi observationi, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, sufficienter etiam auditis earumdem monialium procuratoribus, illarumque praetensis iuribus mature perpensis, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praeinsertas litteras praedictas, cum omnibus et singulis in eis contentis, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praeinsertas litteras, omniaque et singula in eis contenta semper et perpetuo valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plena-

1 Inordinate edit. Main. legit *rerum prout* (R.T).

rios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, quos illa quomodolibet concernunt et concernent in futurum, inviolabiliter observari debere; sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputatio exequutorum.

§ 4. Quocirca Francisco et Ludovico cardinalibus praedictis per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta huiusmodi, ubi et quando opus fuerit, faciant auctoritate nostrâ ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari. Contradictores quoslibet et rebelles, et praemissis non parentes, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus omnibus illis, quae dictus Gregorius praedecessor in praeinsertis litteris huiusmodi voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX decembris MDCXXIII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 20 decembris 1623, pontif. an. I.

XIX.

Privilegia, indulta, gratiae et exemptiones pro dapiferis, qui pontifici, ceterisque S. R. E. cardinalibus in conclavi inservierunt.

1 Similia privilegia collata conclavistis vide supra in Const. II Gregorii XV tom. XII, pag. 492. Alia vero videbimus postea dapiferis collata a Clemente X, Innoc. XI, Clem. XII, etc.

Urbanus Episcopus
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Romanus Pontifex, ad quem gratiarum omnium distributio spectat et pertinet, singulorum merita et probitatem aequâ lance perpendens, personas illas potiori favore attollere, maiorique praerogativâ decorare consuevit, quas sibi et Sedi Apostolicae obsequiosas, et in laboribus et vigiliis pro eâdem Sede sufferendis indefessas, et pluribus cognoscit meritis iuvari.

Causae concessionis huiusmodi privilegiorum.

§ 1. Hinc est quod nos, volentes dilectos filios, nostrum, dum cardinalatus honore fungebamur, et venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium dapiferos, qui nobis et eisdem cardinalibus in conclavi, in quo nos, divinâ favente clementiâ, ad summi apostolatus apicem assumpti fuimus, existentibus inservierunt, quique eâ de causâ labores et incommoda plura subierunt, habitâ ratione obsequiorum, favoribus, gratiis et privilegiis pro cuiusque meritis honorare;

Dapiferi creantur cives, nobiles; comites lateranenses, notarii apostolici.

§ 2. Ac eosdem conclavistas et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; motu proprio, non ad ipsorum dapiferorum, vel alterius pro ipsis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex merâ liberalitate, certâque scientiâ nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, eosdem dapiferos, et eorum singulos, in veros, indubitatos et non fictos familiares continuos commensales nostros, et eos, qui ex illis clerici existunt, seu militiae clericali adscribi desiderant, quosque tres ex praedictis cardinalibus, in quolibet ordine antiquiores, gradu, nobilitate et aliis meritis

dignos tali dignitate iudicaverint, in nostros et Apostolicae Sedis notarios, sine tamen praeiudicio dilectorum filiorum notariorum de numero participantium, tenore praesentium recipimus, et tam illos, quam alios dapiferos singulos, qui singillatim ab eisdem tribus cardinalibus digni tali honore approbati fuerint, sacri palatii et aulae Lateranensis comites et milites, ac tam illos, quam alios omnes et quoscumque dapiferos indistincte, qui nobiles non sunt, nobiles, quique Urbis, vel alicuius alterius ex civitatibus temporali dominio dictae Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis cives esse voluerint, singulos in ipsâ civitate, quam singillatim quisque eorum elegerit, et ad quam se ab eisdem cardinalibus admitti petierit, veros cives ad instar et nullâ prorsus differentiâ inter eos et singulos alios veros, originarios et antiquissimos etiam nobiles et participantes cives ipsius Urbis, vel civitatis, ita ut ipsum ius civitatis ad quoscumque illorum haeredes eodem modo transeat, creamus, constituimus et assignamus, ac nobilitatis et civilitatis titulo, honore et insignibus decoramus, aliorumque familiarium continuorum commensalium nobis actu in palatio nostro apostolico servientium, et illius tinello comedentium et bibentium, nostrorum et Sedis praedictae notariorum, palatiique et aulae praedictarum comitum, militum et nobilium, ac civium huiusmodi originariorum numero et consortio favorabiliter aggregamus, ac pro veris, indubitatis et non fictis familiaribus, continuis commensalibus, ac notariis nostris, comitibusque, militibus, nobilibusque ac civibus deinceps haberi et reputari volumus et mandamus.

Cum omnibus privilegiis huiusmodi nobilibus, notariis apostolicis, etc. competentibus.

§ 3. Eisque, ut in quibuscumque impetrationibus, concessionibus et litteris, tam gratiam quam iustitiam concernentibus, se familiares continuos commensales nostros et comites, milites, nobiles, ac cives etiam originarios nominare, nec propterea impetrationes, concessiones et litterae ipsae subreptionis vitio subiaceant, sed validae et efficaces existant, ac ex nunc deinceps in perpetuum omnibus et quibuscumque, ac prorsus similibus antelationibus, antelationum praerogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, decretis, declarationibus, derogationibus, mandatis, suspensionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, indultis ac iuribus, quibus alii nostri familiares tempore datae assumptionis nostrae ad summi apostolatus apicem, ac quibus alii eiusdem Sedis notarii etiam de numero participantium existentes, etiamsi habitum et rocchettum notariorum ipsius Sedis non deferant, palatiique et aulae praedictarum comites et milites, ac nobiles et originarii, ac antiquissimi cives eiusdem Urbis, vel civitatis, quam, ut praefertur, elegerint, quicumque ex utroque parente vere nobili et cive originario et antiquissimo procreati, de iure, statuto, consuetudine, vel aliâs ex aliquo speciali privilegio, seu aliàs etiam per quascumque litteras seu constitutiones apostolicas pro tempore editas, utuntur, potiuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, potiri, frui et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, ubique locorum in iudicio et extra, sine tamen eorumdem notariorum de numero participantium praeiudicio, uti, frui, potiri et gaudere, libere et licite valeant, realiter et integre, in omnibus et per omnia, etiamsi in Urbe et civitate huiusmodi non habitaverint, perinde ac si de vere nobili genere ex utroque parente originario et antiquissimo cive procreati forent et huiusmodi praerogativae, privilegia, exemptiones, gratiae, favores, concessiones, indulta et iura, quae pro aliis nobilibus et civibus originariis emanarunt, et quae ratione nobilitatis et civilitatis naturalis

et originariae aliis competunt, pro eisdem dapiferis in specie emanassent seu emanarent, et eis naturaliter de iure, statuto, consuetudine, fundatione, vel aliàs competerent, earumdem tenore praesentium indulgemus.

Eximuntur a solutione decimarum.

§ 4. Ac singulos dapiferos praedictos a solutione et exactione decimarum ecclesiasticarum ubique locorum et ex quacumque quantumvis urgentissimâ et inexcogitabili causâ et occasione, et ad instantiam imperatoris, regum et rerumpublicarum, etiam Venetiarum, et quorumcumque aliorum principum, impositarum et imponendarum pro tempore liberamus et eximimus, liberosque et exemptos fore et esse decernimus.

Eis condonantur fructus ecclesiastici male percepti.

§ 5. Ipsisque dapiferis singulis quoscumque fructus, redditus et proventus ecclesiasticos, tam occasione pensionum annuarum, ipsis vel eorum alicui reservatarum, quam ratione omissionis recitationis horarum canonicarum indebite perceptos, cuiuscumque quantitatis fuerint, gratiose remittimus et condonamus.

Et a quacumque inhabilitate ad sacros ordines suscipiendos dispensantur;

§ 6. Ac cum eis super inhabilitate per eos propterea quomodolibet contractâ, vel etiam ex eo, quod censuris huiusmodi ligati missas et alia divina officia, dummodo tamen non in contemptum clavium, celebraverint, aut aliâs divinis se immiscuerint, ut, illâ et eisdem praemissis non obstantibus, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines aliàs rite promoveri, et in illis, ac in susceptis per eos aliàs rite ordinibus, etiam in altaris ministerio ministrare etiam libere et licite valeant, dispensamus.

Necnon super illegitimitate, alioque natalium defectu.

§ 7. Ac eosdem dapiferos, si qui eorum defectum natalium[1], ex quocumque damnato et illicito coitu, etiamsi ex nobilissimis parentibus et vilibus feminis forsan procreati sint, etiamsi legitimati aliàs existant, legitimamus, omnemque ab illis geniturae huiusmodi maculam sive notam abstergimus et abolemus, ac natalibus restituimus.

1 Deest verbum *contraxerint*, aut simile (R.T.).

Ad successionem bonorum habiles redduntur;

§ 8. Ac cum eorum singulis, ut in quibuscumque bonis paternis et maternis, et aliorum consanguineorum seu cognatorum, vel aliorum quorumcumque, non tamen feudalibus et emphyteuticis, aut ecclesiasticis vel ab ecclesiâ acquisitis, ac sine praeiudicio venientium ab intestato, vel ex fideicommisso, seu aliàs de iure validâ dispositione succedere et illa donationis, vel alio quovis titulo consequi et habere, ac ad aequales portiones cum legitimis succedere (eos ad omnia iura legitima, successiones ex testamento, vel ab intestato, haereditatis legata, liberos[1] restituendo et reintegrando realiter et cum effectu),

Et ad quaecumque etiam beneficia ecclesiastica obtinenda.

§ 9. Necnon ad dignitates, honores et quaecumque alia officia secularia, publica vel privata etiam assumi, illaque gerere et exercere, in omnibus et per omnia, ac si de legitimo matrimonio procreati forent, ac eodem defectu non obstante, si aliud canonicum eis non obsistat impedimentum, ac clericali charactere, qui illo nondum insigniti sunt, insigniri, ac ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, si nondum ad illos promoti sunt, promoveri, ac postmodum charactere et ordinibus huiusmodi, illorumque privilegiis uti, ac in eisdem ordinibus etiam in altaris ministerio ministrare, ac quaecumque et qualiacumque cum curâ et sine curâ beneficia ecclesiastica (etiamsi personatus, administrationes et officia, etiam curata et electiva, in cathedralibus, etiam metropolitanis, vel collegiatis ecclesiis, seu parochiales ecclesiae, vel earum perpetuae vicariae, ac canonicatus et praebendae, non tamen in cathedralibus, ac dignitates, non tamen in eisdem cathedralibus post pontificalem maiores,

1 Edit. Cherub. legit *libertates* (R. T.).

nec principales in collegiatis ecclesiis huiusmodi fuerint), si sibi aliàs canonice conferantur, aut ipsi eligantur, praesententur, vel aliàs assumantur ad illa, et instituantur in eisdem, recipere, et, dummodo plura simul non sint, quam quae a Concilio Tridentino permittuntur, retinere libere et licite valeant, similiter dispensamus.

Quaecumque terae apostolicae pro eis atis expediendae.

§ 10. Quodque omnes et quaecumque gratiae, provisiones, commendae, ac praesentes et quaevis aliae litterae apostolicae, ac etiam in formâ Brevis, pro illis expediendae, gratis ubique expediantur, tam de capiendâ possessione nomine camerae apostolicae, quam in favorem litterarum apostolicarum, ubi illis super provisionibus quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum dari poterunt, prout nostris familiaribus continuis commensalibus etiam gratis dentur et concedantur, ac dari et concedi debeant, praecipimus et mandamus.

Habilitatio ad ensiones obtiendas, atque iam resignanes;

§ 11. Ac dapiferis praedictis, et eorum singulis, ut quicumque loci Ordinarii, vel canonici metropolitanarum, seu aliarum ecclesiarum, aut personae quaecumque ecclesiasticae, tam in Romanâ curiâ quam extra eam, ad id per eos et eorum singulos eligendi, seu eligendae, quascumque pensiones annuas eis et eorum singulis super quibuscumque fructibus, redditibus et proventibus quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum cum curâ et sine curâ, secularium aut quorumvis Ordinum regularium, seu fructus, redditus et proventus huiusmodi beneficiorum, reservatas seu reservatos, ac reservandas seu reservandos, etiamsi aliàs, semel, vel pluries translatae, seu translati fuerint, usque ad summam centum ducatorum similium in toto vel in parte, ac etiam mortis articulo, cassare et extinguere, ac, postquam cassatae fuerint, alias similes pensiones annuas, seu fructus, redditus, et proventus huiusmodi usque ad summam praedictam uni vel pluribus aliis personis ecclesiasticis per eosdem dapiferos et eorum singulos nominandis, et quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus et expectantibus, similiter eis quoad vixerint, vel eorum procuratoribus legitimis, eisdem modo et formâ, quibus eisdem dapiferis reservatae seu reservati fuerint, etiam absque beneficia praedicta obtinentium consensu, integre persolvendas seu persolvendos, et per eos percipiendas, exigendas et levandas, seu percipiendos, exigendos et levandos, reservare, constituere, concedere et assignare valeant, atque in possessione dictas pensiones exigendi, in qua ipsi dapiferi tempore translationis per eos praesentium vigore faciendae existebant, in omnibus et per omnia subrogati esse censeantur, etiam concedimus et indulgemus.

Etiamsi similem gratiam aliàs obtinuerint,

§ 12. Et si similem gratiam a praedecessoribus nostris aliàs forsan obtinuerint, seu quilibet eorum obtinuerit, illius effectu cumulative eos gaudere, et potiri volumus. Decernentes, ipsas translationes et novas reservationes, constitutiones et assignationes pensionum, seu fructuum, reddituum et proventuum huiusmodi, plenam roboris firmitatem obtinere, ipsosque beneficia, super quorum fructibus, redditibus et proventibus reservatae fuerint, obtinentes, ad illas persolvendas efficaciter obligatos fore.

In habitu et tonsura non incedant, ac sint coniugati.

§ 13. Ac eisdem dapiferis, quod ratione quarumcumque pensionum[1] eis et eorum cuilibet super quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, ut praefertur vel aliàs quomodolibet qualificatis (non tamen ultra summam ducentorum ducatorum parium pro quolibet), nunc et pro tempore reservatarum seu reservatorum, ac reservandarum et reservandorum, habitum et tonsuram clericales gestare, et in illis

1 Heic aliud substantivum, ex g. *seu fructuum*, deesse cernitur ex seqq. (n. T.).

(dummodo aliàs ipsi habitum decentem et honestum deferant) incedere minime debeant, nec ad id a quoquam cogi seu compelli, minusque per[1] aliquas sententias aut censuras, ac etiam privationis seu cessationis ipsarum, ac[2] pensiones ad praedictam summam ducentorum ducatorum ascendentes et reservatas, ut praefertur, etiamsi matrimonium contraxerint, cum unicâ tamen et virgine, recipere et retinere[3];

f Eorum bona a quocumque onere, atque etiam spolio liberantur.

§ 14. Postremo, quod bona quaecumque ad dictos dapiferos et eorum quemlibet spectantia, et per eos, etiam ratione quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, etiam canonicatuum et praebendarum ac dignitatum, etiam maiorum et principalium, etiam speciali notâ et expressione dignarum quarumcumque, per eos aliàs obtentorum et obtinendorum, aut aliàs quomodolibet, et quovis quaesito colore, vel ingenio, seu eorum industriâ, licitâ tamen, et licite acquisita et acquirenda, etiam in Urbe, eiusque districtu, ac ubicumque existentia, spoliis minime subiaceant; sed ipsi dapiferi, etiamsi religioni, aut alicui militiae, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, adscripti fuerint, de illis in favorem quarumcumque personarum, de iure tamen capacium, etiamsi curiales esse desierint, et in quocumque loco, quantumvis remoto, eos decedere contigerit, testari, et aliàs disponere, iisque ab intestato decedentibus eorum haeredes quicumque succedere libere et licite valeant, simili modo concedimus et indulgemus.

§ 15. Praecipientes et mandantes dilectis filiis nunc et pro tempore existentibus S. Romanae Ecclesiae camerario, thesaurario, praesidentibus clericis camerae nostrae apostolicae, et quibuscumque aliis spoliorum huiusmodi collectoribus et subcollectoribus, ac militiarum praedictarum officialibus, aut procuratoribus, ne in huiusmodi bonis manus apponant, neque haeredes praedictorum dapiferorum desuper molestare audeant, seu praesumant: ac etiam decernentes, donationes etiam per viam testamenti, codicillorum, per ipsos dapiferos de eorum bonis huiusmodi, servatis de iure servandis, faciendas, semper et perpetuo validas et efficaces fore;

Dapiferi non tenentur hasce litteras in camerâ praesentare.

§ 16. Nec eosdem dapiferos, eorumque aliquem ad praesentes litteras in dictâ camerâ insinuandum, aut admitti et registrari petendum, teneri; nec illas, etiamsi intra tempus legitimum insinuatae, admissae, seu registratae non fuerint, propterea minus validas censeri, sed suos plenarios effectus sortiri debere;

Quae numquam revocatae censeri possunt.

§ 17. Easdemque praesentes, et in eis contenta quaecumque, sub quibusvis revocationibus, limitationibus, modificationibus, decretis et constitutionibus apostolicis similium gratiarum revocatoriis, vel quae eas limitarent, vel moderarentur, quae a nobis et dictâ Sede pro tempore, et ex quibusvis causis, etiam urgentissimis, etiam in favorem fidei, et divini cultus augmentum, etiam consistorialiter, vel aliàs quavis auctoritate, hactenus, vel imposterum emanaverint, minime comprehendi, sed quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum repositas et reintegratas esse et censeri;

Clausulae.

§ 18. Sicque per quoscumque iudices, et commissarios, quavis auctoritate fungentes, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 Praepositionem *per* nos addimus, nam syntaxis defectiva est (R. T.).

2 Coniunctionem *ac* nos addimus (R. T.).

3 Subintellige *valeant ... indulgemus*, sicut postea sequitur in fine § 14 (R. T.).

Mandatum de praesentibus gratiis registrandis, etc.

§ 19. Et insuper dilectis filiis rescribendario, et computario collegii scriptorum litterarum apostolicarum, et aliis ad quos spectat, in virtute sanctae obedientiae, et sub poenâ indignationis nostrae, motu, scientiâ, et potestatis plenitudine similibus mandamus, ut easdem praesentes et forsan alias litteras apostolicas super praemissis omnibus et singulis, tam coniunctim quam divisim, ac pro singulis quibuscumque prorogationibus, decretis et clausulis in eis contentis, gratis de mandato nostro ubique, in omnibus officiis, et abbreviatorum, sollicitatorum, secretariorum, plumbique et registri absque aliquâ pecuniarum exactione, etiam per viam compositionis faciendâ, omni contradictione et dilatione cessantibus, signent et expediant et expediri faciant.

Contrariorum derogatio.

§ 20. Non obstantibus praemissis, ac de certo eorumdem notariorum numero, etiamsi ad illum nondum sit deventum, cui per praesentes aliàs non intendimus derogare, ac regulâ nostrâ de praestando consensu in pensionibus, felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri de similibus vel dissimilibus gratiis in camerâ apostolicâ infra tres menses praesentandis et[1] registrandis, ac recolendae memoriae Pii Papae V etiam praedecessoris nostri contra illegitimos, ac Pictaviensis concilii, et aliis apostolicis, ac etiam in universalibus, provincialibusque conciliis editis[2] specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac monasteriorum, ecclesiarum, ordinum, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, ac etiam urbis Romae, et aliarum civitatum, oppidorum et terrarum, aut camerae praedictae, et quarumvis universitatum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis, stabilimentis, usibus et naturis, decretis, ac etiam novis reformationibus, et etiam legibus, tam pontificiis, quam imperialibus, regiis et ducalibus, etiam sacris canonibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, superioribus et personis ac locis quibuscumque in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam vim statuti perpetui continentibus, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, et aliàs in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; inter alia disponentibus, quod beneficia Urbis nonnisi personis, certis modo et formâ qualificatis, et oriundis ex certis locis, ac trium ordinum militarium, et expresse professis, conferri et commendari soleant; quibus omnibus, etiamsi aliàs pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse harum serie derogamus, contrariis quibuscumque; aut si quibusvis communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptis danda fides.

§ 21. Volumus autem, quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, ac sigillo et manu alicuius personae in

1 Coniunctionem *et* nos addimus (R. T.).

2 Vocem *editis* nos addimus (R. T.).

dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis et subscriptis, eadem fides tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nomina autem singulorum dapiferorum, qui nobis, et eisdem cardinalibus, in conclavi existentibus inservierunt, sunt haec, etc.[1]

Clausulae.

§ 22. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, receptionis, creationis, constitutionis, assignationis, aggregationis, liberationis, exemptionis, remissionis, condonationis, legitimationis, abstensionis, dispensationum, decretorum, concessionum, praeceptorum, mandatorum, indultorum, derogationis et voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beati Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXIII, X kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 23 decembris 1623, pontif. an. I.

XX.

Erectio commendae Bononiensis hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani in baiulivatum prioratum nuncupandum[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium e dignitate huiusce mititiae petitum.

Militantis Ecclesiae regimini inscrutabili divinae sapientiae providentiâ, nullo licet meritorum suffragio, praesidentes, et attentâ mentis acie considerantes, hospitale S. Ioannis Hierosolymitani in primordiis nascentis Ecclesiae in civitate sanctâ Hyerusalem institutum, et deinde ob rerum vicissitudinem varia in loca, postremo autem in insulam Melitae, B. Pauli apostoli multis celebratam miraculis, translatum, firmissimum, tutissimumque reipublicae christianae adversus immanissimi turcarum tyranni invasiones propugnaculum existere, eiusdemque hospitalis fratres milites tamquam veros Christi athletas, nullis laboribus, nullisve corporum periculis parcendo, pro fidei catholicae adversus christiani nominis hostes defensione et propagatione iugiter laborare, dignum, quin potius debitum reputamus, ut Sedes Apostolica novas quandoque dignitates pro ipsis fratribus militibus ad maiorem ipsius hospitalis decorem erigat et instituat, quo fratres milites praedicti, maioribus semper Sedis praedictae beneficiis devincti, in tam laudabili eorum vocatione et instituto constantius perseverent.

Commenda Bononiensis.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, praeceptoria seu commenda de Bononia prioratus Venetiarum hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani per obitum quondam Alphonsi de Este, illius, dum viveret, ultimi possessoris, extra Romanam curiam defuncti, vel aliàs certo alio modo vacaverit et vacet ad praesens; nos praeceptoriam seu commendam huiusmodi in civitate nostrâ Bononiensi (quae studiorum mater, et quasi altera Roma dicitur) existentem, ac sufficientibus ad sustinendam baiulivi dignitatem, omniaque baiulivatui incumbentia onera commode supportanda redditibus dotatam[1], dignioris nominis titulo decorare volentes, ac sperantes fore, ut eiusdem hospitalis et Linguae Italiae fratres, spe consequendae dignitatis huiusmodi allecti, maiora eidem hospitali obsequia praestare conentur, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis

1 Nomina omissa fuerunt in edit. Main. (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Erronee edit. Main. legit *dotata* (R. T.).

plenitudine, praeceptoriam seu commendam praedictam a dicto prioratu Venetiarum, ac quacumque illius prioris iurisdictione et superioritate, tenore praesentium, perpetuo separamus, dismembramus, eximimus et liberamus, separatamque, dismembratam ac exemptam et liberam esse et fore decernimus.

A prioratu Venetiarum dividitur, eximiturque:

§ 2. Necnon eamdem praeceptoriam seu commendam in baiulivatum perpetuum prioratum nuncupandum eiusdem hospitalis, ac nationis et Linguae Italiae, cuius dispositio, exceptâ hac primâ vice, ad Linguam et nationem italicam huiusmodi perpetuo pertineat [1], ad instar aliorum dicti hospitalis baiulivatuum, pro uno eiusdem hospitalis fratre milite magnae crucis futuro illius baiulivo priore nuncupando, nationis et Linguae huiusmodi, qui ad eumdem baiulivatum, illius vacatione (hac primâ vice, ut praefertur, exceptâ) eveniente, servatâ formâ statutorum hospitalis et in reliquis Linguae huiusmodi apostolicâ auctoritate confirmatorum assumi debeat, omniaque ipsius hospitalis fratribus militibus ac baiulivis incumbentia onera subire teneatur, atque omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praerogativis, antelationibus, favoribus, honoribus et insigniis, necnon voto activo et passivo, sessione, stallo et praeeminentiis in quibuscumque ipsius hospitalis tribunalibus, necnon capitularibus, ac generalibus, particularibusque, et provincialibus conventibus, capitulis, consiliis, tam ordinariis quam completis, assemblaeis, scardiis, aliisque quibuscumque actibus, tam publicis quam privatis, ac demum omnibus et singulis aliis gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus alii hospitalis et Linguae huiusmodi fratres milites baiulivi priores nuncupati de iure, usu, consuetudine, vel privilegio, aut aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, etiam quoad antianitatem, et consequutionem aliorum baiulivatuum, prioratuum, praeceptoriarum, commendarum, ac aliorum quorumcumque hospitalis huiusmodi beneficiorum, officiorum ac dignitatum, non solum ad eorum instar, sed etiam pariformiter, et aeque principaliter, in omnibus et per omnia, absque ullâ prorsus differentiâ, perinde ac si baiulivatus per praesentes erectus et institutus huiusmodi a primaevâ eiusdem hospitalis institutione erectus et institutus fuisset, uti, potiri et gaudere libere et licite valeat, tenore praesentium, perpetuo, sine tamen alicuius praeiudicio, erigimus et instituimus.

Et in prioratum erigitur.

Cum omnibus privilegiis et praerogativis.

§ 3. Illique sic erecto et instituto, pro eius ecclesiâ, ecclesiam dictae praeceptoriae seu commendae, necnon omnia et singula proprietates, res et bona quaecumque dictae praeceptoriae seu commendae de Bononia in quibusvis rebus consistentia, et undecumque provenientia, cuiuscumque qualitatis et speciei existentia, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis universis, apostolicâ auctoritate, earumdem tenore praesentium, etiam perpetuo concedimus, applicamus et appropriamus: ita quod liceat baiulivatum per praesentes erectum pro tempore obtinenti, per se, vel alium, seu alios, eius ac dicti baiulivatus nomine, illorum omnium veram, realem, corporalem et actualem possessionem, iuxta statuta seu stabilimenta praedicta, propriâ auctoritate apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta ex eis provenientia percipere, exigere et levare, ac in suos, necnon baiulivatus huiusmodi, adimpletis et supportatis prius exinde solitis et consuetis oneribus, iuxta formam sta-

Ecclesia, bonaque commendae eidem assignantur.

1 Verbum *pertineat* deesse censuimus (R. T.).

tutorum seu stabilimentorum praedictorum, usus et utilitatem convertere, magni magisteri hospitalis huiusmodi, ac prioris Venetiarum, seu alterius prioratus, a quo praeceptoria seu commenda huiusmodi forsan dependet, ac Dioecesani loci, vel cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ.

Clausulae pro harum litterarum firmitate.

§ 4. Decernentes, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, sub praetextu, quod magnus magister, seu prior Venetiarum huiusmodi, sive quicumque alii, in praemissis forsan interesse habentes, seu quomodolibet habere praetendentes, vocati non fuerint, seu ex quibusvis aliis praetextis et causis, quantumvis iustissimis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu, ex quovis capite vel causâ notari, impugnari, seu in ius vel controversiam vocari, aut contra eas quomodolibet opponi posse, sed semper et perpetuo ac omni tempore validas et efficaces existere, nec sub ullis omnino similium vel dissimilium erectionum, vel aliarum gratiarum reformationibus, limitationibus, suspensionibus et aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et eum, in quo erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub anteriori[1] datâ per eos, quorum intererit, quandocumque eligendâ concessas, validasque et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, ac perpetuo suffragari; sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate), iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 Forsan legendum *posteriori* (R. T.).

Earumdem exequutores designantur.

§ 5. Quocirca dilecto filio nostro Roberto tituli S. Alexii presbytero cardinali Ubaldino nuncupato; moderno, et pro tempore existenti nostro et Sedis Apostolicae in dictâ civitate Bononiensi legato, ac vicelegatis, necnon causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte existentis baiulivi, prioris nuncupandi, baiulivatus per praesentes erecti huiusmodi fuerint requisiti, solemniter publicare[1], eique in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari. Non permittentes ipsos vel quempiam ex eis per magnum magistrum, seu consilium, hospitale, seu priorem Venetiarum huiusmodi, vel quoscumque alios, desuper quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari aut impediri; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando[2], invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria quaeque tolluntur.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac nostrâ de iure quesito non tollendo, necnon quibusvis aliis apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus

1 Videretur de more legendum *publicantes* (R. T.).

2 Erronee edit. Main. legit *aggravandi* (R. T.)

conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, necnon hospitalis huiusmodi (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ac stabilimentis, ordinationibus capitularibus, antianitatibus, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis, ac magistro et conventui, necnon priori Venetiarum, ac fratribus etiam antianis, et aliàs quomodolibet nuncupatis hospitalis huiusmodi, tam per felicis recordationis Ioannem XXII, Martinum V, Eugenium IV, Sixtum IV, Pium II, Paulum similiter II, Leonem X, Clementem VII, Paulum III, Pium etiam IV, Pium similiter V, Gregorium XIII, Sixtum pariter V et Gregorium XIV, necnon quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, quam nos et Sedem eamdem, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam per viam legis, aut contractus, vel statuti perpetui, in genere vel in specie, vel aliàs quomodolibet, et motu simili, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, etiam de fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio, necnon ex certis causis tunc expressis, ac etiam consistorialiter propositis, et diligenter examinatis, seu etiam ad quorumvis aliorum principum instantiam, etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis et innovatis; etiamsi in eis caveatur expresse, quod non censeatur illis derogatum, nisi derogatio huiusmodi de eorumdem cardinalium consilio, et consistorialiter fiat, atque tunc magistri et conventus praedictorum ad id expressus accedat assensus, necnon litterae derogationis huiusmodi certis modo et formâ tunc expressis intimatae et notificatae fuerint. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua mentio seu quaevis alia expressio habenda, vel forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque: aut si aliquibus, communiter aut divisim, ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIX decembris MDCXXIII, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 29 decembris 1623, pontif. anno I.

XXI.

Confirmatio litterarum Gregorii XV de privilegiis militiae B. M. Theutonicorum concessis per Sedem Apostolicam[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Decet Romanum Pontificem, in supremo militantis Ecclesiae solio et apostolicae potestatis plenitudine, immensâ Redemptoris nostri benignitate, constitutum, privilegia, gratias et indulta per praedecessores suos militiis et hospitalibus quibuslibet ad eiusdem Redemptoris nostri gloriam, eiusque Ecclesiae suae sanctae exaltationem, et catholicae fidei defensionem, nec non pietatis et charitatis opera exercenda pie institutis, illorumque superioribus, militibus, fratribus et aliis personis concessa, ut firma et illibata perpetuo remaneant, apostolicae confirmationis robore communire, et aliàs in his providentiae suae partes favorabiliter interponere, prout, rerum et temporum qualitatibus debite

1 Ex regest. in Secret. Brev.

pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Gregorius XV declaravit militibus B. Mariae Theutonicorum ea solum competere privilegia, quae a praedecessoribus Pontificibus militiae S. Ioannis Hierosolimitani concessa sunt.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Gregorius Papa XV, praedecessor noster, omnia et singula privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, libertates et gratias tam per se, Sedemque Apostolicam, quam recolendae memoriae Leonem X, Clementem VII, Paulum III, Pium IV, Pium V, Gregorium XIV, Clementem VIII et Paulum V Romanos Pontifices, similiter praedecessores nostros, dilectis filiis magno magistro et conventui hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, illiusque prioribus, baiulivis, praeceptoribus, commendatariis, fratribus, militibus, subditis, vassallis, colonis et presbyteris curam animarum exercentibus concessa et respective confirmata, hospitali domus B. Mariae Theutonicorum, eiusque magistro, prioribus, baiulivis, praeceptoribus, commendatariis, fratribus, militibus, subditis, vassallis, colonis et presbyteris curam animarum exercentibus concessit; decernens hospitale B. Mariae Theutonicorum, illiusque magistrum, priores, baiulivos, praeceptores, commendatarios, fratres, milites, subditos, vassallos, colonos et presbyteros nullis aliis privilegiis, gratiis et indultis, quatenus huiusmodi concessione non comprehenderentur, quovis praetextu et ex quacumque causâ uti, frui et gaudere posse, nec debere, quinimmo illa omnia cessare, ac irrita et nulla, nulliusque roboris et momenti esse et fore, prout in dictis Gregorii praedecessoris in formâ brevis desuper sub die XXIII decembris MDCXXII expeditis litteris[1], quarum tenores praesentibus pro expresso haberi volumus, plenius continetur.

Gregorii litteras confirmat Urbanus.

§ 2. Quare inviolabili dictarum Gregorii praedecessoris litterarum, omniumque et singulorum in eis contentorum, observationi, quantum cum Domino possumus, consulere, necnon magistrum, priorem, baiulivos, praeceptores, commendatarios, fratres, milites, subditos, vassallos, colonos et presbyteros dicti hospitalis B. Mariae Theutonicorum, ob egregiam eorum in nos et Apostolicam Sedem fidem et devotionem, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas[1] fore censentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praedictas Gregorii praedecessoris litteras, omniaque et singula in eis contenta, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae apponit.

§ 3. Decernentes praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo quod locorum Ordinarii ad hoc vocati non fuerint, notari, impugnari, vel invalidari minime posse, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, restrictionibus et derogationibus comprehendi posse, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas esse, sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid se-

1 Quae in *Bullario* non leguntur (B. T.).

1 Edit. Main. legit *absolutos* (B. T.).

cus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores deputat. § 4. Quocirca venerabilibus fratribus Maguntinensi et Pragensi archiepiscopis, ac dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori per praesentes motu simili committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem magistri et militum, ac fratrum dicti hospitalis B. Mariae Theutonicorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ eos praesentium litterarum commodo et effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes eos per Ordinarios praedictos, ac quoscumque alios, contra praesentium tenorem quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria tollit. § 5. Non obstantibus omnibus illis, quae dictus Gregorius praedecessor in suis litteris praedictis voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque: aut si aliquibus communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Alias pontificias concessiones praeservat. § 6. Eorumdem autem praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, volumus, quod, Pii V, XXII septembris, anno VI[1], et Gregorii XIII, sub annulo piscatoris, XXV novembris, anno IX[1], necnon Gregorii XV, praedecessorum nostrorum, sub datum IX februarii, anno II[2], pontificatuum suorum, expeditis litteris in suo robore et efficaciâ permanentibus, praesentes litterae non comprehendant neque ecclesias, neque personas in his, quae ad curam animarum pertinent, in quibus decreta Concilii Tridentini, ac in praedicti[3] Gregorii XV constitutione contenta omnino servari debeant;

Transumptis danda fides. § 7. Ac quod praesentium litterarum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, in iudicio, et etiam extra illud, ubique locorum plena et indubitata, eademque prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX ianuarii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 9 ianuarii 1624, pontif. an. I.

1 Quas vide in tom. VII, pag. 943 (R. T.).

XXII.

Definitiones et declarationes super reassumptione calepodiorum, depositione solearum, et delatione capucii rotundi, largiorisque mozzettae, ac protensi mantelli, a fratribus Minoribus Ordinis S. Francisci strictioris Observantiae deferendi.

Urbanus Papa VIII ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. In supremo apostolatus solio, meritis licet imparibus, divinâ dispositione constituti, circa statum religiosorum Ordinum quorumcumque in Ecclesiâ Dei militantium prospere dirigendum mentis nostrae aciem assidue intendimus, eaque statuimus et ordinamus, per quae prospero, felicique eorum statui, atque directioni consu-

1 Eas habes in tom. VIII, pag. 360 (R. T.).
2 Greg. XV hae litterae non sunt in *Bull.* (R.T.).
3 Erronee edit. Main. legit *praedictis* (R. T.).

litur, prout conspicimus, in Domino salubriter expedire.

Praevio examine Congregationis super regularium negociis,

§ 1. Cum itaque causa inter dilectos filios fratres Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinos nuncupatos ex unâ, ac fratres eiusdem Ordinis strictioris Observantiae ex alterâ partibus, de et super reassumptione calepodiorum et distinctione habitus ad praescriptum bullarum per diversos Romanos Pontifices praedecessores nostros emanatarum, diu agitata, ac de mandato nostro in congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis regularium praepositorum iterum proposita, per eosdem cardinales, auditis partibus, visisque scripturis, mature et diligentissime perpensa et examinata fuerit;

Pontifex decernit fratribus Strictioris Observantiae sancti Francisci in Italia calepodia esse reassumenda.

§ 2. Nos, eorumdem religiosorum paci et quieti, felicique ac prosperae directioni, quantum in nobis est, providere volentes, de eorumdem cardinalium consilio, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eisdem fratribus strictioris Observantiae, quatenus calepodia reassumere, soleasque ubique per totam Italiam deponere, nec eas imposterum recipere debeant, sub excommunicationis latae sententiae, ac privationis vocis activae et passivae, necnon, quoad superiores, etiam suspensionis ab officiis ipso facto incurrendis poenis, tenore praesentium iniungimus: ac insuper locorum Ordinariis, ut in casu transgressionis regulares strictioris Observantiae praedictos ad id cogant et compellant.

Recollectosque Galliae rotundum capucium et latiorem mozzettam deferre.

§ 3. Quo vero ad eiusdem Ordinis fratres Recollectos nuncupatos Galliae, qui non deferunt soleas, sed calepodia, cum constet, eos capucium aliquantisper acuminatum deferre, venerabili fratri Bernardino, archiepiscopo Damiatensi, moderno et pro tempore existenti nostro et Apostolicae Sedis in regno Franciae nuntio, per praesentes similiter mandamus, ut opportune curet, quod omnino rotundum capucium, mozzettamque largiorem assumant.

Supradictos fratres vilioribus pannis et despecti coloris uti posse indulget.

§ 4. Praeterea ad pleniorem, certioremque provisionem, inhaerendo praesertim litteris felicis recordationis Clementis VIII et Gregorii XIII Romanorum Pontificum etiam praedecessorum nostrorum, per easdem praesentes pariter mandamus, praedictos fratres Strictioris Observantiae non molestari, quin vilioribus et repetiatis pannis et despecto colore utantur; sed volumus sub eisdem poenis, quod eorum forma habitus quoad capucium rotundum, mozzettam latam et mantellum perpetuo protensum, sit et esse debeat Observantiae fratribus omnino conformis, illumque intra duos menses aptare ac gestare debeant.

Et ita et non aliter iubet posse iudicari.

§ 5. Atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis (et etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, eisdem fratribus Strictioris Observantiae, illorumque superioribus, et quibusvis aliis, sub quibuscumque tenore et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore

permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptisque credi mandat.

§ 7. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x ianuarii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 10 ianuarii 1624, pontif. an. I[1].

XXIII.

Collectori generali spoliorum camerae apostolicae in regnis Portugalliae committitur, ut archiepiscopo Elborensi et militibus militiarum S. Iacobi et S. Benedicti de Avis terminum viginti dierum praefigat ad arbitros constituendos, qui controversias omnes inter eos vertentes definiant[2].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Procemium.

Onerosa pastoralis officii cura, nullo licet meritorum suffragio, humilitati nostrae inenarrabili Regis regum et Domini dominantium iudicio commissa postulat, ut non solum omnibus, praesertim ecclesiasticis, regularibusque personis iustitiam aequâ lance ministrare curemus, sed quandoque lites et controversias et dissidia inter eas vigentes quiete praecidere studeamus.

Ad dirimendas lites inter partes, de quibus mentio fit in rubricâ.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, charissimus in Christo filius noster Philippus Portugalliae et Algarbiorum rex catholicus, provide considerans ex litibus seu controversiis, quae inter archiepiscopum Elborensem pro tempore existentem ex unâ, ac praeceptores seu commendatarios, fratres, milites, officiales et ministros militiarum S. Iacobi et S. Benedicti de Avis regni Portugalliae, quarum idem Philippus rex perpetuus administrator apostolicâ auctoritate deputatus existit, ex alterâ partibus, de et super iurisdictione, sive facultate visitandi et reformandi ecclesias seu personas dictarum militiarum, et quasi omnimodo illarum tam spirituali quam temporali gubernio, ratione privilegiorum et exemptionum eisdem militiis concessorum, nonnullorumque decretorum ac declarationum Concilii Tridentini, necnon sententiarum diversis temporibus ad favorem earumdem militiarum emanatarum, possessionumque immemorabilium, coram uno seu diversis iudicibus indecisae pendent, plurima detrimenta non sine notabili ecclesiarum et personarum praedictarum cum spirituali tum temporali dispendio et christifidelium scandalo provenire; ipsum vero archiepiscopum, necnon praeceptores seu commendatarios, fratres, milites, aliasque personas huiusmodi ad litium dubios eventus in iis prosequendis, labores et expensas subiri solitas evitandum, super litibus et controversiis inter eos vigentibus huiusmodi, et quae oriri possunt tempore procedente, ad concordiam et amicabilem compositionem, ipso Philippo rege mediante, facile deventuros esse, si nostra et Sedis Apostolicae facultas desuper suffragetur:

Pontifex collectori spoliorum camerae apostolicae in regnis Portugalliae committit, terminum iis xx dierum praefigat ad arbitros nominandos,

§ 2. Nos, qui in id semper intendimus, ut sublatis litium et controversiarum occasionibus, ecclesiasticae et praesertim divino servitio mancipatae personae, quietam et tranquillam vitam traducentes, in tuendâ pace atque unione christianâ ceteris exemplum praebeant, praedictarum causarum et litium status et merita, nominaque et cognomina iudicum et collitigantium, ac alia de necessitate exprimenda, praesentibus pro sufficienter expressis habentes,

1 Declarationem supradictae Constitutionis require infra sub dat. 31 martii h. an. (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

omnesque et quascumque lites et controversias inter archiepiscopum, et priores, milites, commendatarios, conventus, mensas magistrales, aliasque quascumque personas dictarum militiarum coram quibuscumque iudicibus ordinariis et delegatis tam in Romana curiâ quam extra eam motas et quantumvis instructas, ac etiam pro tempore movendas, ad nos et Sedem Apostolicam, quatenus opus sit, harum serie in statu et terminis, in quibus reperiuntur, avocantes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac merâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, venerabili fratri Antonio episcopo Vigiliensi moderno et pro tempore existenti iurium et spoliorum camerae nostrae apostolicae in Portugalliae et Algarbiorum regnis collectori generali per praesentes committimus et mandamus, ut partibus praedictis terminum viginti dierum ad consentiendum in tres commissarios, qui in dignitate ecclesiasticâ constituti sint, per eumdem Philippum regem nominandos, auctoritate nostrâ praefiges.

Qui causas omnes definiant.

§ 3. Quo quidem termino elapso, et consensu per dictas partes non praestito, tres huiusmodi commissarios partibus eisdem non suspectos ex eâdem auctoritate deputet, qui praedictas et quascumque alias cuiuscumque qualitatis existentes causas, etiam decimarum, iuris patronatus, praesentandi et providendi de quibusvis beneficiis, ecclesiis et cappellis, necnon iurisdictionis, tam spiritualis quam temporalis, bonorumque, reddituum et territoriorum, tam ad mensam archiepiscopalem Elborensem, quam militias et personas huiusmodi spectantium, extraiudicialiter, et omni et quacumque appellatione, reclamatione et recursu remotis, concordare et componere possint et valeant.

Concessis ad id necessariis facultatibus.

§ 4. Quibus quidem commissariis praedicta et quaecumque alia in praemissis necessaria et opportuna, etiamsi talia forent quae magis specialem et specificam requirerent mentionem, faciendi, dicendi, gerendi et exequendi plenam et absolutam auctoritatem et facultatem, dictâ auctoritate, tenore praesentium, tribuimus et impertimur.

Quidquid autem decreverint, praecipit observari.

§ 5. Quidquid autem per eosdem iudices in causis huiusmodi tam motis quam movendis, ut praefertur, concordatum, terminatum, stabilitum et compositum fuerit, firmum, validum et efficax esse et fore decernimus, et ad eius inviolabilem observantiam partes ipsas cogi et compelli, neque ullo umquam tempore sub quovis praetextu et causâ ab illo resilire posse praecipimus, partibusque ipsis desuper ex nunc, prout ex tunc, postquam lites et controversiae huiusmodi concordatae fuerint, ut praefertur, perpetuum silentium imponimus.

Clausulas ad praesentium litterarum firmitatem opportunas apponit.

§ 6. Nec non praesentes litteras, ex quacumque causâ, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quovis defectu notari, impugnari, annullari vel invalidari, aut aliàs quomodolibet infringi seu retractari, aut in ius vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque iuris aut facti remedium impetrari nullatenus posse; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis autoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat obstantibus.

§ 7. Non obstantibus quibuscumque aliis super praemissis commissionibus et litis pendentiis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non ecclesiae et militiarum praedictarum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque indultis et litteris

apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptisque fidem addit.

§ 8. Volumus autem, et apostolicâ auctoritate decernimus, quod earumdem praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV ianuarii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 15 ianuarii 1624, pontif. an. I.

XXIV.

Mandatum nuncio apostolico apud Helvetios de compellendo ecclesiasticos ad observantiam Constitutionis Pauli Papae II, quae incipit Ambitiosae, *de bonis ecclesiarum non alienandis sive locandis*[1].

Venerabili fratri Alexandro episcopo Campaniensi nostro et Sedis Apostolicae apud Helvetios nuntio

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,

salutem et apostolicam benedictionem.

Causae faciendi mandati.

Ad aures nostras non sine gravi animi nostri molestiâ pervenit, quod nonnulli forsan episcopi et ecclesiarum praesules, sive praelati, nec non personae ecclesiasticae, suae salutis immemores, intra fines tuae legationis existentes, suarum ecclesiarum et aliorum per eos obtentorum beneficiorum ecclesiasticorum bona, absque ullâ Sedis Apostolicae licentiâ alienant, oppignorant et distrahunt, seu aliàs de illis contra formam et tenorem constitutionis felicis recordationis Pauli Papae II praedecessoris nostri, quae incipit *Ambitiosae*[1], disponunt, in maximum ecclesiarum et beneficiorum huiusmodi detrimentum, evidentemque animarum suarum perditionem.

Mandatum de quo in rubrica.

§ 2. Quare nos, pro eâ quam animabus nobis ex alto creditis tenemur impendere sollicitudine, praemissis, quantum nobis ex alto conceditur, obviare volentes, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut constitutionem praedictam in locis tuae legationis tibi benevisis publices, et publicari, eamque ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari facias.

Facultas compellendi contradictores.

§ 3. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Et poenitentes absolvendi.

§ 4. Praeterea tibi, ut episcopos, praelatos et alias personas ecclesiasticas huiusmodi, quae ecclesiarum et beneficiorum suorum bona alienaverint, oppignoraverint, distraxerint, sive aliàs de illis contra dictam constitutionem disposuerint, ut praefertur, si abs te veniam humiliter petierint, et factâ prius eorumdem bonorum totali recuperatione, seu aliàs ecclesiis et beneficiis ipsis plenarie et omnino reintegratis, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, etiam in dictâ constitutione contentis, et aliàs contra similia perpetrantes promulgatis, poenitentiâ salutari et aliis iniunctis iniungendis, auctoritate nostrâa et bsolvas totaliter liberes.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Est in tom. V, pag. 194 (R. T.).

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV ianuarii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 15 ianuarii 1624, pontif. an. I.

XXV.

Declarat Ordinarium collegiatae S. Ioannis de Abbatissis, Vicentinae[1] dioecesis, non esse archipresbyterum praefatae ecclesiae, sed episcopum Vicentinum.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Causae huius constitutionis.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster, postquam Ordinem S. Augustini canonicorum regularium in principatu Cataloniae, ac comitatibus Rossilionis et Ceritaniae, cum omnibus suis membris et pertinentiis, omnemque eius statum, essentiam et dependentiam regulares perpetuo suppresserat et extinxerat, eumdemque et illius monasteria, prioratus et beneficia ad secularitatem reduxerat, et sic reducta suae et apostolicae dispositioni motu proprio reservaverat, monasterium S. Ioannis de Abbatissis nuncupatum, Vicentinae dioecesis, unum ex eisdem suppressi Ordinis monasteriis, ac sub praedictis reductione et reservatione comprehensum, in secularem et collegiatam ecclesiam, ac in eâ unum archipresbyteratum, qui inibi principalis dignitas existeret, necnon tot canonicatus et praebendas, quot in illâ ante suppressionem et reductionem praedictas erant loca et canonicales portiones, pro tot canonicis, qui unâ cum archipresbytero huiusmodi capitulum eiusdem ecclesiae constituerent, ac aliàs, sub certis modo et formâ tunc expressis, erexit et instituit, ac inter alias ecclesias praedictam, illiusque dignitates, canonicatus et praebendas, ac alia beneficia, necnon capitulum et ministros suo Ordinario subiectos esse voluit, et aliàs, prout in ipsius Clementis praedecessoris desuper sub plumbo expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur[1].

§ 2. Cum autem, sicut venerabilis frater modernus episcopus Vicentinus nobis nuper exponi fecit, post iuratam et observatam septem vel octo annis tunc existenti episcopo Vicentino obedientiam et superioritatem, dilectus filius Ioannes Coli, ex beneficiato dictae ecclesiae archipresbyter factus, superioritatem dicti episcopi detrectans, a dictâ obedientiâ desciverit unâ cum medietate canonicorum et beneficiatorum ipsius ecclesiae, et diversa alia in praeiudicium et damnum iurisdictionis praedicti episcopi Vicentini fecerit et attentaverit, et propterea dictus modernus episcopus nobis humiliter supplicari fecerit, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Declaratio, de qua in rubrica

§ 3. Nos, praemissis, quantum cum Domino possumus, obviare volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum consilio, harum serie, apostolicâ auctoritate decernimus et declaramus, Ordinarii appellatione, cuius in iisdem litteris fit mentio, nullatenus esse intelligendum archipresbyterum praedictae ecclesiae S. Ioannis, sed episcopum Vicentinum dumtaxat, ideoque ecclesiam ipsam, illiusque dignitates, canonicatus et beneficia pro tempore obtinentes, atque alios quoscumque ministros, non eidem

1 In Const. Clem. VIII legitur *Vicensis* (R. T.).

1 Litterae suppressionis sunt in *Bull.* tom. IX, pag. 580, sed non posteriores erectionis (R. T.).

archipresbytero, sed Vicentini episcopi tantum visitationi, correctioni, atque omnimodae iurisdictioni subiectos esse.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Praesentes vero litteras nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio seu intentionis nostrae vel alio quopiam defectu, etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes seu habere praetendentes vocati non fuerint, notari, impugnari, invalidari aut ad terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam revocari posse; sicque per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorum deputatio.

§ 5. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopo Tarraconensi et episcopo Gerundensi, ac dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte ipsius moderni et pro tempore existentis episcopi Vicentini fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, firmiter et inviolabiliter observari: contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantium derogatio.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non omnibus illis, quae in ipsius Clementis praedecessoris litteris huiusmodi concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Exemplis huius Constitutionis credi iubet.

§ 7. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus eisdem adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII ianuarii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 18 ianuarii 1624, pontif. anno I.

XXVI.

Confirmatio decreti Congregationis Concilii, quo declaratur clericos, qui incedunt in habitu et tonsurâ, quamvis servitio peculiaris ecclesiae non sint ab episcopo addicti, gaudere privilegio fori iuxta Concil. Trident. cap. VI, sess. XXIII[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Decretum Congregationis Concilii.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius Aloysius de las Infantas et Saavedra, archidiaconus et canonicus ecclesiae Malacitanae, ac cleri regnorum Castellae et Legionis[2] in Romana curiâ gestor, nobis super exponi fecit, nuper a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus Concilii Tridentini interpretibus emanaverit decretum tenoris subsequentis videlicet:

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Vocem *regnorum* inutiliter repetitam delemus (R. T.).

Illustrissimi et reverendissimi domini[1] doctor D. Aloysius de las Infantas et Saavedra archidiaconus et canonicus Malacitanae, ac agens generalis ecclesiarum Hispaniarum supplicat huic sacrae Congregationi, dignetur declarare: An clericus in minoribus constitutus, actu serviens ecclesiae cum habitu et tonsurâ in ministerio sacristae vel simplici cappellaniae servitio, seu pro iuvene chori ex nominatione decani et capituli, gaudere debeat privilegio fori iuxta disposita a Concilio Tridentino in cap. VI, sess. XXIII, pro quocumque etiam atrociori delicto, cuius punitio ad iudicem ecclesiasticum pertinet, non obstante quod huiusmodi nominatio et deputatio servitii ecclesiae facta non sit ab episcopo, sed a capitulo. Sacra Congregatio cardinalium Concilii Tridentini interpretum, inhaerens declarationibus aliàs editis, respondit, clericum, qui habitum et tonsuram defert clericalem, et alicui ecclesiae inservit, licet non praecesserit mandatum episcopi, debere tamen gaudere fori ecclesiastici privilegio. — ANTONIUS card. CAETANUS;

Petitur confirmatio.

§ 2. Cupiatque autem dictus Aloysius, pro maiori decreti huiusmodi subsistentiâ et validitate, illud apostolicae nostrae confirmationis roborè communiri, nobisque idcirco totius cleri praedicti nomine humiliter supplicari fecerit, ut desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Confirmat Urbanus.

§ 3. Nos, praedictum Aloysium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum praeinsertum huiusmodi apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Opportunasque apponit clausulas.

§ 4. Decernentes, decretum huiusmodi, ac praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac omnibus, quos concernunt et concernent quomodolibet in futurum, plenissime suffragari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Et contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae ecclesiae (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX ianuarii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 20 ianuarii 1624, pontif. an. I.

XXVII.

Professi in congregatione Clericorum Regularium Ministrantium infirmis, in domibus novitiatuum, vel aliis distinctis domibus, donec ad sacros ordines promoveantur, ex illarum redditibus vivere possunt[1].

1 Prius et postea habetur numerus singularis (R. T.).

1 De tempore emittendae professionis ab utriusque sexus regularibus statuit Concilium Tridentinum sess. XXV, cap. XV. Et de hac religione habes indicata ad Const. XXXV Sixti V, *Ex omnibus*, tom. VIII, pag. 669.

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Sacrosanctae Romanae Ecclesiae, quam Dei Filius Iesus Christus[1] auctor pietatis instituit, regimini praesidentes, pia et salubria vota fidelium, praesertim sub regularis observantiae disciplinâ in humilitatis spiritu Altissimo famulantium, ex quibus in eorum locis regularis disciplina et observantia peramplius conservatur et augetur, pii patris affectione prosequimur, et ut optatum sortiantur effectum, cum a nobis petitur, plenius favoribus confovemus.

Superiores Congregationis episcoporum et regularium exponunt non expedire, ut novitii post emissam professionem statim inter antiquos professos admittantur.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Sanctii Cicatelli moderni praefecti generalis congregationis Clericorum regularium Ministrantium infirmis petitio continebat, quod, cum in dictâ congregatione longâ et diuturnâ multorum annorum experientiâ compertum sit, pro conservandâ et augendâ in eâ regulari disciplinâ et observantiâ, non expedire, ut novitii ipsius congregationis ad sacerdotium destinati statim post emissam ab eis solemnem professionem ad domos professas eiusdem congregationis mitti, et inibi inter professos antiquos connumerari debeant; et habito ad sacram congregationem venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium super negotiis et consultationibus regularium deputatorum per superiores primodictae congregationis recursu, pro consequendo super praemissis salubri aliquo remedio,

Sacra Congregatio decernit eos, usque dum sacerdotes ordinentur, in aliis separatis domibus arbitrio generalis permanere debere.

§ 2. Secundodicta congregatio, negotio huiusmodi per eam mature et prudenter discusso, per suum decretum censuerit, primodictae congregationi concedendum esse, ut de cetero illius novitii ad sacerdotium destinati tantum (non autem fratres laici, nec illi qui iam in presbyteros ordinati habitum in eâ suscipiunt) possint post professionis emissionem in domibus novitiatuum, habitatione tamen separatâ, aut aliis domibus distinctis, arbitrio praefecti generalis primodictae congregationis, et illius consultorum pro tempore existentium, donec presbyteri ordinentur, permanere;

Ibique ex redditibus dictarum domorum vivere.

§ 3. Ibique, non obstante voto paupertatis, ex redditibus et proventibus perpetuis domorum huiusmodi, perinde ac novitii, vivere;

Et deinde supplicatum fuit Pontifici ut super his omnibus provideret.

§ 4. Proindeque dictus Sanctius praefectus generalis cupiat, primodictae congregationi iuxta formam decreti huiusmodi per nos et Sedem Apostolicam, ut infra, perpetuo indulgeri: quare pro parte eiusdem Sanctii praefecti generalis nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eius piis votis huiusmodi annuere, ac aliàs in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Qui praedicta omnia a cardinalium Congregatione huiusmodi sancita et decreta approbat.

§ 5. Nos igitur, dictum Sanctium praefectum generalem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex voto secundodictae congregationis negotiorum huiusmodi, primodictae congregationi, quod deinceps in perpetuum illius novitii nunc et pro tempore existentes, ad sacerdotium destinati dumtaxat (non autem fratres laici, nec illi qui iam in presbyteros ordinati habitum regularem susceperunt et in futurum susceperint) post emissam ab eis solemnem professionem, in domibus novitiatuum, habitatione tamen separatâ, aut aliis domibus distinctis, arbitrio praefecti generali et illius consultorum praefatorum nunc et pro tempore existentium, donec et quousque pre-

1 Erronee edit. Main. habet *Christi* (R. T.).

sbyteri ordinentur, permanere, inibique, non obstante paupertatis voto, ex redditibus et proventibus perpetuis earumdem domorum, perinde ac novitii, vivere libere et licite valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, de speciali gratiâ, perpetuo concedimus et indulgemus.

Ac super his nullo modo molestari posse decernit.

§ 6. Ac primodictam congregationem, illiusque praefectum generalem, et alios superiores ac personas nunc et pro tempore existentes, super praemissis a quoquam publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, molestari, inquietari, perturbari, aut aliàs quoquomodo impediri nullatenus unquam posse;

Decretum irritans apponit.

§ 7. Necnon quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane dictâ auctoritate decernimus.

Contraria tollit.

§ 8. Non obstantibus primodictae congregationis (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illi, eiusque praefecto generali, ac aliis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctionemque poenalem adiungit.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, concessionis, indulti, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXIV, decimo primo kalendas februarii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 22 ianuarii 1624, pontif. an. I.

XXVIII.

Revocatio facultatum disponendi de officiis vacabilibus Romanae curiae, eorumque pretio, et moderatio indultorum transferendi pensiones.

Causae huius Constitutionis.

Sanctissimus D. N. D. Urbanus divinâ providentiâ Papa VIII, pro[1] Sedis Apostolicae indemnitati officiorum quorumcumque vacabilium Romanae curiae, ad collationem seu concessionem dictae Sedis quomodolibet pertinentium, liberae dispositioni et devolutioni ex personis illa obtinentium provenire solitae, et quandoque imminenti, necnon exonerationi beneficiorum ecclesiasticorum quorumlibet, prospicere, prout par est, intendens:

Revocatio facultatum disponendi de officiis vacabilibus Romanae curiae eorumque pretio.

§ 1. Omnes et quascumque facultates, indulta et privilegia disponendi quovis modo de officiis praedictis, seu eorum pretio, absque speciali suo et successorum suorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium assensu et beneplacito de tempore dispositionis huiusmodi interponendo, etiam per viam subrogationis, translationis vel deputationis, etiam praetextu concessionis tituli et officiorum huiusmodi locis piis, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, et vim contractus importantibus, ac aliis clausulis,

1 Vel omittenda praep. *pro*, vel postea legendum *indemnitate* (R. T.).

necnon irritantibus et aliis decretis, quorum tenores haberi voluit pro expressis, vel aliàs quovis modo et ex quavis causâ factae[1], etiamsi illorum vigore ad deputationem et resignationem huiusmodi, vel aliam quamvis dispositionem processum fuisset, ac etiamsi officia ipsa tempore concessionis indultorum huiusmodi actu vacarent, in eâ parte, qua vivente Romano Pontifice illorum auctore consummata et realem effectum sortita non sunt, salvis tamen remanentibus decretis et reservationibus dispositionum in concessione officiorum tunc actu vacantium particularibus personis dumtaxat, non autem collegiis, confraternitatibus, congregationibus vel capitulis, factâ interpositis, ipsorumque decretorum translationibus;

Moderatio indultorum transferendi pensiones.

§ 2. Necnon transferendi quascumque pensiones annuas super patriarchialium, metropolitanarum, cathedralium, et abbatialium mensarum, et quorumvis ecclesiasticorum, tam secularium quam regularium, beneficiorum quomodocumque qualificatorum fructibus, tam certis quam incertis, ac etiam distributionibus quotidianis reservatas, quae tamen per exactionem integrarum pensionum huiusmodi, ab ipsis translatariis factam, realem et actualem effectum similiter sortita non sunt, pro summâ, quae medietatem veri annui valoris fructuum mensae seu beneficii, super quibus pensio transferenda seu translata reservata reperitur, excedat, quibusvis personis etiam abbatiali, episcopali, archiepiscopali, patriarchali, vel aliâ quavis dignitate etiam cardinalatus honore fulgentibus, sive etiam ad favorem quorumcumque locorum piorum et collegiorum quovis intuitu et consideratione, etiam motu, scientiâ, et potestatis plenitudine similibus, necnon clausulis et decretis paribus, quorum tenores similiter pro expressis haberi voluit, tam per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores suos, quam Sanctitatem Suam concessa hactenus, revocavit, cassavit et annullavit, ac viribus et effectu evacuavit; ita tamen ut facultates transferendi pensiones huiusmodi, pro eâ parte, quae medietatem fructuum, etiam incertorum, vel distributionum, quatenus super illis sint impostae, non excedat, firmae et illaesae remaneant. Et insuper voluit et ordinavit eos, qui, praetextu excessus medietatis fructuum seu distributionum huiusmodi, partem pensionum translatarum solvere recusaverint, ad excessum ipsum probandum teneri; nec interim, praesentis dispositionis praetextu, processum exequutivum aut solutionem integrae pensionis, quatenus aliàs illis locus sit, impediri aut retardari debere.

Appositio decreti irritantis.

§ 3. Decernens, sic in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ipsosmet cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet qualibet aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate), iudicari et definiri debere, necnon irritum et inane quicquid secus super praemissis per quoscumque, etiam praetextu facultatum, indultorum et privilegiorum praedictorum, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Facultatibus, indultis et privilegiis, aliisque praemissis, necnon statuto, ordinatione, et declaratione Suae Sanctitatis in crastinum eius assumptionis ad summi apostolatus apicem editis, et in cancellariâ apostolicâ sub die XXI mensis octobris anni MDCXXIII publicatis[1], quodque dicti S. R. E. cardinales constitutionibus et regulis, per Sanctitatem Suam post priorum suarum constitutionum et regularum editionem et publicationem faciendis, non includantur, nisi illae eorumdem cardinalium favorem concernant, vel ipsae constitutiones et regulae edendae de ipsorum

1 Potius legendum *facta* (R. T.).

1 Quas vide supra pag. 57 huius tomi (R. T.).

cardinalium vel maioris partis eorum consilio editae fuerint, aliisque regulis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque nequaquam obstantibus.

Placet, publicetur et describatur, M.

Lecta et publicata fuit supradicta constitutio Romae in cancellariâ apostolicâ anno Incarnationis Dominicae MDCXXIV, *die vero veneris* XXIV *mensis ianuarii, pontificatus SS. D. N. Urbani divinâ providentiâ Papae VIII anno* I.

MARCUS ANTONIUS ASCENTIUS, procustos.

XXIX.

Confirmatio decreti Congregationis Concilii, quo statuitur, cognitionem causarum criminalium clericorum civitatis et dioecesis Atrebatensis ad solum episcopum spectare [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Decretum Congregationis Concilii.

§ 1. Cum, sicut accepimus, nuper a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus sacri Concilii Tridentini interpretibus emanaverit declaratio, sive decretum tenoris subsequentis, videlicet:

Cum a sacrâ hac Congregatione declaratum fuerit, episcopum Atrebatensem posse ecclesiam suam cathedralem, eiusque capitulum, ac personas visitare, et extra visitationem causas criminales capitularium unâ cum adiunctis, aliorum vero, qui nec dignitates obtinent, nec sunt de capitulo, per se ipsum cognoscere ac definire, non obstantibus assertâ concordiâ, privilegiis, exemptionibus, sententiis et praescriptionibus, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus [2]; quaeritur ad quem spectet cognitio causarum criminalium ceterorum clericorum civitatis et dioecesis Atrebatensis.

Die XXVI maii MDCXXIII sacra congregatio cardinalium Concilii Tridentini interpretum declaravit, eiusmodi cognitionem ad solum episcopum pertinere [1], privilegiis quibuscumque non obstantibus; quod si id ius ex immemorabili consuetudine capitulo competat, eam consuetudinem non esse quidem a Concilio sublatam decreto cap. XX, sess. XXIV, verum donec capitulum illam legitime probaverit per tres sententias conformes, vel unicam, quae in rem iudicatam transierit, eiusmodi causas ab episcopo tantum esse cognoscendas.

R. cardinalis UBALDINUS.

Confirmatur a Pontifice.

§ 2. Nos, inviolabili declarationis, sive decreti, et in eis contentorum huiusmodi observationi, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, declarationem seu decretum praedictum, cum omnibus et singulis in eis contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti, et quosvis alios, et quantumvis substantiales defectus, si qui in praemissis aut eorum aliquo intervenerint aut intervenisse dici vel censeri possit, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, praesentes litteras, omniaque et singula in eis contenta, semper et perpetuo valida firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, quos illa concernunt, inviolabiliter observari; sicque per quos-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Vide supra Const. XI, pag. 75 huius voluminis (R. T.).

1 Vocem *pertinere* nos addimus (R. T.).

cumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorum putatio.

§ 4. Quocirca venerabilibus fratribus Ioanni Francisco Patracensi, moderno et pro tempore existenti nostro et Sedis Apostolicae in Belgicis ditionibus nuncio, ac Mecliniensi archiepiscopo, nec non episcopo Tornacensi, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte venerabilis fratris Hermanni moderni et pro tempore existentis episcopi Atrebatensis fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere, easdemque praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Obstantium derogatio.

§ 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Bonifiacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae ecclesiae Atrebatensis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX ianuarii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 30 ianuarii 1624, pontif. an. I.

XXX.

Confirmatio alterius decreti eiusdem Congregationis, quo declaratur, facultatem approbandi confessarios ad confessiones audiendas, atque licentiam concedendi regularibus, qui in ecclesiis non suorum Ordinum sacras conciones sunt habituri, nec non benedictionem iis, qui in suorum Ordinum ecclesiis praedicare voluerint, soli episcopo competere in dioecesi Atrebatensi.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Decretum.

§ 1. Cum, sicut accepimus, nuper a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus sacri Concilii Tridentini interpretibus emanaverit declaratio, sive decretum tenoris subsequentis, videlicet:

Supplicatur ab hac sacrâ Congregatione declarari: An episcopo, num vero capitulo Atrebatensi competat ius et facultas approbandi confessarios ad confessiones audiendas, atque licentiam concedendi regularibus, qui in ecclesiis non suorum Ordinum sacras conciones sunt habituri, necnon benedictionem iis, qui in suorum Ordinum ecclesiis praedicare voluerint. *

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Die XXVII maii MDCXXIII, sacra Congregatio cardinalium Concilii Tridentini interpretum declaravit, eiusmodi facultatem soli episcopo competere.

Confirmatio. § 2. Nos, etc. (*Reliqua, ut in antecedenti decreto*).

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX ianuarii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 30 ianuarii 1624, pontif. anno I.

XXXI.

Confirmatio alterius decreti, quo statuitur capitulum vel decanum Atrebatensem non posse sibi casus reservare, nec a casibus ab episcopo reservatis absolvere, nec litteras dimissoriales concedere[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Decretum. § 1. Cum, sicut accepimus, nuper a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus sacri Concilii Tridentini interpretibus emanaverit declaratio sive decretum tenoris subsequentis, videlicet:

Quaeritur, an capitulum, vel decanus Atrebatensis possit sibi casus reservare et a casibus ab episcopo reservatis absolvere, necnon litteras dimissoriales concedere?

Die XXVII maii MDCXXIII sacra Congregatio cardinalium Concilii Tridentini interpretum declaravit non posse.

R. cardinalis UBALDINUS.

§ 2. Nos (*Reliqua, ut in antecedenti*). Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX ianuarii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die, annoque eodem.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

XXXII.

Confirmatio decreti sive declarationis eiusdem Congregationis, quo statuitur indulgentias, tam in cathedrali Atrebatensi, quam extra eam in totâ dioecesi, ab episcopo, adhibitis duobus de capitulo, esse publicandas[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam

§ 1. Cum, sicut accepimus, nuper a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus Concilii Tridentini interpretibus emanaverit declaratio sive decretum tenoris subsequentis, videlicet: Decretum.

An indulgentiae, tam in cathedrali ecclesiâ, quam extra eam in dioecesi Atrebatensi, sint publicandae ab episcopo, an vero a capitulo?

Die XXVII maii MDCXXIII sacra Congregatio cardinalium Concilii Tridentini interpretum declaravit, indulgentias ab episcopo, adhibitis duobus de capitulo, esse publicandas.

R. cardinalis UBALDINUS.

§ 2. Nos (*Reliqua, ut in antecedenti*). Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXX ianuarii MDCXXIV, anno I.

Dat. die, annoque eodem.

XXXIII.

Confirmatio alterius decreti, quo statuitur convocationem synodi Atrebatensis, et concursum parochialium ecclesiarum, etiamsi de iurepatronatus capituli fuerint, instituere, ad solum episcopum pertinere[2].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Cum, sicut accepimus, nuper a venerabilibus fratribus nostris sanctae Ro- Decretum.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

manae Ecclesiae cardinalibus sacri Concilii Tridentini interpretibus emanaverit declaratio sive decretum tenoris subsequentis, videlicet:

Supplicatur ab hac sacrâ Congregatione declarari: An decanus vel capitulum Atrebatense possit synodum celebrare, et concursus parochialium ecclesiarum, etiamsi de iurepatronatus capituli fuerint, instituere?

Die XXVII maii MDCXXIII sacra Congregatio cardinalium Concilii Tridentini interpretum declaravit, non posse, sed utrumque munus ad episcopum pertinere.

R. cardinalis UBALDINUS.

Confirmatio. § 2. Nos inviolabili, etc. *(Reliqua, ut in primo).*

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX ianuarii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die, annoque eodem.

XXXIV.

Confirmatio alterius decreti eiusdem Congregationis, quo declaratur capitulum Atrebatense non posse exercere nundinas, mercatus ac strepitus iudiciorum profanorum in dictâ ecclesiâ, ac eius coemeteriis[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Decretum. § 1. Cum, sicut accepimus, nuper a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus sacri Concilii Tridentini interpretibus emanaverit declaratio sive decretum tenoris subsequentis, videlicet:

Supplicatur a sacrâ hac Congregatione declarari, an capitulum Atrebatense possit exercere nundinas, mercatus ac strepitus iudiciorum profanorum in ecclesiâ, ac eius coemeteriis?

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Die XXVII maii MDCXXIII sacra Congregatio cardinalium Concilii Tridentini interpretum declaravit, non posse.

R. cardinalis UBALDINUS.

§ 2. Nos inviolabili, etc. *(Ut in primo).* Confirmatio.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX ianuarii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die, annoque eodem.

XXXV.

Philippo IV Hispaniarum regi indultum conceditur retinendi ducatum Mediolanensem cum regno Siciliae[1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi catholico, Urbanus Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Praeclara praedecessorum tuorum in hanc sanctam Sedem merita, sinceraque fides et eximia pietas, ac fervens devotio tua, quibus in nostro et dictae Sedis conspectu clarere dignosceris, merito nos inducunt, ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur. Exordium.

§ 1. Sane,[2] licet, clarae memoriae Philippo III Hispaniarum rege catholico genitore tuo rebus humanis, sicut Deo placuit, exempto, regnum Siciliae et Hierusalem cum totâ terrâ citra pharum, unà cum aliis regnis, provinciis et ditionibus universis, ad te uti eius filium et haeredem iure successionis, modoque et formâ infrascriptis legitime pervenerit, et felicis recordationis Gregorius Papa XV praedecessor noster ipsum regnum Siciliae et Hierusalem, cum totâ terra quae est citra pharum usque ad confinia terrarum sanctae Romanae Ecclesiae, exceptâ civitate Mortuo Philippo III Gregorius XV regnum utriusque Siciliae Philippo IV in feudum concessit.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Ex seq. syntaxi percipies heic forsan requiri partic. *cum* (R. T.).

Beneventanâ cum eius territorio et pertinentiis, necnon terrâ sive loco Pontiscorvi Aquinatensis dioecesis, quae dictus Gregorius praedecessor sibi et eidem Ecclesiae specialiter reservavit, tibi, pro te, tuisque haeredibus et successoribus Aragoniae regibus, tam masculis quam feminis, ex te rectâ lineâ descendentibus, natis et nascituris, ac aliis tunc expressis personis, in feudum perpetuum, de venerabilium fratrum suorum S. R. E. cardinalium, de quorum numero tunc eramus, consilio pariter et assensu, pro solito annuo censu, ac aliàs sub certis modo et formâ tunc expressis, concesserit et elargitus fuerit, ac regnum ipsum tibi modo et formâ huiusmodi infeudaverit, teque de illo investiverit;

Sed quia in actibus huiusmodi investiturarum expresse cavetur ne Siciliae reges ullo modo se ingerant in dominio Lombardiae.

§ 2. Nihilominus (quia aliàs recolendae memoriae Iulius Papa II similiter praedecessor in concessione regni Siciliae huiusmodi et Hierusalem, cum totâ terrâ quae est citra pharum usque ad confinia terrarum sanctae Romanae Ecclesiae, exceptâ civitate Beneventanâ et eius territorio ac pertinentiis, per ipsum Iulium praedecessorem clarae memoriae Ferdinando Aragoniae et utriusque Siciliae regi, dicti Philippi genitoris tui tritavo, pro se, et suis in regno Aragoniae successoribus, tam masculis quam feminis, ex rectâ lineâ descendentibus, natis et nascituris, in feudum perpetuum factâ similiter de venerabilium fratrum suorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio, et forsan ante eum diversi alii Romani Pontifices praedecessores nostri, tunc sui, voluerunt iureiurando firmari, quod tam ipse Ferdinandus rex, quam eius in dicto regno Siciliae et Hierusalem cum totâ terrâ citra pharum haeredes et successores, nunquam procurarent eligi[1] vel nominari in regem Romanorum, aut Theutoniae, vel dominum Lombardiae, seu Thusciae, aut maioris partis earum, nec electioni vel nominationi assensum praestarent, neque se intromitterent ullo modo in regimine ipsius regni Romani, seu Theutoniae, vel dominii Lombardiae, aut Thusciae, seu maioris partis eorum, ad quodcumque eorum ipsi nominati fuissent vel electi; et si, post talem electionem, de regno Romano, seu Theutoniae, aut dominio Lombardiae, vel Thusciae, seu maioris partis earum, manifeste se intromitterent, sine expresso Romani Pontificis mandato, eo ipso à iure regni Siciliae citra pharum huiusmodi caderent ex toto, prout in ipsorum Iulii sub datum v nonas iulii, pontificatus sui anno VII, ac Gregorii praedictorum sub datum Romae, apud S.Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXI, pontificatus sui anno I[1], necnon forsan aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum confectis litteris, quarum omnium et singularum tenores, ac si de verbo ad verbum inserentur, praesentibus haberi volumus pro expressis, plenius continetur) a nonnullis haesitari possit, an ducatus Mediolani, cuius tu etiam dux existis, maiorem partem dominii Lombardiae huiusmodi comprehendat, ac tu regnum Siciliae et Hierusalem cum totâ terrâ citra pharum huiusmodi cum dicto ducatu obtinere possis, nec super haesitatione sive dubio aut potestate huiusmodi ulla declaratio, sive ullum indultum, aut quaelibet alia gratia, ab eodem Gregorio praedecessore tibi forsan concessa, expedita, seu aliàs litterae apostolicae desuper confectae fuerint:

Urbanus eidem Philippo indultum concedit retinendi ducatum Mediolani.

§ 3. Nos, etsi cognoscimus prohibitiones huiusmodi non sine magnâ et rationabili causâ a Iulio et forsan aliis praedecessoribus praedictis emanasse, nihilominus sperantes, et pro certo tenentes, quod tu scies et voles commissos tibi populos in

1 Edit. Main. legit *elegi* (R. T.).

1 Iulii litterae desunt; illas Gregorii habes in tom. XII, pag. 628 (R. T.).

pacis amoenitatae et iustitiae cultu confovere, nos et Romanam Ecclesiam ipsius regni proprietarios et directos dominos gratâ devotione et fide sincerâ recognoscere, et quanto potentior eris, tanto magis eidem Ecclesiae favere, eamque contra improbos perversorum conatus defendere et adiuvare procurabis; te à quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon concessionem et elargitionem, infeudationemque et investituram de eodem regno, per dictum Gregorium praedecessorem tibi, ut praefertur, factas, ratas et gratas habentes, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de merâ liberalitate et certâ scientiâ nostris, te, quatenus dictus ducatus maiorem partem Lombardiae huiusmodi comprehendat, tuque relaxatione iuramenti et dispensatione ad obtinendum regnum Siciliae citra pharum et ducatum huiusmodi indigeas, seu aliàs relaxatione et dispensatione praedictis opus sit, a quibusvis reatu periurii, ac sententiis, censuris et poenis, si quas forsan regnum Siciliae cum pharo huiusmodi antè vel post acceptationem dicti ducatus acceptando, aut te illius regimini immiscendo, vel illius regem inscribendo aut denominando iam forsan incurristi, aut incurrere potes, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, absolvimus et liberamus, absolutumque et liberatum esse decernimus: ac, dummodo alia, quae in litteris concessionis regni Siciliae citra pharum huiusmodi in feudum, necnon capitulis inter piae memoriae Leonem Papam X praedecessorem nostrum, et inclitae memoriae Carolum imperatorem tunc regem Romanorum sub die III mensis iunii anni MDXXI initis contenta sunt[1], ad te et alios ipsius Caroli imperatoris successores pertinentia, et quorum remissio per praedictam Sedem facta non apparet, quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, similiter praesentibus haberi volumus pro expressis, quoad vixeris inviolabiliter observes, quodcumque iuramentum per te aut alium nomine tuo super non obtinendo dominio Lombardiae huiusmodi, aut illius maiori parte cum ipso regno Siciliae citra pharum hactenus forsan praestitum, et in futurum per te vel procuratorem tuum praestandum, ex nunc prout postquam praestitum fuerit, ad hoc dumtaxat, ut ducatum et regnum Siciliae citra pharum huiusmodi absque alicuius censurae et poenae incursu vel labe seu reatu periurii obtinere, teque regem Siciliae citra pharum et ducem Mediolani nominare et inscribere, ac ab aliis denominari et inscribi possis, auctoritate et tenore praedictis relaxamus, teque eo non teneri, nec adstringi pariter decernimus, tibique quod ducatum et regnum Siciliae citra pharum, ut praefertur, tenere et possidere possis, auctoritate et tenore praedictis de speciali gratiâ concedimus et indulgemus, ac personam tuam, si expediat, et opus sit, tuque indigeas, ad praedicta omnia habilitamus.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis, quae Iulius et Leo, ac alii Romani Pontifices praedecessores praedicti in litteris et capitulis praedictis voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Cavet autem, ne quid detrimenti Romana Ecclesia suis in iuribus patiatur.

§ 5. Volumus autem et declaramus, quod per huiusmodi relaxationem, decretum, concessionem, indultum et habilitationem, nullum praeiudicium nostris et

1 Vocem *sunt* nos addimus (R. T.).

dictae Sedis ac sanctae Romanae Ecclesiae iuribus in quibuscumque civitatibus, terris et locis ipsius Lombardiae inferatur, sed iura ipsa in suo robore salva et illaesa remaneant: quodque si, quod absit, te a nostrâ et dictae Ecclesiae Romanae, ratione dicti regni Siciliae citra pharum, fidelitate retraxeris, praesentes litterae nullius sint roboris vel momenti, dictumque regnum Siciliae citra pharum ad nos, et dictam Romanam Ecclesiam devolvatur, ac devolutum esse censeatur, ad eamque libere revertatur eo ipso.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die v februarii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 5 februarii 1624, pontif. an. I.

XXXVI.

Erectio militiae christianae sub titulo Conceptionis B. Mariae Virginis Immaculatae et regula S. Francisci, cum privilegiorum, exemptionum et indultorum concessione.

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium et causae huius Constitutionis.

Imperscrutabilis[1] divinorum iudiciorum altitudo, statim atque humilitatem nostram ad pontificiae dignitatis culmen, nullo licet meritorum suffragio, evexit, inter multiplices, gravissimasque apostolatus nostri curas, ad militares ordines, qui, anteactis temporibus maximo christianae reipublicae bono instituti, in catholicâ re firmandâ, varia terrâ, marique discrimina subeuntes, gloriose desudant, peculiari sollicitudinis studio mentis nostrae aciem iure optimo convertimus. Quemadmodum enim spiritualibus evangelicae iustitiae armis invisibiles militantis Ecclesiae hostes felici certamine profligantur, ita adversus perditas gentes, quae superno fidei lumine destitutae, christianoque nomini infensae, eidem Ecclesiae perniciem afferre moliuntur, visibilium armorum usu ortodoxa religio opportune propugnatur. Quamobrem inaestimabili gaudio perfundimur, cum principes viri vel ad veteres eosdem ordines amplificandos, vel ad novos apostolicâ auctoritate instituendos, animos generose convertunt. Verum praecipue in Domino oblectamur, dum institutionem unius militaris religionis sub invocatione Conceptionis Deiparae Virginis Immaculatae meditantur, quam christifideles omnes propitiam apud Unigenitum Filium suum nacti sunt advocatam, utpote quae Mater gratiae et pietatis, pro humani generis salute sedula oratrix apud regem, quem genuit, semper intercedat, sperantes, huiusmodi institutionem eiusdem Virginis caelorum reginae intercessione praefatae christianae reipublicae uberrimos fructus allaturam; praeterquamquod hoc pacto Ecclesia ipsa circumamicta varietate caelestis eius sponsi iucundiorem se habet obtutui, ac terribilis ut castrorum acies ordinata dissipat gentes, quae bella volunt, divinoque suffulta praesidio, nunquam adversus se portas inferi praevalituras ostendit. Hinc vero fit, ut eorum, qui saluberrimum huiusmodi opus sedulo promovere student, et porrectas nobis preces pronis auribus excipiamus, et pie conceptis votis, pontificiae benignitatis memores, quantum in Domino possumus, annuamus.

Mantuae duces militiam christianam instituere curant.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum Ferdinandi Mantuae et Caroli Niverniensium[1] ducum et Adolphi comitis ab Altan petitio continebat, quod nuper ipsi Ferdinandus et Carolus duces et Adolphus comes, animos ad caelestia erigentes, probeque cognoscentes, nihil christiano prin-

1 Erronee edit. Main. legit *Inscrutabili* (R. T.).

1 Potius legendum *Niverniensis* (R. T.).

cipi convenientius esse posse, quam ad Dei optimi maximi bonorum omnium largitoris cultum promovendum, fidem catholicam propagandam, christianorum omnium defensionem, orthodoxae fidei hostium depressionem, cogitationes, operasque suas convertere, Spiritu Sancto inspirante, unius militiae christianae institutionem, in qua omnium nationum, qui christiano nomine censentur, nobiles et ingenue nati viri, pro fide catholicâ et adversus illius hostes terrâ, marique, exigente occasione, certaturi, recipiantur, meditati sunt. Cumque (sicut eorum petitio subiungebat) multi iam ex variis nationibus catholici hoc institutum amplecti, talique militiae se adscribere summopere desiderent; sperandumque sit, eam (si Sedis Apostolicae auctoritate instituatur) reipublicae christianae non ornamento tantum, sed etiam adiumento futuram; quare iidem Ferdinandus et Carolus duces et Adolphus comes, desiderantes pium hoc et laudabile opus auspiciis nostris ad effectum perduci, nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Eam erigi sinit Pontifex;

§ 2. Nos igitur, qui divini cultus augmentum, fideique catholicae propagationem ubique vigere sinceris desideramus affectibus, eosdem Ferdinandum et Carolum duces, ac Adolphum comitem, in tam laudabili militiae christianae promovendae proposito confoventes, ipsosque et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, unam militiam christianam nuncupandam sub titulo Conceptionis B. Mariae Virginis Immaculatae, quam Ferdinandus et Carolus duces ac Adolphus comes praefati semper habuerunt et habent apud misericordem Filium suum advocatam, ac sub regulâ S. Francisci, necnon sub protectione Ss. Michaëlis archangeli et Basilii, pro uno magistro, qui magnus nuncupetur, et ipsius militiae caput et superior existat, cuiusque sedes et conventus in loco apto et commodo ei assignando sit, et qui in ipsius militiae capitulo eligi, et intra tres menses, a die suae electionis computandos, illius confirmationem a Sede Apostolicâ, a qua confirmari vel infirmari debeat, prout ordo exegerit rationis, impetrari teneatur;

De militum numero,

§ 3. Necnon militum ac ministrorum numero eidem magistro beneviso;

Habitu,

§ 4. Qui magister et milites habitum ipsius militiae gestare,

§ 5. Et quilibet pro suâ receptione, seu, ut, dicitur, *passaggio* ducenta scuta aurea, ad rationem duodecim iuliorum pro quolibet scuto huiusmodi, conventui, seu illius thesauro, vel communi aerario solvere,

Novitiatu,

§ 6. Novitiatum, seu probationem, in aliquâ dictae militiae regulari domo, eis a magistro militiae huiusmodi, seu ab eo ad id deputando, assignandâ, facere,

Votis et professione.

§ 7. Et postea castitatis coniugalis ac paupertatis, iuxta statuta seu stabilimenta dictae militiae, ac obedientiae vota, et professionem fidei, ac iuramentum fidelitatis, Sedi Apostolicae et Romano Pontifici pro tempore existenti praestandae, emittere,

§ 8. Et quotiescumque eis praecipietur, aut occasio, vel necessitas postulaverit, terrâ, marique contra infideles, ac sanctae Romanae Ecclesiae ac fidei catholicae hostes militare teneantur;

De qualitatibus admittendorum.

§ 9. Et ad habitum, seu crucem, ac professionem dictae militiae nobiles et ingenue nati viri, etiam qui cum unicâ, vel, eâ defunctâ, cum alterâ tantum muliere virgine vel etiam viduâ coniugati sint,

vel fuerint, et non aliàs, absque dispensatione apostolicâ, admittantur; seu ipsi milites non coniugati, etiam dictâ professione emissâ, matrimonium cum unicâ, vel, eâ mortua, cum alterâ tantum virgine, vel viduâ, absque simili dispensatione contrahere possint;

Dimissâ magistrali et insignibus.

§ 10. Cum mensâ magistrali, officiis, iuribus, iurisdictionibus et insignibus consuetis, ad instar aliarum huiusmodi militiarum ubivis institutarum, sine tamen alicuius praeiudicio, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus.

Dote.

§ 11. Illique sic erectae et institutae, pro eius dote, omnes et quascumque pecuniarum quantitates ex receptione, seu admissione, vel *passaggio*, cuiuslibet militis provenientes (ita ut illae in alios, quam dictae dotis usus, donec aliter a Sede Apostolicâ mandatum fuerit, converti nequeant), necnon alia bona, non tamen ecclesiasticâ, sed mere laicalia, ei a quibusvis, quandocumque et quomodocumque pro tempore assignanda et elargienda, salvâ semper constitutione felicis recordationis Clementis Papae VIII, praedecessoris nostri, quae incipit *Romanum decet Pontificem*, sub datum Romae, apud S. Petrum, pridie nonas iulii, pontificatus sui anno X[1]; ex nunc, prout ex tunc, et e contra, postquam assignata, erogata et elargita fuerint, etiam perpetuo applicamus et appropriamus.

Militia, eiusque bona et milites Sedi Apostolicae subiiciuntur.

§ 12. Ipsamque militiam, ac illius conventum, prioratus, praeposituras, ecclesias et loca, necnon magistrum, priores, praepositos, milites, tam ecclesiasticos quam laicos, eorumque ministros, personas, vassallos, servitores et colonos, ac res, praedia, grangias et bona quaecumque ratione dictae militiae ad eos spectantia, a quorumvis primatuum, patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, ordinariorum, et aliorum praelatorum iurisdictione et subiectione eximimus et liberamus, illosque et illa nobis et Sedi Apostolicae immediate subiicimus, ac sub nostrâ et dictae Sedis tutelâ et protectione suscipimus.

1 Quam vide in tom. X, pag. 711 (R. T.).

Milites habiles declarantur ad ecclesiasticas pensiones obtinendas.

§ 13. Praeterea dictae militiae magistro et militibus, ut (etiamsi matrimonium cum unicâ, vel, eâ defunctâ, cum aliâ virgine, vel viduâ, contraxerint, vel contrahant) unam seu plures pensiones annuas (quae tamen in totum trecenta scuta monetae romanae ad rationem decem iuliorum pro quolibet scuto huiusmodi in singulas personas non excedant) super cathedralium, etiam metropolitanarum, et aliarum etiam abbatialium, conventualium, et capitularium mensarum, necnon monasteriorum etiam consistorialium, prioratuum, canonicatuum, et praebendarum, dignitatum, personatuum, administrationum et officiorum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium et quorumvis Ordinum et militiarum regularium, qualitercumque qualificatorum, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis universis, ac etiam distributionibus quotidianis, aliàs sibi canonice reservandas, recipere, percipere, exigere, ac in suos usus et utilitatem convertere, ipsasque pensiones, unâ cum praeceptoriis, prioratibus aut aliis beneficiis quibuscumque dictae militiae, quoad vixerint retinere libere et licite possint;

Facultas condendi statuta, quae milites servare teneantur.

§ 14. Eisdemque magistro et capitulo generali dictae militiae, ut quascumque constitutiones, statuta, ordinationes, capitula, stabilimenta ad prosperam dictae militiae directionem facientia, licita tamen et honesta, ac sacris canonibus, Conciliique Tridentini decretis minime contraria, a dictâ Sede tamen approbanda, condere[1], illaque pro rerum et temporum qualitate et varietate alterare, revocare,

1 Perperam ed. Main. legit *concedere* (R. T.).

mutare, moderari, corrigere, et alia de novo condere possit; quae, postquam condita, alterata, revocata, mutata, moderata, correcta, et de novo edita, et a dictâ Sede approbata fuerint, et non aliàs, valida et efficacia existant, suosque plenarios et integros effectus sortiantur, et per milites fratres religiosos, et alias eiusdem militiae personas, inviolabiliter observari debeant, ita et taliter, quod milites et alii religiosi dictae militiae ab illis nullo modo resilire possint, sed ad illorum observationem teneantur, et obligati existant, et ad id censuris ecclesiasticis et aliis poenis cogi et compelli possint;

Carolo duci Mantuae data facultas directores eligendi usque ad capitulum generale.

§ 15. Et quoniam iustis ex causis electio magni magistri militiae per praesentes erectae usque ad capitulum generale, in Urbe in festo sanctissimae Pentecostes anni MDCXXV celebrandum, differenda est, ne interim praefatae militiae progressus retardetur, et ut ad illius habitum admitti volentium devotioni satisfieri possit, eidem Carolo duci, ut duodecim eiusdem militiae milites in orientalis, meridionalis, occidentalis, et septemtrionalis districtuum directores, unum videlicet ecclesiasticum et duos alios eiusdem militiae milites pro quolibet districtu huiusmodi, deputare, ipsisque directoribus sic deputatis, ut pro felici directione dictae militiae aliqua statuta et ordinationes, quae ad locorum, rerum et temporis qualitatem, secundum eorum conscientiam, accomodata iudicaverint, ab ipsis militiae militibus in dictis respective districtibus observanda usque ad dictum capitulum generale et tempus, ut praefertur, ad illud celebrandum praefixum, et non ultra, licita tamen et honesta, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis minime repugnantia, condere et praescribere, et per se, vel alios ab eis respective deputandos, quibusvis personis idoneis et qualificatis, praefatae, militiae se adscribi petentibus, habitum illius tradere, et eas ad militiam huiusmodi admittere, aliaque ad id dicto medio tempore necessaria facere et exequi respective possint, amplam et liberam facultatem et potestatem, auctoritate et tenore praefatis, concedimus et impertimur.

Clausulae pro praesentium litterarum firmitate.

§ 16. Praesentes vero litteras, etiam ex eo quod causa seu causae, propter quam seu quas illae a nobis emanarunt, iustificatae et verificatae, et interesse forsan habentes seu habere praetendentes vocati non fuerint, seu quibusvis aliis ex causis, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae aut quopiam alio defectu notari aut impugnari seu ad viam et terminos iuris reduci non posse, sed semper validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere;

§ 17. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et vicelegatos, necnon dictae Sedis Apostolicae nuntios, in quacumque instantiâ, ubicumque et quomodocumque iudicari, decidi, definiri, ac etiam terminari posse atque debere, auctoritate apostolicâ, et earumdem tenore praesentium, decernimus.

Indulgentiae militibus concessae.

§ 18. Postremo, eisdem magistro, militibus, et aliis dictis militiae personis pro tempore existentibus, vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione (si id commode fieri poterit) refectis, tam die illorum professionis, si vere poenitentes et confessi, ac sacrâ communione praefatâ refecti, quam quocumque die, quo alicui expeditioni vel functioni aut praelio contra fidei catholicae hostes interfuerint, si saltem contriti fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem elargimur.

Derogatio contrariorum.

§ 19. Non obstantibus nostrâ de gratiis ad instar non concedendis, et aliis quibusvis

apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus, universalibusque conciliis editis et edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque et aliis etiam vim contractus inducentibus decretis, in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus latissime, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Exemptio explicatur ad formam Concilii Tridentini.

§ 20. Volumus autem, quod exemptio praefata non comprehendat ecclesias, neque personas in eis quae ad animarum curam pertinent, in quibus decreta Concilii Tridentini omnino servari debeant.

§ 21. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae absolutionis, erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, subiectionis, susceptionis, concessionis, impartitionis, decreti, elargitionis, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXIV, pridie idus februarii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 12 februarii 1624, pontif. an. 1.

XXXVII.

Indultum militibus militiae christianae nationum Gallicae et Belgicae obtinendi pensiones usque ad summam quingentorum ducatorum auri de camerâ [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Militibus militiae christianae nuper a se erectae,

Nuper, supplicationibus dilectorum filiorum nobilium virorum Ferdinandi Mantuae ac Caroli Nivernensis ducum necnon Adolphi comitis de Althan nobis humiliter porrectis inclinati, unam militiam christianam nuncupatam sub certis modo et formâ tunc expressis apostolicâ auctoritate ereximus et instituimus, illique sic erectae et institutae diversa privilegia, gratias et indulta concessimus, aliaque in militiae favorem eiusdem fecimus, statuimus et ordinavimus, prout in nostris desuper sub plumbo expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Et privilegiis auctae,

Indultum concedit obtinendi pensiones usque ad summam 500 ducatorum.

§ 2. Quare nos, militum Gallicanae et Belgicae nationis, eiusdem militiae commodis, et congruae sustentationi, quantum cum Domino possumus, prospicere volentes, supplicationibus Ferdinandi ac Caroli ducum et Adolphi comitis praedictorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis nationum praedictarum militibus coniugatis, ac etiam bigamis, aliisque presbyteris, ut singulas pensiones annuas usque ad summam quingentorum ducatorum auri de camerâ super quarumvis cathedralium et metropolitanarum, ac aliarum ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, canonicatuum, et praebendarum, dignitatum, personatuum, administrationum, et officiorum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularum et quorumvis Ordinum regularium, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis, aliàs sibi canonice reservandas, cumulative cum quibusvis pensionibus annuis, quas illos ex quovis alio privilegio apostolico pro tempore percipere contigerit et contingeret, ad eorum vitam percipere, exigere et levare, ac in suos usus et utilitatem con-

vertere libere et licite valeant, dictâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Clausulas pro eiusdem indulti firmitate apponit.

§ 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac eisdem militibus in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat obstantibus.

§ 4. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac aliis omnibus et singulis, quae in praedictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII februarii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 23 februarii 1624, pontif. an. I.

XXXVIII.

Prohibitio, ne quis habitum et crucem assertae cuiusdam militiae christianae, ab Apostolicâ Sede non approbatae, deferat [1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Urbanus militiam christianam nuncupatam erexerat.

§ 1. Nuper, supplicationibus dilectorum filiorum nobilium virorum Ferdinandi Mantuae ac Caroli Nivernensis ducum necnon Adolphi comitis de Althan nobis humiliter porrectis inclinati, unam militiam christianam nuncupatam, sub certis modo et formâ tunc expressis, apostolicâ auctoritate ereximus et instituimus, illique sic erectae et institutae diversa privilegia, gratias et indulta concessimus, aliaque fecimus, statuimus et ordinavimus, prout in nostris desuper sub plumbo expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Nonnullis vero assertae cuiusdam militiae christianae habitum et insignia sumentibus,

§ 2. Cum autem, sicut accepimus,[1] asserta quaedam militia de facto christiana forsan erecta, licet a Sede Apostolicâ minime approbata fuerit, nonnulli nihilominus habitum assertae eiusdem militiae, auctoritate propriâ, susceperint, et illius crucem collo appensam ac pannis affixam gestaverint de facto, et forsan etiam gestent:

Id expresse vetat.

§ 3. Nos, praemissis, quantum cum Domino possumus, obviare volentes, de consilio nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, quibus negocium huiusmodi examinandum commisimus, omnibus et singulis, qui assertae huiusmodi militiae non approbatae habitum et crucem susceperunt, illumque et illam ad praesens deferunt, sub excommunicationis latae sententiae et indignationis nostrae et aliis arbitrii nostri poenis, per praesentes praecipimus et mandamus, ut, habitâ earumdem praesentium notitiâ, illico habitum et crucem assertae militiae non approbatae huiusmodi deponant, nec amplius assumere sive gestare audeant seu praesumant.

Et permittit, ut erectae a se militiae inscribi quis possit.

§ 4. Eisdem tamen permittimus atque indulgemus, ut habitum per fratres milites militiae christianae a nobis, ut praefertur, erectae gestari solitum, servatis aliàs ipsius militiae constitutionibus a nobis etiam approbatis, suscipere, et professionem per eosdem emitti consuetam suo tempore expresse emittere libere et licite valeant.

Exequutores designat.

§ 5. Quocirca venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ce-

1 Heic delemus vocem *licet*, quae postea sequitur; ceterum syntaxis mendosa deprehenditur; forsan legendum *assertâ quadam militiâ* (R.T.).

terisque locorum ordinariis ubilibet existentibus, ac dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, per easdem praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta huiusmodi, ubi et quoties opus fuerit, solemniter publicantes, faciant illa auctoritate nostrâ ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 6. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 7. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique locorum habeatur, quae eisdem praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII februarii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 23 februarii 1624, pontif. an. 1.

XXXIX.

Confirmatio litterarum Pauli V pro universitate et hominibus comitatus Venayssini[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Recenset Pauli V litteras.

Aliàs a felicis recordationis Paulo Papa V praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: *Dilectis filiis consulibus ac comunitati, et hominibus comitatus nostri Venaysini.* Intus vero: *Paulus Papa V, dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. Vestra singularis erga nos* (Reliqua vide in tom. XI, pag. 298). *Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die* III *aprilis* MDCVI, *pontificatus nostri anno* I.

Confirmatque.

§ 2. Nunc autem nos, electos ac universitatem et homines huiusmodi specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praemissorum dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad electorum, ac universitatis et hominum praedictorum, vel alicuius eorum, aut alterius pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, litteras praeinsertas, ac in eis contenta quaecumque, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulas apponit.

§ 3. Decernentes easdem praeinsertas et praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, nec non electis ac universitati et hominibus praedictis in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, et de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Exequutores designat.

§ 4. Quocirca dilectis filiis Carpentoracten-sensi et Cavallicensi ac Vesionensi officialibus per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte incolarum et habitatorum praedictorum, illorumque singulorum, et aliorum ad quos spectat, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illos et eorum singulos privilegiis, indultis, statutis, et aliis praemissis ac praesentibus litteris pacifice frui et gaudere; non permittentes illos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo; ac, legitimis super his habendis servatis processibus, illos sententias, censuras et poenas huiusmodi incidisse declarando, illasque[1] etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus omnibus illis, quae dictus Paulus praedecessor in praeinsertis litteris suis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV februarii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 24 februarii 1624, pontif. an. I.

XL.

Confirmatio et innovatio constitutionum Gregorii XIII, Clementis VIII et Pauli V super bono regimine fratrum Reformatorum Strictioris Observantiae Ordinis sancti Francisci editarum, nonnullis aliis additis decretis[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex, in quo, dispositione incommutabili, divina providentia universalis Ecclesiae constituit principatum, auctoritatem a Christo per beatum Petrum Apostolorum culmen sibi traditam intelligens, ut noxia evellat et destruat, utiliaque plantet et aedificet,[2] interdum, quae rationalibus ex causis a Sede Apostolicâ sancita sunt, ipsa subinde rerum experientiâ suadente et maioribus ex causis alterat et immutat, in hisque pastoralis officii sui partes sollicite et prudenter interponit, prout, rerum, temporumque qualitatibus debite pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Gregorius XV edidit constitutiones circa Reformatos Strictioris Observantiae sancti Francisci.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Gregorius Papa XV, praedecessor[3] noster, dilectos filios Antonium Strozium, et postea, eo a munere infrascripti officii absoluto, Aloysium a Cruce, Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Strictioris Observantiae Reformatorum nuncupatorum professores, praeviâ electione de eius personâ ad idem officium a fratribus factâ, in vicarios generales omnium fratrum Reformatorum citra[4] montes commorantium et existentium, sub certis modo et formâ tunc expressis, fecit, constituit, deputavit, ac respective confirmavit, aliaque tunc expressa, tam super ipsius vicarii generalis auctoritate et iurisdictione, necnon capituli generalis eorumdem fratrum Refor-

1 Edit. Main. legit *illisque* (R. T.).

1 Constitutiones horum Pontificum habes Gregorii XIII Const. XCIX *Cum illius* tom. VIII, pagina 247; Clem. VIII Const. CXXXIV *Pro iniuncti* (in h. n. edit. CXLI, tom. X, pag. 299), et Pauli V Const. LXII (in n. ed. LXIV) *Postulat* tom. XI, pag. 376.

2 Heic coniunct. *et* importune interiectam delemus (R. T.).

3 Edit. Main. legit *praedecessores* (R. T.).

4 Edit. Main. legit *circa* (R. T.).

matorum celebratione, quam aliàs fratrum ipsorum gubernio, regimine atque directione, statuit, decrevit et ordinavit, prout in diversis ipsius Gregorii praedecessoris desuper in simili formâ Brevis, et praesertim sub die XXIV novembris MDCXXI, ac die VII decembris MDCXXII expeditis litteris[1], quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Hic Pontifex eas pro eorum magis prospero regimine revocat.

§ 2. Nunc vero nos, dictorum fratrum paci et quieti, necnon salubri, prosperoque eorumdem regimini atque directioni, quantum cum Domino possumus, per amplius consulere volentes, de consilio dilectorum filiorum nostrorum Dominici basilicae Ss. XII Apostolorum, Gymnasii, Fabricii S. Augustini Veralli, Gabrielis S. Bartolomaei in insulâ de Treio, Scipionis S. Susannae, ac Petri S. Salvatoris in Lauro titulorum sanctae Romanae Ecclesiae presbyterorum cardinalium Valerii nuncupatorum, quibus negotium unionis eorumdem fratrum Reformatorum fratribus eiusdem Ordinis de Observantiâ seu de Familiâ nuncupatis examinandum commisimus, deputationes, electiones et confirmationes de Antonii et successive de Aloysii praedictorum personis in eorumdem fratrum Reformatorum vicarios per eumdem Gregorium praedecessorem, ut praefertur, respective factas, singulasque ipsius Gregorii praedecessoris litteras, ac omnia et singula in illis quomodolibet contenta et expressa, dictâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo revocamus, cassamus et annullamus, viribusque et effectu omnino evacuamus.

Sub obedientia generalis ministri de Observantiâ degere statuit, iuxta constitutiones Gregorii XIII, Clementis VIII, et Pauli V.

§ 3. De cetero autem perpetuis futuris temporibus eosdem fratres Reformatos nuncupatos sub obedientiâ ministri generalis Minorum de Observantiâ seu de Familiâ similiter nuncupatorum degere, prout degebant et vivebant ante primodictas litteras Gregorii praedecessoris, ac aliàs in omnibus et per omnia secundum dispositionem litterarum seu constitutionum recolendae memoriae Gregorii XIII, Clementis VIII et Pauli V etiam Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum;

Eidem ministro hospitium S. Isidori nuper in Urbe pro Discalceatis Hispaniarum et Indiarum institutum subiecit.

§ 4. Hospitium vero S. Isidori de Urbe pro provinciis Reformatorum Discalceatorum Hispaniae et Indiarum dicto ministro generali subiici, qui pro suâ prudentiâ religiosis ex illis provinciis ad Romanam curiam venientibus providere valeat, servatis omnibus iuribus ecclesiae fundatori seu constructori quomodolibet competentibus, quatenus adsint et competant;

§ 5. Constitutionem[1] praeterea dicti Clementis praedecessoris sub datâ Tusculi, XII octobris MDXCVI, pontificatus anno V, quae incipit *Pro iniuncti nobis*[2], omnino observari;

Reformatique vocem habeant in capitulo.

§ 6. In capitulis autem, tam provincialibus quam generalibus fratrum, de Observantiâ seu de Familiâ praedictorum, eosdem fratres Reformatos passivam, qui vero deputati seu electi fuerint in capitulis provincialibus, iuxta constitutiones Clementis et Pauli praedecessorum praedictorum, etiam activam vocem habere;

Ministri generalis auctoritas in eosdem.

§ 7. Ministrumque generalem praedictum quemvis ex religiosis Reformatis huiusmodi in alicuius provinciae commissarium interdum ad sui libitum deputare posse, eumdemque ministrum generalem eos ex Reformatis, qui ad illos de Observantiâ seu de Familiâ de utriusque superioris et aliorum licentiâ iuxta litteras dicti Pauli praedecessoris desuper editas transire voluerit[3], recipere et admittere debere; illi autem sic transeunti, si durante deliberationis anno ad Reformatos redire voluerit, regressum non denegan-

1 Quae in *Bullario* non sunt (R. T.).

1 Edit. Main. legit *Constitutiones* (R. T.).

2 Ea legitur in tom. X, pag. 299 (R. T.).

3 Vel legendum *voluerint*, vel paulo ante *eum* legendum erat, non *eos* (R. T.).

dum; finito autem deliberationis anno, huiusmodi regressum illi concedendum nullatenus, nisi eo modo, quo transitus ad Reformationem fratribus de Observantiâ seu de Familiâ conceditur; a fratribus vero de Observantiâ seu de Familiâ, ad Reformatos transire volentibus, Clementis et Pauli praedecessorum praedictorum constitutiones, ipsiusque Pauli decreta super hoc emanata inviolabiliter observanda;

Custodes Reformatorum, ut congregari possint, decernit.

§ 8. Ad haec in capitulis generalibus eiusdem Ordinis in Italia celebrandis omnes custodes congregari ad statuta felici eorum gubernio opportuna condenda; et quando capitula generalia sive congregationes huiusmodi non celebrabuntur, custodes singulis trienniis in almâ Urbe nostrâ cum assistentiâ protectoris pro tempore existentis pariter congregari;

Visitatoresque duo ut eligi valeant.

§ 9. Unum vero pro regnorum Neapolis et Siciliae, et alterum ex ipsis Reformatis visitatores pro reliquis Italiae reformationibus, ab eisdem custodibus de triennio in triennium, de nostro tamen, vel Romanorum Pontificum, ac eiusdem Ordinis apud nos et Apostolicam Sedem protectoris pro tempore existentium respective consensu, eligi;

Et quod minister generalis contra Reformatos procedere possit.

§ 10. Ac contra quos, seu eorum quemlibet, si deliquerit, generalem ministrum, cum interventu procuratoris eorumdem Reformatorum ac maiori parte custodum sui districtus, procedere posse ac debere;

Vel a conventibus removere.

§ 11. Porro fratres Reformatos ab eorum conventibus, nisi ex causâ in definitorio illius reformationis vel ab eodem protectore probatâ, removeri minime posse;

Constitutionem Clementis VIII de novitiis recipiendis innovat.

§ 12. Constitutionem autem de non admittendis ad habitum ab Observantibus, seu de Familiâ, novitiis, sed a Reformatis, tum iuxta decreta eiusdem Clementis praedecessoris, innovari ac inviolabiliter observari volumus, decernimus, innovamus, constituimus et declaramus.

§ 13. Decernentes etiam praesentes litteras et in eis contenta quaecumque semper et perpetuo valida, firma et efficacia esse et fore, ac ab omnibus quos illa concernunt etiam inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Decretum irritans et clausula *sublatâ*.

§ 14. Non obstantibus ipsius Gregorii praedecessoris litteris, nec non omnibus illis, quae in eis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum.

§ 16. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Fides transumptorum.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII[1] martii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 7 martii 1624, pontif. anno I.

XLI.

Archiepiscopus Mediolanensis deputatur administrator perpetuus seminarii Asconae, Comensis dioecesis[2].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Deputatio, de qua in rubricâ.

Cupientes prospero, felicique seminarii ecclesiastici oppidi Asconae, Comensis dioecesis, in finibus tamen Mediolanensis dioecesis existentis, regimini et gubernio, quantum cum Domino possumus, consulere, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacri Concilii Triden-

1 Edit. Main. habet VI in textu (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

tini interpretum consilio, venerabilem fratrem modernum et pro tempore existentem archiepiscopum Mediolanensem dicti seminarii administratorem, cum omnibus et singulis facultatibus, iurisdictionibus, auctoritatibus, honoribusque et oneribus, similibus administratoribus quomodolibet competentibus, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facimus, constituimus et deputamus.

Mandatum rectori, aliisque seminarii ministris de parendo archiepiscopo Mediolanensi.

§ 2. Mandantes propterea dilectis filiis rectori, praeceptoribus, alumnis, ceterisque ministris et personis eiusdem seminarii, ut eumdem modernum et pro tempore existentem archiepiscopum Mediolanensem in ipsius seminarii administratorem, iuxta tenorem praesentium, recipiant et admittant, eumque debitis honore et reverentiâ prosequantur, ac in omnibus ad huiusmodi administratoris munus spectantibus prompte pareant et obediant.

Obstantium derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII martii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 12 martii 1624, pontif. anno I.

XLII.

Facultas episcopis Hispaniarum compellendi ecclesiasticos seculares et regulares ad testificandum in causis nobilitatis et puritatis sanguinis[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Causae concedendae facultatis, de qua in rubrica.

Cum, sicut charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus nobis nuper exponi fecit, ex eo, quod personae ecclesiasticae, seculares et regulares regnorum Hispaniarum, vigore exemptionum quibus potiuntur, in causis nobilitatis et puritatis sanguinis coram ministris seu officialibus conciliorum Ordinum militarium testimonium perhibere recusant, magna inconvenientia orta sint:

Concessio.

§ 2. Nos, praemissis, quantum cum Domino possumus, obviare volentes, supplicationibus dicti Philippi regis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis regnorum praedictorum, ut, quotiescumque, pro parte commissariorum sive deputatorum Ordinum militarium[1], quascumque personas ecclesiasticas tam seculares quam cuiusvis Ordinis et instituti regulares, etiam exemptas, non tamen moniales, ad testificandum coram se in causis huiusmodi iuxta sacrorum canonum decreta cogere et compellere, absque eo quod ipsae personae aliquam propterea notam aut censuras et poenas ecclesiasticas incurrant, possint et debeant, licentiam et facultatem, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, nec non Ordinum, quorum personae regulares praefuerint, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII martii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 23 martii 1624, pontif. an. I.

XLIII.

Indictio visitationis omnium ecclesiarum, monasteriorum et locorum piorum al-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Supplendum *fuerint requisiti*, vel simile (R. T.).

mae Urbis, necnon Orationis XL *horarum, cum indulgentiarum elargitione, pro rectâ dictae visitationis directione.*

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
Dilectis filiis universo clero et populo romano, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium et causae huius Constitutionis.

Militantem Ecclesiam, quae, vel caelestis eius sponsi commendata praeconio, progreditur quasi aurora consurgens, in evangelicae perfectionis viâ subsistere non decet, sed novis semper gratiae fulgoribus illustratam ad uberiorem veluti virtutum lucem ac sanctitatis decorem aequum est properare. Hac in re nobis cogitationem defigentibus, anticipaverunt vigilias oculi nostri, ac ut ecclesiastica res maiora in dies ubique suscipiat incrementa, tanto magis ad nos pertinere intelligimus, quanto in hoc rerum vertice constituti, apertius agnoscimus, imperscrutabili omnipotentis Dei providentiâ nos fuisse acceptos pascere Iacob servum suum et Israel haereditatem suam. Quoniam vero nullâ ratione fieri potest, ut in agro Domini christianae virtutes feliciter ferantur, nisi spinae, quae suffocant sementem patrisfamilias, inde prius evellantur; nos, ut id facilius assequamur, eumdem agrum et vineam, quam plantavit dextera eius, diligenter repurgare, nihilque eorum praetermitere decrevimus, quae corruptis moribus corrigendis, sanctisque operibus, quae vel temporis iniuriâ, vel humanae naturae imbecillitate in desuetudinem abierunt, restituendis opportuna esse arbitramur. Licet autem christiana respublica multiplici malorum genere vexetur, omnibusque eius partibus, quod maxime deplorandum est, medicinâ opus esse intelligamus, eam tamen almae Urbis nostrae non uno nomine praecipue duximus adhibendam: quandoquidem haec est civitas supra montem posita, quae totius orbis patet obtutui: haec eadem pietatis exemplum cunctis ad imitandum propositum, primaque catholicae religionis Sedes tantis divinâ munificentiâ honorum praerogativis decorata, ut vere de eâ dicatur: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.*

Indicit Pontifex visitationem ecclesiarum et piorum locorum Urbis, eamque sex episcopis committit.

§ 1. Cum igitur haec ita se habeant, pro nostro pastorali munere peculiarem hunc agrum et gregem nostrum recognoscere, et Romanae Urbis omnes tam patriarchales, quam collegiatas, earumque capitula, necnon parochiales, ceterasque alias ecclesias, et personas, item monasteria, conventus, et ecclesias quorumvis Ordinum regulares, tam virorum quam mulierum, hospitalia, collegia, confraternitates laicorum, Montem pietatis, et omnia, quocumque nomine censentur, loca pia, per infrascriptos archiepiscopum et episcopos visitare statuimus. Quod quidem saluberrimum opus, etsi per nos ipsos inchoare, prosequi et perficere vehementer optamus, nihilominus, dum ad alia quamplurima, eaque gravissima negotia, quorum mole assidue premimur, cogitationem convertimus, aliis eam provinciam cogimur demandare. Quapropter venerabilibus fratribus Ulpiano archiepiscopo Theatino, necnon Raphaëli Zacynthiensi, Octavio Caballicensi, Ludovico olim Adriensi, Antonio Casertano, ac Alexandro nuper Hieracensi episcopis, de quorum pietate et ecclesiasticarum rerum peritiâ a nobis ipsi multa possumus polliceri[1], ad hoc munus obeundum maturo consilio delectis, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, sanctae Romanae Ecclesiae exaltationem, visitationem huiusmodi committimus, illamque vobis omnibus indicimus, quam in proximâ futurâ dominicâ in Albis in sacrosanctâ primariâ Lateranensi ecclesiâ iidem archiepiscopus et episcopi

1 An lectio mendosa, iudicet lector scius (R. T.).

inchoabunt, ac statutis diebus Deo iuvante prosequentur.

Hortatur omnes ut corrigendo pravos mores vitae propriae eamdem visitationem praeveniant.

§ 2. Ut autem nostram visitationem ea spiritualia commoda, quae nos, divini cultus amplificationi et propagationi, necnon animarum saluti paternâ charitate studentes, et cupimus et speramus, feliciter consequantur; omnes per viscera misericordiae Dei nostri, qui visitavit nos oriens ex alto, et hortamur et monemus, ut, memores vocationis suae, opportunâ vitae et morum emendatione eamdem visitationem praeveniant. Quod quidem eos facile et libenter praestituros confidimus, si memoriâ repetierint, se in eâ Urbe clericalis officii munera obire, quam, in montibus sanctis fundatam ac sanctissimorum martyrum sanguine respersam et irrigatam, nonnisi uberrimos pietatis et religionis fructus ad totius christiani orbis aedificationem beatâ fecunditate proferre decet.

Iubet in ecclesiis eligendis per vicarium orationem 40 horarum celebrari ad implorandum auxilium pro bona directione dictae visitationis.

§ 3. Quoniam autem non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, ac nisi Dominus aedificaverit domum, invanum laboraverunt, qui aedificant eam; nos infirmitatem nostram humiliter agnoscentes, ad caelestem opem implorandam, volumus, ut sextâ feriâ eamdem dominicam antecedente, in nonnullis ecclesiis Urbis patriarchalibus, collegiatis, et aliis praecipuis, per dilectum filium nostrum in eâdem vicarium in spiritualibus generalem praescribendis, SS. Eucharistiae sacramentum solemni ritu in altari proponatur, ac Quadraginta horarum oratio de more celebretur.

Hortatur omnes ad efficaciter orandum.

§ 4. Quae ut sollicitudinem nostram magis sublevet, ac laborem illorum, qui hac in re vicariam nobis operam praestituri sunt, efficacius adiuvet, universos christifideles in hac almâ Urbe commorantes hortamur, ut Deo, qui cor contritum et humiliatum non despicit, dignis poenitentiae fructibus placere studeant.

Visitantibus dictas ecclesias, confessis et sacra communione refectis, indulgentiam plenariam elargitur.

§ 5. Quod quidem ut libentius et salutarius fiat, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus Romae degentibus, qui, visitatis ecclesiis huiusmodi seu eorum aliquâ, eodem ipso proximo dominico die, post diligentem peccatorum suorum confessionem, sacram eucharistiam sumpserint, et, ut haec nostra visitatio ad Dei gloriam et animarum salutem feliciter eveniat, pie in quavis ecclesiâ oraverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam concedimus et elargimur.

Universos hortatur, ut ferventer Deo inserviant.

§ 6. Omnes igitur simul, dilecti filii, sive ex clero, sive ex populo, veterem hominem exuentes, in novitate spiritus ambulemus, sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino in toto corde serviamus, ut eius misericordiam copiosam, cum ad hoc sanctae visitationis opus, tum ad ceteras necessitates nostras, fratrumque nostrorum, bonis operibus et sedulo pietatis cultu impetremus.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXIV, sexto kalendas aprilis, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 27 martii 1624, pontif. anno I.

XLIV[1].

Sequitur mandatum visitandi in parochialibus ecclesiis infirmos, eisque eleemosynam elargiendi.

Urbanus Papa VIII,

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Theatino, necnon Raphaëli Zacynthiensi, Octavio Caballicensi, Ludovico olim Adriensi, Antonio Casertano, ac Alexandro nuper Hieracensi episcopis.

Venerabiles fratres,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium et causae.

Cupientes in hac nostrâ pastorali ecclesiarum almae Urbis visitatione non

1 Omnes seqq. constitutiones, quae in edit. Main. absque numero subiiciuntur praecedenti, nos censuimus numerandas (R. T.).

solum divini cultus conservationem, et incrementum, quantum in nobis est, modis omnibus procurare, verum etiam animarum saluti prodesse, et corporales Christi pauperum praesertim infirmorum indigentias, quantum cum Domino possumus, paternâ charitate sublevare;

Urbanus mandat visitatoribus, ut suo nomine visitent in singulis parochialibus ecclesiis pauperes infirmos graviter decumbentes.

§ 1. Cum haec omnia per nosmetipsos exequi, ob assiduas, quibus detinemur, occupationes, nequaquam possumus, fraternitati vestrae et vestrum cuilibet per praesentes mandamus, ut coniunctim vel divisim parochias ecclesiarum diligenter perlustrare ac perquirere studeatis, atque earum pauperes infirmos graviter decumbentes singulos nostro nomine visitetis;

Eisque apostolicam benedictionem semel impertiantur.

§ 2. Apostolicam, et nostram eis benedictionem, ut moris est, semel impertiatis, ac paternis monitis et salutaribus consolationibus recreetis.

Et ad patientiam, ac ecclesiastica sacramenta suscipienda hortentur.

§ 3. Hortantes ipsos, ut in humilitate et patientiâ propter Deum corporis infirmitatem et dolores sustineant, et ad parendum divinae voluntati, quandocumque ei placuerit ipsos ex hoc seculo revocare, se pie et christiane praeparent, sinceroque corde ad Deum conversi, humiliter ab eo suorum peccatorum veniam petant, atque omnia ecclesiastica sacramenta, quibus christifideles ex hac vitâ migraturi se praemunire solent et debent, devote et reverenter suscipiant.

Confessis, ac sacra communione refectis plenariam indulgentiam,

§ 4. Nos enim eorum singulis ante vel post vestram visitationem, ut praemittitur, poenitentibus confessis, et SS. Eucharistiae Sacramento refectis semel plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem elargimur.

Ac eleemosynas habita egestatis et personarum ratione elargitur.

§ 5. Volumus autem, ut comitem vobiscum adducatis dilectum filium nostrum, et palatii apostolici eleemosynarium, qui, prout cuiusque eorum egestas et personarum conditio postulaverit, etiam oblatis nostrâ impensâ charitatis subsidiis, pecuniis, cibis, potu, pharmacis, vestibus, medicorum ope, ceterisque ad victum seu ad recuperandam valetudinem necessariis, temporalibus, quibus nunc urgentur, eorum necessitatibus succurrat.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIX martii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 29 martii 1624, pontif. an. I.

XLV.

Sequitur facultas cognoscendi causas quascumque etiam criminales absque irregularitatis incursu.

Urbanus Papa VIII,

Venerabilibus fratribus Ulpiano archiepiscopo Theatino, Raphaëli Zacynthiensi, Octavio Caballicensi, Ludovico olim Adriensi, Antonio Casertano, et Alexandro nuper Hieracensi episcopis.

Venerabiles fratres,

salutem et apostolicam benedictionem.

Causae huius Constitutionis.

Quoniam in prosequendo munere visitationis ecclesiarum et piorum locorum huius almae Urbis nostrae, ad quod vos nominatim ex episcoporum ordine delegimus, facile contingere poterit, ut aliqua negotia criminalia pertractanda sint:

Indultum de quo in rubricâ.

§ 1. Nos, conscientiarum ac status vestrorum securitati opportune providere volentes, vobis et cuilibet vestrum, ut tam coniunctim quam divisim, durante huiusmodi visitatione ac illius occasione dumtaxat, quascumque querelas, accusationes, denuntias contra quasvis personas, tam ecclesiasticas, seculares vel regulares, quam laicas, cuiuscumque status, gradus, dignitatis et praeeminentiae existentes, recipere et audire, causasque exinde, aut aliâs quomodolibet ex dictâ visitatione vel illius causâ emergentes, tam ecclesiasticas, quam profanas, et tam civiles, quam criminales et mixtas, sive ad procuratoris fisci, sive ad aliorum quorumcumque

instantiam, aut ex officio, audire, cognoscere, quandoque nobis referre, nobiscumque communicare, ac iuxta mandata nostra, seu aliàs prout iustitia suaserit, et ordo dictaverit rationis, illas decidere et terminare, aliàsque in illis vos immiscere, ac sine aliquo conscientiae scrupulo, aut censurarum ecclesiasticarum, vel etiam irregularitatis incursu, etiam si inde sanguinis effusio, membrorumque mutilatio, aut etiam ultimi supplicii poena infligenda venerit, dummodo vos ipsi a sententiâ sanguinis per vos ipsos ferendâ abstineatis, libere et licite valeatis, licentiam concedimus et indulgemus;

Eiusque extensio ad omnes tam denuntiantes, vel quomodocumque consilium, aut auxilium, seu favorem praestantes.

§ 2. Utque liberius ab omnibus denuntiationes, querelae, et accusationes, ac causae quaecumque ad dictam visitationem pertinentes deferri possint, omnibus similiter et singulis personis, tam laicis, quam clericis, etiam in sacris et presbyteratus ordinibus constitutis, secularibus, et quorumvis Ordinum, congregationum, et instituti regularibus, quavis etiam episcopali, vel maiori, ecclesiasticâ vel mundanâ, dignitate vel praeeminentiâ fulgentibus, qui in actu eiusdem visitationis, seu aliàs illius occasione, aliquid, quod ad praedictas causas pertineat, per viam denuntiationis, querelae, vel accusationis, palam vel occulte, sponte, vel ad aliorum, etiam procuratoris fisci, instantiam, in iudicio vel extra iudicium, revelaverint, aut in praemissis testimonium dixerint, vel aliquid propterea scripserint, subscripserint, indicaverint, dictaverint, detulerint, interrogaverint, vel interrogati responderint, vel ad reos detegendos, convincendos, capiendos, custodiendos, puniendos, iudicia, votum, consilium, auxilium, vel favorem, per se, vel alium, directe vel indirecte praestiterint, sive tamquam iudices ordinarii, vel delegati, custodes, scribae, testes, tabelliones, consultores, procuratores, advocati, seu aliàs se in praemissis quoquomodo immiscuerint, aut quomodolibet ingesserint, nullam propterea poenam vel censuram ecclesiasticam aut irregularitatis notam incurrant, concedimus pariter et indulgemus.

Contraria removet.

§ 3. Non obstantibus generalis concilii, atque aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac cuiuscumque Ordinis et monasterii, atque ecclesiarum, et aliorum piorum locorum quorumcumque (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIX martii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 29 martii 1624, pontif. an. i.

XLVI.

Sequitur indultum visitatoribus exercendi ubique pontificalia.

Urbanus Papa VIII,

Venerabilibus fratribus Ulpiano archiepiscopo Theatino, necnon Raphaëli Zacynthiensi, Octavio Caballicensi, Ludovico olim Adriensi, Antonio Casertano, ac Alexandro nuper Hieracensi episcopis.

Venerabiles fratres,

salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Officii nostri est pastoralia munera, quae, divinâ favente clementiâ, administranda suscepimus, ea prompto alacrique animo prosequi; eos vero, quos in eisdem pastoralibus muneribus prosequendis assumpsimus et deputavimus, nostrae item mentis est opportunis facultatibus adhuc munire, ut illis suffulti incumbentia onera melius subire, et inceptum onus perficere quamprimum valeant.

Causae huius Constitutionis.

Cum itaque, occasione visitationis nostrae apostolicae, quam in universis almae Urbis, eiusque districtus ecclesiis, monasteriis, locisque sacris et piis, proximis

diebus indiximus, et quam nuper etiam inchoavimus, experientiâ comprobante cognoverimus, aliquando necesse esse in compluribus eiusdem Urbis ac illius districtus ecclesiis altaria consecrari, campanas, ornamenta, indumentaque ecclesiastica benedici, sacramenta ministrari, et alia pontificalia munia exerceri:

Qua conceditur visitatoribus praedictis indultum exercendi pontificalia in quibuscumque ecclesiis patriarchalibus quamvis exemptis.

§ 1. Vobis, et vestrum cuilibet, quos in eâdem visitatione operarios et adiutores delegimus et deputavimus, plenam per praesentes concedimus facultatem, ut in quibuscumque tam intra eamdem Urbem, ac prope, et extra illius muros, quam etiam intra eiusdem Urbis districtum sitis ecclesiis, etiam patriarchalibus, necnon monasteriis, prioratibus et domibus, secularibus, seu cuiuscumque Ordinis, etiam [1] Mendicantium, militiae, congregationis, aut instituti regularibus, tam virorum quam mulierum, atque hospitalibus, oratoriis, sacellis, coemeteriis, locisque piis, aut religiosis, tam exemptis, nobisque et Apostolicae Sedi immediate subiectis, quam etiam non exemptis, et quibusvis etiam S. R. E. cardinalibus ratione tituli aut denominationis sui cardinalatus, aut aliàs quomodolibet et ex quavis causâ subiectis,

Altaria et ecclesias consecrandi, ac paramenta, vasa et similia benedicendi.

§ 2. Altaria ac ipsasmet ecclesias consecrare, aut illa vel easdem ecclesias aut illis annexas reconciliare, seu etiam coemeteria, campanas, calices, patenas, cruces, indumenta et ornamenta ecclesiastica quaecumque, et aquam, ut moris est, benedicere,

Sacramentum confirmationis ministrandi.

§ 3. Sacramentum confirmationis, quod ex ritu in visitatione ministrari consuevit, quibus, ubi, quando et quoties vobis seu cuique vestrum expedire videbitur, ministrare,

Missam et vesperas pontificali ritu celebrandi et cantandi.

§ 4. Sacrosanctum quoque missae sacrificium, necnon vesperas, et quaecumque alia divina officia, solemni ac pontificali ritu in ecclesiis et locis, in quibus vos id ad maiorem animarum consolationem, spiritualemque profectum, et ad ipsam etiam, quam intendimus, reformationem inducendam pertinere iudicaveritis, celebrare et decantare,

Necnon concionandi, tam publice, quam privatim.

§ 5. Verbi Dei praedicationes et conciones ad Dei amorem et timorem in cordibus fidelium excitandum et accendendum publice ad clerum et populum, seu aliàs privatim, prout occasio et necessitas postulabit, habere,

Et alia omnia munia pontificalia, quae specialis concessionis indigerent, simpliciter exercendi.

§ 6. Alia denique omnia et quaecumque munia pontificalia, etiam quae notam aut expressionem requirerent magis specialem, et sub generali huiusmodi concessione non comprehenduntur, etiam erga [1] personas alioquin habiles et idoneas exercere, etiam nullo alio a nobis expectato aut requisito mandato, libere et licite valeatis.

Contraria tollit.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac in conciliis tam [2] generalibus editis, dictarumque ecclesiarum, monasteriorum, ordinum, congregationum, militiarum, hospitalium, aut domorum (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIX martii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 29 martii 1624, pontif. an. I.

XLVII.

Sequitur aliarum facultatum concessio dictis visitatoribus, pro feliciori visitationis progressu.

1 Videretur deesse vox *quascumque* (R. T.).

2 Vel potius *etiam* pro *tam* legendum (R. T.).

1 Vocem *etiam* nos addimus (R. T.).

Urbanus Papa VIII,

Venerabilibus fratribus Ulpiano archiepiscopo Theatino, necnon Raphaëli Zacynthiensi, Octavio Caballicensi, Ludovico olim Adriensi, Antonio Casertano, et Alexandro nuper Hieracensi Episcopis.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Cum in pastorali visitatione, quam nuper vobis mandavimus, quamque Deo adiuvante prosequendam intendimus, cleri nimirum Romani, et omnium almae Urbis ecclesiarum, et piorum ac religiosorum locorum, vos potissimum ex episcoporum ordine delegerimus, et nobis in eo munere operarios et adiutores assumpserimus; nos, ut vestrum eâ in re ministerium plus habeat auctoritatis et firmitatis, uberioremque ad cultus divini propagationem et animarum salutem, Deique gloriam pariat fructum, providere volentes:

Iubet obtemperari eorum mandatis tam quam a Pontifice vivae vocis oraculo, vel aliàs datis.

§ 1. Vobis, et vestrum cuilibet in solidum, circa visitationem ipsam, eâque durante, mandata quaecumque, etiam vivae vocis oraculo per vos a nobis accepta, illis, ad quos ea res pertinet, referendi, et oretenus per nos ordinata mandandi, quibus relationi, ac mandatis vestris et cuilibet[1] vestrum de ordinè nostro factis huiusmodi, plenam et indubiam fidem ab omnibus adhiberi, atque firmiter obtemperari, tamquam mandatis nostris apostolicis, volumus et iubemus,

Et exequi ea quae mandaverint pro dictae visitationis praeparatione, statu, progressu et exequutione.

§ 2. Mandata quoque et praecepta quaecumque necessaria et opportuna illis in rebus, quae visitationis huiusmodi praeparationem, statum, progressum et exequutionem concernunt, decernendi, faciendi, eaque exequi iubendi,

Dat ipsis facultatem vocandi ad se quascumque personas, tam ecclesiasticas, quam laicales.

§ 3. Personas quascumque, tam ecclesiasticas seculares, quam cuiusvis Ordinis regulares, necnon etiam laicas, pro rebus et negotiis ad visitationem huiusmodi pertinentibus, ad vos vocandi, et ad personaliter coram vobis comparendum citandi, opportunisque iuris et facti remediis compellendi,

Easque examinandi, et recusantes id facere compellendi.

§ 4. Similes item personas quascumque, et tamquam principales, et tamquam testes, seu tamquam principales quoad se, et tamquam testes quoad alios, examinandi, et ut veritati testimonium perhibeant admonendi, et etiam cogendi, iuramenta eis deferendi, et ab eis exigendi et recipiendi, ad sacrorum canonum praescriptum, ac recusantes per censuras ecclesiasticas, aliasque poenas etiam temporales vobis benevisas compescendi,

Memoralia, querelas et similia recipiendi, ac super eis providendi.

§ 5. Memorialia, etiam nobis inscripta et directa, atque instructiones, relationes, delationes, querelas etiam secretas contra quascumque personas accipiendi, et nobis referendi, seu aliàs, prout rerum et personarum qualitas requiret, iuxta ordinationes nostras et ex auctoritate vobis traditâ providendi,

Congregationem aliarum personarum pro consilio dicte visitationis faciendi.

§ 6. Congregationes aliquarum personarum, quae vobis in consilium super praemissis adhibendae videbuntur, faciendi, et illas easdem personas auctoritate nostrâ vocandi, et cum eis de negotiis visitationis huiusmodi tractandi, consultandi et deliberandi,

§ 7. Commissarium sive fiscalem visitationis unum sive plures eligendi et deputandi, electum sive electos cassandi arbitrio vestro, toties, quoties vobis videbitur, removendi, et alium, seu alios, loco cassati et amoti, subrogandi,

Archivia, libros, ac similia, etc., et quae opportuna iudicabunt ordinandi.

§ 8. Quotiescumque vobis etiam videbitur, et etiam seorsum a vobis, et iteratis vicibus, quarumvis dictae Urbis, seu extra illam intra tamen illius districtum consistentium, patriarchalium, collegiatarum, parochialium, seu aliarum ecclesiarum, etiam cuivis[1], etiam S. R. E. cardinalibus ratione tituli, aut denominationis, seu cardinalatus, aut aliàs quomodolibet, vel ex quavis causâ

1 Potius legend. *cuiuslibet*, vel, *a quolibet* (R. T).

1 Edit. Main. legit *cuiusvis* (R. T.).

subiectarum, seu cuiusvis cappellae, vel oratorii, necnon monasteriorum, tam virorum quam mulierum, prioratuum, domorum et locorum, secularium seu cuiuslibet Ordinis, etiam Mendicantium, congregationis, militiae, aut instituti regularium, aut hospitalium etiam exemptorum, nobisque, et Apostolicae Sedi immediate subiectorum, eorumque capitulorum, conventuum, universitatum, collegiorum, confraternitatum, archiconfraternitatum, etiam laicorum, etiam nullo alio speciali nostro expectato ordine vel mandato, aut etiam requisito consensu, vel licentiâ, et illa, et quaelibet illorum visitandi, ac in illorum statum, formam, regulas, instituta, regimen, statuta, consuetudines, vitamque, ritus, mores, disciplinam, doctrinam et idoneitatem singularum personarum, coniunctim vel divisim, et tam in capite quam in membris, necnon circa divinum cultum, religiosam functionem, ecclesiarum decorem, fructuum et introituum dispositionem, regularem religiosorum, tam virorum quam mulierum, observantiam, aliaque omnia et singula ad actum huiusmodi visitationis quomodocumque spectantia diligenter inquirendi, et ad hunc effectum quaecumque illorum archivia, bibliothecas librorum, quaeque in illis continentur documenta et instrumenta authentica, scripturas, libros rationum dati et accepti, computa et ratiocinia perlustrandi, praesertim vero sacras reliquias, et, quibus ipsae sacrae reliquiae necnon sanctum Eucharistiae sacramentum et res ad alia ecclesiastica sacramenta pertinentes continentur, sacra vasa, thecas, tabernacula, necnon indumenta, ornamenta et instrumenta, utensilia et supellectilem ecclesiasticam et pretiosam diligenter inspiciendi, et ad praedicta exhibenda quascumque personas cogendi, compellendi, ac in praemissis omnibus et singulis quacumque[1] correctione, emendatione, reformatione indigere cognoveritis corrigendi, emendandi, processusque necessarios desuper faciendi, et nobis referendi, seu iuxta ordinationes nostras in his opportune providendi, mandata, decreta, statuta et ordinationes exequutioni demandandi, et custodiri et observari praecipiendi, demumque omnia alia et singula, quae huiusmodi visitationis negotium, ulteriorem progressum, exequutionem, et in eâ facta, et facienda mandata, decreta, statuta et ordinationes concernunt et concernent, seu ad ea quomodolibet spectant et spectabunt, faciendi, gerendi, exequendi, mandandi et ordinandi,

1 Aptius legeretur *quaecumque* (R. T.).

Contradictores quoque et rebelles compescendi.

§ 9. Contradictoresque, et vobis in praemissis inobedientes et rebelles, eisque auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, quomodolibet praestantes, per suspensionis, ac etiam privationis beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum, ac censuras et poenas ecclesiasticas et temporales, etiam mancipationis carceris, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendi, auxiliumque brachii secularis, si opus fuerit, invocandi, plenam, liberam, amplam et universam tribuimus potestatem.

Mandat praeberi obedientiam dictis visitatoribus.

§ 10. Mandantes propterea omnibus et singulis, ad quos spectat et spectabit, quacumque dignitate, auctoritate, potestate et praeeminentiâ fulgentibus, ut vobis et cuilibet vestrum in praemissis omnibus et singulis prompte pareant et obediant, alioquin sententias seu poenas, quas rite tuleritis seu statueritis in rebelles, ratas habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Contraria tollit.

§ 11. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, atque ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium, ordinum, congregationum, militiarum, confraternitatum et aliorum piorum locorum huiusmodi (etiam iuramento, confirmatione

apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus et litteris apostolicis, illis et cuivis illorum, ac superioribus et personis eorum, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, quibuscumque sint concepta verborum formis et tenoribus, quos praesentibus pro expressis haberi volumus, specialiter et expresse ac latissime ad effectum praesentium derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX martii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 30 martii 1624, pontif. anno I.

XLVIII.

Deputatio secretarii praedictae visitationis.

Urbanus Papa VIII,
Venerabili fratri Octavio Caballicensi.
Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Rerum, quae nobis cordi sunt, et quibus universae, quam meditamur, reformationis pars non ultima continetur, curam fidis et diligentibus viris libenter committimus.

Episcopum Caballicensem, inter visitatores designatum,

§ 1. De tuâ itaque singulari, et nobis iampridem perspectâ fide et diligentiâ plurimum in Domino confidentes, visitationis nostrae apostolicae, quam in omnibus almae Urbis, eiusque districtus ecclesiis, monasteriis, locisque sacris et piis, saecularibus et regularibus, universoque clero et populo romano indiximus, ac venerandis fratribus Ulpiano archiepiscopo Theatino, necnon Raphaëli Zacynthiensi, Octavio Caballicensi[1], Ludovico olim Adriensi, Antonio Casertano et Alexandro nuper Hieracensi episcopis unâ tecum commisimus et demandavimus,

1 Haec verba *Octavio Caballicensi* redundare videntur, nam sequitur postea *unâ tecum* (R. T.).

Eiusdem visitationis secretarium deputat.

§ 2. Te et[1] secretarium duximus deligendum, prout etiam per praesentes munus huiusmodi cum omnibus et singulis facultatibus et auctoritatibus, praerogativis, privilegiis et iuribus, quae tale officium obtinenti et exercenti quomodolibet competere possunt et debent, motu proprio tibi committimus et demandamus: teque etiam secretarium visitationis praedictae creamus, constituimus et deputamus.

Cum facultate exercendi omnia quae ad dictum munus quomodolibet spectare possunt.

§ 3. Dantes tibi plenam et liberam facultatem eiusdem visitationis decreta, statuta, ordinationes, mandata, praecepta, inhibitiones, informationes, relationes, ordinem et seriem, ordinandi, describendi, et in libellos seu commentarios sive etiam in publica et authentica documenta et instrumenta redigendi, ceteraque omnia et quaecumque ad idem munus spectantia gerendi et exercendi, etiamsi notam et expressionem requirerent magis specialem, et sub generali commissione huiusmodi non venirent.

Mandat ordinationibus seu decretis, etc. dicti secretarii manu et signo muneris signatis, omnino fidem dari, tam in iudicio, quam extra.

§ 4. Nos enim volumus iis, quae a te de rebus in visitatione gestis et ordinatis fient et emanabunt, documentis et scripturis, tuâ manu ac signo munitis, plenam atque indubitatam fidem nunc et perpetuis futuris temporibus, tam in iudicio quam extra illud, omnino haberi, neque ad id probationis alterius adminiculum requiri.

Hortatur, ut bene se gerat in isto munere.

§ 5. Tu igitur in delato tibi munere ita te gere, ut fidem et diligentiam nunquam a te desiderasse laetemur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX martii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 30 martii 1624, pontif. anno I.

XLIX.

Facultas visitatoribus avocandi ad se quascumque causas occasione visitationis in aliis tribunalibus et coram

1 Forsan *in* pro *et* legendum (R. T.).

aliis iudicibus antea ceptas vel instructas, ac in statu in quo reperiuntur[1].

Urbanus Papa VIII,

Venerabilibus fratribus Ulpiano archiepiscopo Theatino, necnon Raphaëli Zacynthiensi, Octavio Caballicensi, Ludovico olim Adriensi, Antonio Casertano et Alexandro nuper Hieracensi episcopis.

Venerabiles fratres,
salutem et apostolicam benedictionem.

Causae huius constitutionis.

Ut in prosequendo visitationis ecclesiarum et piorum locorum huius almae Urbis nostrae munere, ad quod vos nominatim ex episcoporum ordine delegimus, causae occurrentes omni, qua fieri potest, celeritate, iustitiâ mediante, terminentur, quantum cum Domino possumus, providere volentes:

Facultas visitationis avocandi ad se quascumque causas occasione dictae visitationis coram quibusvis iudicibus pendentes, easque manu regia et prout iuris fuerit terminandi.

§ 1. Motu proprio, et ex certâ scientiâ nostrâ, vobis, ut, ultra alias facultates per diversas nostras in simili formâ Brevis expeditas litteras vobis attributas, omnes et singulas causas occasione visitationis huiusmodi, coram quibuscumque iudicibus, tam ordinariis quam delegatis, pendentes et etiam instructas, in statu et terminis in quibus reperiuntur, cum omnibus et singulis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, totoque negotio principali, ad vos, auctoritate nostrâ, avocare, illasque summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, solâ facti veritate inspectâ et manu regiâ, audire, cognoscere, et fine debito, prout iuris fuerit, terminare,

Necnon in ecclesiis, in quibus missarum oneribus ad altare privilegiatum satisfieri una die non potest dicta onera, seu ipsorum partem ad aliud vel alia altaria privilegiata et non privilegiata

§ 2. Praeterea (ubi contigerit alicui altari, etiam pro defunctis privilegiato, seu cappellae, tam magnum missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum legatis impositum esse, ut singulis diebus praescriptis nequeat illis satisfieri) quicquid magis ad Dei honorem, ecclesiarum utilitatem, salutemque animarum eorum, qui legata pia reliquerunt, etiam per translationem partis missarum huiusmodi ad aliud altare seu altaria, etiam non privilegiata, videritis expedire, re tamen diligenter perspectâ, statuere et ordinare[1], ut in eis commodius ac plenius piae defunctorum voluntati satisfiat, transferre, ceteraque omnia et singula in praemissis, et circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna, etiam si talia sint vel fuerint quae magis specialem, specificam et expressam requirerent mentionem, facere, dicere, gerere et exequi libere et licite possitis et valeatis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, plenam et amplam facultatem concedimus et impertimur.

transferendi et commutandi, et alia providendi.

§ 3. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI iulii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 11 iulii 1624, pontif. an. I.

1 Haec, serius data, heic ponitur ratione materiae (R. T.).

L.

Hispaniarum rex, eiusque ministri a censuris absolvuntur, in quas incurrerant, ob exactum quoddam vectigal ab ecclesiasticis in oppido Matriti, absque Sedis Apostolicae licentiâ[2].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi catholico, Urbanus Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Singularia[3] atque eximia maiestatis tuae in nos et Apostolicam Sedem fidei et de-

Exordium.

1 Lege: *ac (ut in eis... satisfiat) ut supra transferre* (R. T.).

2 Ex regest. in Secret. Brev.

3 Edit. Main. legit *Singulari* (R. T.).

votionis merita promerentur, ut votis tuis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuamus [1].

Regii ministri vectigal quoddam ab ecclesiasticis quoque exegerant in oppido Matriti.

§ 1. Cum itaque, sicut maiestatis tuae nomine nobis nuper expositum fuit, pro fabricâ palatii charissimae in Christo filiae nostrae Isabellae, Hispaniarum reginae catholicae, coniugis tuae, certa quaedam gabella in oppido Matriti Toletanae dioecesis super rebus comestibilibus seu victualibus, per ministros seu officiales tuos imposita, a personis ecclesiasticis exacta fuerit, contra sacrorum canonum et generalium conciliorum, necnon Bullae in die Coenae Domini legi ac publicari consuetae dispositionem:

Eos a censuris, in quas hac de causa incurrerant, absolvit Pontifex.

§ 2. Nos, maiestatis tuae ac ministrorum tuorum praedictorum conscientiae securitati consulere, teque ac illos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, supplicationibus maiestatis tuae nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, te ac ministros tuos praedictos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, per te et ministros tuos praemissorum occasione quomodolibet incursis, dummodo tamen a similibus in posterum committendis omnino abstineatis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, absolvimus et liberamus, dictasque poenas ac pecunias, ad quamcumque summam ascendentes, extra [2] gabellam per eosdem ministros seu officiales tuos ab ecclesiasticis, ut praefertur, exactas, tibi et illis gratiose remittimus et condonamus.

Contraria tollit.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Poenitentiam vero a confessario ipsis iniungendam per eos adimpleri iubet.

§ 4. Volumus autem, ut poenitentiam, quam confessarius idoneus tibi et ministris tuis praedictis propter praemissa duxerit iniungendam, adimplere omnino teneamini, alioquin praesentes nullae sint.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIX martii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 29 martii 1624, pontif. an. I.

1 Edit. Main. legit *annuemus* (R. T.).

2 Potius lege *propter*, vel *ex gabellâ* (R. T.).

LI.

Confirmatio privilegiorum, exemptionum, et aliarum gratiarum, hospitali S. Ioannis Hierosolymitani concessorum [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Universalis Ecclesiae regimini per ineffabilem divinae sapientiae providentiam, meritis licet insufficientibus, praepositi, inter multiplices pastoralis officii curas, illam peculiari sollicitudine libenter amplectimur, qua privilegia, gratiae et indulta militiis et hospitalibus quibuslibet, ad maiorem Dei gloriam, suaeque Ecclesiae sanctae exaltationem, illius vero hostium profligationem pie, provideque instructis, a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa, quo maioris validitatis munimine subsistant, apostolicae confirmationis patrocinio muniantur, prout, rerum, temporisque qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Leo X et alii Pontifices multa privilegia concesserunt hospitali, et eius personis, ac inter alia exemerunt a solutione decimarum et aliorum onerum.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, aliàs felicis recordationis Leo X, Clemens VII, Paulus III, Pius IV, et Pius V, Romani Pontifices praedecessores nostri [2], inter alia privilegia et indulta dilectis filiis magno magistro ac conventui hospitalis S. Ioan-

1 De hac militiâ vide Const. XV Anastasii IV in tom. II, pag. 648 (R. T.).

2 Vide amplissimam de hac re Constit. XI Pii IV, in tom. VII, pag. 31, nec non Pii V Constit. CXVIII, ibid., pag. 726 (R. T.).

nis Hierosolymitani a Sede Apostolicâ concessa, eumdem et pro tempore existentem magnum magistrum, baiulivos, castellanum empostae, priores, praeceptores, milites, familiares, aliasque personas hospitalis huiusmodi, necnon etiam subditos, vassallos, colonos et servitores, et alios in eorum obsequiis et dicti hospitalis beneficiis quomodolibet nuncupatis existentes, etiam presbyteros curam animarum exercentes, quamdiu illam exercent[1], et in illorum obsequiis forent, illorumque animalia, praedia, domos, molendina et bona quaecumque, quae obtinebant, ac in posterum obtinerent et possiderent, a solutione et exactione decimarum, censuum, iurium, etiam synodalium, et canonicarum portionum, seu charitativi subsidii, aut iucundi adventus, seu quartae, aut aliàs quomodolibet, aut aliorum quorumcumque onerum, sub certis modo et formâ exemerint et liberaverint, prout in diversis ipsorum praedecessorum desuper confectis litteris plenius continetur;

Et quia Ordinarii locorum et aliae personae eos molestabant, Gregorius XIII et alii Pontifices dicta privilegia approbarunt, ac perturbari districtius prohibuerunt.

§ 2. Et, licet ipsi milites et aliae personae praedictae non debuissent a quoquam contra dictorum privilegiorum tenorem et formam molestari, perturbari vel inquietari, cum ipsi non modo eorum facultatibus et fortunis, verum etiam sanguini et vitae pro tuitione fidei catholicae non parcant; nihilominus (cum diversi locorum Ordinarii, ac parochialium ecclesiarum rectores, et multae capitulares personae, id sibi omnino iuxta sacri Concilii Tridentini decreta licere asserentes, eosdem magnum magistrum, baiulivos, castellanum empostae, priores, praeceptores, milites et personas diversis oneribus contra eorum privilegia praegravarent, illosque ad decimas, census, subsidia, etiam charitativa, congruas portiones, iucundum adventum, *Pastor bonus*, aut aliàs nuncupata onera, et etiam iura synodalia cogere praesumerent in maximum ipsius hospitalis detrimentum et gravamen) felicis recordationis Gregorius XIII, Sixtus V, Gregorius XIV[1], similiter praedecessores nostri, ex certâ scientiâ et apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, libertates et alias gratias eisdem magno magistro et conventui quomodolibet concessa confirmantes, approbantes et innovantes, eos super praemissis quomodolibet molestari, inquietari ac perturbari districtius prohibuerunt.

Pius IV concessit eidem conventui uniendi et dismembrandi beneficia facultatem.

§ 3. Et praeterea, cum, inter alia, felicis recordationis Pius Papa IV, praedecessor noster, eisdem magno magistro et conventui, inter cetera privilegia, prioratus, baiulivatus, castellaniam empostae, commendas et alia eiusdem hospitalis beneficia libere uniendi et dismembrandi facultatem concessisset;

Quam alii Pontifices confirmarunt.

§ 4. Et nihilominus a quibusdam quandoque dubitaretur, an ante vel post mortem possessorum unio seu dismembratio ipsa fieri posset ac deberet: idem Gregorius praedecessor, ad tollendum omne dubium et ambiguitatem quae in praemissis in futurum oriri poterant, ut quandocumque eis videretur, sive ante sive post mortem possessorum, prioratus, baiulivatus, castellaniam empostae et alia eiusdem Ordinis beneficia unire et dismembrare libere et licite possent et valerent, necnon omnia et singula privilegia et exemptiones praedictas etiam ad confratres et donatos eiusdem hospitalis extendi debere, decrevit et declaravit; ac decretum et declarationem huiusmodi, aliaque praemissa, felicis recordationis Clemens VIII, Paulus V, Gregorius XV, Romani Pontifices, similiter praedecessores

1 Forsan legendum *exercerent* (R. T.).

1 Litteras Greg. XIII habes in tom. VIII, pagina 320; illas Sixti V, ibid. pag. 765; tandem Greg. XIV in tom. IX, pag. 407 (R. T.).

nostri, approbarunt et confirmarunt, prout in eorumdem praedecessoris litteris plenius continetur[1].

Nunc Pontifex privilegia, gratias, exemptiones, immunitates per alios Pontifices magno magistro et conventui concessas approbat et confirmat.

§ 5. Nos itaque, attendentes praeclara eiusdem hospitalis erga fidem catholicam et Sedem Apostolicam promerita, ac cupientes, ut ipsa privilegia, exemptiones, et gratiae eo firmius subsistant, quae[2] saepius ab eâdem Sede confirmata extiterint, magnum magistrum, priores, baiulivos, castellanum empostae, praeceptores, milites et fratres, et eorum singulos, singularesque dicti hospitalis personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, necnon omnium et singulorum privilegiorum, indultorum, facultatum, exemptionum, immunitatum, libertatum et gratiarum per praedictos et alios quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac Sedem Apostolicam hospitali praedicto, illiusque magno magistro, conventui, et fratribus, militibus, aliisque personis praedictis concessorum, ac litterarum desuper confectarum tenores praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad magni magistri et conventus hospitalis huiusmodi, aut alicuius alterius super hoc pro eis nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ, et de merâ nostrâ liberalitate, ac apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula privilegia indulta, facultates, exemptiones, immunitates, libertates et alias gratias, eisdem magno magistro et conventui quomodolibet concessa, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus.

§ 6. Decernentes praesentes litteras ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo quod locorum Ordinarii vocati non fuerint, notari, impugnari, vel invalidari minime posse, minusque sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, restrictionibus et derogationibus comprehendi posse, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas esse; sicque ab omnibus censeri,

Clausulas praeservativas ponit.

§ 7. Et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditoras, ac S. R. E. cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Ita iudicari statuit.

§ 8. Quocirca dilectis filiis in regnis Hispaniarum et Neapolitano nostris et Sedis Apostolicae pro tempore existentibus nuntiis, ac curiae causarum camerae apostolicae generali auditori, per praesentes motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem magni magistri et conventus fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ eosdem magnum magistrum et conventum confirmatione, approbatione, decreto, et aliis praemissis pacifice uti, frui, et gaudere;

Deputat executores.

1 Has non puto hucusque esse in *Bull.* (R. T.).
2 Forsan legendum *quo* (R. T.).

non permittentes eos per Ordinarios praedictos aut quoscumque alios contra praesentium tenorem quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, appellatione postpositâ, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas huiusmodi incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, interdictumque ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria tollit. § 9. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, ac aliis quibusvis apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus, ordinationibus, necnon (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, etiam praedictis locorum Ordinariis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu et scientiâ similibus, et consistorialiter, et de fratrum nostrorum consilio, in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque: aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Statuta Concilii Tridentini praeservat. § 10. Eorumdem autem praedecessorum vestigiis inhaerentes volumus, quod (felicis recordationis Pii V, XXII septembris anno VI[1], ac Gregorii XIII praedecessorum nostrorum litteris, sub annulo Piscatoris XXV novembris anno IX[2] pontificatuum suorum expeditis, in suo robore et efficaciâ permanentibus) praesentes litterae ecclesias et personas in his quae ad curam animarum pertinent, in quibus decreta Concilii Tridentini huiusmodi omnino servari debere intendimus, minime comprehendant;

Exemplis huius bullae credi mandat. § 11. Ac quod praesentium litterarum transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, in iudicio et extra illud, ubique locorum, plena et indubitata, eademque prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIX martii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 29 martii 1624, pontif. anno I.

LII.

Confirmatio litterarum Gregorii XV, quibus Congregatio monachorum Ordinis

1 Quas Pii V litteras vide in tom VII, pag. 943 (R. T.).

2 Huiusmodi Gregorii XIII litterae leguntur in tom. VIII, pag. 360 (R. T.).

S. Benedicti Helvetiorum ab Ordinariorum iurisdictione eximitur [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Gregorii XV litterae referuntur,

Aliàs a felicis recordationis Gregorio XV praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis videlicet:

Gregorius Papa XV,
ad perpetuam rei memoriam.

Onerosa pastoralis officii cura, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissa postulat, ut ea quae religiosorum quomodolibet prospero statui, felicique progressui conducunt, libenter concedamus, prout conspicimus salubriter in Domino expedire. Itaque dilectos filios abbates et monachos Ordinis sancti Benedicti Congregationis Helvetiorum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorumdem monachorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Congregationem praedictam, eiusque monasteria et loca regularia, illorumque abbates, monachos, et bona quaecumque, ab omni iurisdictione, visitatione, correctione, et superioritate quorumcumque Ordinariorum (ita ut illi in Congregationem, monasteria, loca regularia, eorumque abbates et monachos huiusmodi aliquam iurisdictionem vel superioritatem, quovis praetextu et ex quacumque causâ, habere et exercere non possint, sine tamen praeiudicio iurium, quae dictis Ordinariis in regulares exemptos, vigore Concilii Tridentini et constitutionum apostolicarum, tamquam Sedis Apostolicae delegatis competunt) apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, eximimus et liberamus. Decernentes praesentes litteras semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, ac Congregationi, monasteriis, locis regularibus, ac abbatibus et monachis huiusmodi in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, Ordinariis praedictis, et quibusvis aliis, in contrarium praemissorum, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Quibus Congregationem Ordinis S. Benedicti Helvetiorum ab Ordinariorum iurisdictione eximit,

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die vigesimâ maii MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

§ 2. Cum autem, sicut abbates et monachi praedicti nobis nuper exponi fecerunt, ipsi plurimum cupiant, praeinsertas litteras huiusmodi, pro firmiori illarum subsistentiâ, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri; nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut eorum desideriis huiusmodi annuere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, abbates et monachos praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab

Et confirmantur.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praemissorum dumtaxat assequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praeinsertas Gregorii praedecessoris huiusmodi litteras, ac omnia et singula in eis contenta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae. § 3. Decernentes easdem, ac praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac abbatibus et monachis praedictis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et debitae exequutioni demandari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus omnibus illis, quae dictus Gregorius praedecessor in suis litteris huiusmodi voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX[1] martii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 30 martii 1624, pontif. an. I.

LIII.

Declaratio Constitutionis XXII *superius positae de habitu Fratrum Minorum.*

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Refertur tenor Constitutionis cit. in rubricâ. § 1. Nuper, cum causa inter dilectos filios fratres nostros Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinos nuncupatos ex unâ, ac fratres eiusdem Ordinis strictioris Observantiae ex alterâ partibus, de et super reassumptione calepodiorum, et distinctione habitus, ad praescriptum bullarum per diversos Romanos Pontifices praedecessores nostros emanatarum, agitata, ac de mandato nostro in congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum proposita et examinata fuisset, eisdem fratribus strictioris Observantiae, quatenus calepodia reassumere, soleasque ubique per totam Italiam deponere, nec eas imposterum reassumere deberent, sub excommunicationis latae sententiae, ac privationis vocis activae et passivae, necnon, quoad superiores, etiam suspensionis ab officiis, ipso facto incurrendis poenis, iniunximus, et aliàs prout in nostris desuper in simili formâ Brevis, sub die X ianuarii proxime praeteriti, expeditis litteris[1], quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Sequitur ipsius declaratio. § 2. Nunc autem, cum experientia docuerit, nonnullos ex dictis fratribus strictioris Observantiae calepodiis uti aegre posse; nos, fratres strictioris Observantiae huiusmodi specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus earum[2] nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, superioribus eorumdem fratrum strictioris Observantiae, fratribus senio confectis, aut qui ita infirmi fue-

1 Erronee, ut puto, edit. Main. in textu legit *5 martii*, nam ad marg. legit *30* (R. T.).

1 Quas vide supra, pag. 97 huius tomi (R. T.).

2 Potius legeretur *eorum* (R. T.).

rint, ut calepodia deferre non valeant, ut in domibus regularibus huiusmodi, necnon itinerantibus dumtaxat, qui iter saltem unius diei cum calepodiis habere non possunt, non autem quaestuantibus, soleas cum calcaneo usque ad talos circiter, superiori autem pedis parte unicâ tantum fasciâ usque ad digitos in circa coopertas deferre, absque poenarum et censurarum incursu, libere et licite possint et valeant, super quibus eorumdem superiorum conscientiam oneramus, concedendi et indulgendi licentiam, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impertimur. Decernentes, eosdem fratres strictioris Observantiae praemissorum occasione nullo modo molestari, perturbari aut inquietari posse seu debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus literis nostris praedictis, ac omnibus illis, quae in eis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 4. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXXI martii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 31 martii 1624, pontif. anno I.

LIV.

Extensio facultatis archiepiscopo Cretensi concessae visitandi insulam Cretae[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev. — Deputationem huius archiepiscopi in visitatorem insulae Cretensis vide superius in Constit. XV pag. 82.

Venerabili fratri Lucae archiepiscopo Cretensi, Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Archiepiscopi Cretensis, in visitatorem totius insulae deputati.

Aliàs de tuâ prudentiâ et catholicae religionis zelo plurimum in Domino confisi, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, te nostrum et Sedis Apostolicae generalem et specialem visitatorem, reformatorem et delegatum in totâ insulâ Cretensi, apostolicâ auctoritate, fecimus, constituimus et deputavimus, tibique certas tunc expressas facultates concessimus et impartiti sumus, prout in diversis nostris in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Extenduntur facultates.

§ 2. Nunc autem, christifidelium in Zacynthi, Cephaloniae et Corcyrae insulis existentium animarum saluti, quantum nobis ex alto conceditur, consulere volentes, motu, scientiâ et deliberatione similibus, te in insulis praedictis nostrum pariter et eiusdem Sedis generalem et specialem visitatorem, reformatorem et delegatum, cum omnibus et singulis facultatibus in dictis litteris expressis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facimus, constituimus et deputamus; tibique per easdem praesentes committimus et mandamus, ut, tamquam noster et Sedis praedictae specialiter delegatus, venerabiles fratres Marcum Antonium archiepiscopum Naxiensem in civitate Cretensi commorantem, ac Marcum episcopum Cacynolicensem et Cephaloniae in câdem civitate degentem, et a suis ecclesiis a quadriennio absentem, auctoritate nostrâ moneas, ut quamprimum ad residentiam suam se transferant, inde non decessuri, nisi ex causâ per te approbandâ; et, si monitioni tuae huiusmodi non paruerint, contra ipsos procedas iuxta decretorum

Concilii Tridentini dispositionem, vel ut citius dictis ecclesiis provideatur iuxta cap. II *De officio delegati, in 6.* Praeterea suffraganeos tuos ad residentiam in suis ecclesiis compellas, et venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus negotio propagandae in universo mundo fidei praepositis significes, qui ex eis non resideant; nec non visitationum copias authenticas ad eosdem cadinales transmittas, ac informationes sumas, extraiudiciales tantum, de vitâ, moribus et pastorali officio venerabilis etiam fratris episcopi Thinensis, et de illius populi statu quoad religionem, eorumque[1] copias authenticas ad eosdem cardinales transmittas.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus omnibus illis, quae in litteris praedictis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die I aprilis MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 aprilis 1624, pontif. an. I.

LV.

Prorogatio duorum mensium favore Caroli Barberini, pontificiarum militiarum, arciumque Perusinae et Anconitanae praefecti, eiusque locatenentium, ad iuramentum in manibus cardinalis S. R. E. camerarii praestandum, et inventarium dictarum arcium conficiendum[2].

Dilecto filio nobili viro Carolo Barberino, nostro secundum carnem fratri germano, totius militiae S. R. E. gubernatori generali,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Singularia multiplicum virtutum merita, quibus personam tuam a Domino novimus insignitam, suo iure poscunt, ut te, fraterno secundum carnem vinculo nobis coniunctum, ac filiali reverentiâ et devotione nos prosequentem, amplioribus in dies favoribus et gratiis libenter complectamur.

Urbanus Carolum Barberinum Romanae Ecclesiae militiae et arcium Perusinae et Anconitanae praefectum constituerat.

§ 1. Aliàs siquidem te totius nostrae et sanctae Romanae Ecclesiae militiae, tam equestris quam pedestris, gubernatorem generalem, necnon Perusinae et Anconitanae civitatum et arcium nostrarum praefectum, sive castellanum, cum iurisdictione, auctoritate, facultatibus, honoribus, oneribus, provisionibus, stipendiis, salariis solitis et consuetis, sub certis modo et formâ tunc expressis, fecimus, constituimus et deputavimus,

Iniunctâ lege, ut ille, eiusque locumtenens, iuramentum in manibus cardinalis camerarii praestarent intra mensem.

§ 2. Volentes inter alia, quod tu, ac locumtenens tuus de ipsas arces bene et fideliter custodiendo, nobisque viventibus, ad nostram, defunctis vero, ad sacri venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium collegii, seu successoris nostri Romani Pontificis canonice intrantis, instantiam, tenendo et restituendo, ac de conficiendo inventarium tormentorum et rerum omnium in dictis arcibus existentium, et illud manu notarii publici confectum intra mensem, postquam possessionem ipsarum arcium adeptus fuisses, ad praesidentes clericos camerae nostrae apostolicae transmittendo, in manibus dilecti filii nostri et sanctae Romanae Ecclesiae camerarii debitum praestares in formâ solitâ iuramentum, ac dictus locumtenens idoneam cautionem praestare teneretur, et aliàs, prout in diversis nostris desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris[1], quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Dictumque terminum ad alios duos menses prorogat.

§ 3. Cum autem, sicut nobis innotuit, tu dictum inventarium in praedictis ar-

1 Potius legendum *earumque* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Huiusmodi litteras hucusque deesse puto (R. T.).

cibus, seu earum alterâ, infra mensem huiusmodi, seu aliàs forsan non confeceris, nec iuramentum praedictum in dicti camerarii manibus forsan post lapsum mensis huiusmodi praestiteris, neque idem locumtenens iuramentum intra dictum tempus, seu aliàs forsan neque dictam cautionem praestiterit, ut praefertur:

Emolumentaque omnia a die suae assumptionis in Pontificem decursa solvi mandat.

§ 4. Nos, te praemissorum meritorum intuitu amplioris gratiae favore prosequi volentes, motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ ac merâ liberalitate nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, te, necnon locumtenentes tuos, quatenus opus sit, adversus lapsum temporis ad conficienda inventaria huiusmodi, necnon cautionem et iuramentum praestandum, tibi et illis respective, ut praefertur, praefixi, ac aliàs, in pristinum, et eum, in quo antea quomodolibet eras, et ipsi erant, statum, tenore praesentium, omnino restituimus, reponimus et plenarie reintegramus: tibique et illis ad eadem inventaria, per te, seu locumtenentes tuos, seu alium, vel alios, quem, sive quos, ad hoc duxeris deputandum, vel deputandos, conficienda et transmittenda, nec non cautionem praestandam, ut praefertur, terminum duorum mensium a datâ praesentium computandum concedimus.

Aliaque eius locatenentibus concedit.

§ 5. Volumusque, et apostolicâ auctoritate earumdem tenore praesentium decernimus, quod inventaria praedicta, si quae[1] etiam post lapsum temporis huiusmodi facta fuerint, similiter valeant et suffragentur, quodque, ob iuramentum in manibus dicti camerarii post lapsum temporis praedicti praemissorum occasione forsan praestitum, ad aliorum iuramentorum praestationem nullo modo tenearis, provisionesque, stipendia, salaria et emolumenta, tam praedictorum, quam Asculanae et Beneventanae, aliarumque arcium castellani, et officiorum quorumcumque tibi hactenus demandatorum, a die nostrae ad summi apostolatus apicem assumptionis currere debeant, tibique ab eâdem die omnino debeantur, ac persolvi, praestarique, quatenus persoluta et praestita non sint, debeant, omni et quacumque contradictione cessante;

§ 6. Quodque iuramenta, per eosdem locumtenentes tuos praemissorum occasione contra litterarum praedictarum tenorem forsan praestita, valeant et suffragentur, nec ipsi ad aliorum iuramentorum praestationem teneantur; et si ipsi vel aliorum aliqui iuramenta huiusmodi nondum praestiterint, illa in manibus personae a te deputandae praestare valeant.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III aprilis MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 3 aprilis 1624, pontif. an. I.

1 Rectius *si qua* (R. T.).

LVI.

Confirmatio decreti Congregationis Concilii, quo statuitur nihil prorsus esse solvendum episcopis, aut eorum officialibus, pro exhibendâ ratione bonorum, eleemosynarum, testamentorum et legatorum a fratribus Congregationis Ioannis Dei[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Recensetur Congregationis Concilii decretum.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Gaspar Diaz Campomanes, Congregationis Ioannis Dei procurator generalis, quod aliàs a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus Concilii Tridentini interpretibus emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet:

Sacram Congregationem vestram humiliter precatur Franciscus Gaspar Diaz Cam-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

pomanes, procurator generalis religionis Ioannis Dei, ut dignetur declarare:

An religio sua teneatur aliquid solvere Ordinariis et eorum officialibus pro exhibendâ ratione bonorum, eleemosynarum, testamentorum et legatorum, quae suis hospitalibus donantur.

Sacra Congregatio cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit nihil prorsus esse solvendum episcopis, aut eorum officialibus, pro eiusmodi rationibus exigendis.

ANTONIUS cardinalis CAETANUS.

Procurator generalis petit illud confirmari.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Gaspar plurimum cupiat, decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri; nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat Urbanus.

§ 3. Nos igitur, dicti Gasparis desideriis huiusmodi annuere, illumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum praeinsertum huiusmodi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illique apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulas apponit.

§ 4. Decernentes decretum huiusmodi necnon praesentes litteras valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 6. Volumus autem, quod praesentium transumptis etiam impressis, etc.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV aprilis MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 14 aprilis 1624, pontif. an. I.

LVII.

Indictio iubilaei universalis pro anno MDCXXV, *ac suspensio quarumcumque aliarum indulgentiarum dicto anno durante.*

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Evangelizat appropinquantem annum sanctum ad iubilaei celebrationem.

Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis: non enim ut in veteri lege sacerdotalis buccinae clangore, sed apostolicae vocis oraculo, sacrosanctum iubilaei annum, iam Regis seculorum beneficio appropinquantem, vobis evangelizamus; annum divino cultui dicatum, ac ferventioribus christianae pietatis studiis destinatum; annum remissionis, ac veniae, tempus acceptabile, dies salutis. Licet enim nulla excurrant tem-

pora, quae, divinae largitatis muneribus fecunda, spiritualibus nos non cumulent bonis, ac numquam ad ineffabilem Dei misericordiam, eius adspirante gratiâ, nobis aditus praecludatur; nihilominus tot, tantaque eo anno ad hominum sanctificationem beneficia caelitus promanant, ut pene omnes sacros thesauros divina munificentia in christifideles diffundere videatur. Quapropter si quinquagesimus annus, quem Deus Moysen sanctificare iussit, incredibili hebraeorum plausu, atque inaestimabili gaudio excipiebatur, quanto magis decet christianum orbem sacro iubilaei anno recurrente laetari? Laboriosa eo tempore agriculturae opera intermittebantur, nunc proprio quisque parcens labori, fructus, quos Christi Domini, Deiparae Virginis, ac Sanctorum merita protulerunt, uberrimos percipit; districta tunc praedia, alienique iuris effecta recuperabantur, nunc virtutes, dona et merita, quibus peccando merito exuimur, liberali Dei misericordiâ recipimus; exules tunc patriam repetebant, nunc ad caelum, unde exulantes in hac lacrymarum valle misere pererramus, iter nobis praemonstratur et aperitur.

Principes et omnes ad illius celebrationem convocat et invitat.

§ 1. Vos igitur, catholici principes, qui tot decorum praerogativis insigniti ad christianam pietatem promovendam arctioribus, quam ceteri, obligationis nexibus obstricti estis, vos omnes, christifideles, quos Romana Ecclesia materno gremio complectitur, ad iucundissimam sacrosancti huius iubilaei celebrationem, paternâ, quae urget nos, charitate vocamus et invitamus, ac quasi tubâ exaltantes vocem nostram prophetica in vos oracula convertimus, et clamamus: Audite haec, omnes gentes, auribus percipite, qui habitatis orbem; adveniunt dies poenitentiae ad redimenda peccata, ad salvandas animas; appropinquat tempus, quo Dei misericordia eos tandem convertat, quos sera eius ulciscendi voluntas diu toleravit; humanae vitae brevitatem vobis ipsi ob oculos proponite; cogitate, nos instar aquae dilabi, ac vitam nostram velut a texente praecidi. Et quamvis nonnulli ex Romanis Pontificibus, praedecessoribus nostris, eidem iubilaei anno concelebrando praescriptum olim temporis spatium provide arctantes, tam solemnem culparum remissionem, divinaeque iustitiae debitarum poenarum relaxationem intra angustiores annorum limites contraxerint; nihilominus, ob paucitatem dierum nostrorum, paucis illam redituram[1] putantes, quaeramus Dominum dum inveniri potest, invocemus eum dum prope est. Venite ergo ad locum, quem elegit Dominus, ascendite ad mysticam hanc Hierusalem, tot, tantisque a Deo beneficiis auctam, tot muneribus cumulatam, ut vere de eâ dicatur fluminis impetum laetificare civitatem Domini, caelestium nempe fluminis gratiarum, cuius opportunâ irrigatione fidelium animae fecundantur. Venite et afferte Domino gloriam nomini eius, adorate Dominum in atrio sancto eius. Hîc, filii dilectissimi, vere confitebimini Deo in Ecclesiâ magnâ, in populo gravi laudabitis eum; quandoquidem haec est ceterarum ecclesiarum Magistra, prima catholicae religionis Sedes, Mater credentium, orbis Caput, Vertex rerum. Quapropter et caelestes benedictiones, quas sititis, hîc non ex rivulis petetis, sed haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, aquas videlicet saluberrimas, quibus haustis, efficietur in vobis fons aquae salientis in vitam aeternam.

Iubilaei celebrationem in proximum annum MDCXXV indicit et plenissimam impartitur indulgentiam visitantibus quatuor patriarchales Urbis ecclesias.

§ 2. Haec igitur nos prae oculis atque in votis habentes, Romanorumque Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, et eorum pium ac saluberrimum institutum retinentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. car-

1 Erronee edit. Main. et Cherub. Lugdunensis legunt *redditurum* (R. T.).

dinalium assensu, iubilaei celebrationem in annum proximum MDCXXV, a primis vesperis vigiliae Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi proxime futurae inchoandam, et per totum annum ipsum finiendam, auctoritate Dei omnipotentis et beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostrâ, quanto maximo possumus animi nostri gaudio, ad ipsius Dei gloriam et catholicae Ecclesiae exaltationem indicimus et promulgamus. Quo ipso iubilaei anno durante, omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui ecclesiam Lateranensem, B. Petri et Pauli apostolorum necnon S. Mariae Maioris de Urbe basilicas, semel saltem in die, per triginta continuos aut interpellatos[1] dies, si Romani vel incolae Urbis, si vero peregrini aut aliàs exteri fuerint, per quindecim saltem dies devote visitaverint, et pro ipsorum fidelium ac totius christiani populi salute pias ad Deum preces effuderint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem ac veniam misericorditer in Domino concedimus et impartimur.

Impeditis benigne providet.

§ 3. Et quoniam evenire potest, ut ex iis, qui hac de causâ iter aggressi fuerint, vel ad Urbem se contulerint, aliqui in viâ, aut etiam in ipsâ Urbe, morbo vel aliâ legitimâ causâ impediti, aut morte praeventi praefinito dierum numero non completo, ac ne quidem fortasse inchoato, praemissa exequi, ac ecclesiam et basilicas huiusmodi obire nequeant; nos, piae, promptaeque illorum voluntati, quantum in Domino possumus, benigne favere cupientes, eosdem, vere poenitentes et confessos, praedictae indulgentiae et remissionis participes perinde fieri volumus, ac si ecclesiam et basilicas praedictas diebus a nobis praescriptis reipsâ visitassent.

Praelatis praecipit, ut omnes

§ 4. Vos autem, venerabiles fratres nostri, patriarchae, primates, archiepiscopi et episcopi, in partem sollicitudinis nostrae vocati, capite tubas argenteas, quarum usus est in iubilaeo, adhibete praedicationem verbi Dei, et praenuntiate populis gaudium magnum, ut sanctificentur, et Dei iuvante gratiâ parati sint ad ea caelestia dona capienda, quae bonorum omnium largitor Deus filiis dilectionis suae per ministerium humilitatis nostrae praeparavit. Ad caelestia munera in hac Urbe percipienda vocate coetum, congregate populum, sanctificate ecclesiam, docete oves fidei vestrae creditas, quia advenae et peregrini sumus in hac vitâ, et civitatem hîc permanentem non habemus, sed futuram inquirimus. Docete omnes, si unquam aliàs, nunc potissimum iras, rixas, contentiones, et inveterata odia extinguenda propter Christum; nunc praecipue omnes carnis sordes esse detergendas, ut templum Dei mundum sit, et unusquisque vas suum possideat in honore et sanctificatione, et portet Deum in corpore suo. Docete eos nunc maxime scelera detestanda esse, dandamque operam, ne quis christiano nomine abutatur. Docete, sacros indulgentiarum thesauros lucrandi spem omnem inanem esse, nisi quis contrito et humiliato corde se ipsum praeparare, et christianis operibus exercere studeat. Qui autem divitiis abundant, aperiant viscera sua, fratrum suorum pauperum inopiam sublevent, praecipue vero erga peregrinos Romam venientes misericordes sint, et sanctam hospitalitatem Deo gratissimam, et quam vetustissimi illi christiani etiam inter persequutionum fluctus diligentissime coluerunt, ipsi quoque multâ hilaritate spiritus renovent, atque observent, faciantque sibi amicos de mammonâ iniquitatis, ut recipiantur in aeterna tabernacula. Admonete etiam omnes, ut orent pro regibus et principibus christianis, ut quietam et tranquillam vitam agamus, et

moneant et instituant ad pia opera peragenda pro huiusmodi iubilaei consequutione.

1 Sic omnes edit.; sed *interpolatos* lege (R. T.).

pax ac concordia perpetuo conservetur. Postremo docete eos, cum sanctam peregrinationem susceperint, qua modestiâ, qua devotione, qua fraternae pacis observantiâ connecti eos oporteat, ut sint Christi bonus odor in omni loco. Praebete autem vos ipsos, fratres venerabiles, et omne clerum, exemplum in primis bonorum operum et formam gregis, ut vestrae virtutis ac religionis veluti sale ceteri condiantur, et omnem peccati putredinem abhorreant, et denique omnes unanimes in uno spiritu christianae charitatis, atque in omni sanctitate et iustitiâ Deo serviamus.

Principesque hortatur ad pia opera et praecipue ad peregrinis subveniendum ardentius.

§ 5. Hortamur quoque et rogamus in Domino charissimos in Christo filios nostros imperatorem electum, ac reges et principes omnes catholicos, ut quo plura et magis illustria beneficia ab Eo, per quem reges regnant, acceperunt, tanto ardentius, ut par est, ad Dei gloriam procurandam pio zelo excitentur; praecipue vero fratrum nostrorum episcoporum et superiorum antistitum pastoralem sedulitatem et vigilantiam adiuvent, et magis a suis magistratibus ac ministris adiuvari mandent, ut improborum licentia coërceatur, et bonorum studia eorum regiâ ope et gratiâ foveantur; maxime autem erga peregrinos beneficentiam et liberalitatem exerceant, curentque ut tutis incedant itineribus, et nullâ hominum perditorum vexatione perturbentur; sed hospitalibus, domibus et publicis hospitiis amanter excepti, et commeatu et rebus ad vitam necessariis recreati, sine ullâ concussione et iniuriâ institutum iter laeti peragant, et cum gaudio in patriam revertantur: his enim hostiis reges potissimum et principes Deum sibi placabilem reddent, ut diu in terris felices vivant, et demum in aeterna tabernacula recipiantur ab illis ipsis pauperibus, erga quos misericordiam exercuerint, in quibus Christus pascitur et nutritur.

Exemplis huius Constitutionis credi mandat.

§ 6. Ut vero praesentes litterae ad omnium fidelium in quibuscumque locis existentium[1] notitiam facilius perveniant, volumus earum exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, ac personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo munitis, eamdem prorsus fidem haberi, quae haberetur iisdem praesentibus, si exhibitae forent vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae indictionis, promulgationis, concessionis, impartitionis, hortationis, rogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXIV, III kalendas maii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 29 aprilis 1624, pontif. anno I.

Anno a Nativitate Domini MDCXXIV, *inditione* VII, *die vero* XVI *maii, pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri D. Urbani Papae VIII anno* I, *suprascriptae litterae apostolicae lectae et publicatae fuerunt in atrio basilicae Principis apostolorum de Urbe per me infrascriptum abbreviatorem de curiâ.*

AUGUSTINUS HURANDUS, Abbr. de Curiâ.

Anno Domini MDCXXIV, *indictione* VII, *die* XVII *maii, pontificatus Sanctissimi Domini nostri Urbani VIII, pontificatus sui* I, *suprascriptae litterae apostolicae publicatae et affixae fuerunt ad valvas basilicarum S. Ioannis Lateranensis et Principis apostolorum de Urbe, ac cancellariae apostolicae, et in acie Campi Florae, dimissis ibidem earumdem litterarum originalibus appensis per ali-*

1 Male edit. Main. legit *existentibus* (R. T.).

quod temporis spatium, et exinde amotis, deinde dimissis earumdem litterarum copiis affixis, ut moris est, per nos Camillum Fundatum et Brandimartem Latinum praelibati Sanctissimi Domini nostri Papae cursores.

OCTAVIUS SPADA, magister cursorum.

LVIII.

Sequitur suspensio aliarum indulgentiarum hoc anno sancto durante.

Urbanus Episcopus
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Relatio praedictae indictionis iubilaei.

Cum nuper iubilaei celebrationem a vigiliâ Nativitatis Domini nostri Iesu Christi anni proxime venturi inchoandam[1], et usque ad finem eiusdem anni duraturam, universo populo christiano de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium assensu indixerimus, ac omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui beatissimorum Petri et Pauli apostolorum basilicas, et S. Ioannis Lateranensis ac B. Mariae Maioris de Urbe ecclesias visitarent, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem et veniam concesserimus, prout in nostris nuper desuper confectis litteris plenius continetur:

Suspensio omnium aliarum indulgentiarum et facultatum absolvendi durante hoc anno iubilaei.

§ 1. Cupientes, ut christianae nationes, ex omnibus terrarum orbis locis in almâ Urbe nostrâ in fidei ac religionis unitate congregatae, eodem pietatis ac devotionis spiritu basilicas et ecclesias praedictas, quo maximo fieri poterit concursu, durante eodem iubilaeo visitent et frequentent, multorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum exemplo adducti, omnes et singulas indulgentias, etiam perpetuas, et peccatorum remissiones, ac facultates et indulta absolvendi, etiam in casibus Sedi Apostolicae reservatis, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, quibusvis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, domibus, militiis, ordinibus, etiam mendicantium, congregationibus, confraternitatibus, etiam laicorum, universitatibus et piis locis, illorumque ordinibus, capitulis, conventibus, magistris, superioribus, et tam secularibus quam quorumvis etiam mendicantium Ordinum regularibus personis, coronisque, granis, imaginibus et numismatibus ex metallo, seu quacumque aliâ materiâ confectis, tam singulariter quam universaliter, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam nos, etiam ad instantiam imperatoris, regum, ducum et aliorum principum, aut ipsis etiam imperatori, ducibus et principibus, vel aliis quacumque aliâ mundanâ, vel ecclesiasticâ dignitate, etiam speciali notâ dignâ fulgentibus, etiam ad instar iubilaei, aut aliàs quomodocumque, et ex quibusvis causis et occasionibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ, ac aliàs quomodolibet concessis (quorum omnium tenores, formas, derogationes et decreta praesentibus pro expressis haberi volumus) apostolicâ auctoritate, de eorumdem fratrum consilio et assensu ac apostolicae potestatis plenitudine, suspendimus et suspensas esse declaramus, easque et ea, eodem anno durante, nulli prodesse aut suffragari debere; irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 Puto erroneam lectionem sic esse emendandam, ad instar § 2 Const. praecedentis, ut supra pag. 145 *a*: *Cum nuper iubilaei celebrationem in annum proxime venturum, a vigiliâ Nativitatis D. N. I. C. proxime futurae inchoandam* (R. T.).

Et prohibitio eas publicandi.

§ 2. Quocirca per praesentes, auctoritate apostolicâ, praecipimus et mandamus, ne interim aliae, quam indicti a nobis praedicti iubilaei, indulgentiae, sive publice sive privatim, quovis praetextu, ubivis locorum et gentium, sub excommunicationis eo ipso incurrendae, aliisque arbitrio Ordinariorum infligendis poenis, publicentur vel nuntientur, aut in usum demandentur.

Derogatque contrariis.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, ordinum, congregationum, hospitalium, confraternitatum, universitatum, collegiorum et locorum, aliorumque praedictorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus et indultis apostolicis, illis, eorumque superioribus et personis, ac aliis quibuscumque, per eosdem Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos, et dictam Sedem, eiusque legatos, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, et ex quibusvis causis, concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus (etiamsi in illis caveatur expresse, quod sub similibus vel dissimilibus suspensionibus nequaquam comprehendantur, nisi de illis specialis et individua mentio fiat), illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum praemissum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Exemplorum fides.

§ 4. Et quia difficile nimis esset, praesentes quocumque, ubi illis opus fuerit, perferri, volumus earum exemplis, etiam impressis, notarii publici manu, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae obsignatis, eamdem prorsus fidem, in iudicio et extra, ubique locorum adhiberi, quae adhiberetur praesentibus, si essent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae suspensionis, declarationis, decreti, praecepti, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXIV, sexto nonas maii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 2 maii 1624, pontif. an. I.

Anno a Nativitate Domini Nostri Iesu Christi MDCXXIV, *indictione* VII, *die vero* XVII *mensis maii, pontificatus SS. in Christo Patris et D. N. D. Urbani, divinâ providentiâ Papae VIII, pontificatus sui anno* I, *supradictae litterae apostolicae publicatae et affixae fuerunt ad valvas basilicarum S. Ioannis Lateranensis, Principis apostolorum de Urbe, ac cancellariae apostolicae, et in acie Campi Florae, dimissis ibidem earumdem litterarum originalibus appensis per aliquod temporis spatium, et exinde amotis, deinde dimissis earumdem litterarum copiis affixis, ut moris est, per nos Camillum Fundatum de Cesis, et Brandimartem Latinum SS. D. N. Papae praelibati cursores.*

Octavius Spada, magister cursorum.

LIX.

Super solutione centum quinquaginta millium scutorum pro munitione civitatis Mediolanensis [1].

Venerabili fratri episcopo Interamnensi
Urbanus Papa VIII.
Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium

Ex illo die, quo, mirabilia faciens nobiscum Dominus, militantis Ecclesiae suae

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

principatum humilitati nostrae, nullo licet meritorum suffragio, credidit, etsi nihil antiquius habuerimus, quam ecclesiasticas personas, quas in visceribus gerimus charitatis, a quibusvis gravaminibus et oneribus immunes praeservare; nihilominus, dum ea, quae publicae securitati tuendae opportuna sunt, nostrorum temporum conditionem, aliaque permulta accuratissimâ aestimatione perpendimus, facere non possumus, quin divino implorato praesidio, rectam sacrorum canonum normam aliquâ mansuetudine interdum deflectamus, ac nonnulla quamvis difficilia apostolicâ largitate benigne indulgeamus. Hoc enim pacto efficitur, ut, et christiana respublica maioribus eximatur incommodis, et, quos novis augemus beneficiis, ad debitum Apostolicae Sedi[1] praestandum obsequium alacriores reddantur.

Philippus IV, rex Hispaniarum, civitates nonnullas ducatus Mediolanensis fortalitiis munire statuit.

§ 1. Sane carissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, qui etiam ducatus Mediolanensis in temporalibus dominus existit, nobis nuper exponi fecit, quod ipse, provide considerans, ducatum huiusmodi nullis forte fortalitiis sive propugnaculis munitum existere, quo autem eumdem Statum tenuiori expensâ et minori militum praesidio tueatur, civitates Novariensem, Alexandrinam, Cremonensem, et Laudensem, necnon loca Valentiae, Padi et Mortarae in finibus eiusdem Status existentia munire decrevit.

Petitque, ut huic rei ecclesiastici quoque contribuant.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, in muniendis civitatibus et locis praedictis ingenti pecuniarum vi opus, aerariumque ipsius Philippi regis valde exhaustum et attritum sit, ex munitioneque huiusmodi totius Status, ac tam cleri, quam populi securitati prospiciatur, communitatum vero, ac universitatum, et hominum eiusdem Status, propter eorum inopiam praesertim ex bellis praeteritis contractam, ad totam impensam necessariam supportandam facultates non suppetant, nisi clerus et ecclesiastici quoque, qui ab omni genere onerum cameralium etiam exempti existunt, eo aliquid conferant: nobis propterea idem Philippus rex per dilectum filium Paulum Raudensem fisci regii eiusdem ducatus Mediolanensis advocatum, a dilecto pariter filio nobili viro Gomesio Suarez de Figueroa et Corduba Feriae duce Status Mediolanensis gubernatore ad nos hac de causâ missum, humiliter supplicari fecit, ut his rebus opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Pontifex committit episcopo Interamnensi contributionem centum quinquaginta millium ducatorum imponat ecclesiasticis quinque annis persolvendorum.

§ 3. Nos igitur, attendentes ex praemissis non solum communitatum, ac universitatum, et hominum praedictorum, sed etiam personarum ecclesiasticarum, locorumque piorum dicti Status, eorumque bonorum securitatem provenire, ac dicti Philippi regis petitionibus, hac in parte, quantum cum Domino possumus annuendum esse censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, quibus negotium huiusmodi mature examinandum et nobis referendum commisimus, consilio, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, stantibus praemissis, ac vocato clero et personis ecclesiasticis, tam secularibus quam cuiusvis Ordinis regularibus, eisdem clero et personis ecclesiasticis tam secularibus (iis, quoad curata, quorum annui redditus summam quadraginta ducatorum auri de camerâ secundum communem aestimationem non excedant, necnon iis, quorum beneficiorum fructus in quotidianis distributionibus consistunt, qui pro tertiâ illarum parte tantum conferre debeant, dumtaxat exceptis) quâm cuiuscumque, etiam Mendicantium, Ordinis, congregationis ac societatis, etiam necessario exprimendorum, ac etiam duodecim

1 Edit. Main. legit *Sedis* (R. T.).

illarum congregationum, quae cum camerâ apostolicâ tempore felicis recordationis Pii Papae V praedecessoris nostri de subsidio ordinario concordarunt, ac quarumcumque militiarum, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, regularibus, ac seminariorum, et hospitalium quorumcumque, etiam actu hospitalitatem servantium, ceterorumque collegiorum ecclesiasticorum, necnon monasteriorum utriusque sexus, bona et redditus ac iura, cuiusvis qualitatis sint ac quocumque nomine nuncupata, ac pensiones ecclesiasticas, quantumvis liberas, immunes et exemptas, percipientium[1], in eodem Statu possidentibus, vel quasi, respective, ut pro undecimâ parte summae per laicos in id opus conferendâ[2] (quae tamen CL millia scuta monetae romanae in totum non excedat) in quinque annis ad minus, in fine cuiuslibet anni, ab anno videlicet MDCXXV incipiendis, ad rationem summae triginta millium scutorum similium, vel minoris, quolibet anno (nisi laici maiori gaudeant dilatione, quo casu etiam ecclesiasticos eâ etiam gaudere volumus), pro ratâ suâ iuxta taxam ante faciendam persolvendâ, in expensas munitionis civitatum et locorum praedictorum contribuere libere et licite possint et valeant, auctoritate nostrâ apostolicâ, absque spe ullius prorogationis, licentiam et facultatem concedas et impertiaris.

Eique necessarias ad id tributi facultates.

§ 4. Dantes tibi plenam et liberam facultatem et auctoritatem taxam contributionis, pro dictâ undecimâ parte, et dictis quinque seu ulterioribus annis huiusmodi durantibus, per ecclesiasticos seculares et regulares, ut praefertur, persolvendâ, proportionabiliter faciendi et praescribendi, ac deinde huiusmodi taxam ab omnibus et singulis, ad quos spectabit, singulis annis dicto quinquennio seu maiori tempore durante exigi, et penes aliquem, fide et facultatibus idoneum, seu locum ecclesiasticum arbitrio tuo eligendum tutum et securum, realiter deponi, et, ad ipsius Philippi regis seu Gomesii praedicti gubernatoris, seu eius in huiusmodi successorum, requisitionem, tuumque mandatum, deputatis munitionum, civitatum et locorum praedictorum in dictum usum dumtaxat consignari procurandi (ita tamen ut ab ecclesiasticis huiusmodi collatio non fiat, nisi factâ prius exactione et solutione ratae laicorum, ac operibus munitionum huiusmodi inceptis, et pro ratâ constructis); quoscumque vero solvere recusantes vel differentes, etiam exemptos et Apostolicae Sedi immediate subiectos, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, cogendi et compescendi; ac demum omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna faciendi, dicendi, gerendi et exequendi, ac auxilium brachii secularis ad hoc, si opus fuerit, invocandi.

Exactionem vero per ecclesiasticos fieri mandat.

§ 5. Volumus autem, ut exactio contributionis, per dictos ecclesiasticos persolvendâ[1], per personas similiter ecclesiasticas tantum a te deputandas fiat, rataque, a dictis ecclesiasticis, ut praefertur, percipienda, in alios usus, quam munitionem civitatum et locorum huiusmodi pro quibus confertur, nullatenus convertatur, super quo etiam tuam, et dictorum Philippi regis et Gomesii gubernatoris, necnon ministrorum ad id deputatorum sive deputandorum conscientiam oneramus;

Sacra vero vasa et suppellectilia distrahi vetat.

§ 6. Quodque, iuxta ordinationem concilii Viennensis, calices, libri, ceteraque ecclesiarum ornamenta, divino cultui dicata, ex causâ pignoris capi, percipi vel distrahi, aut aliàs quomodolibet occupari non debeant; ac praeterea, ut ultra summam CL millia scutorum huiusmodi nihil amplius ab iisdem personis ecclesiasticis

1 Subintellige *personis* (R. T.).

2 Videretur potius legend. *conferendae* (R.T.).

1 Aptius legeretur *persolvendae* (R. T.).

exigatur, sub poenis in sacris canonibus contentis ipso iure incurrendis.

Obstantia tollit.

§ 7. Non obstantibus quibuscumque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinibus, ac ecclesiarum et monasteriorum Status huiusmodi et Ordinum quorumcumque (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem monasteriis, ecclesiis et Ordinibus, illorumque capitulis, collegiis, superioribus et personis, sub quibuscumque tenore et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores[1] praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Colonicam portionem, ut vocant, praeservat.

§ 8. Per praesentes autem non intendimus quidquam innovare super portione, quam *colonica* vocant, neque circa illam ullum praeiudicium quoquo modo inferre aut illatum esse ecclesiasticis, quominus possint et valeant ecclesiasticae libertatis et exemptionis iura occasione dictae portionis sibi, eorumque[2] ecclesiis, colonis ac bonis competentia quandocumque et ubicumque omnibus iuris remediis, ac etiam per censuras ecclesiasticas, tueri et defendere, non secus ac si praesentes nullatenus emanassent; quodque expensae, pro tuis et familiae tuae usibus occasione praemissorum subeundae, per ministros laicos, non autem per ecclesiasticos persolvantur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x maii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 10 maii 1624, pontif. an. I.

1 Erronee edit. Main. legit *tenoribus* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *eorum* (R. T.).

LX.

Moderatio litterarum Gregorii XV super divisione provinciarum fratrum Minorum de Observantia S. Francisci Reformatorum regni Siciliae.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Ponit tenorem Brevis Gregorii XV.

Aliàs a felicis recordationis Gregorio Papa XV praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris sequentis, videlicet:

Causae huius divisionis.

Gregorius Papa XV, ad perpetuam rei memoriam. Nuper, pro parte dilecti filii Innocentii a Clusa Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum professoris nobis exposito, quod omnes Ordinis et Reformationis huiusmodi regulares domus in universo Siciliae regno consistentes unam tantum provinciam constituebant; experientiâ vero compertum erat, unum dumtaxat custodem totam huiusmodi provinciam, quae circuitus octingentorum milliarium existit, nisi eques incederet, visitare non posse, id vero regularibus dicti Ordinis institutis, apostolicâ auctoritate confirmatis, repugnare, ac praeterea gravissima inter fratres ipsius provinciae inconvenientia et perturbationes exoriri, cum occurrentes eorum necessitates suo superiori manifestari[1] nequibant:

Provincia dividitur iuxta tres valles.

§ 1. Nos, supplicationibus dicti Innocentii, suo ac tunc existentis custodis et maioris partis aliorum fratrum dictae provinciae nominibus nobis tunc humiliter porrectis, inclinati, voluimus, et apostolicâ

1 Potius legendum *manifestare* (R. T.).

auctoritate praecepimus et mandavimus, quod in proximâ tunc futurâ congregatione fratrum Reformatorum provinciae huiusmodi, per eumdem tunc existentem custodem habendâ, eadem provincia in tres provincias, iuxta tres valles, nempe de Mazara, Demona et Noto, ita ut unusquisque dictorum fratrum Reformatorum ipsius provinciae in propriis domibus regularibus cuiusque ex tribus vallibus huiusmodi, ex qua oriundus esset, degere deberet, prout desuper ab eiusdem provinciae visitatore et custode decretum fuisset, auctoritate praedictâ divideretur ac separaretur, dividique ac separari omnino deberet, prout in nostris in simili formâ Brevis sub die XIV februarii proxime praeteriti desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

§ 2. Nunc autem, felici eorumdem fratrum gubernio ac directioni, quantum nobis ex alto conceditur, peramplius consulere volentes, supplicationibus dicti Innocentii nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, dilecto filio visitatori eorumdem fratrum iam destinato per praesentes committimus et mandamus, ut capitulum quamprimum celebret, in eoque provinciam praedictam, iuxta litterarum huiusmodi formam et tenorem, separet et dividat.

Eligatur custos in unaquaque custodiâ.

§ 3. Insuper, quod in eodem capitulo tres custodes modo infrascripto eligantur, videlicet ut a vocalibus domorum regularium cuiuslibet vallis et custodiae unus dicti Ordinis professor in eâdem valle et custodiâ oriundus in custodem, nec non tres discreti custodiales eiusdem vallis eligantur, a quibus ea custodia regatur et gubernetur, prout a fratribus Minoribus dicti Ordinis, Cappuccinis nuncupatis, in eodem regno existentibus, fieri asseritur, ac iisdem modo et formâ, et non aliter, divisiones et electiones fiant.

Fratres exteri infra sex menses eligant sibi custodiam.

§ 4. Et quia in eodem regno nonnulli dicti Ordinis professores exteri et diversarum nationum reperiuntur, ad tollendam omnem difficultatem, iis tempus sex mensium concedatur ad deliberandum, in quam custodiam et vallem se velint recipere, et factâ deliberatione huiusmodi, nec illi nec ex eodem regno oriundi fratres huiusmodi de unâ ad aliam vallem, absque licentiâ vicarii generalis fratrum Reformatorum dicti Ordinis ac unanimi consensu custodum et discretorum custodialium utriusque vallis et custodiae, transire possint, et si eos ad aliam custodiam transire contigerit, in illâ per decennium votum passivum habere nequeant.

Designatur sigillum unicuique custodiae.

§ 5. Praeterea, ad obviandum perturbationibus, quae ex controversiâ oriri possent, quis sigilla habere debeat, iisdem sigillis, quae[1] cum imagine sancti Michaëlis archangeli ad praesens reperiuntur, cum etiam ab aliis fratribus Reformatis Italiae habeantur, amplius custodes praedicti non utentur; sed pro valle et custodiâ de Mazara cum beati Matthaei de Agrigento; et pro valle et custodiâ de Noto cum sanctae Luciae, ac pro valle et custodiâ Demona cum sanctorum Martini, Placidi et sociorum imaginibus sigilla respective fiant. Custodes autem, pro negotiis in dictis vallibus et custodiis pro tempore occurrentibus, socium, qui eos in scribendo coadiuvet, habere possint, cum titulo et nomine scriptoris, non autem secretarii, qui propterea nullo privilegio, nullâque exemptione gaudeat, sed praecedentiam sibi ratione antianitatis in regione competentem dumtaxat habeat. Quodque praemissis omnibus et singulis non parentes, seu rebelles, excommunicationis ac privationis vocis activae et passivae poenas ipso facto incurrant, apostolicâ auctoritate praedictâ, tenore praesentium, statuimus et ordina-

Custos habeat scriptorem.

1 Edit. Main. legit *qui* (R. T.).

mus. Decernentes nihilominus irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus omnibus illis, quae in praedictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die ultimâ martii MDCXXII, pontificatus nostri anno II.

Causae moderationis.

§ 6. Cum autem, sicut dilecti filii Benignus a Genua minister generalis eiusdem Ordinis, necnon Aloysius de Cruce eorumdem fratrum Reformatorum in totius Siciliae regnis visitator apostolicus, nobis nuper exponi fecerunt, circa interpretationem quarumdam clausularum in constitutione praedictâ contentarum varia dubia, non sine multâ eorumdem fratrum perturbatione, divinique cultus detrimento exoriantur, videlicet, ut a vocalibus domorum regularium cuiuslibet vallis et custodiae unus dicti Ordinis professor in eâdem valle et custodiâ oriundus in custodem eligatur, necnon, si fratres ad aliam vallem transire contigerit, in illâ per decennium votum passivum habere nequeant; ac etiam super istius verbi *oriundus* significatione, nonnullique pariter inter eosdem fratres reperiantur, qui similiter in dubium revocant, cuius ipsi vallis sint:

Declarat quo modo observandae sint clausulae.

§ 7. Nos praemissis, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, necnon Benignum et Aloysium praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati extiterint, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, clausulas praedictas ad constitutionum generalium eiusdem Ordinis dispositionem, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, reducimus et moderamur: quo autem ad verbum *oriundus* spectat, unumquemque dictorum fratrum in eisdem vallibus ad praesens existentium, qui in eius pacificâ seu quasi possessione reperitur, effectu praedictarum litterarum gaudere; posterioris vero dubii declarationem in capitulo sive congregatione custodiali, ad hunc effectum faciendâ, fieri atque de cetero usum et praxim dicti Ordinis servari debere; irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus. Non obstantibus praemissis et omnibus illis, quae in praeinsertis litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die X maii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 10 maii 1624, pontif. anno I.

LXI.

Confirmatio litterarum Gregorii XIII et Clementis VIII quibus declaratur per onera ecclesiasticis secularibus et regularibus Bononiensibus imposita nullum praeiudicium privilegiis et exemptionibus hospitali S. Ioannis Hierosolymitani aliàs concessis inferri[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Gregorii XIII litterae recensentur.

Aliàs a felicis recordationis Gregorio PP. XIII et Clemente VIII Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Decreverat aliàs, etiam equites hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani ad onerum solutionem in ci-

§ 1. *A tergo*: Dilectis filiis, magistro et conventui hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani. *Intus vero*: Gregorius Papa XIII. Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

vitate Bononiae teneri.

Quamvis nos pridem, ad preces dilectorum filiorum quadraginta virorum praesidentium regimini civitatis nostrae Bononiensis, eas ordinationes, quas nonnulli Romani Pontifices praedecessores nostri, et praesertim felicis memoriae Iulius Papa III, diversis temporibus fecerant, ut clerus Bononiensis in solutione vectigalium et aliorum quorumvis onerum in dictâ civitate pro tempore impositorum concurreret atque contribueret, ex certâ scientiâ nostrâ confirmaverimus, causas omnes, si quae et ubicumque penderent, avocando, ad lites huiusmodi penitus extinguendas[1], perpetuumque dicto clero silentium imponendo; et praeterea declaraverimus omnes et quascumque, tam seculares quam regulares ipsius cleri, etiamsi hospitalis vestri S. Ioannis Hierosolymitani essent, ad praestationem vectigalium et onerum huiusmodi omnino teneri, prout in nostris super his litteris in formâ Brevis confectis plenius continetur: vestram tamen religionem minime propterea in veteri suâ immunitate turbatam intendentes, praesentium auctoritate declaramus, atque decernimus, nihil omnino per litteras nostras praedictas contra vos, aut vestrum hospitale, nec etiam contra exemptiones et privilegia vestra innovatum esse, nec innovari debere, sed vos, resque et bona vestra universa et singula, in universis exemptionibus et privilegiis omnibus, quibus ante et post ordinationes, confirmationem et litteras nostras praedictas usi et potiti estis, semper et ubique conservari debere; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et camerae apostolicae clericos, in quavis causâ et instantiâ (sublatâ eis quavis aliter iudicandi et interpretandi auctoritate) ubique iudicari et definiri debere: necnon irritum et inane quidquid secus super his per praedictos praesidentes regimini, et quoscumque alios, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon civitatis et regiminis, ac illius praesidentium praedictorum (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

His vero litteris ad sua reintegrat privilegia.

Datum Romae, apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die VIII augusti MDLXXXIV, pontificatus nostri anno XIII.

§ 2. *A tergo*: Dilectis filiis, magistro et conventui hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani. *Intus vero*: Clemens Papa VIII. Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. Cum, sicut accepimus, felicis recordationis Gregorius Papa XIII, praedecessor noster, postquam, ad preces dilectorum filiorum reformatorum Status libertatis civitatis nostrae, tunc suae, Bononiensis, eas ordinationes, quas nonnulli Romani Pontifices sui et praedecessores nostri, et praesertim felicis recordationis Iulius Papa III, diversis temporibus fecerant, ut clerus Bononiensis in solutionem vectigalium et aliorum quorumvis onerum in dictâ civitate pro tempore impositorum concurreret, atque contribueret, ex certâ scientiâ suâ confirmaverat, causas omnes, si quae et ubicumque super his penderent, avocando, ac lites huiusmodi penitus extinguendo, perpetuumque desuper dicto clero silentium imponendo; et praeterea declaraverat omnes et quascumque tam seculares quam regulares ipsius cleri, etiamsi hospitalis vestri S. Ioannis Hierosolymitani essent, ad praestationem vectigalium et onerum huiusmodi omnino teneri, prout in quibusdam eiusdem Gregorii praedecessoris litteris continebatur; vestram religionem minime propterea in veteri suâ immunitate turbatam iri volens, declaravit et decrevit nihil om-

Recensentur quoque litterae Clementis VIII, eiusdem exemplii.

1 Vel potius: *ac lites... extinguendo* (B. T.).

fiino[1] per eius litteras praedictas contra vos, aut vestrum hospitale, nec etiam contra exemptiones et privilegia vestra innovatum esse, nec innovari debere, sed vos, resque et bona vestra universa et singula in vestris exemptionibus et privilegiis omnibus, quibus ante et post ordinationes, confirmationem, et litteras suas praedictas usi et potiti eratis, semper et ubique conservari debere, sicque per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac camerae apostolicae clericos, in quavis causâ et instantiâ (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, prout in aliis eiusdem Gregorii praedecessoris litteris similiter plenius continetur: Cumque nos superioribus annis, ex causis tunc expressis, priores litteras praedicti Gregorii praedecessoris confirmantes et innovantes, dilecto filio, tunc et pro tempore existenti nostrae et Sedis Apostolicae in civitate et comitatu Bononiensi de latere legato, seu eius vicelegato, aut gubernatori commiserimus et mandaverimus, ut opportunis iuris et facti remediis, omni et quacumque appellatione, recursu et subterfugio postpositis, cogeret et compelleret quoscumque sub praetextu exemptionum et privilegiorum quamvis amplissimorum solvere recusantes taxam pro reparatione cuiusvis fluminis siti in comitatu Bononiensi pro ratione bonorum ab ipsis possessorum, qui pro tali reparatione aliquod commodum sentirent, etiamsi seculares, aut regulares, Mendicantes, aut non Mendicantes, et cuiusvis instituti utriusque sexus existerent, ac aliàs prout in nostris sub die x martii MDC, pontificatus nostri anno IX, expeditis litteris similiter continetur: Nunc, ne vigore nostrarum huiusmodi litterarum molestari possitis, litteras Gregorii praedecessoris in vestrum favorem emanatas confirmantes et innovantes, praesentium tenore declaramus, atque decernimus, nihil omnino per litteras nostras praedictas contra vos, aut vestrum hospitale, nec etiam contra exemptiones et privilegia vestra innovatum[1] esse, nec innovari debere; sed vos, resque et bona vestra universa et singula in vestris exemptionibus ac privilegiis omnibus, quibus ante et post ordinationes, confirmationes et litteras nostras praedictas usi et potiti estis, semper et ubique conservari debere; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et eiusdem camerae apostolicae clericos, in quavis causâ et instantiâ (sublatâ eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon civitatis, regiminis et illius praesidentium (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, necnon omnibus illis, quae in nostris litteris praedictis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII aprilis MDCIV, pontificatus nostri anno XIII.

Utraeque litterae confirmantur ab Urbano.

§ 3. Nunc autem nos, praeinsertarum litterarum huiusmodi firmiori subsistentiae et validitati consulere volentes, motu proprio, et ex certâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praeinsertas litteras huiusmodi,

1 Heic delemus verba *teneri, prout in quibusdam*, perperam interiecta (R. T.).

1 Perperam edit. Main. legit *innovata* (R. T.).

ac omnia et singula in eis contenta, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, easque, necnon praesentes litteras validas, firmas et efficaces semper et perpetuo existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac omnibus, quos illae concernunt, et concernere poterunt quomodolibet in futurum, in omnibus et per omnia plenissime suffragari;

Clausulae. § 4. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, in quavis causâ et instantiâ iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIX martii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 29 maii 1624, pontif. anno I.

LXII.

Approbatio statutorum in capitulo generali fratrum Minimorum S. Francisci de Paula editorum circa ea, quae agenda sunt in casu mortis generalis totius Ordinis [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Ut [2] ea, quae pro personarum quarumlibet, praesertim Regi seculorum obsequiis, sub suavi religionis iugo, Altissimo famulantium, prospero, felicique regimine facta fuisse dicuntur, ut [1] firma perpetuo et illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolicae confirmationis patrocinio communimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Expositum fuit Pontifici multa olim statuta fuisse a capitulo generali circa electionem vicarii in casu mortis patris generalis, eaque apostolicâ auctoritate confirmata.

§ 1. Sane, nomine dilecti filii Ægidii Camart, correctoris generalis Ordinis fratrum Minimorum S. Francisci de Paula, nobis nuper expositum fuit, quod aliàs, pro felici eiusdem Ordinis directione, et praesertim illius vicarii generalis electione, nonnulla statuta condita fuerunt tenoris subsequentis, videlicet:

Primo: statutum fuit in capitulo generali eiusdem Ordinis habito Paulae anno MDXXXV, auctoritate apostolicâ confirmato, quod, si contingeret (quod Deus avertat) reverendissimum patrem generalem diem claudere extremum, fiat de vicario generali electio per eiusdem generalis socios cum reverendo patre provinciali illius provinciae, in qua morietur, vel ei proximioris, si extra provinciam quamdam [2] moriatur, ac sociis illius, et correctore locali, ubi morietur, vel proximioris conventus; qui omnes simul praedicti electores de toto gremio religionis unum in vicegeneralem usque ad proximum capitulum generale celebrandum eligant, ita tamen quod nullus praedictorum eligentium ad praedictum officium assumi valeat; hic autem, in praedictum vicarium, etiam pro quocumque tempore, assignatus, in generalem immediate et postmodum reeligi et deputari valebit.

Quibus postea in alio capitulo generali Romae celebrato, anno MDCXXIII, nonnulla alia addita fuere.

§ 2. Deinde in ultimo generali capitulo eiusdem Ordinis habito Romae in conventu Sanctissimae Trinitatis anno MDCXXIII, sessione decimâ, quaesitum fuit, an in casu mortis reverendissimi patris generalis (quod absit) standum esset in numero

1 Ultra ea, quae habes in Const. VI (in h. edit. VII) Sixti IV *Sedes*, tom. V, pag. 213, scias istis fratribus ambitum prohibuisse Paulum V in Const. CCC (in h. edit. CCCXX) *Admonemur*, tom. XII, pag. 452.

2 Particula *Ut* ex seqq. videtur redundare (R. T.).

1 Vel heic particula *ut* delenda (R. T.).

2 Potius legendum *quamlibet* (R. T.).

electorum iam ab aliis capitulis deputatorum, an potius idem numerus esset augendus: et, variis hinc inde discussis rationibus, tandem negotium remiserunt patri generali, qui unâ cum suis collegis, consulto etiam illustrissimo protectore, determinarent quid esset agendum. Quapropter, factâ circa hoc maturâ consideratione, prout infra statuendum consentaneum duximus.

Dispositio
circà electionem vicarii generalis.

I. De morte generalis. et quis erit eius vicarius usque ad electionem.

Patre generali claudente diem extremum, continuo antiquior ex collegis, qui tunc praesentes aderunt, accipiat utrumque sigillum Ordinis, et vicegeneralis fungatur officio tantisper, donec cum patribus electoribus ad electionem vicarii generalis procedatur.

II. De monendis superioribus Ordinis de morte generalis.

Praefatus pater collega in vicarium institutus, ut primum mors patris generalis acciderit, notam illam faciat omnibus provincialibus Ordinis, tum ut debitae orationes et sacrificia pro animâ defuncti offerantur, tum ut electores futuri vicarii generalis praeparent se ad electionem faciendam.

III. De potestate collegarum sede generalis vacante.

Quamdiu sedes generalis vacabit non poterunt collegae ullam visitationem facere, neque instituere ullos provinciales, aut alios superiores, neque illos deponere. Non poterunt etiam ulla statuta condere, vel aliquem fratrem privare, aut rehabilitare, neque ullam rem magni momenti expedire, sed omnia reservabuntur vicario generali futuro. Poterunt autem urgentia negotia, et quae celerem resolutionem requirunt, expedire, fratresque scandalosos punire.

IV. De electoribus generalis.

Ex qualibet natione Italiae, Galliae et Hispaniae quatuor patres convenient ad locum destinatum cum tribus patribus collegis generalis praedefuncti, ut eligant simul vicarium generalem, nempe duo provinciales et duo commissi ex qualibet natione.

V. De provincialibus et quando assumi debeant.

Porro provinciales assumentur secundum ordinem antiquitatis provinciarum mutando de sexennio ad sexennium iuxta seriem dictarum provinciarum, exempli gratia: in hoc sexennio habebunt ius electionis, pro Italia, patres provinciales S. Francisci et Mellanae, pro Gallia, Turonensis et Franciae: pro Hispania, Granatensis et Castellae; in futuro autem sexennio, duo alii provinciales provinciarum proxime succedentium in qualibet natione secundum antiquitatem; et ita deinceps de sexennio in sexennium, donec impleatur numerus provinciarum cuiuslibet nationis. Poterunt autem provinciales, quibus continget in sub ordine interesse electioni vicarii generalis, causâ evidentis infirmitatis subtituere vicarium, prout fit in capitulo generali.

VI. De collegis patris generalis morbo detentis.

Similiter si patres collegae generalis, vel illorum alter, morbo aliquo ita detineantur, ut non possint adire locum ad electionem destinatum, poterunt substituere aliquem patrem idoneum ex illâ natione, cuius sunt collegae, qui, litteris authenticis munitus, ius habebit in electione.

VII. De commissis.

Commissi vero non assumentur ex provinciis eisdem, ex quibus provinciales véniunt ad electionem, sed ex duabus provinciis proxime succedentibus, ad hoc ut plures provinciae cuiuslibet nationis concurrant ad electionem vicarii generalis.

VIII. A quibus fieri debeat electio commissorum.

Ipsi vero commissi eligantur respective in suis provinciis a provinciali, collegis et definitoribus provinciae, veniantque ad locum deputatum muniti litteris authenticis suae deputationis.

IX. De correctore conventus, ubi moritur generalis.

Ceterum, si pater generalis decedet in aliquo conventu, superior illius conventus veniet ad electionem vicarii generalis futuri; et tunc pro illâ natione, in qua est ipse corrector, non eligatur nisi unus

commissus, nempe in antiquiori provinciâ ex duabus, quae venient in ordinem, ad hoc ut votorum sit paritas in qualibet natione et provinciâ in qua non fuit electio, pro hac vice carebit suo voto, ita ut in subsequenti sexennio assumantur commissi ex aliis duabus provinciis immediate subsequentibus[1].

X. De morte generalis extra conventum.

Si vero contingat patrem generalem mori extra conventum, ut puta in itinere, vel in mari, vel in alio quovis loco, secundum quod frequenter accidit inter immensa pericula viarum, tunc nullus ex correctoribus vicinioribus loci decessus huiusmodi intererit electioni, sed tantum provinciales et commissi.

XI. Quod semper corrector conventus, ubi morietur pater generalis, votum habeat.

Quamquam vero commissi nullo modo assumi debeant ex eisdem provinciis, ex quibus provinciales votum habebunt in electione, nihilominus pater corrector conventus, in quo obierit reverendissimus pater generalis, semper votum habeat, etiamsi reperiatur in illâ provinciâ, in qua continget provincialem esse vocalem.

XII. De notificatione electorum in capitulis generalibus.

Ut autem tota religio noscat, quinam ex provincialibus et commissis debeant habere votum pro futuro sexennio in electione vicarii generalis causâ mortis, in quolibet generali capitulo, inter reliqua statuta, ponatur huiusmodi decretum: *Si contingat reverendissimum patrem generalem diem obire, quod Deus avertat, pro futuro sexennio ii erunt electores vicarii generalis unâ cum patribus collegis defuncti generalis, nempe pro natione Italicâ patres provinciales* talis et talis, et talis et talis *provincia mittant suos commissos*; *pro natione vero Gallicâ* talis et talis *provincialis*, et talis et talis *provincia mittant suos commissos; pro natione vero Hispanicâ* talis et talis *provincialis, et similiter* talis et talis *provincia suos commissos destinabunt:* et hoc inviolabiliter servabitur in futuris capitulis generalibus.

XIII. De notificatione loci in quo obiit pater generalis.

Spectabit autem ad patrem collegam, cui commissa erunt sigilla religionis, dum significabit mortem generalis omnibus provinciis Ordinis, simul etiam notificare conventum, in quo praedictus pater generalis obierit, ut sciatur, quod superior illius conventus debet habere votum in electione, et quod proinde in illâ natione, in qua situs est ille conventus, non debet fieri electio nisi unius commissi, nempe in antiquiori provinciâ ex duabus illis, quae veniunt in vice suâ, quoniam superior conventus, cum sit eiusdem nationis, supplet pro altero commisso. Si vero extra conventum obeat pater generalis, et hoc ipsum notificabit praedictus pater collega generalis, ut sciant quaelibet nationes sibi deligendos esse duos commissos.

XIV. De loco, in quo fieri debet electio.

Si pater generalis diem claudat Romae, electio fiet Romae, et illuc omnes electores convenient; et quidem si moriatur in conventu Sanctissimae Trinitatis, pater corrector illius conventus votum habebit in electione et computabitur pro natione Gallicâ; si vero in conventu S. Andreae vel S. Francisci, superior illorum respective conventuum votum habebit pro natione Italicâ. Porro in quocumque horum trium conventuum obierit pater generalis, in eo conveniant patres electores ad faciendam electionem vicarii generalis.

XV. De patre zeloso.

Pater zelosus votum habebit in electione vicarii generalis, in quocumque conventu romano decesserit pater generalis; quo casu natio illa, de qua est pater zelosus, non mittet alium commissum: verbi gratiâ, si pater zelosus sit Italus, et pater generalis diem claudat in conventu S. Andreae vel S. Francisci, superior illius conventus et pater zelosus

1 Sic omnes editiones. Sed qui potest capere capiat. Forsan emendari posset sic: *nempe illa e duabus antiquioribus provinciis, quae venient in ordinem* (*ad hoc ut votorum sit paritas...*) *pro hac vice carebit*, etc. (R. T.).

erunt electores; et cum sint ambo Italicae provinciae, quae deberent[1] eligere commissos, non eligent pro hac vice; si Gallus fuerit, et pater generalis obeat in conventu Sanctissimae Trinitatis, corrector et zelosus similiter erunt electores, et ex Galliâ non mittentur commissi; si Hispanus, tunc unus tantum commissus veniet ex Hispaniâ, nempe is qui eligetur ab antiquiori provinciâ ex duabus, ut supra dictum est.

XVI. De loco electionis, quando pater generalis diem claudit extra Romam.

At si contigerit, patrem generalem obire extra Romam, ut puta, dum visitat provincias, conveniant omnes electores ad conventum commodiorem pro nationibus: exempli gratiâ, si decedat pater generalis in Italia, omnes electores veniant ad conventum Ianuensem, qui est in confinio Italiae, Galliae et Hispaniae; si in Gallia decesserit, electio fiet in conventu Massiliensi, qui est vicinior aliis nationibus; si in Hispania, conveniant ad electionem in conventu Barchinonensi: et hoc semper servetur pro regulâ in omnibus futuris electionibus vicarii generalis.

XVII. Quo tempore debeant convenire electores.

Quia vero Ordo valde extensus est, et oportet aliquod temporis spatium ad hoc ut mors patris generalis toti Ordini innotescat, dabitur spatium quinque mensium a die obitus patris generalis usque ad diem electionis: sufficient enim duo menses ad notificandam mortem toti Ordini, et reliquum ad hoc ut electores conveniant ad locum electionis.

XVIII. Cuius erit indicere tempus et diem ac locum electionis.

Spectabit ad patrem collegam generalem, qui in manibus habebit sigilla religionis, eodem tempore, quo significabit mortem generalis, simul etiam indicere tempus et diem, ac locum supra in cap. XVI determinatum futurae electionis, ita quod semper sint quinque menses integri inter obitum et diem electionis; provinciales vero et commissi, sub poenis iisdem quae sunt statutae[1] contra eos qui non intersunt capitulis generalibus, sint obligati statuto tempore praesentes esse in loco, in quo fieri debet electio futuri vicarii generalis: si qui vero fuerint absentes, elapso tempore praefinito, continuo praesentes procedant ad electionem, amplius non expectando.

XIX. De praeside capituli in electione.

Quando omnes electores convenerint, praesidebit in capitulo pater collega generalis, cui commissa sunt sigilla Ordinis, absque aliquo respectu provincialium.

XX. Quisnam potest eligi in vicarium generalem.

Omnes electores sic coadunati poterunt ex toto Ordine eligere in vicarium generalem quem magis idoneum iudicaverint, etiam ex corpore ipsorum electorum, si qui inter ipsos magis capaces, et ad hoc officium magis idonei reperiuntur.

XXI. De potestate vicarii generalis electi.

Qui vero electus fuerit in vicarium generalem, statim fungetur officio suo secundum exigentiam negotiorum iuxta privilegia eiusdem Ordinis, sicut hactenus factum est.

XXII. De notificatione electionis vicarii generalis.

Statim atque facta fuerit electio vicarii generalis, curabunt patres electores, ut notificetur per omnes provincias Ordinis, et ideo mittent ad omnes patres provinciales authenticas litteras electionis a se factae.

XXIII. Quibus expensis patres conveniant ad electionem.

Iustum est, ut patres collegae generalis conveniant ad locum electionis expensis suarum respective nationum: patres vero provinciales et commissi expensis suarum provinciarum, sicuti fit in capitulis generalibus.

XXIV. Quid faciendum in casu, quo pater generalis diem claudat extremum post expletum quadriennium sui generalatus.

Si pater generalis obeat post expletum quadriennium sui officii, tunc ii eligent vicarium generalem, qui tam[2] olim deputati fuerunt a capitulo generali Paulitano, quibus adiungentur pater provincialis vicinioris provinciae cum suis patribus collegis, ut maior sit votorum numerus: si vero fuerit discrepantia, quaenam sit

1 Sic edit. omnes; at videretur potius legendum *deberet*, et postea *eliget* pro *eligent* (R. T.).

1 Edit. Main. et aliae edit. habent *statuta* (R.T.).

2 Forsan legendum *iam* pro *tam* (R. T.).

vicinior provincia, tunc, positâ aequali distantiâ, antiquior provincia votum habebit.

Hucusque dispositio.

Supplicatur Pontifici, ut ea omnia apostolicâ auctoritate communire dignetur.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, Ægidius praedictus plurimum cupiat statuta huiusmodi, pro firmiori illorum subsistentiâ et inviolabili observatione, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri; ideo nobis totius Ordinis praedicti nomine humiliter supplicari fecit, ut desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Qui ea approbat et confirmat, suppletque defectus, dummodo in capitulo proxime celebrando iterum examinentur et approbentur.

§ 4. Nos igitur, eiusdem Ægidii desideriis in praemissis annuere, illumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum consilio, statuta praeinserta huiusmodi (ita tamen, ut a capitulo generali eiusdem Ordinis proxime celebrando rursus examinentur, atque approbentur, alioquin ex eò tempore praesens confirmatio nulla prorsus atque irrita sit) apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Et ita approbata observari decernit.

§ 5. Ipsaque statuta in praedicto Ordine (si ab eodem capitulo denuo examinata et probata fuerint), ut petitur, perpetuo observari debere, irritumque et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contrariis remotis.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIX maii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 29 maii 1624, pontif. anno I.

LXIII.

Praeceptum priori et fratribus militibus prioratus Alemanniae hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani ne bona et privilegia dicti prioratus laedi permittant[1].

Dilectis filiis, Friderico Hunt priori, ceterisque fratribus militibus prioratus Alemanniae hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, Urbanus Papa VIII.

Dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.

Romanorum Pontificum sollicitudo conservandi bona ad hospitale S. Ioannis Hierosolymitani pertinentia.

Romani Pontifices, qui Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani merita perspectissima habuerunt, eum semper, inter ceteros militares ordines, et magni fecerunt, et peculiari charitate ac studio complexi sunt. Quae omnia in nobis maximum ex vestrâ in nos et Sedem Apostolicam devotione et observantiâ incrementum receperunt; quo fit, ut bona, aliaque Ordinis vestra iura in dies magis non solum crescere ad Dei gloriam et hostium fidei confusionem summopere desideremus, sed etiam quae progressum huiusmodi quoquo modo impedire, minuere vel retardare possunt, nos maxime sollicitos habent. Quamobrem, etsi nequaquam dubitamus, quin vos, pro vestrâ pietate et catholicae religionis zelo,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

bonorum, aliorumque iurium huiusmodi conservationi et augmento quam debetis sollicitudinem impendatis, tamen apostolatus officium, quod immeriti gerimus, a nobis flagitare non cessat, ut etiam bonis, atque iuribus huiusmodi, quantum cum Domino possumus, superintendere non negligamus.

Praeceptum de quo in rubricâ.

§ 1. Motu itaque proprio et ex certâ scientiâ nostrâ vobis omnibus et singulis in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis latae sententiae poenâ, praecipimus et mandamus, ne vos, aut ullus vestrum, etiam ad cuiusvis quacumque dignitate et praeeminentiâ ac speciali notâ dignâ et de necessitate exprimendâ instantiam, intuitum vel contemplationem, et ex quacumque causâ, aut quovis quaesito colore vel praetextu, publice vel occulte, directe vel indirecte, quicquam negligatis, seu negligi permittatis, quod bonorum, aliorumque iurium ipsius vestri Ordinis conservationi, augmento, atque defensioni opportunum fuerit, neque iurisdictionem ecclesiasticam laedatis, aut violatis, minusque in aliquo laedi, violari, aut usurpari permittatis.

Quaestiones super validitate privilegiorum huic Ordini concessorum, si quae oriantur, ad Sedem Apostolicam deferendae.

§ 2. Quod si de validitate privilegiorum, vobis seu Ordini vestro per nos vel Romanos Pontifices praedecessores nostros quomodolibet concessorum, seu de illorum interpretatione agi seu tractari contigerit, id totum Sedis Apostolicae cognitioni et deliberationi remittatis.

Si quid secus attentetur, irritum declaratur.

§ 3. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. In contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI iunii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 6 iunii 1624, pontif. anno I.

LXIV.

Confirmatio et renovatio constitutionum Pii V et Sixti V super solutione communium, annatarum et quindenniorum, ac indicatione unionum [1].

Urbanus Papa VIII, motu proprio, etc.

Causae huius Constitutionis.

Aliàs felicis recordationis Pius Papa V, praedecessor noster, provide considerans, quod annatarum, communium et aliorum iurium camerae apostolicae debitorum exactio, in recognitionem universalis dominii introducta, est antiquissima, quindenniorumque usus et solutio ideo adinventi fuerunt, ne camerae praedictae ex monasteriorum, prioratuum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum unionibus, quae amplius vacare non sperabantur, detrimentum aliquod induceretur, volens propterea dictae camerae, ac venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium collegio, nec non dilectis filiis cancellariae apostolicae officialibus, de communibus, annatis et quindenniis participantibus, iura praeservare, illorumque indemnitati consulere, motu simili, etc. omnia et singula cathedralium, etiam metropolitanarum, ecclesiarumque collegiatarum capitula, congregationes, universitates, collegia, hospitalia, ac pia loca et quosvis alios, in quorum favorem tam secularium quam quorumvis Ordinum regularium monasteria, prioratus, praeposiurae, necnon dignitates et alia quaecumque beneficia ecclesiastica unita, annexa et incorporata, seu applicata existerent, et illorum uniones eis factae reperirentur, quantumcumque exempta et privilegiata existerent, etiamsi se super inde in camerâ apostolicâ non obligassent, dummodo mo-

Pii V constitutio recensetur.

1 Hoc etiam iussit Paulus IV in sua Const. XXI, *Decens*, tom. VI, pag. 533, et Pius V Const. LX, *Apostolicae*, tom. VII, pag. 598, et ampliavit Sixtus V Const. XLVI, *Camerae*, tom. VIII, pag. 703.

nasteria seu beneficia ipsa possiderent, ad solutionem communium, annatarum et aliorum iurium praedictorum eisdem camerae, collegio et officialibus ratione unionum, annexionum, seu applicationum praedictarum singulis quindecim annis a die, qua illae suum sortitae fuissent effectum, faciendam teneri et obligatos esse, et ad id per sententias, censuras et poenas in singulis Pauli II[1] et aliorum praedecessorum suorum summorum Pontificum litteris[2] contentas cogi et compelli posse, decrevit et declaravit: mandans propterea bonae memoriae Hieronymo, tunc episcopo Maceratensi et camerae apostolicae clerico, annatarumque iudici tunc existenti, ut pro faciliori indagatione unionum praedictarum omnia et singula cathedralium, etiam metropolitanarum, et collegiatarum ecclesiarum capitula, collegia, necnon tam virorum quam mulierum seculares et quorumvis Ordinum regulares congregationes, seu collegia, et pia loca huiusmodi, eorumdemque praelatos et procuratores ad indicandum et profitendum medio iuramento omnia et singula monasteria, prioratus, praeposituras, praepositatus, parochiales ecclesias et alia quaecumque beneficia ecclesiastica, quae ipsa capitula, congregationes et alia loca praedicta possiderent, et quo titulo illa possidebant, illorumque annuos valores, sub privationis et aliis in litteris in formâ motus proprii Pii V praedecessoris huiusmodi contentis sententiis, censuris et poenis in Romanâ curiâ et extra eam moneret et requireret. Et successive felicis recordationis Sixtus Papa V, etiam praedecessor noster, attendens, quod tantumdem detrimenti camerae, collegio et officialibus praedictis ex unionibus, quae ab Ordinariis locorum et aliis fiunt, provenit, ac[1] propterea aequum esse censuit, ut quod in unionibus per Sedem Apostolicam factis locum obtinet, illud idem et fortius in unionibus per ipsos Ordinarios factis et faciendis observaretur; et licet in constitutionibus et litteris praedecessorum suorum comprehendi viderentur, tamen, ut huius disputandi occasio praecideretur, motu et scientiâ similibus de apostolicae potestatis plenitudine statuit, decrevit et declaravit, quod[2] uniones, annexiones, incorporationes, applicationes et submissiones de quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, tam secularibus quam regularibus (etiamsi monasteria monialium et hospitalia fuissent, quae tamen, tempore ipsarum unionum, curâ, conventu et hospitalitate caruerint, et quorum singulorum, vel, si plura beneficia unicis litteris comprehensa sint, quorum quilibet annuus valor vigintiquatuor ducatos auri de camerâ, secundum communem aestimationem valoris[3] non excederet, dummodo tamen fructus omnium insimul illum transcenderet) cuicumque ecclesiae, monasterio, collegio, domui, societati, congregationi, ordini, militiae, hospitali, seminario, aut alio loco pio, tam per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores suos, nec non per Sedis Apostolicae legatos, nuncios et alios quoscumque subdelegatos, aut aliàs quomodolibet auctoritate apostolicâ, quam per quemcumque loci Ordinarium in qualibet mundi parte hactenus factae et in futurum faciendae, etiamsi manualia et de iurepatronatus laicorum, etiam imperatoris, regum, ducum, marchionum, baronum, comitum et aliorum

Sixti quoque Papae litterae referuntur.

1 Haec habetur in tom. v, pag. 197 (R. T.).

2 Praeter citatas in nota ad rubricam, habetur constit. IV Ioannis VIII in tom. v, pag. 311; et constit. VI Iulii II ibid. pag. 408; et Clem. VII constit. XLI in tom. VI, pag. 152; et Iulii III constit. XXVII, ibid. pag. 473 (R. T.).

1 Ex syntaxi particula *ac* redundat (R. T.).

2 Videbis postea particulam *quod* redundare (R. T.).

3 Vox *valoris* delenda videretur (R. T.).

nobilium et illustrium beneficia illa fuerint, sub dictorum praedecessorum constitutionibus et declarationibus omnino comprehendi et includi, et ab omnibus comprehensa et inclusa censeri voluit, et ad solutionem quindenniorum teneri et obligatos esse, et ad id cogi et compelli posse declaravit. Mandavitque bonae memoriae Alexandro Gloriero, camerae apostolicae clerico et annatarum tunc iudici, ut, pro faciliori indagatione unionum praedictarum, omnia et singula cathedralium, etiam metropolitanarum, et collegiatarum ecclesiarum capitula et alia loca pia praedicta moneret et requireret, ut profitererentur medio iuramento omnia et singula beneficia ecclesiastica, quae vigore similium unionum quomodolibet possidebant, illorumque annuos valores, iuxta praefati Pii V praedecessoris constitutiones, cum facultate citandi et inhibendi, ut aliàs in litteris in formâ Brevis sub datâ XIV maii MDLXXXVI dicitur contineri [1].

Confirmat hic Pontifex constitutiones praecedentes, et defectus supplet.

§ 1. Cum autem, sicut accepimus et sicut etiam nobis innotuit, adsint quamplurimae uniones et applicationes a dicto tempore citra factae, quarum notitia a camerâ et cancellariâ apostolicis desideratur; volentes igitur, tam camerae nostrae apostolicae, quam venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium collegio, ac dilectis filiis nostris cancellariae apostolicae officialibus, de annatis participantibus, consulere, motu simili, et ex certâ scientiâ nostrâ, quascumque tam sub plumbo quam in formâ Brevis et motus proprii litteras eorumdem Pii et Sixti V, necnon quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, super solutione annatarum, communium, quindenniorum et aliorum iurium, tam ratione provisionum, seu unionum perpetuarum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum per Sedem Apostolicam factarum et faciendarum, editas, confirmatas et innovatas, cum omnibus clausulis, decretis, derogationibus ac censuris et poenis in illis contentis, necnon omnia et singula per quoscumque iudices, exequutores et commissarios in praemissis et circa ea quomodolibet gesta et exequuta, et inde legitime sequuta quaecumque (quorum [1] tenores, ac si de verbo ad verbum hîc inserti essent, pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes), auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, necnon illis perpetuae et irrefragabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti ac alios defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus, atque illas et illa, quatenus opus sit, innovamus.

Exequutoris deputatio.

§ 2. Mandantes propterea dilecto filio magistro Hieronymo Raymundo dictae camerae clerico (cui nuper a felicis recordationis Gregorio XV praedecessore nostro omnes et singulae causae inter dilectum filium Gasparem Rivaldum cancellariae apostolicae generalem subcollectorem ex unâ, et quascumque congregationes, capitula, collegia, loca pia et quasvis alias personas ex alterâ partibus, super solutione annatarum, communium et aliorum iurium quindenniorum eorumdem commissae reperiuntur) et aliis in eius locum per nos vel successores nostros subrogandis iudicibus, ut, pro faciliori indagatione unionum, annexionum, incorporationum seu applicationum praedictarum, omnia et singula capitula, collegia, congregationes, seminaria, societates et alia loca pia praedicta, eorumque praelatos et procuratores, ad indicandum et profitendum medio iuramento omnia et singula monasteria, prioratus, praeposituras, praepositatus, parochiales ecclesias et alia quaecumque

1 Huiusmodi Pii V et Sixti V constit. citatae fuerunt in nota ad rubricam (R. T.).

1 Potius ex synt. legendum *eorum* (R. T.).

beneficia ecclesiastica, etiamsi manualia, et de iurepatronatus, ut praefertur, fuerint, quavis auctoritate apostolicâ seu ordinariâ aut subdelegatâ eis unitâ et concessa, quae ipsa capitula, collegia, seminaria, congregationes et alia loca pia praefata vigore unionum huiusmodi possident, illorumque annuos valores, sub privationis et aliis in litteris dictorum Pii et Sixti V praedecessorum huiusmodi contentis sententiis, censuris et poenis, in Romanâ curiâ, et extra eam, moneant et requirant,

Ei tribuit facultatem compellendi per censuras.

§ 3. Cum potestate dicta capitula, collegia, congregationes, seminaria, societates, hospitalia et alia loca praedicta, necnon eorumdem quindenniorum et iurium debitores in praesentibus nostris litteris comprehensos, etiam per edictum publicum, constito summarie de non tuto accessu, tam in dictâ curiâ quam extra eam citandi, monendi et requirendi, ac eis et aliis quibusvis, et, quoties opus fuerit, sub censuris et poenis ecclesiasticis ac pecuniariis eorum arbitrio ferendis, statuendis, moderandis et applicandis, ac etiam privationis beneficiorum unitorum, etiam simili edicto inhibendi, ipsosque debitores ad indicandum beneficia unita et solvendum quindennia decursa, etiamsi ad id in camerâ apostolicâ non se obligaverint, constito tamen de sortito effectu unionum, per similes sententias, censuras et poenas, etiam per interdicti tam localis quam personalis appositionem, per dictum Hieronymum et subrogandos praefatos, quoties opus fuerit, ferendas et promulgandas, necnon fructuum, reddituum et proventuum beneficiorum ecclesiasticorum quae ipsi debitores possidebunt, pro quantitate eorum debiti, sequestrationem, et alia opportuna iuris et facti remedia, etiam cum invocatione auxilii brachii secularis, cogendi et compellendi, ac in praemissis omnibus et singulis, etiam summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, solâ facti veritate inspectâ, et aliàs more camerali procedendi, ac eos, qui sententias, censuras et poenas praedictas, ut praemittitur, incurrerint, ab eisdem censuris et poenis, praeviâ satisfactione, absolvendi et liberandi, aliaque faciendi, gerendi et exercendi, quae in praemissis necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus quacumque centenariâ, etiam completâ, et etiam maiori a iure statutâ praescriptione, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus, necnon privilegiis, exemptionibus indultis et litteris apostolicis, capitulis, congregationibus, collegiis, seminariis, societatibus, hospitalibus et aliis piis locis praefatis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu et scientiâ similibus, ac de apostolicae potestatis plenitudine, etiam consistorialiter, et ex causâ initi contractus, aut aliàs quomodolibet concessis ac iteratis vicibus approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, necnon omnibus illis, quae praedecessores praefati in singulis eorum litteris voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae

munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, idibus iunii, anno I.

Dat. die 13 iunii 1624, pontif. anno I.

Fiat motu proprio, M.

Die XXI *mensis iunii* MDCXXIV *supradictae litterae apostolicae in formâ motus proprii exhibitae fuerunt in camerâ apostolicâ, et per eiusdem camerae decretum admissae et registratae in libris ipsius camerae penes me illius notarium existentibus, nempe libro diversorum fol. 91 et seqq., et in fidem, etc.*

IOANN. BAPTISTA CENNUS.

LXV.

Extensio indultorum cruciatae ad ecclesiasticos seculares et regulares regnorum Hispaniarum[1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi catholico, Urbanus Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Pius Papa ncesserat vi-re cruciatae bditis regis spaniarum ut uniorum tem-re carnibus l lacticiniis scerentur,

§ 1. Aliàs felicis recordationis Pius Papa V praedecessor noster (inter ceteras gratias illas spirituales et temporales ad certum tunc expressum tempus publicandas et duraturas clarae memoriae Philippo II Hispaniarum regi catholico avo tuo, ac omnibus et singulis christifidelibus in regnis et dominiis Hispaniarum et illis adiacentibus necnon Sardiniae insulis consistentibus et ad illa declinantibus, iis qui certa munera adimplevissent, concessas, et a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris eidem Philippo, ac similis memoriae Philippo III etiam Hispaniarum regi catholico genitori tuo, et nuper a nobis maiestati tuae prorogatas) indulsit, ut ipsi carnibus de consilio utriusque medici temporibus ieiuniorum tam quadragesimalium quam quorumlibet aliorum totius anni vesci, ac pro eorum libito ovis et lacticiniis, ita quod, qui carnes non[1] comedissent, servatâ in ceteris ieiunii ecclesiastici formâ, dicto ieiunio satisfecisse censerentur, sub hac tamen gratiâ et concessione minime comprehendi patriarchas, primates, archiepiscopos, episcopos, neque alios inferiores praelatos, neque quaslibet personas regulares, ac ex secularibus eas, quae in presbyteratus ordine constitutae essent, quoad quadragesimalia ieiunia, illis autem exceptis, omnes praedictos, praeterquam insularum praedictarum incolas, etiam ovis et lacticiniis vesci posse, ut supra, concessit, neque voluit etiam quemcumque ecclesiasticum vel secularem, qui eam gratiam fuisset assequutus, eâ posse uti extra ipsa Hispaniarum regna.

Et ab eligendo confessario a casibus Sedi Apostolicae reservatis absolverentur, ecclesiasticis exceptis.

§ 2. Praeterea, ut iidem omnes et eorum singuli quemcumque presbyterum secularem vel cuiusvis, etiam Mendicantium, Ordinis[2] regularem, ex iis qui ab Ordinario, et, quoad regulares, semel tamen approbati fuissent, in confessorem eligere, et ab eo quorumcumque peccatorum ac censurarum (videlicet eorum et earum[3] Sedi Apostolicae reservatorum et reservatarum, et quae etiam in Bullâ solitâ publicari in die Coenae Domini continentur, plenariam indulgentiam et remissionem semel in vitâ, et semel in mortis articulo, aliorum vero Sedi Apostolicae non reservatorum aut non reservatarum, toties quoties confiterentur) absolutionem et remissionem, mediante salutari poenitentiâ secundum culparum exi-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Particula *non* prorsus delenda videtur (R.T.).

2 Edit. Main. legit *Ordinum* (R. T.).

3 Contra syntaxis ratione edit. Main. habet *earum, quae* (R. T.).

gentiam, obtinere possint et valeant, modo etiam in casibus, in quibus necessaria esset, per ipsos, vel, dato impedimento, per haeredes aut alios satisfactio fieret, et aliàs, prout in diversis tam sub plumbo quam in simili formâ Brevis desuper expeditis litteris, quarum omnium tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Urbanus hujusmodi indulta ad ecclesiasticos ipsos extendit.

§ 3. Nunc autem nos, tam presbyterorum secularium quam personarum regularium masculini sexus, locorum in litteris huiusmodi comprehensorum, corporum valetudini ac conscientiae quieti, spiritualique consolationi, quantum cum Domino possumus, benigne consulere volentes, supplicationibus etiam maiestatis tuae nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, venerabilibus fratribus patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et aliis inferioribus praelatis, necnon presbyteris secularibus praedictis dumtaxat, ut quadragesimali tempore, hebdomadâ tamen maiori exceptâ, ovis similiter et lacticiniis pro eorum libito uti et vesci; praeterea personis regularibus masculini sexus tantum praedictis, ut quemcumque presbyterum secularem, vel cuiusvis Ordinis, etiam Mendicantium, regularem [1], ut praefertur approbatum, semel in vitâ et semel in mortis articulo in suum eligere confessarium libere et licite valeant, a quo ab eorum peccatis ac etiam censuris praedictis, modo et formâ praemissis, absolvi possint, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Committitque Indiarum patriarchae, ut deputet confessarium, qui regulares absolvat non tamen a casibus Sedi Apostolicae reservatis.

§ 4. Insuper venerabili fratri Didaco, patriarchae Indiarum, dictarum gratiarum exequutori et commissario apostolicâ auctoritate deputato, quem etiam praesentium exequutorem et commissarium deputamus, facultatem concedimus auctoritate nostrâ praecipiendi et mandandi quibusvis monasteriorum, conventuum et aliorum locorum regularium, virorum dumtaxat, superioribus, ut singulis annis, ultra solitos, alium proprii seu alterius Ordinis regularem, iis vero in locis, in quibus unica dumtaxat domus, seu alius locus regularis [1] existit, etiam secularem confessarium, similiter, ut praefertur, approbatum, de consensu conventus, capituli, monasterii, vel domus, aut alterius regularis loci huiusmodi per secreta suffragia praestando, deputet, qui semel in anno sacras religiosorum eorumdem confessiones audire, illosque a commissis per eos peccatis, non tamen Sedi praedictae reservatis, nec in Bullâ huiusmodi contentis, vigore gratiarum in supradictis litteris contentarum, et servatâ earum formâ, absolvere valeat.

Clausulae.

§ 5. Decernentes irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus litteris praedictis, ac omnibus illis, quae in eis concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus ad quinquennium dumtaxat valituris.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV iunii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 14 iunii 1624, pontif. anno I.

1 Erronee edit. Main. legit *Ordinum regularium* (R. T.).

LXVI.

Confirmatio emptionis oppidi de Lizheim, ad Fridericum comitem palatinum Rheni spectantis, factae ab Henrico Lotharingiae duce, causâ propagandae in eo religionis catholicae [2].

1 Forsan addendum *non* (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilecto filio nobili viro Henrico, Lotharingiae duci, Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Circumspecta Sedis Apostolicae benignitas catholicorum principum vota, per quae catholicae fidei propagationi, haeresumque extirpationi consulitur; ad exauditionis gratiam libenter admittit, eaque favoribus prosequitur opportunis.

Lotharingiae dux a Friderico comite palatino Rheni oppidum de Lizheim emit. § 1. Tuo siquidem nomine nuper expositum fuit, quod tu, animadvertens oppidum de Lizheim atque locum de Craftal, Metensis seu alterius dioecesis, cum castris, terris, villis et pagis ab eis dependentibus, ad Federicum tunc assertum comitem palatinum Rheni spectantia, ita tui ducatus et Status finibus et bonis circumscripta, atque intra illius terminos inclusa esse, ut illorum incolae suis finibus egredi non possent, quin loca temporali tuo dominio subiecta pertransirent, ob idque[1], ne ex illorum, qui haeresis labe infecti erant, frequentatione atque commercio subditi tui haeresi huiusmodi infectarentur, sed ab illâ immunes conservarentur, ipsique incolae sub tuo gubernio ad sanctae matris Ecclesiae gremium, benedicente Domino, reducerentur, oppidum et castrum huiusmodi, cum omnibus illorum dependentiis, ac territoriis, ac quibusvis bonis cuiuscumque qualitatis et speciei, in illis et intra illorum fines existentibus, ac mero et mixto imperio, gladiique potestate et omnimodâ iurisdictione et auctoritate, a dicto Federico animo et intentione religionem catholicam ibi restituendi emisti.

Cum vero eo in oppido olim fuerit monasterium Ordinis Cisterciensis, § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, in oppido de Lizheim et loco de Craftal huiusmodi olim monasteria seu prioratus Cisterciensis seu alterius Ordinis existerent, illa vero iam a septuaginta annis, et ultra, apostolicâ auctoritate suppressa et profanata, illorumque fructus, redditus et proventus universitati studii generalis oppidi Heidelbergae Wormatiensis dioecesis eâdem auctoritate applicati fuerint;

Illudque Friderici antecessores occupasse, dubium sit; § 3. Quia vero credibile est, eiusdem Federici antecessores, ac forsan ipsum Federicum, tam monasterium, seu prioratum huiusmodi, quam forsan alia bona ecclesiastica intra oppidum et terras huiusmodi, a te, ut praefertur, empta, usurpasse, sibique appropriasse, illa vero, si qua[1] sint, ita aliis bonis emptis incorporata sunt, ut certa eorum distinctio, vel alia notitia non habeatur;

Lotharingiae dux huiusmodi emptionem apostolica auctoritate petit confirmari. § 4. Ob idque tu, qui titulo oneroso omnia in dictâ venditione comprehensa acquisivisti, ac bonae fidei emptor existis, quique in huiusmodi emptione non tam propria commoda quam iis in locis fidei catholicae restitutionem respexisti, plurimum cupias tuae securitati ac indemnitati provideri, ac emptioni et acquisitioni, per te, ut praefertur, factis, robur apostolicae firmitatis adiici:

Confirmat Pontifex. § 5. Nos, sperantes in Domino fore, ut locorum in emptione et acquisitione praedictis comprehensorum sub tuo dominio, extirpatis omnino haeresum erroribus, ad verae fidei cultum, per immensam divinae bonitatis misericordiam, reducantur, votisque tuis, quantum cum Domino possumus, annuere, teque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad praemissorum effectum dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, necnon scripturarum super venditione, emptione et ac-

1 Potius legendum *ob id* (R. T.).

1 Edit. Main. habet *si quae* (R. T.).

quisitione praedictis confectarum tenores etiam veriores, ac alia hîc de necessitate exprimenda, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, emptionem et acquisitionem oppidi et castri ac aliorum locorum in dictâ emptione comprehensorum, a te, ut praefertur, factam, etiam si forsan in venditione huiusmodi aliqua bona ecclesiastica sint, et ad ecclesias, vel quaecumque beneficia ecclesiastica quomodolibet qualificata spectent, quatenus ignoranter, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus; illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis apostolicae robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti ac solemnitatum etiam quantumvis substantialium, et de iure, usu, stilo, consuetudine ac aliâs quomodolibet requisitarum, defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerunt, supplemus.

Bonaque ecclesiastica, quae inter empta reperiantur, ab eo, haeredibusque tutâ conscientiâ possideri indulget.

§ 6. Et nihilominus, pro potiori tuâ ac haeredum et successorum tuorum cautelâ et securitate, tibi, ut, si inter bona in dictâ venditione comprehensa aliqua sint, quae ecclesiastica fuisse, aut esse dici, vel censeri possint, tu ac haeredes tui praedicti illa omnia quaecumque, qualiacumque et quantacumque [1], ac cuiusvis speciei et naturae existant, libere et licite possideatis, ac de illis ad libitum vestrum disponere possitis, in perpetuum concedimus et indulgemus.

Adiectâ lege parochias ibidem erigendi.

§ 7. Volumus autem, quod tu, quam citissime fieri poterit, saltem in praecipuis locis, a te, ut praefertur, emptis, parochiales ecclesias de consensu Ordinarii loci construere, illisque, pro earum dote ac illas pro tempore obtinentium congruâ substentatione, sufficientes redditus assignare tenearis.

1 Edit. Main. habet *quantocumque* (R. T.).

Clausulas pro firmiori emptionis validitate necessarias apponit.

§ 8. Decernentes emptionem huiusmodi semper et perpetuo validam fore et esse, tibique ac tuis praedictis (quoad omnia bona in illis comprehensa, etiamsi, ut praefertur, inter ea aliqua ecclesiastica sint, et ad quascumque ecclesias pertineant, ac illorum possessionem, necnon utile et directum dominium) semper et perpetuo suffragari debere; praesentes quoque litteras, etiamsi ex eo quod causa, seu causae, propter quam, seu quas illae a nobis emanarunt, iustificatae et verificatae non fuerint, seu quibusvis aliis ex causis, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, vel infringi nullatenus posse; sed eas semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, tibique et successoribus tuis praedictis in omnibus et per omnia plenissime suffragari; irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Et contraria quaeque tollit.

§ 9. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ de iure quaesito non tollendo, ac felicis recordationis Pauli Papae II, et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV iunii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 14 iunii 1624, pontif. anno I.

LXVII.

Confirmatio privilegiorum Congregationis Ioannis Dei sub regulâ S. Augustini, et communicatio indultorum, Ordinibus Mendicantium, et praesertim Congregationi Clericorum Regu-

larium Ministrantium infirmis, eorumque locis et personis concessorum et concedendorum [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Sacrosanctum apostolatus officium, quod humilitatem nostram, nullo licet meritorum suffragio, gerere voluit Altissimus, iugiter postulat, ut, paternam sacrarum religionum atque congregationum, uberes et suaves in militanti Ecclesiâ fructus assidue praestantium, curam gerentes, privilegia, gratias et indulta, illis a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa, non solum approbemus, verum alia eis concedamus, prout, rerum et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicimus salubriter in Domino expedire.

Comprobatio gratiarum et privilegiorum ut in rubricâ.

§ 1. Hinc est quod nos, dilectos filios fratres Congregationis Ioannis Dei sub regulâ S. Augustini, qui, sicut accepimus, ab ipso Congregationis praedictae initio multiplicia atque insignia pietatis et christianae charitatis opera erga pauperes et infirmos, in eorum hospitalibus degentes, magno cum reipublicae christianae spirituali commodo et utilitate exercuerunt, et in dies exercere non desinunt, spiritualibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis per dilectum filium Gasparem Diaz Campomanes, istius Congregationis in regnis Hispaniarum procuratorem generalem, super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia et singula privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, praerogativas, favores, conservationes, gratias, concessiones, indulgentias et indulta spiritualia et temporalia, etiam per modum communicationis et extensionis, seu aliàs per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Apostolicam Sedem, sub quacumque verborum formâ et expressione, in genere et in specie, quomodolibet concessa, ac pluries confirmata, cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, decretis et declarationibus, ac singulas litteras, tam sub plumbo, quam in formâ Brevis, aut aliàs desuper confectas, quatenus tamen sint in usu et non sint revocata, seu sub aliquibus revocationibus comprehensa, ac sacris canonibus, et Concilii Tridentini decretis non adversentur, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, ac illis perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti et quosvis alios etiam quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Communicatio praerogativarum et indultorum Ordinibus Mendicantium, et congregationi Clericorum Regularium Ministrantium infirmis concessorum et concedendorum

§ 2. Et insuper, ut fratres Congregationis huiusmodi tanto ferventius divinis beneplacitis, piorumque operum huiusmodi exercitio insistant, quanto maioribus se viderint spiritualibus gratiis fore munitos, omnia et singula privilegia, praerogativas, concessiones, favores, facultates, declarationes, conservatorias, immunitates, exemptiones, libertates, ceterasque gratias, praeeminentias et indulta, cuiusvis generis existentia, spiritualia et temporalia, qualiacumque illa sint, quae pariter sint in usu, et non sint revocata vel sub aliquibus revocationibus comprehensa, neque sacris

1 Institutionem Congregationis horum fratrum perlege in Pii V Const. CXCIV quae incipit: *Licet*, (in h. n. edit. CCXIV, tom. VII, pag. 959); et illius erectionem in veram religionem habes in Pauli V Const. CLXXIII (in h. n. edit. CLXXVI) quae incipit *Romanus*, tom. XII, pag. 3.

canonibus et Concilii Tridentini decretis aut apostolicis constitutionibus adversentur, ut praefertur [1], Ordinibus Mendicantium et congregationi Clericorum Regularium Ministrantium infirmis, eorumque conventibus, domibus et aliis locis regularibus, necnon ecclesiasticis, et dilectis filiis Ordinum et congregationis huiusmodi generalibus, praesidentibus et quibusvis aliis superioribus, praelatis et capitulis etiam generalibus, provincialibus, seu intermediis, eorumque definitoribus, prioribus, novitiis, fratribus, conversis, donatis, ac quibusvis eorum regularibus personis, tam in Urbe, quam etiam in quibuscumque mundi partibus existentibus, et illorum intuitu, aut aliàs quomodolibet, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, seu per nos et successores nostros, aut alios auctoritatem habentes, concessa sunt et concedentur, ac quibus de iure, usu, consuetudine, vel privilegio, seu concessione apostolicâ, in genere vel in specie, ac tam coniunctim quam divisim, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, ad dictam Congregationem Ioannis Dei, et singula illius monasteria, domos, hospitalia et alia loca regularia, illorumque superiores, praelatos et quascumque regulares personas, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo extendimus, illaque eis communicamus et de novo concedimus, ac suffragari volumus.

Deputatio exequutorum huius Bullae.

§ 3. Quocirca venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis, aliisque locorum Ordinariis quibuscumque, necnon dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, per praesentes committimus et mandamus, quatenus quilibet eorum, quandocumque, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte generalis et fratrum Congregationis Ioannis Dei praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant autoritate nostrâ easdem plenum eorum effectum sortiri, illisque omnes, quos concernunt, pacifice frui et gaudere; non permittentes quemquam desuper, contra praesentium tenorem, sub quovis praetextu et causâ, etiam defectu intentionis nostrae, per quoscumque quomodolibet indebite molestari; quinimmo, quicquid in contrarium attentari vel fieri continget, omnino semper in pristinum reponi [1]; contradictores quoslibet et rebelles, etiam per quascumque, de quibus eis videbitur, censuras et poenas ecclesiasticas, et alia opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII etiam praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis constitutionibus et ordinationibus, ac Ordinum et congregationum huiusmodi statutis et consuetudinibus etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro

1 Hîc deest verbum *qua*, ut videbis (B. T.).

1 Videretur legendum *reponi facientes* (B. T.).

illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, etiam quod in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus aut nonnisi sub certis modo et formâ derogari possit, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§ 5. Verum, quia difficile foret, praesentes litteras ubicumque opus esset deferri, volumus et pariter auctoritate apostolicâ decernimus, quod illarum, transumptis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX iunii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 20 iunii 1624, pontif. anno I.

LXVIII.

Prorogatio seu nova concessio indulti iuris nominandi ad canonicatus et praebendas ecclesiarum Coloniensium rectori universitatis Coloniensis, adiectis tamen nonnullis legibus per nominatos servandis[1].

Dilectis filiis nobilibus viris, consulibus et senatui civitatis et reipublicae Coloniensis,

Urbanus Papa VIII.

Dilecti filii, nobiles viri, salutem et apostolicam benedictionem.

Recenset concessiones a summis Pontificibus factas.

§ 1. Aliàs piae memoriae Paulo Papae V, praedecessori nostro, pro parte vestrâ exposito, quod pridem felicis recordationis Clemens Papa VIII, similiter praedecessor noster (cum accepisset, quod antea recolendae memoriae Paulus Papa IV, etiam praedecessor noster, certis tunc expressis causis adductus, rectori et decanis quatuor facultatum universitatis studii generalis Coloniensis, consilioque illius facultatis, ex qua persona nominanda esset, apostolicâ auctoritate indulserat, ut cum provisoribus eiusdem universitatis personas assumere possent in eâdem universitate promotas, ac in publicis scholis eiusdem universitatis legentes et lecturas, quas ipsi rector ac decani et provisores, praestito iuramento, unanimi consilio illius facultatis in qua legerent vel legere deberent, ad id more solito congregati idoneas et catholicas esse, ac ad laudem et fructum studiorum profiteri posse cognoscerent, easque dilectis filiis maioris et aliarum ecclesiarum dictae civitatis capitulis, ad quos canonicatuum et praebendarum in eisdem ecclesiis consistentium collatio, provisio, praesentatio, electio, institutio, seu quaevis alia dispositio, communiter vel divisim, vel aliàs quomodolibet pertineret, dictae videlicet et maioris et S. Gereonis Coloniensis, ad presbyterales tantum, ad reliquos vero aliarum ecclesiarum praedictarum canonicatus et praebendas, qui inde ad triennium tunc venturum in singulis martii, iulii et novembris mensibus Sedi Apostolicae per concordata Germanicae

Paulus IV rectori universitatis Coloniensis concessit ad triennium indultum praesentandi ad canonicatus in cathedrali, aliisque ecclesiis Coloniensibus.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

nationis cum ipsâ Sede inita reservatis vacassent, nominare valerent eis, ad quos illorum collatio, praesentatio, electio et dispositio huiusmodi spectaret; et deinde dictum triennium semel atque iterum piae memoriae Pius Papa IV et Pius V, etiam praedecessores nostri, ad simile triennium prorogaverant, et indultum praedictum etiam ad maiorem post pontificalem, et principales, aliasque dignitates, personatus, administrationes et officia etiam curata, nec non vicarias et cappellanias perpetuas maioris et collegiatarum aliarum ecclesiarum Coloniensium, quae in praedictis mensibus intra ipsum tempus vacarent, ampliaverant; et successive recolendae memoriae Gregorius Papa XIII, similiter praedecessor noster, triennium, a praedicto Pio V praedecessore prorogatum vel concessum, ad aliud triennium primo, et deinde ad quinquennium, aliàs iuxta formam litterarum indulti Pauli IV praedecessoris praedicti dumtaxat, extenderat, vel etiam concesserat; et deinde idem quinquennium, ab eo prorogatum vel concessum, ad aliud quinquennium ab illius fine numerandum extenderat et ampliaverat; si vero lapsum esset quinquennium novum huiusmodi, ad hoc, ut ipso novo quinquennio durante rector, decani et provisores praedicti ad presbyterales maioris[1] et S. Gereonis tantum, ad omnes vero alios reliquarum ecclesiarum Coloniensium canonicatus et praebendas dumtaxat, personas nominare possent, de novo concesserat; et successive similis memoriae Sixtus Papa V, etiam praedecessor noster, quinquennium, ab eodem Gregorio praedecessore ultimo prorogatum seu concessum, ad quadriennium a fine ultimo prorogati seu concessi quinquennii huiusmodi incohandum extenderat et ampliaverat; si vero lapsum esset novum quadriennium huiusmodi, ad hoc, ut ipso durante, rector, decani et provisores ad presbyterales maioris[1] et S. Gereonis, ad omnes vero alios reliquarum ecclesiarum Coloniensium canonicatus et praebendas dumtaxat, qui interim in aliquo ex tribus mensibus praedictis extra Romanam curiam vacarent, et aliàs iuxta formam et tenorem litterarum Pauli praedecessoris praedicti tantum, personas, ut praefertur, qualificatas nominare, et alia in litteris dicti Pauli IV praedecessoris contenta facere possent indulserat; ita tamen, ut personae sic nominatae, intra sex menses a die provisionis, collationis, seu alterius cuiusvis dispositionis de dictis canonicatibus et praebendis in vim nominationis huiusmodi factae[2] numerandos, novas provisiones de eisdem canonicatibus et praebendis a dictâ Sede petere, et litteras apostolicas desuper sub plumbo in totum expedire[3], ac iura camerae apostolicae et aliis propterea debita persolvere omnino tenerentur; et nisi praemissa adimplerent, ipso semestri elapso, iidem canonicatus et praebendae vacarent eo ipso, et sic vacantes per Sedem Apostolicam dumtaxat aliis quibusvis personis conferri libere possent; volens, ut rector et alii praedicti huiusmodi ius nominandi habentes, sive ecclesiastici sive laici, fidem catholicam, iuxta articulos pridem ab eâdem Sede propositos, in manibus archiepiscopi seu officialis Coloniensis pro tempore existentis, annis singulis profiteri tenerentur, alioquin nominationes ab iis faciendae, et inde sequuta omnia, nullius essent valoris vel momenti[4]), ipse etiam Clemens praedecessor, certis tunc expressis de causis,

Terminum huiusmodi prorogarunt Pius IV et Pius V,

Gregorius XIII,

Sixtus V,

Clemens VIII,

1 Erronee edit. Main. legit *maiores* (R. T.).

1 Nempe *ecclesiae:* iterum edit. Main. legit *maiores* (R. T.).

2 Sic porro, nam prorsus non intelligo verbum *facere* quod habet edit. Main. (R. T.).

3 Heic forsan legendum *expediri facere* (R T.).

4 Omnes hucusque nominatae intra parenthesin Pauli IV, Pii IV, Pii V, Greg. XIII. et Sixti V de studio generali Coloniensi constitutiones puto exulare e *Bullario* (R. T.).

tempus quadriennii, per dictum Sixtum praedecessorem prorogati seu de novo concessi, de consilio venerabilium fratrum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium congregationis Germaniae, bis ad aliud quinquennium extenderat et prorogaverat, et quatenus lapsum esset idem indultum, de novo concesserat, iuxta formam litterarum Pauli IV praedecessoris praedicti; ita tamen, ut prioris huiusmodi indulti prorogatio seu concessio non extenderetur ad canonicatus et praebendas ecclesiae metropolitanae, ad vicarias vero tam[1] dictae metropolitanae, quam aliarum ecclesiarum omnium dictae civitatis, etiam ad eos, qui in aliâ quam in Coloniensi academiâ gradum suscepissent, illud extensum esse voluerat et extenderat ac ampliaverat; volens et inhibens (si aliquis nominatus beneficium, ad quod nominatus fuisset, resignare vellet) ne ullomodo, nisi in manibus Romani Pontificis, aut nuncii apostolici in dictâ civitate pro tempore degentis, huiusmodi beneficium in favorem alterius, a rectore et decanis praedictis nominandi, nec per resignationem illud nec per permutationem dimittere posset; quodque, nonnisi servato inter competitores concursu, a sacro Concilio Tridentino in collationibus parochialium ecclesiarum praescripto, ad canonicatus et praebendas praedictos nominare et conferre deberent, ac nominantes iurare se digniorem et ad profitendi[2] munus magis aptum praelaturos, ac vicissim eum, quem praeferri contigisset, iurare, se iniunctum sibi profitendi officium diligenter praestiturum; deinde vero ex causis praedictis dictus Clemens praedecessor indultum huiusmodi iterum ad aliud quinquennium prorogaverat, extenderat, seu concesserat[3], decreveratque huiusmodi canonicatus et praebendas nonnisi personis in aliquâ ex dictis universitatibus idoneis repertis, qui iureiurando ad profitendi[1] munus diligenter exercendum sese adstringerent, dumtaxat conferri, ac canonicatus et praebendas praedictos per eos huiusmodi nominationis vigore obtinendos (nonnisi in manibus Romani Pontificis pro tempore existentis, cum specificâ mentione quod illos vigore huiusmodi nominationis consequuti essent) resignari vel aliàs dimitti nullatenus posse, alioquin canonicatus et praebendae huiusmodi vacarent eo ipso, ita ut de illis per Sedem Apostolicam dumtaxat disponi posset[2]:

Et Paulus V.

Idem Paulus V praedecessor, supplicationibus vestro nomine sibi humiliter porrectis inclinatus, indultum huiusmodi vobis a praedicto Clemente praedecessore concessum, ac desuper expeditas litteras praedictas, ad aliud quinquennium, a fine quinquennii ultimo dicti a Clemente praedecessore concessi computandum, auctoritate apostolicâ extendit et prorogavit, nihilominus sine praeiudicio tunc et pro tempore existentis archiepiscopi Coloniensis, dilectis filiis rectori ac decanis quatuor facultatum in dictâ universitate canonice institutarum, et consilio illius ex facultatibus huiusmodi cuius persona iuxta formam litterarum Pauli IV praedecessoris nominanda fuisset, etiam pro tempore existentibus, unâ cum dilectis filiis provisoribus ipsius universitatis, ut personas in eâdem universitate promotas et legentes ac lecturas (quas ipsi rector et decani ac provisores, medio eorum iuramento, unâ cum consilio facultatis huiusmodi, in qua personae ipsae legerent et legere deberent, ad hoc more solito convocato, idoneas et catholicas esse, ac

1 Sic non dubito legendum pro *tamen* quod habet edit. Main. (R. T.).

2 Edit. Main. legit *profitendum* (R. T.).

3 Etiam Clem. VIII litteras puto deesse (R. T.).

1 Item edit. Main. legit *profitendum* (R. T.).

2 Hucusque venit protasis periodi (R. T.).

cum laude et fructu inibi pro tempore studentium profiteri posse affirmarent; ita ut si controversia in nominando inter rectorem et decanos, necnon provisores, ac etiam consilium huiusmodi exorta fuisset, ille, quem maior pars votis suis praeferenda putasset, praeferretur) dilectis filiis maioris et S. Gereonis ac aliarum ecclesiarum Coloniensium capitulis, ad quos canonicatuum et praebendarum in eisdem ecclesiis consistentium collatio, provisio, praesentatio, electio, institutio, seu quaevis alia dispositio coniunctim vel separatim, vel aliàs quomodolibet, cessantibus reservationibus et affectionibus apostolicis, pertinebat, videlicet ad presbyterales tantum maioris et S. Gereonis (ita ut nominandae personae secundum eorum statuta et privilegia eorum capitulis concessa qualificatae essent), ad omnes vero et singulos alios canonicatus et singulas praebendas reliquarum ecclesiarum huiusmodi, quae ex tunc ad quinquennium tunc proxime futurum, a fine ultimi quinquennii per Clementem praedecessorem prorogati seu concessi computandum, in singulis martii, iulii et novembris mensibus pro tempore vacassent, et vacare contingeret, nominare libere et licite valerent, dictâ auctoritate concessit et indulsit; ac statuit et ordinavit, quod ii, ad quos collatio, provisio, praesentatio, electio, institutio vel quaevis alia dispositio canonicatuum et praebendarum huiusmodi pro tempore spectaret, canonicatus et praebendas, quos personae ad illos sic nominatae per se vel procuratorem suum ad hoc ab eis specialiter constitutum infra unius mensis spatium, postquam eis vel procuratori suo illarum vacatio innotuisset, duxissent acceptandos, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, eisdem nominatis personis conferre, et de eis etiam providere, seu eas ad illos praesentare vel eligere, aut in illis instituere, vel aliàs de illis in earumdem personarum nominatarum favorem disponere tenerentur; quodque iis praemissa facere recusantibus vel negligentibus, aut differentibus etiam, pro tempore existens abbas S. Martini Coloniensis, ac decanus ecclesiae S. Pauli Leodiensis et, qui haereticae pravitatis inquisitor in illis partibus apostolicâ auctoritate deputatus existit, prior domus Ordinis fratrum Praedicatorum etiam Coloniensium, et eorum quilibet, canonicatus et praebendas, sic vacantes, personis ad illos, ut praefertur, nominatis pro eâ vice tantum eâdem auctoritate conferre et de illis etiam providere pariter libere et licite possent; et quod ab eisdem personis sic pro tempore nominatis, in actu nominationis de iis pro tempore factae, in qua facultate, et in quo gymnasio, et qua horâ illi docere seu legere deberent, exprimeretur, et si a praemissis defecissent, post primam et secundam monitiones eis desuper factas, a perceptione fructuum, reddituum et proventuum praebendarum, quas vigore nominationum et collationum huiusmodi tunc assequuti fuissent, per abbatem et decanum ecclesiae S. Pauli Leodiensis et priorem praedictos, aut aliquem ex eis, ad requisitionem illis per rectorem et decanos facultatum et provisores universitatis huiusmodi faciendam, suspenderentur, et, si suspensionem huiusmodi per mensem animo sustinuissent indurato, iisdem praebendis ipso facto et cum effectu privarentur, et pro privatis haberentur, et statim de illis aliis personis modo et formâ praemissis provideretur; verum si personae nominatae praedictae in aliquam suspicionem haeresis incidissent, in eas per inquisitores haereticae pravitatis in illis partibus eâdem auctoritate deputatos absque ullâ morâ inquireretur; et, si illae compertae fuissent haeresi huiusmodi infectae, alii catholici ad beneficia per illos obtenta simili modo nominarentur: et sub-

indè quinquennium huiusmodi ad aliud quinquennium a fine ultimo dicti quinquennii computandum semel atque iterum extendit et prorogavit, seu concessit et indulsit[1].

Et Gregorius XV.

Postremo autem felicis etiam recordationis Gregorius Papa XV, similiter praedecessor noster, per suas in simili formâ Brevis expeditas litteras, indultum praedictum, vobis ad quinquennium, ut praefertur, prorogatum, ac desuper confectas litteras huiusmodi et in eis contenta (ita tamen, ut huiusmodi indultum canonicatus et praebendas ecclesiae metropolitanae Coloniensis minime comprehenderet, neque ad eos se extenderet, ac sine praeiudicio dicti tunc et pro tempore existentis archiepiscopi Coloniensis, ac aliàs sub certis modo et formâ tunc expressis) ad aliud quinquennium etiam de novo concessit, prout in dictis litteris plenius etiam continetur[2].

Consules et senatus Colonienses ab Urbano quoque petunt prorogari.

§ 2. Cum autem indultum huiusmodi per nostras et cancellariae apostolicae regulas revocatum fuerit, et, sicut nuper nobis exponi fecistis, causae, propter quas a praefato Paulo IV primo loco concessum, et ab aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris praedictis, ut supra, prorogatum, ac expresse de novo concessum fuerat, conservationis nimirum catholicae religionis in istâ civitate Coloniensi, adhuc vigeant; vosque cupiatis ad catholicorum virorum studia in istis partibus alenda et allicienda huiusmodi indulto diutius frui posse: nobis propterea humiliter supplicari fecistis, ut illud vobis ad aliud quinquennium de novo concedere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Prorogat Pontifex.

§ 3. Nos igitur, singularum litterarum praedictarum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum sufficienter insertis habentes, ac vos et vestrum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad praemissorum effectum dumtaxat assequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac quascumque nominationes sive collationes de canonicatibus et praebendis huiusmodi, per vos post publicationem regularum huiusmodi usque ad diem datae praesentium praetextu indulti huiusmodi per vos forsan factas[1], et omnia et singula inde sequuta revocantes, cassantes et annullantes, ac irritantes, nullique suffragari posse seu debere decernentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, indultum praedictum, vobis per dictum Gregorium praedecessorem ad quinquennium, ut praefertur, de novo concessum, ac desuper confectas litteras praedictas et in eis contenta (ita tamen, ut huiusmodi indultum canonicatus et praebendas ecclesiae metropolitanae Coloniensis minime comprehendat, nec ad eos se extendat, ac sine praeiudicio venerabilis fratris moderni et pro tempore existentis archiepiscopi Coloniensis) cum omnibus et singulis aliis facultatibus, concessionibus, ordinationibus, clausulis et decretis in illis appositis, ac servatâ in aliis omnibus et per omnia earumdem Gregorii XV praedecessoris litterarum huiusmodi formâ, ad aliud quinquennium, a datâ praesentium computandum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, de novo concedimus.

Sic per quoscumque iudices decerni iubet.

§ 4. Sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et

1 Hîc tandem prima periodus absolvitur. Porro tota Pauli V Constitutio praedicta etiam deesse puto (R. T.).

2 Gregorii etiam XV litterae praedictae desiderantur (R. T.).

1 Erronee edit. Main. legit *factis* (R. T.).

sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et nuncios, quavis auctoritate fungentes (sublatâ eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari ac definiri debere: irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Clausulas apponit.

§ 5. Decernentes etiam, vos, quinquennio per praesentes concesso durante, indulto ac desuper confectis litteris praedictis libere et licite uti posse, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Servitium vero ecclesiae per substitutos praecipit adimpleri.

§ 6. Volumus autem, et earumdem tenore praesentium ordinamus, ne ecclesiae, in quibus personae nominatae huiusmodi vigore nominationum aut collationum praedictarum canonicatus et praebendas praedictos obtinuerint, ob earum impedimentum in legendo debitis defraudentur obsequiis, aut cultus divinus in illis minuatur, ut eaedem personae, si illis eâ horâ, qua ipsa divina officia celebrabuntur, legendum fuit[1], tunc per idoneos substitutos inibi deserviri facere possint, et ita deserviendo pro residentibus et inservientibus habeantur, ac distributiones quotidianas lucrentur in omnibus et per omnia, perinde ac si personaliter deservirent, diebus dominicis et festivis principalioribus (videlicet: Domini Nostri Iesu Christi et gloriosissimae Virginis, Beatorum Apostolorum, et, in quorum honorem dedicatae sunt dictae ecclesiae, aliorumque Sanctorum, quorum dies in singulis eisdem ecclesiis solemnes ac celebres habentur) exceptis, quibus eis[2] non per substitutos praedictos, sed per se ipsos personaliter deservire teneantur;

Alias apponit leges.

§ 7. Quodque huiusmodi canonicatus et praebendae personis ad profitendum in aliquâ ex dictis universitatibus idoneis repertis, qui iureiurando ad profitendi munus diligenter exercendum sese astringant, dumtaxat conferantur, ipsaeque personae praedictos canonicatus et praebendas, per eas huiusmodi nominationis vigore obtinendos, nisi in manibus nostris, aut pro tempore existentis Romani Pontificis, cum specificâ mentione quod illos vigore nominationis huiusmodi consequuti sunt, resignare aut aliàs dimittere nullatenus possint, alioquin canonicatus et praebendae huiusmodi vacent eo ipso, ita ut de illis per Sedem Apostolicam dumtaxat disponi possit; utque personae sic nominatae praedictae, infra sex menses a die collationis et provisionis aut cuiusvis alterius dispositionis de canonicatibus et praebendis, ad quos illas nominari contigerit, sibi faciendarum, ut praefertur, novas provisiones super illis a dictâ Sede impetrare, et litteras apostolicas desuper in totum expedire, ac iura camerae apostolicae et aliis propterea debita persolvere omnino teneantur; alioquin, dictis sex mensibus elapsis, canonicatus et praebendae huiusmodi vacent eo ipso, ita ut aliis, per eamdem Sedem tamen, libere conferri possint.

Derogat obstantibus.

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum praedictarum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ecclesiis et capitulis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibus et aliis decretis, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua et expressa, ac de verbo ad ver-

1 Potius legeretur *fuerit* (R. T.).

2 Vides potius *illi* quam *eis* legendum (R.T).

bum; non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio vel aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI iunii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 26 iunii 1624, pontif. anno I.

LXIX.

Confirmatio privilegiorum Ordini fratrum Minimorum S. Francisci de Paulâ concessorum.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Iniuncti nobis apostolici muneris ratio postulat, ut sacrarum religionum in militanti Ecclesiâ suaves in Domino fructus assidue praestantium paternam curam gerentes, privilegia, gratias et indulta illis a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris et Apostolicâ Sede concessa, quo validius perpetuo subsistant, apostolicae confirmationis robore libenter communiamus.

Confirmatio, de qua in rubrica. § 1. Volentes igitur universum Ordinem fratrum Minimorum S. Francisci de Paulâ, ex quo uberrimi in eâdem Dei Ecclesiâ fructus ad ipsius omnipotentis Dei laudem et christianae reipublicae spirituale commodum et utilitatem, ab ipsius Ordinis initio, semper prodierunt et in dies prodeunt, ac ipsius Ordinis correctorem generalem et fratres universos specialibus favoribus et gratiis prosequi, ac eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eorum nomine per dilectum filium Deodatum Lomellinum, fratrem et procuratorem generalem eiusdem Ordinis, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia et singula privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, praerogativas, favores, conservationes, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessiones, indulgentias et indulta spiritualia et temporalia, etiam per modum communicationis et extensionis inter se et cum aliis Ordinibus Mendicantium et non Mendicantium, eidem Ordini Minimorum, eiusque correctori generali, ac fratribus et sororibus, aliisque religiosis utriusque sexus, eorumque domibus, monasteriis, ecclesiis et locis regularibus quibuscumque, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Apostolicam Sedem, sub quibuscumque verborum formis et expressionibus, in genere vel in specie, aut aliàs quomodolibet concessa, ac pluries confirmata, cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, decretis et declarationibus, ac singulas litteras, tam sub plumbo quam in formâ Brevis, aut aliàs, desuper confectas, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, quatenus tamen sint in usu et non sint revocata, seu sub aliquibus revocationibus comprehensa, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis non adversentur, ex certâ nostrâ scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae. § 2. Ac omnes et singulos tam iuris

quam facti defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus.

Deputatio exequutorum.

§ 3. Quocirca venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis, aliisque locorum Ordinariis quibuscumque, necnon dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, per praesentes committimus et mandamus, quatenus quilibet eorum, quandocumque fuerint requisiti, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte correctoris generalis et fratrum praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant easdem plenum eorum effectum sortiri, illisque[1] omnes quos concernunt, pacifice frui et gaudere; non permittentes quempiam desuper, contra praesentium tenorem, sub quovis praetextu et causâ, etiam defectu intentionis nostrae, per quoscumque quomodolibet indebite molestari, quinimo quicquid in contrarium attentari vel fieri contingat, omnino semper in pristinum reponi[2]; contradictores quoslibet et rebelles etiam per quascumque, de quibus eis videtur, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportunâ iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac, legitimis super his habendis servatis processibus, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII etiam praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dictis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis constitutionibus et ordinationibus, ac Ordinum praedictorum statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacissimis et insolitis clausulis, quomodolibet, etiam pluries, concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, etiam quod in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus, aut nonnisi sub certis modo et formâ derogari possit, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, motu, scientiâ et auctoritate similibus derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides transumptorum.

§ 5. Verum, quia difficile foret praesentes litteras, ubicumque opus esset, deferri, volumus, et pariter auctoritate apostolicâ decernimus, quod illarum transumptis, manu alicuius ex secretariis cuiusvis praedictorum praelatorum generalium, ac Romanae curiae commissarii, et successorum, aut notarii publici subscriptis, et sigillo officii alterius eorumdem, aut personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae, seu curiae ecclesiasticae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maio-

1 Edit. Main. legit *illosque* (R. T.).
2 Subintellige *facientes* (R. T.).

rem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII iunii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 28 iunii 1624, pontif. anno I.

LXX.

Lucas Antonius Virili commissarius apostolicus deputatur, ut intersit actis a Francisco Maria de Rovere Urbini duce faciendis, litterisque scribendis ab ipso ad fidelitatis iuramentum ab arcium sui dominii praefectis et gubernatoribus locorum Romano Pontifici et reverendae camerae apostolicae praestandum necessariis[1].

Dilecto filio magistro Lucae Antonio Virili, in utrâque signaturâ nostrâ referendario, Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Urbini duce arcium dominii praefectis et locorum gubernatoribus iubente, ut fidelitatis iuramentum praestent Pontifici;

§ 1. Cum dilectus filius nobilis vir Franciscus Maria de Rovere Urbini dux omnibus et singulis propugnaculorum sive fortalitiorum et arcium praefectis, seu castellanis, necnon gubernatoribus et aliis officialibus armorum, civitatum et locorum ducatus seu Status Urbini, necnon civitatum Pisaurensis et Senogalliensis, ac Status Montisferetrani, ut fidelitatis, aliaque iuramenta in nostrum et camerae apostolicae favorem praestent coram notario et testibus praecipere et mandare, ac successive litteras, ad iura nostra et Sedis et camerae apostolicae super ducatu et Statu Urbini et civitatibus Pisaurensis et Senogalliensis et Statu Montisferetrano praedictae[2] ac iuramenta praedicta et alia nonnulla attinentes, ad nos similiter coram notario et testibus, certis modo et formâ quibus hodie dux praedictus ad subscriptionem utitur, subscribere, dare et mittere intendat[3]:

§ 2. Idcirco nos, de tuâ fide, prudentiâ et integritate plurimum in Domino confisi, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut ad dictum Franciscum Mariam ducem te personaliter conferas, ac mandatis, praeceptis, eorumque et litterarum praedictarum subscriptionibus, per eumdem Franciscum Mariam ducem, ut praefertur, dandis et faciendis, nostro et Sedis Apostolicae nomine praesens sis, et assistas: super quibus omnibus et singulis plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem tibi concedimus et impertimur.

Urbanus Antonium Virilem deputat, ut huiusmodi actis adsit, litterasque recipiat.

§ 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX iunii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I[4].

Contraria tollit.

Dat. die 29 iunii 1624, pontif. anno I.

LXXI.

Sequitur facultas eisdem apostolicis commissariis recipiendi fidelitatis iuramentum a gubernatoribus, aliisque officialibus Status Urbini sanctae Sedi Apostolicae praestandum.

Dilecto filio Francischino a Cascia, Ordinis Minorum Conventualium vicario generali, Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Cupiente ipso duce ut gubernatores et alii officiales fidelitatis iuramentum Sedi Apostolicae praestent;

§ 1. Cum dilectus filius nobilis vir Franciscus Maria Urbini dux, provide considerans, ducatum Urbini, necnon civitates Senogalliensem et Pisaurensem et S. Leonis cum terrâ et arce Maioli, ac totum Statum Montisferetranum, aliaque dominia, civitates, oppida, castra, terras, arces, pro-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Videretur legendum *praedictis* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *intendet* (R. T.).

1 Eiusdem exempli Breve expeditum fuit fratri Felici Francischino a Cascia Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Conventualium vicario apostolico generali.

pugnacula, seu fortalitia et loca quaecumque etiam speciali notâ et expressione digna, in et sub Statu dicti ducatus Urbini ad praesens quomodolibet comprehensa, eius antecessoribus dudum a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris in feudum data et concessa, seu aliàs per eum quomodolibet possessa, per obitum suum sine liberis et descendentibus masculis, legitimis et naturalibus, ob lineam finitam, cum omnibus eorum territoriis, districtibus, iurisdictionibus, membris, iuribus et pertinentiis universis (excepto Castro Podii Hibernorum, et aliis bonis non feudalibus, neque iurisdictionalibus, relaxatis et reservatis duci praefato, eiusque haeredibus et successoribus in instrumento concordiae celebrato sub die xxx aprilis proxime praeteriti) aperta, ac ad nos et Romanam Ecclesiam, Sedemque, et cameram Apostolicam reversa et devoluta iri, cupiat suam erga nos et hanc sanctam Sedem Apostolicam fidem et devotionem, qua semper in nostro et eiusdem Sedis conspectu claruit, uberioris voluntatis suae significatione omnibus testatam relinquere; et propterea (ut postquam viam universae carnis, ita disponente Domino, ingressus fuerit, illico civitates ac oppida, terrae, castra, arces, propugnacula, sivè fortalitia et alia loca praedicta Status huiusmodi, illorumque possessio vacua et expedita, pacifice et sine strepitu armorum nobis, Sedique necnon camerae praedictis tradantur et consignentur, ac ut armorum gubernatores, castellani, seu praefecti arcium, necnon alii quicumque officiales, quocumque nomine nuncupati, quibus superintendentia et cura principalis, ab alio militiae officiali non dependens, armorum et militum cuiuscumque civitatis, arcis, oppidi, fortalitii et loci incumbit, eorumque et cuiuslibet ipsorum existentes locumtenentes ad id paratiores sint) ut nobis domino directo ducatus et statuum praedictorum, et Romanae Ecclesiae, Sedique et camerae praedictis in nostris seu personae a nobis deputandae manibus fidelitatis praestent iuramentum, intendat:

Pontifex commissarios apostolicos deputat, qui illud recipiant.

§ 2. Nos, promptam et devotam ipsius Francisci Mariae ducis fidem et devotionem huiusmodi plurimum in Domino commendantes, necnon de tuâ fide, prudentiâ, integritate, ac in gravissimis rebus gerendis experientiâ plurimum in Domino confisi, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi, ut a gubernatoribus armorum, castellanis, seu praefectis arcium, et aliis quibuscumque officialibus, quocumque nomine nuncupatis, quibus superintendentia et cura principalis, ab alio militiae officiali non dependens, armorum et militum cuiuscumque civitatis, arcis, oppidi, fortalitii et loci incumbit, eorumque et cuiuslibet ipsorum locumtenentibus existentibus supradictis, et eorum singulis, quandocumque fidelitatis, et alia quaecumque iuramenta, iuxta formam tibi traditam, cum omnibus et singulis in eâ contentis recipere, et ad hunc effectum, si opus fuerit, et quotiescumque tibi videbitur, quemcumque seu quoscumque idoneum seu idoneos notarium[1] seu notarios vel tabelliones tibi benevisos eligere, necnon gubernatores armorum, castellanos, arcium praefectos et alios quoscumque officiales, eorumque et cuiuslibet ipsorum locumtenentes existentes praefatos, ad iuramenta huiusmodi, in casu eorum mutationis, a futuris eorum successoribus recipienda[2], deputare, ceteraque omnia et singula in praemissis, et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna, etiamsi talia sint vel fuerint, quae magis specialem, specificam et expressam requirerent

1 Perperam ed. Main. legit *notariorum* (R. T.).
2 Erronee ipsa edit. habet *recipiendis* (R. T.).

mentionem, facere, dicere, gerere et exequi libere et licite possis et valeas, tenore praesentium, plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritâtem concedimus et impertimur.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I iulii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I[1].

Dat. die 1 iulii 1624, pontif. anno I.

LXXII.

Devoluto ad cameram apostolicam Urbini ducatu, mandatur nonnullis delegatis, curent eos in fortalitia et arces eiusdem ducatus admitti, qui ab haeredibus defuncti ducis Francisci Mariae de Rovere ad inventarium tormentorum, armorum, ceterarumque rerum conficiendum designabuntur[2].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Cum, post obitum ducis Francisci Mariae de Rovere, Urbini ducatus ad cameram apostolicam devolvatur;

§ 1. Considerantes ducatum Urbini, necnon civitates Senogalliensem et Pisaurensem, et S. Leonis, cum terrâ et arce Maioli, ac totum Statum Montisferetanum, aliaque dominia, civitates, oppida, terras, castra, propugnacula, fortalitia et loca quaecumque, etiam speciali notâ et expressione digna, in et sub Statu dicti ducatus Urbini ad praesens quomodolibet comprehensa, et dilecti filii nobilis viri Francisci Mariae Urbini ducis antecessoribus dudum a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris in feudum sub pactis et conditionibus in investituris desuper factis contentis et expressis data et concessa, seu aliàs per ipsum Franciscum Mariam ducem quomodolibet possessa, per obitum dicti Francisci Mariae ducis sine liberis et descendentibus masculis legitimis et naturalibus, ob lineam finitam, unâ cum omnibus eorum territoriis, districtibus, iurisdictionibus, fortalitiis, sive propugnaculis, membris, iuribus et pertinentiis universis (excepto Castro Podii Hibernorum et aliis bonis non feudalibus, nec iurisdictionalibus, relaxatis et reservatis duci praedicto, eiusque haeredibus et successoribus in instrumento concordiae celebrato sub die XXX aprilis proxime praeteriti), ita disponente Domino, aperta, ac ad nos et Romanam Ecclesiam, Sedemque et cameram Apostolicam reversa et devoluta iri:

Pontifex nonnullos deputat, qui curent personas, ab haeredibus ultimi ducis mittendas pro inventario conficiendo, in arces et fortalitia recipi.

§ 2. Idcirco, motu proprio et ex certâ scientiâ nostrâ, futuro eiusdem ducatus nostro et Sedis Apostolicae legato, seu gubernatori, necnon venerabili fratri Ioanni archiepiscopo Adrianopolitano provinciae Marchiae, et dilectis filiis magistro Fabritio Verospio cappellano nostro, et causarum palatii apostolici auditori, civitatis Perusiae ac provinciae Umbriae gubernatoribus, necnon Hieronymo Vidono, camerae nostrae apostolicae clerico, provinciae nostrae Romandiolae presidi, necnon eorumdem gubernatoris et praesidis[1] in officio successoribus, per praesentes committimus et mandamus, ut habitâ per eos ducatus, civitatum, dominiorum et aliorum praedictorum, liberâ, reali et pacificâ possessione, castellanis, seu praefectis arcium, fortalitiorum, sive propugnaculorum ducatus, civitatum, dominiorum, et aliorum locorum huiusmodi, auctoritate nostrâ praecipiant et mandent, ut ipsi in arces et fortalitia et sive propugnacula eorum curae commissas et commissa personas a futuris dicti Francisci Mariae ducis haeredibus et successoribus mittendas, et iam forsan destinatas, recipiant et admittant ad effectum inventarium et de-

1 Eiusdem exempli Breve expeditum fuit praefato quoque Lucae Antonio Virili.

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Ed. Main. legit *gubernatori et praesidi* (R.T).

scriptionem tormentorum bellicorum, armorum et aliarum munitionum, in dictis arcibus, fortalitiis, sive propugnaculis existentium, unâ cum ministris nostris conficiendi, ceteraque omnia et singula, quae pro complemento et totali exequutione concordiae praedictae nomine nostro cum eodem Francisco Maria duce seu eius ministris et pro eo agentibus sub die XXX aprilis proxime praeteriti initae et celebratae necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I iulii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 1 iulii 1624, pontif. anno I.

Idem sequenti anno negocium commissum legitur exarcatus Ravennae praesidi, et provinciae Marchiae gubernatori, altero quidem Brevi eiusdem exempli, cuius summam tantummodo referendam esse censuimus.

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Considerantes, etc., Adrianopolitano provinciae nostrae Romandiolae, et exarcatus Ravennae presidi, ac dilecto filio magistro Diomedi Varesio in utrâque signaturâ nostrâ referendario provinciae nostrae Marchiae Anconitanae gubernatori, necnon eorumdem praesidis et gubernatoris in officio successoribus, etc.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI martii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

LXXIII.

Confirmatur decretum regis Hispaniarum circa modum inquirendi de nobilitate et puritate sanguinis [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Philippi regis decretum.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, quod ipse, ad obviandum molestiis atque expensis, quae in sumendis in regnis Hispaniarum informationibus super nobilitate et puritate sanguinis proveniebant, sub die X februarii MDCXXIII statuit et decrevit, ut in lineâ sive lineis, in quibus tres actus positivi nobilitatis vel puritatis sanguinis legitime facti reperientur, perinde habeantur ac si in rem iudicatam et exequutioni demandatam transiverint, in vimque trium actuum huiusmodi ius reale ipsi personae, eiusque per lineam rectam et, ut praefertur, probatam, descendentibus, acquiratur ad hoc, ut in lineis, super quibus emanarunt lineae huiusmodi, pro nobilibus et idoneis qualificatae sint et esse censeantur, absque eo quod quicquam aliud, quam personarum de lineis, pro quibus actus huiusmodi emanarunt, descendentiam, probare minime teneantur; idemque etiam intelligi voluit, licet actus praedicti in diversis collegiis, tribunalibus, communitatibus, seu uno ex eis dumtaxat adquisiti fuerint; cum hoc tamen, ut actuum praedictorum acquisitio ad hunc effectum nullatenus suffragetur, nisi iidem actus in sancto inquisitionis Officio comprehensis illius familiaribus, ac trium Ordinum militarium consilio, seu hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, necnon ecclesiae Toletanae, aut quatuor Salamantinae et uno oppidi de Alcalà Toletanae dioecesis, ac reliquo civitatis Vallisoletanae maioribus collegiis proveniant. Et quia in aliis negociis super re iudicatâ novae interdum, sive per instrumenta de novo reperta, sive ob falsitatem, seu alias ob causas, lites renovantur, voluit idem Philippus rex, ut tres actus modo et formâ praemissis qualificati in rem transeant

iudicatam, iusque praetendentibus acquiratur, eidemque rei iudicatae stetur, et ius illius vigore acquisitum valeat, etiamsi defectus, qui impedimentum afferre potuisset, si prius innotuisset, postea detegatur, et aliàs prout in decreto, seu statuto desuper facto plenius dicitur contineri.

Qui illud pontificiâ auctoritate petit roborari.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Philippus rex plurimum cupiat, statutum, seu decretum huiusmodi pro firmiori illius observatione apostolicae nostrae confirmationis robore communiri;

Confirmat Urbanus.

§ 3. Nos, eiusdem Philippi regis votis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, supplicationibus eiusdem nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, statutum seu decretum huiusmodi, omniaque et singula in illo contenta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; insuper, auctoritate et tenore praedictis, statuimus, ut is etiam pro actu positivo habeatur, qui per informationes collegii Hispalensis fiet, non secus ac si per collegiorum praedictorum informationes factus fuisset, quodque tres actus positivi, qui pro qualificandâ nobilitate requiruntur, unus necessario ex praedicto Ordinum militarium consilio sit et esse debeat.

Clausulas apponit.

§ 4. Decernentes praesentes litteras, omniaque et singula in eis contenta, valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Et derogat obstantibus.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quarumvis ecclesiarum etiam cathedralium et metropolitanarum, necnon militiarum et ordinum quorumcumque (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v iulii MDCXXIV pontificatus nostri anno I.

Dat. die 5 iulii 1624, pontif. anno I.

LXXIV.

Revocatis Pauli V litteris, quibus provincias de Peraiba, Itamaraca, Riogrande, et Maranham provinciae de Pernambuco univerat, eaedem provinciae ecclesiae S. Salvatoris restituuntur[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Romanus Pontifex a Salvatore et Domino nostro, qui charitas est et Deus pacis, super universas orbis ecclesias et provincias constitutus, ut iuxta verbum propheticum noxia evellat et destituat, utiliaque et salubria plantet et aedificet, ea interdum, quae certis etiam rationabilibus ex causis a Sede Apostolicâ sancita sunt, ipsâ

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

subinde rerum experientiâ suadente, et ex maioribus causis, quibus praesertim episcoporum auctoritati et iurisdictioni ad visitationis, correctionis et iustitiae ministerium fructuosius exercendum, necnon animarum saluti, litibusque, ac controversiis inter eosdem episcopos, et alios christifideles in remotissimis christianis orbis partibus existentes obviam itur, ac spirituali ipsorum christifidelium aedificationi, pacique et tranquillitati consulitur, alterat et immutat, in hisque sollicitudinis et providentiae suae studium interponit, prout pia catholicorum regum vota id exposcunt, et ipse, omnibus rerum, temporumque qualitatibus maturâ consideratione pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Pauli papa V litterae recensentur.

§ 1. Aliàs siquidem a felicis recordationis Paulo Papa V praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Paulus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

In supereminenti militantis, etc. (*Reliqua legi possunt in tom.* XII, *pag.* 10 et 271).

Causae revocandi praedictas litteras et provincias de Peraiba, Itamaraca, Riogrande et Maranham ecclesiae sancti Salvatoris restituendi.

§ 2. Cum autem, sicut charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus nobis nuper exponi fecit, earumdem provinciarum vicarius, sive administrator, in vim praedictarum Pauli praedecessoris huiusmodi litterarum deputatus, diem clauserit extremum, ecclesiaeque S. Salvatoris praedictae certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutae de novo pastore apostolicâ auctoritate nuper provisum fuerit; dismembratio autem et separatio ab ecclesiâ S. Salvatoris praedictâ de dictâ provinciâ de Pernambuco, illiusque in vicariam sive administrationem spiritualem erectio et institutio, necnon provinciarum capitanearum nuncupatarum de Peraiba, Itamaraca, Riogrande, et do Maranham, praeviâ simili illarum ab eâdem ecclesiâ S. Salvatoris separatione et dismembratione, eidem provinciae de Pernambuco unio et adiunctio per eumdem Paulum praedecessorem, ut praefertur, factae, non solum in maximum oppidorum et locorum dictarum provinciarum, illarumque incolarum praeiudicium et damnum cesserint, verum etiam continuis dissidiis, litibus et controversiis inter episcopum S. Salvatoris, et earumdem provinciarum vicarium et administratorem, qui pro tempore fuerunt, causam dederint, non sine divini cultus et catholicae religionis detrimento, gravique eorumdem incolarum perturbatione et scandalo; nobis propterea dictus Philippus rex humiliter supplicari fecit, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Urbanus eas restituit;

§ 3. Nos igitur, qui omni cogitatione, omnique curâ in id incumbimus, ut christifideles, earum praesertim regionum in quibus fides catholica non ita pridem per immensam Dei misericordiam plantata, continuâ illorum populorum ad eamdem fidem conversione feliciter propagatur, in pacis amoenitate et iustitiae cultu reddant Domino abundanter fructus suos, pio ipsius Philippi regis desiderio, quantum nobis ex alto conceditur, annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praedictam ecclesiam S. Salvatoris, ac modernum illius et pro tempore existentem praesulem, necnon mensam episcopalem dictae ecclesiae adversus separationem et et dismembrationem dictae provinciae de Pernambuco, eiusque in vicariam sive administrationem spiritualem erectionem et institutionem, necnon provinciarum capitanearum huiusmodi, praeviâ etiam illarum, ut praefertur, ab eâdem ecclesiâ S. Salvatoris separatione et dismembratione, eidem provinciae de Pernambuco unionem et adiunctionem, singulasque Pauli praedecessoris huiusmodi litteras,

necnon omnia et singula in illis contenta, et aliàs, in pristinum ac eumdemmet, in quo, antequam ipsius Pauli praedecessoris tam priores quam posteriores litterae huiusmodi emanarent, reperiebantur, statum in omnibus et per omnia apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo restituimus, reponimus et plenarie reintegramus: singulasque Pauli praedecessoris huiusmodi litteras, omniaque in eis quomodolibet contenta et expressa, auctoritate et tenore praedictis (ita quod liceat moderno et pro tempore existenti episcopo S. Salvatoris corporalem, realem et actualem possessionem omnium et singularum provinciarum praedictarum, illarumque bonorum possessionem, seu quasi, suo, ecclesiaeque S. Salvatoris praedictae nomine propriâ auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, omnimodamque in eisdem provinciis iurisdictionem et superioritatem, quae episcopo S. Salvatoris antequam singulae litterae Pauli praedecessoris huiusmodi emanarent, competebat, et competere poterat, exercere, ceteraque omnia et singula ad episcopi munus de iure vel consuetudine aut aliàs quomodolibet spectantibus et pertinentibus facere, gerere et exequi, cuiusvis licentiâ desuper minime requisitâ) similiter perpetuo revocamus, cassamus, abrogamus et annullamus, viribusque et effectu prorsus vacuamus.

Et ecclesiam S. Salvatoris indemnem a Pauli litteris reddit.

§ 4. Necnon ecclesiam S. Salvatoris, eiusque mensam episcopalem adversus separationes et dismembrationes, erectionemque et institutionem, necnon unionem et adiunctionem praedictas restitutam, repositam et plenarie reintegratam, praedictasque Pauli praedecessoris huiusmodi litteras, omniaque in eis contenta, ut praefertur, revocata, cassa, abrogata, annullata, viribusque et effectu vacua,

Clausulas pro praesentium litterarum firmitate apponit.

§ 5. Praesentes vero litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis, semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, neque illas (etiam ex eo quod causae propter quas emanarint, expressae, verificatae et iustificatae, aut quicumque in praemissis interesse habentes, sive habere praetendentes, ad hoc vocati, citati et auditi non fuerint, neque illis consenserint, vel aliàs ex quocumque capite, praetextu, colore, ingenio vel causâ) de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio aut intentionis nostrae vel alio quovis defectu notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, aut[1] aliud quodvis gratiae vel facti remedium impetrari seu concedi nullatenus posse; sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et Sedis Apostolicae nuncios in quavis causâ et instantiâ iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Et contraria tollit.

§ 6. Non obstantibus Pauli praedecessoris huiusmodi litteris, ac regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI iulii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 6 iulii 1624, pontif. anno I.

LXXV.

Impositio decimae pro episcopo Eystetensi in totâ eius dioecesi[2].

1 Subintellige *adversus illas* (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Militantis ecclesiae regimini, disponente Domino, praesidentes, inter graves sollicitudines, quibus pro pastoralis officii et apostolicae servitutis debito continue premimur, ea semper est praecipua, per quam catholicorum vires ad hostium verae fidei conatibus resistendum augeri possint; et propterea ecclesiasticorum praesulum vota in id tendentia ad exauditionis gratiam libenter admittimus, prout, rerum et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causae imponendi decimam. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, venerabilis frater N. episcopus Eystetensis, cum ceteris principibus et ordinibus tam ecclesiasticis quam secularibus in Germania ob inibi concitatos per humani generis hostem motus et catholicae religionis defensionem confoederatus, gravia exinde expensarum onera hactenus sustinuerit et sustineat ad praesens, ita ut, nisi de aliquo subsidio illi opportune prospiciatur, verendum sit, ne tantis oneribus impar succumbat:

Decimae impositio ad annum tantum. § 2. His igitur et aliis gravissimis causis, ad Dei gloriam, sanctaeque eius Ecclesiae defensionem et exaltationem pertinentibus, adducti, supplicationibus nomine eiusdem N. episcopi nobis humiliter porrectis inclinati, de tributae nobis a Domino apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, indicimus et imponimus unam semel per annum integrum in unâ vel pluribus solutionibus arbitrio collectorum infra deputatorum persolvendam integram decimam, in praedictos dumtaxat et non in alios usus erogandam, omnium et quorumcumque fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum, emolumentorum ac distributionum quotidianarum omnium ecclesiarum collegiatarum, parochialium, necnon monasteriorum et conventuum, ac etiam mensarum abbatialium, capitularium, tam maioris Eystetensis quam quarumcumque collegiatarum ecclesiarum, necnon conventualium, prioratuum quoque, praeposiurarum, praeceptoriarum, canonicatuum et praebendarum, dignitatum, personatuum, administrationum, et fabricae, et officiorum, ceterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium, ac S. Benedicti, S. Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Praemonstratensis, et si quae[1] bona immobilia, redditus certos, ex privilegio vel aliàs, possident, Mendicantium, ac quorumcumque aliorum Ordinum cuiusvis sexus necnon Congregationum regularium

Qui excipi debeant ab huiusmodi decimae solutione. § 3. (Iis dumtaxat exceptis, quae a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus obtinentur seu percipiuntur, ac, quoad beneficia curata, iis, quorum annui redditus summam quadraginta ducatorum auri de camerâ non excedunt), et praeterea hospitalium etiam pauperum hospitalitatem non exercentium, seu bona et redditus ultra usus infirmorum et alia, pro quibus instituta sunt, pia officia exercenda possidentium, necnon B. Mariae Teutonicorum, S. Lazari, Templi Dominici, ac, quoad illos, qui communi thesauro sui hospitalis onera solita non contribuunt, etiam S. Ioannis Hierosolymitani et aliarum militiarum in civitate, dioecesi, patriâ et ditione Eystetensi secundum communem aestimationem fructuum et aliorum praedictorum.

Decima etiam a pensionariis persolvenda. § 4. Ac similiter integram decimam omnium pensionum super praemissis assignatarum et assignandarum, semel tantum, ut dictum est, percipiendam et exigendam a quibuscumque primatibus, praepositis, decanis, capitulis, canonicis, rectoribus, beneficiatis, abbatibus, prioribus, commendatariis, abbatissis, priorissis,

1 Legendum et hîc foret *si qua* (B. T.).

fratribus, militibus et aliis quocumque nomine nuncupatis, secularibus et regularibus, ceterisque cuiuscumque dignitatis, status, gradus et conditionis existentibus (praeterquam dictis cardinalibus) praedicta quocumque iure, modo, occasione et titulo obtinentibus seu detinentibus et obtenturis, necnon oeconomis et administratoribus, perpetuis seu temporalibus, usufructuariis, ac fructus, pensiones, res et alia quaecumque huiusmodi iura et bona ex quacumque causâ, quavis auctoritate, in toto vel in parte sibi reservata aut concessa habentibus vel habituris, secularibus et regularibus Ordinum, congregationum, militiarum et hospitalium praedictorum, necnon ab ipsis ecclesiis, capitulis, conventibus, ordinibus, congregationibus, collegiis, hospitalibus, militiis, mensis, massis et locis quocumque privilegio et exemptione reali, personali et mixtâ, antiquâ et immemorabili, pacificâ et continuatâ suffultis, quos omnes (exceptis supradictis) in unâ vel pluribus solutionibus, ut praefertur, collectoribus praedictis volumus decimam praedictam infra terminum ab eisdem collectoribus praescribendum persolvisse, ita ut, qui pensiones solvere debent, etiam nomine pensionariorum decimam pensionum persolvant, et deinde, in proximis terminis pensionum huiusmodi, eam ratam sibi retineant ad rationem decem pro centenario, nisi iidem collectores ab ipsismet pensionariis eam exigere maluerint.

Nullae vero aliae suffragantur exemptiones.

§ 5. Decernentes nullas omnino exemptiones et immunitates exactionem decimae huiusmodi impedire posse; sicque per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores ac cardinales praedictos, et de latere legatos (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Collectores deputantur.

§ 6. Ut autem supradicta diligenter exequutioni demandentur, eumdem N. episcopum ac dilectum filium officialem Eystetensem, de quorum integritate et prudentiâ plurimum confidimus, decimae praedictae collectores in civitate, dioecesi, patriâ et ditione huiusmodi, cum omnibus iurisdictionibus, quae huiusmodi collectoribus de iure vel consuetudine quomodolibet competunt, auctoritate et tenore praedictis constituimus et deputamus; mandantes, ut quidquid inde per se vel subcollectores suos exegerint, id omne in praedictos et non alios usus erogari curent et faciant, ac N. episcopo et officiali praedictis plenam, liberam et amplam ac absolutam potestatem decimam huiusmodi ubique eorum arbitrio (habitâ tamen ratione communis aestimationis fructuum, ac etiam onerum cuique ecclesiae, aut loco sacro vel pio, unde exigenda erit, incumbentium) taxandi et exigendi, atque, ubi opus fuerit, moderandi et ad minorem summam reducendi, praedictos omnes tam coniunctim quam divisim ad integram illius solutionem, etiam per edictum locis publicis affigendum, etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis monendi et requirendi, non parentes, contumaces et fraudantes in censuras et poenas praedictas incidisse declarandi, proprietates, fructus et bona ipsorum apprehendendi, et usque ad satisfactionem retinendi, perturbatores, molestatores et rebelles quoscumque, eisque auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte quovis quaesito colore praestantes, cuiuscumque dignitatis, gradus et ordinis fuerint, praedictis, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis, necnon pecuniariis, ceterisque iuris et facti remediis opportunis compellendi, illasque etiam iteratis vicibus aggravandi, dignitatibus, beneficiis et officiis omnibus privandi et amovendi,

et ad futura inhabiles faciendi, interdictum ecclesiasticum apponendi, auxiliumque brachii secularis, quandocumque opus fuerit, invocandi, ad sanitatem reversos, qui debite satisfecerint, ab omnibus censuris et poenis supradictis in formâ Ecclesiae consuetâ absolvendi; praeterea, si opus fuerit, alios collectores et subcollectores fide et facultatibus idoneos in civitate, dioecesi, patriâ et ditione, quotquot viderint expedire, cum simili aut limitatâ (non tamen absolvendi) potestate constituendi, eumque vel alios arbitrio suo revocandi, negligentes et morosos removendi, ac alium seu alios subrogandi, quotiescumque eis videbitur, in delinquentes et contumaces, per se, vel alium, seu alios, etiam simpliciter et de plano ac sine strepitu et figurâ iudicii, inquirendi, ac meritis poenis puniendi, modos et formas in praedictis servandos praescribendi, et dubia quaecumque in premissis forte oritura declarandi.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, aliis apostolicis constitutionibus et ordinationibus, necnon ecclesiarum, monasteriorum, congregationum, ordinum, hospitalium et locorum praedictorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, quodque personis praedictis, eorumque ecclesiis et locis vel quibusvis aliis communiter a praedictâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto, necnon personis, eorumque nominibus, cognominibus, ecclesiis, monasteriis, ordinibus et locis huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, in genere vel in specie, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, et solutiones decimarum aliter, quam secundum antiquam taxam, et nisi in universali decimarum per orbem aut per universa Romani Imperii loca impositione fieri prohibentibus, necnon promissionibus, donationibus, obligationibus, iuramentis, renunciationibus, vinculis et cautelis in assignatione praedictarum pensionum factis (quibus per impositionem decimae huiusmodi neminem teneri, neque eas quoad praemissa contra quemcumque locum habere declaramus), aliisque indultis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, cuiuscumque tenoris existant, per quae praesentibus non expressa aut totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus, quorumque totis tenoribus, habenda sit in nostris litteris mentio specialis (quae omnia contra praedicta nolumus cuiquam suffragari), ceterisque contrariis quibuscumque.

Statuta Concilii Viennensis servanda.

§ 8. In percipiendâ vero decimâ praedictâ piae memoriae Clementis Papae V, etiam praedecessoris nostri, in Concilio Viennensi editam constitutionem, ac praesertim, quod ad monetam currentem exigi, quodque nec calices, nec libri, ceteraque ecclesiarum ornamenta divino cultui dicata, aliave supellectilia ecclesiastica ex causâ pignoris capi, recipi vel distrahi, aut aliàs quomodolibet occupari debeant, ubique praecipimus observari; quinimo volumus, ut illius occasione ecclesiae, monasteria, aliaque pia et sacra loca quaecumque debitis propterea non fraudentur obsequiis, ac divinus in iis cultus et solitus Altissimo famulantium et ministrorum numerus, nec eis quoquo modo iniuncta onera, aut pia quae exerceri solent opera et officia ullo modo minuantur, seu negligantur, sed eorum congrue supportentur onera consueta, nec quisquam etiam plura fortasse beneficia, aut pensiones cu-

iuscumque valoris obtinens pro quietantiâ ultra vigesimam partem unius auri[1] nummi solvere cogatur.

Fides danda transumptis.

§ 9. Ceterum, ut praesentes omnibus facilius innotescant, volumus, ut praesentium litterarum exempla, etiam impressa, notarii publici manu subscripta, et alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constituae sigillo subsignata, eamdem in iudicio et extra illud ubique locorum fidem faciant, quam ipsae originales facerent, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI iulii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 16 iulii 1624, pontif. anno I.

LXXVI.

Translatum generalibus armorum Ferrariae ius super militiâ Bononiensi, legato Bononiensi asseritur[2].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Recensentur Gregorii litterae.

§ 1. Aliàs a felicis recordationis Gregorius Papa XV praedecessore nostro emanarunt litterae, tenoris subsequentis, videlicet:

Gregorius Papa XV, ad futuram rei memoriam (Reliqua legi possunt in Constitut. XVI, *Cum aliàs gubernium*[3], etc., tom. XII, pag. 552).

Translatio iurisdictionis, de qua in rubricâ.

§ 2. Nunc autem nos, feliciori ipsius militiae regimini, curaeque et gubernio, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omne ius, omnemque auctoritatem, quae olim generalibus armorum civitatis et ducatus nostrorum Ferrariensium super militiâ tam equestri quam pedestri in civitate et comitatu nostris Bononiensibus competebat, seu quomodolibet competere poterat, ab eodem generali armorum pro tempore existenti tollimus et auferimus, ac penitus et omnino sublatam declaramus, eamque sic sublatam in praedictum legatum ultra illius ordinarias facultates, tenore praesentium, transferimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus praeinsertis Gregorii praedecessoris huiusmodi litteris, necnon regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae civitatis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV iulii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 25 iulii 1624, pontif. anno I.

LXXVII.

Declaratio, quod indulgentia Portiunculae hoc anno sancto non revocatur[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Cum nuper, ob sacri iubilaei celebrationem a vigiliâ Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi anni proxime venturi incho-

1 Forsan legendum *aurei* (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

3 Sed haec edit. Main. citatio non concordat (R. T.).

1 Hanc indulgentiam plenariam perpetuam extendit ad omnia Ordinis monasteria fratrum Minorum de Observantiâ ac reformatorum Gregorius XV Const. IH *Spiritus Domini*, tom. XII, pag. 500. — Ita ed. Main.; sed citatio vana (R.T.).

andam[1], et usque ad finem eiusdem anni duraturam, omnes et singulas indulgentias, etiam perpetuas, et peccatorum remissiones, quibusvis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus et aliis locis piis, secularibus et quorumvis Ordinum etiam Mendicantium regularibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, quomodolibet concessas, de apostolicae potestatis plenitudine suspenderimus, et suspensas esse declaraverimus, easque eodem anno durante nulli prodesse aut suffragari debere decreverimus, prout in nostris sub plumbo desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur[2]:

Indulgentia Portiunculae a suspensis eximitur.

§ 1. Nos, cupientes, ut ecclesia S. Mariae Angelorum domus Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ prope et extra muros civitatis Assisiensis congruis frequentetur honoribus, ad eamque christifideles eo libentius accedant, quo exinde spiritualibus gratiis se uberius refectos conspexerint:

Derogat contrariis.

§ 2. Tenore praesentium declaramus, mentis et intentionis nostrae minime fuisse nec esse sub praedictâ indulgentiarum suspensione indulgentiam utriusque sexus christifidelibus praedictam ecclesiam die secundâ mensis augusti a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi visitantibus et requisita pro eâdem indulgentiâ consequenda peragentibus concessam comprehendere, prout minime comprehendimus, nec comprehensam esse in verbo Romani Pontificis attestamur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI iulii MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 31 iulii 1624, pontif. an. I.

1 Lectionem corrige ut supra pag. 147 *a* (R. T.).
2 Quas vide supra pag. 147 (R. T.).

LXXVIII.

Ne fratres Reformati Discalceati Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum Hispaniae post emissam professionem, sub quovis praetextu, transeant ad alios quoscumque Ordines, etiam fratrum Minorum S. Francisci de Paulâ, excepto Carthusianorum Ordine.

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Commissi nobis per abundantiam divinae gratiae pastoralis officii debitum postulat, ut ad ea mentis nostrae aciem sedulo intendamus, per quae regulares Ordines in Ecclesiâ Dei militantes felicioribus in dies proficiant incrementis. Procemium.

Paulus V prohibuit his fratribus transitum ad alios quoscumque Ordines, Carthusianorum Ordine excepto, absque Romani Pontificis licentia.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Paulus Papa V praedecessor noster, prospero fratrum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum Discalceatorum Reformatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniarum regimini consulere volens, inter alia statuit et ordinavit, quod nullus omnino tam fratrum quam donatorum dictae Congregationis, post emissam in eâ professionem huiusmodi, absque speciali pro tempore existentis Romani Pontificis licentiâ, certam tunc expressam mentionem faciente, ad moderatos, seu mitigatos, vel alios fratres, tam Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum huiusmodi, quam aliorum quorumvis Ordinum, congregationum et religionum, etiam emissionis quarti voti, aut alio quocumque praetextu (Carthusianorum Ordine dumtaxat excepto) transire, seu se transferre, aut aliàs a dictâ Congregatione se subtrahere, seu ex eâ exire valeret, et aliàs, prout in ipsius Pauli praedecessoris in simili formâ Brevis sub die XVIII augusti MDCXI expeditis litteris[1], qua-

1 Non puto eas esse in *Bullario* (R. T.).

rum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Urbanus huiusmodi prohibitionem confirmat, statutis contra inobedientes poenis.

§ 2. Nunc autem nos, maiori eorumdem fratrum quieti et augmento, feliciorique directioni peramplius consulere volentes, supplicationibus dilecti filii procuratoris generalis eiusdem congregationis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, quod de cetero nullus fratrum praedictorum post emissam in dictâ Congregatione professionem, ut praefertur, et absque Romani Pontificis licentiâ praedictâ, ad alium quemcumque Ordinem Mendicantium et non Mendicantium, monachorum, seu Discalceatorum, aut aliarum quarumcumque religionum, tam erectarum quam erigendarum, etiam emissionis quarti voti, seu perfectioris et humilioris vitae praesumptione, aut strictioris regulae seu observantiae praetextu vel contemplatione, aut aliâ quantumvis iustâ et probabili aut legitimâ causâ, sub apostasiae et infamiae perpetuae notâ, ac excommunicationis latae sententiae poenâ, se transferre audeat seu praesumat; excepto dumtaxat Ordine Carthusianorum, ut praefertur, quatenus ad illum transeundi licentiam a suis superioribus petierint et obtinuerint.

Qui secus egerint, ad suam Congregationem redire debeant.

§ 3. Et quicumque secus fecerit, cum primum desuper monitus fuerit, nullâ morâ aut excusatione et quacumque appellatione, etiam ad nos seu Sedem Apostolicam, interpositis, ad suam propriam Congregationem redire, et superiorum suorum correctioni se submittere omnino teneatur.

Poenae contra superiores regulares, qui eos non tradiderint.

§ 4. Praelati vero dictarum congregationum, ac aliorum Ordinum et religionum huiusmodi, ipsos sic translatos, seu fugitivos et apostatas, minime retinere, sed eos, etiamsi novam professionem regularem emiserint, sub privatione suorum officiorum, ac similis excommunicationis poenâ, suis superioribus, vel ab eis deputandis, id requirentibus et petentibus, statim absque iudicis ministerio tradere et consignare debeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus et ordinamus.

Clausulae.

§ 5. Decernentes sic, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 7. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX augusti MDCXXIV pontificatus nostri anno I.

Dat. die 9 augusti 1624, pontif. anno I.

LXXIX.

Facultas Lucae Antonio Virili commissario apostolico in dominiis ducis Urbini creandi notarios [1].

Dilecto filio magistro Lucae Antonio Virili, in utrâque signaturâ nostrâ referendario, Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Facultas, de qua in rubricâ.

§ 1. Ut penuriae notariorum seu tabellionum apostolicâ auctoritate creatorum in Statu et ducatu Urbini vigenti subvenire valeas, tibi, ut quoscumque viros vitâ, moribus, litteraturâ, aliisque qualitatibus

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

ad officium notariatus, seu tabellionatus, exercendum requisitis habiles et idoneos, in notarios seu tabelliones publicos, recepto prius ab eis nostro et Romanae Ecclesiae nomine, fidelitatis debitae solito iuramento, cum facultate officium notariatus et tabellionatus huiusmodi in quacumque mundi parte exercendi, auctoritate nostrâ apostolicâ facere et creare libere et licite valeas, eâdem auctoritate, tenore praesentium, facultatem concedimus et impartimur.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX augusti MDCXXIV pontificatus nostri anno II [1].

Dat. die 9 augusti 1624, pontif. anno II.

LXXX.

Beatificatio venerabilis servi Dei Iacobi de Marchia, Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ, unâ cum concessione celebrandi missam et officium de communi Confessorum non Pontificum in ecclesiâ dicti Ordinis, ubi corpus eius requiescit.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Procemium.

In Sede Principis Apostolorum, nullis licet nostris suffragantibus meritis, a Domino constituti, piis fidelium votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis.

Preces Pontifici exhibitae pro venerabilis Iacobi de Marchia beatificatione.

§ 1. Sane pro parte charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici, ac dilectorum filiorum cleri et populi civitatis Neapolitanae, necnon totius Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum, nobis nuper expositum fuit, quod bonae memoriae Jacobus de Marchia multis et eximiis virtutum, gratiarum et miraculorum donis a Domino illustratus fuit; quapropter Philippus rex ac clerus et populus nec non ordo praedicti nobis humiliter supplicari fecerunt, ut donec canonizationis honor dicto Iacobo de Marchia, ob eius eximiam charitatem et excellentia merita, divinâ adspirante gratiâ, ab Apostolicâ Sede decernatur, idem Iacobus de Marchia Beatus nuncupari, atque officium de eo, ut infra, recitari possit.

Qui petitis annuit iuxta indicata in rubricâ.

§ 2. Quare nos, re prius per venerabiles fratres nostros sanctae Romanae Ecclesiae cardinales sacris ritibus praepositos, quibus eâm examinandam mandavimus, mature discussâ, de eorumdem cardinalium consilio, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut ipse bonae memoriae Iacobus de Marchia Beatus nuncupari, atque officium et missa de eo tamquam de Confessore non Pontifice in ecclesiâ tantummodo sanctae Mariae *della Nova* nuncupatae, civitatis Neapolitanae, ubi corpus eiusdem requiescere asseritur, recitari et celebrari respective libere et licite possit et valeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, licentiam et facultatem concedimus et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII augusti MDCXXIV pontificatus nostri anno II.

Dat. die 12 augusti 1624, pontif. anno II.

LXXXI.

Indultum recitandi officium et celebrandi missam de beatâ Clara de Monte Falchio Ordinis Eremitarum S. Augustini

1 Eadem facultas concessa quoque fuit fratri Francischino a Cascia.

pro Ordinis praedicti fratribus et monialibus.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Domini nostri Iesu Christi, qui servos et ancillas suas aeternae gloriae praemio donat in coelis, vices quamquam immeriti gerentes in terris, ex iniuncto nobis pastoralis officii debito procurare tenemur, ut eorumdem servorum et ancillarum Christi debita veneratio in dies magis promoveatur, et laudetur Dominus in Sanctis suis. Quamobrem fidelium quorumlibet, praesertim vero sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium, votis, quae peculiarem Sanctorum huiusmodi cultum respiciunt, libenter annuimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Ordinis Eremitarum sancti Augustini preces. § 1. Sane, nomine dilectorum filiorum procuratoris generalis et fratrum Ordinis Eremitarum sancti Augustini nobis nuper expositum fuit, quod ipsi ex peculiari, quem erga beatam Claram de Monte Falchio, eiusdem Ordinis monialium, gerunt devotionis affectu, in cuius visceribus Passionis Domini Nostri Iesu Christi mysteria maximâ cum devotione in vicinis incolis venerari asserunt, et ad augendam christifidelium erga illam devotionem, officium et missam de eâdem beatâ Clara recitari et celebrari posse summopere desiderant; nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Indultum celebrandi missam et recitandi officium de beatâ Clara. § 2. Nos igitur, piis eorumdem procuratoris et fratrum votis huiusmodi annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium duxtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, ut de dictâ beatâ Clara officium et missa de communi Virginum cum oratione propriâ in eiusdem Ordinis missalibus insertâ, ab omnibus Ordinis praedicti utriusque sexus regularibus personis tantum recitari et celebrari libere et licite possit et valeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, licentiam concedimus et impertimur.

Derogatio contrariorum. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis. § 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV augusti MDCXXIV, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 14 augusti 1624, pontif. an. II.

LXXXII.

Congregationi monachorum Caelestinorum Ordinis S. Benedicti communicantur gratiae et privilegia omnia Congregationi Cassinensi, aliisque monachorum congregationibus concessa et concedenda [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Sacrosancti apostolatus ministerium, quod ineffabilis divitiarum sapientiae et

1 De statu dictae Congregationis Caelestinorum, vide Const. I Caelestini V, tom. IV, pag. 116.

scientiae Dei altitudo humilitati nostrae, nullis licet suffragantibus meritis, per abundantiam caelestis misericordiae credidit, iugiter nos admonet, ut inter multiplices, gravissimasque apostolicae servitutis curas, eam peculiari sollicitudine amplectamur, qua privilegia piis christifidelium congregationibus in militanti Ecclesiâ ad divini nominis laudem et gloriam, sanctaeque fidei catholicae exaltationem salubriter institutis, a Sede Apostolicâ concessa non solum conserventur, verum etiam congregationes ipsae novis ab eâdem Sede gratiis atque indultis decorentur, prout, rerum et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Attentis eximis monachorum huiusce Congregationis meritis;

§ 1. Hinc est quod nos, ad uberes fructus, quos dilecti filii monachi Congregationis Caelestinorum Ordinis S. Benedicti, vel ab ipsius Congregationis primordio in eâdem Ecclesiâ magno cum reipublicae christianae spirituali commodo attulerunt, et in dies afferunt, paternae dirigentes considerationis intuitum, et attente prospicientes [1], quod Congregatio praedicta una ex duodecim extitit, quae cum camerâ apostolicâ tempore felicis recordationis Pii Papae V praedecessoris nostri de subsidio ordinario concordarunt, necnon monachos praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio non ad abbatis seu procuratoris generalium, aut aliorum quorumcumque superiorum vel monachorum eiusdem Congregationis, aut alterius pro eis nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula privilegia, praerogativas, favores, facultates, declarationes, libertates, immunitates, exemptiones, praeeminentias, indulta, aliasque gratias, tam spirituales quam temporales, cuiusvis generis et speciei existentes, tam Cassinensi Ordini [1] S. Benedicti, quam quibusvis aliis monachorum congregationibus, eorumque superioribus, praesidentibus, abbatibus, monachis, aliisque regularibus personis, necnon ecclesiis, monasteriis et locis regularibus quibuscumque, tam specialiter et nominatim, quam in genere et per viam communicationis vel extensionis, aut aliàs quomodolibet, per Romanos Pontifices praedecessores nostros, seu nos et Sedem Apostolicam, eorumque et nostros de latere legatos et nuntios sufficienti ad id auctoritate suffultos, concessa, et in futurum per successores nostros aut alios auctoritatem habentes concedenda, et quibus ipsae congregationes, eorumque abbates, et alii quocumque nomine nuncupati superiores et monachi, ceteraeque personae regulares, de iure, usu, consuetudine, privilegio, aut concessione apostolicâ, in genere vel in specie, ac tam coniunctim quam divisim, seu aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, dummodo tamen sint in usu, et non sint revocata aut sub aliquibus revocationibus comprehensa, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis non adversentur, Congregationi Caelestinorum praedictae, illiusque generali, ac ceteris abbatibus, prioribus et aliis quocumque nomine nun-

Eisdem aliarum Congregationum, ac potissimum Cassinensis privilegia conceduntur.

1 Edit. Main. legit *prospiciente* (R. T.).

1 Potius legendum *Ordinis* (R. T.).

cupatis superioribus, monachis et personis regularibus quibuscumque, necnon monasteriis, ecclesiis, domibus, conventibus et locis regularibus quibuslibet, tenore praesentium, perpetuo concedimus, dictaque privilegia, indulta, immunitates, exemptiones ac gratias spirituales et temporales huiusmodi primodictae Congregationi, illiusque generali, ceterisque abbatibus, prioribus, monachis et personis praedictis, necnon ecclesiis, monasteriis et regularibus locis communicamus, illaque ad eos et illa extendimus; ita quod Congregatio Caelestinorum praedicta, illiusque generalis, et ceteri abbates, superiores, monachi et personae huiusmodi, eorumque monasteria, prioratus, grangiae, domus, ecclesiae, oratoria, collegia et alia loca regularia, necnon res et bona quaecumque, praemissis omnibus et singulis, non solum ad aliarum congregationum instar, sed pariformiter, et aeque principaliter uti, potiri et gaudere libere et licite valeant, perinde ac si omnia illis et eorum singulis specialiter et expresse, et non ad instar, sed a principio concessa, et in primodictae Congregationis favorem a Sede Apostolicâ nominatim emanassent.

Clausulae.

§ 2. Decernentes, praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut alio quopiam defectu, notari, impugnari, redargui, seu infringi, aut in ius vel controversiam revocari posse, sed eas semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac Congregationi Caelestinorum huiusmodi, illiusque personis et locis regularibus supra expressis in omnibus et per omnia plenissime suffragari;

Decretum irritans addit.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Iudices conservatores dati.

§ 4. Quocirca venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis, aliisque locorum Ordinariis quibuscumque, necnon dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, per praesentes cummittimus et mandamus, quatenus quilibet eorum, quandocumque, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte abbatis generalis et monachorum Congregationis Caelestinorum Ordinis sancti Benedicti praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem plenum eorum effectum sortiri, illisque omnes, quos concernunt, pacifice frui et gaudere; non permittentes, quemquam desuper contra praesentium tenorem, sub quovis praetextu et causâ, etiam defectu intentionis nostrae, per quoscumque quomodolibet indebite molestari; quinimo quicquid in contrarium attentari vel fieri continget, omnino semper in pristinum reponi; contradictores quoslibet et rebelles etiam per quascumque, de quibusvis eis videbitur, censuras et poenas ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Obstantia tolluntur.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliis-

que apostolicis constitutionibus, ordinationibus, ac Ordinum et congregationum huiusmodi statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus (etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ac verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, etiam quod in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus, aut nonnisi sub certis modo et formâ derogari possit) tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque: aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptis danda fides.

§ 6. Verum, quia difficile foret, praesentes litteras, ubicumque opus esset, deferri, volumus, et pari auctoritate decernimus, quod illarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV augusti MDCXXIV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 14 augusti 1624, pontif. an. II.

Additur facultas iam a Paulo V concessa abbati generali eiusdem Congregationis eas faciendi functiones, quas alii abbates exempti facere consueverunt, habituque praelatorum regularium, et in monasteriis sui Ordinis pontificalibus indumentis utendi, ac missas solemniter celebrandi, etc.

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis apostolici muneris debito ius suum unicuique conservare tenemur.

Caelestinus Papa V abbati huius Congregationis indultum exercendi pontificalia concessit.

§ 1. Proinde, cum, sicut pro parte dilecti filii Celsi Romani abbatis generalis Congregationis Caelestinorum Ordinis sancti Benedicti nobis nuper expositum fuit, ex antiquo privilegio apostolico a felicis recordationis Caelestino Papa V nimirum concesso, et ab Eugenio IV et aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris confirmato, pro tempore existens abbas generalis dictae Congregationis Caelestinorum functiones omnes, quas ceteri omnes abbates exempti faciunt, et exercere, facere[1], necnon semper, tam in Urbe, quam in omnibus aliis civitatibus, et ubique locorum, habitum praelatorum regularium, caputium scilicet, sive mozzettam super mantelletto, et biretum quadratum, more clericorum secularium, ac pileum more praelatorum, ac in ecclesiis et monasteriis suo Ordini subiectis cappâ, baculo, mitrâ et ceteris pontificalibus indumentis uti, et in eisdem ecclesiis missas solemniter more aliorum abbatum Benedictinorum celebrare, ac monachis sui Ordinis et aliis christifidelibus quibuscumque ad dicti abbatis missas audiendas conve-

1 Heic deest saltem verbum *possunt* (R. T.).

nientibus et interessentibus, quandocumque episcopi et alii superiores praelati, et S. R. E. cardinales ibi praesentes non sint, solemnem benedictionem impertiri possit et consueverit[1]; cumque in congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super sacris ritibus et caeremoniis deputatorum, examinatis privilegiis supradictis, decretum semel atque iterum fuerit, praedictum abbatem generalem Congregationis Caelestinorum pro tempore existentem in pacificâ possessione omnium et singulorum praemissorum manutenendum esse; illumque a quovis episcopo vel Ordinario locorum, aut eorum vicariis, et aliis quibuscumque personis, super praemissis molestari, perturbari, vel inquietari non posse declaratum fuerit; et cum, sicut eadem expositio subiungebat, ipse Celsus abbas, pro maiori eorumdem decretorum validitate, cupiat illa confirmationis apostolicae robore communiri:

Et subindè Congregationem rituum eum in possessione manutenendum esse decrevit.

§ 2. Nos, illius honestis votis benigne annuentes, ac ipsum Celsum abbatem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine super hoc nobis humiliter porrectis inclinati, decreta eiusdem Congregationis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmantes et approbantes, iuxta illorum seriem per easdem praesentes decernimus et declaramus, praedictum Celsum modernum abbatem Congregationis Caelestinorum, eiusque successores, stante antiquâ possessione dicti abbatis et praedecessorum praedicta faciendi et exercendi, in pacificâ possessione omnium et singulorum praemissorum manutenendum, ac manutenendos esse, nec illos aut quempiam illorum a quovis episcopo, vel Ordinario locorum, aut eorum vicariis, et aliis quibuscumque personis, desuper quovis praetextu molestari, perturbari vel inquietari nullatenus posse;

Haec omnia confirmat Paulus Papa V.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, irritumque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae.

§ 4. Quocirca dilectis filiis nunc et pro tempore existentibus eiusmodi Congregationis apud nos et Apostolicam Sedem protectori et causarum curiae camerae apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel alter eorum praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dicti Celsi moderni aut pro tempore existentis abbatis generalis dictae congregationis fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac ipsi abbati in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ illum eorumdem praemissorum effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes illum desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari; contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Exequutores designat.

§ 5. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra

Derogatio contrariorum.

1 Male edit. Main. habet *possint et consueverint* (R. T.).

nos dictas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX decembris MDCVI, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 9 decembris 1606, pontif. anno II.

LXXXIII.

Facultas nuncio Poloniae procedendi contra ecclesiasticos, ac etiam contra episcopos, et archiepiscopos, qui in regem Poloniae vel eius natos conspiraverunt [1].

Venerabili fratri Ioanni Baptistae episcopo Nolano, nostro et Sedis Apostolicae in regno Poloniae nuncio,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,

salutem et apostolicam benedictionem.

Causae concedendae facultatis.

§ 1. Ad audientiam nostram non sine animi nostri gravi perturbatione pervenit, nonnullos contra charissimi in Christo filii nostri Sigismundi Poloniae et Svetiae regis illustris et forsan natorum eius personas coniurasse, atque huic coniurationi aliquos clericos, et forsan in dignitate ecclesiasticâ constitutos, ac aliàs episcopali seu archiepiscopali dignitate praefulgentes nomen dedisse.

Facultas, de qua in rubricâ.

§ 2. Quapropter, huic malo, si verum sit, pro nostri pastoralis officii debito, quantum cum Domino possumus, obviam ire volentes, ac de tuâ fide, prudentiâ, integritate, doctrinâ et rerum experientiâ plurimum in Domino confisi, tibi contra omnes et singulas personas ecclesiasticas etiam in dignitate ecclesiasticâ constitutas, cuiuscumque status, ordinis et conditionis existentes, ac quocumque exemptionis et immunitatis, sive alio quovis privilegio suffultas, nobisque et Apostolicae Sedi immediate subiectas, delictorum huiusmodi reas, earumque fautores, seu illis auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, quomodolibet praestantes, in regno Poloniae existentes, super praemissis omnibus et singulis inquirendi et procedendi, atque inquisitiones et processus fabricandi, quoscumque testes, etiam ecclesiasticos et regulares, ut praefertur, qualificatos, examinandi, ipsosque ad perhibendum veritati testimonium sub censuris et poenis, aliisque opportunis iuris remediis cogendi et compellendi, ac tam eos quam reos repertos rigoroso examini semel et pluries, iuris tamen ordine servato, submittendi, quatenus vero ex praemissis legitima et ita urgentia resultent indicia, ut animum tuum ad praemissa veritate niti credendum inducant, etiam contra episcopos et archiepiscopos pariter inquirendi et procedendi, eosque carcerandi, vel sub fidâ custodiâ detinendi, et contra eosdem usque ad sententiam diffinitivam exclusive deveniendi, aliaque omnia et singula in praemissis, et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna, etiamsi talia sint vel fuerint, quae magis specialem, specificam et expressam requirerent commissionem, plenam, liberam et amplam facultatem, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Indicia contra archiepiscopos et episcopos indicio Sedis Apostolicae reservanda.

§ 3. Volumus autem, ut si qua [1] contra episcopos et archiepiscopos praedictos resultaverint, ea, necnon informationes omnes contra eosdem episcopos vel archiepiscopos desuper sumendas, sub tuo sigillo clausa ad nos quamprimum diligenter transmittas, ut quod circa ea statuendum fuerit, maturâ consultatione adhibitâ, decernere valeamus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Edit. Main. habet *si quae* (R. T.).

duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII augusti MDCXXIV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 17 augusti 1624, pontif. an. II.

LXXXIV.

Adhortatio ad archiepiscopum Arborensem de erigendo seminario, residendo, atque ecclesiâ reparandâ [1].

Venerabili fratri archiepiscopo Arborensi Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Causae faciendae admonitionis.

§ 1. Accepimus nuper, fraternitatem tuam apud ecclesiam Arborensem, cui praeesse dignosceris, exiguo admodum temporis spatio residere, neque per tres annos, quibus illi praefuisti, seminarium ibi erexisti [2], minusque eamdem ecclesiam restaurasse et illi de paramentis necessariis providisse.

Admonitio.

§ 2. Quae licet pro nostrâ de te opinione non facile adducamur ut credamus, quinimmo te tuo muneri recte et diligenter, ut bonum et fidelem servum oportet, satisfecisse nobis persuadeamus; tamen, ut quae muneris nostri sunt implevisse coram Deo et hominibus appareat, facere non possumus, quin fraternitatem tuam paterne moneamus, et in Domino hortemur, ut posthac apud ecclesiam tuam praedictam in civitate Arborensi, et si aëris intemperies aestivo tempore id non permittat, in locis tuae dioecesis salubrioris caeli residere non negligas, seminarium erigas, eiusdem ecclesiae restaurationi, sacristiae et sacrae suppellectili instruendae omnino incumbas, tibique et universo gregi attendens, quae muneris tui sunt, desiderare non patiaris, sicut decreta sacri Concilii Tridentini requirunt, et pastorale officium tuum postulare non ignoras, quae te, et pro tuâ in nos et hanc sanctam Sedem observantiâ, et ne a supremo omnium iudice in reddendâ villicationis tuae ratione corripiaris, facturum non dubitamus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI augusti MDCXXIV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 26 augusti 1624, pontif. anno II.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Videtur legendum *erexisse* (R. T.).

LXXXV.

Revocatio quarumcumque licentiarum a praedecessoribus Pontificibus loca regularia erigendi, non servatâ formâ constitutionis Clementis VIII et decretorum Sedis Apostolicae, concessarum, quae nondum effectum suum sortitae sunt, ac prohibitio illa de cetero erigendi absque licentiâ Ordinariorum [1].

1 Vide Bonifacii VIII cap. I de statu Regular. in 6° et cap. I de excess. Praelat. in 6°, et Concil. Trid., cap. III, sess. XXV, nec non Clem. VIII Const. CCCXXIII (in h. n. edit. CCCXX, tom. XI, pag. 21) et Const. LXX Gregor. XV *Cum aliàs* (in h. n. edit. LXXII, tom. XII, pag. 719).

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Romanus Pontifex, cui Salvator et Dominus noster, qui charitas est et Deus pacis, universalis Ecclesiae credidit principatum, ea interdum, quae certis etiam rationalibus de causis a Sede Apostolicâ concessa sunt, ipsâ subinde rerum experientiâ suadente, et maioribus ex causis, quibus praesertim personarum sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium paci et quieti consulitur, litibusque ac controversiis inter eos obviam itur, revocat et immutat, in hisque pastoralis sollicitudinis et providentiae suae studium interponit, prout, rerum et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Revocantur licentiae omnes a Pontificibus datae erigendi conventus, etc., sine licentia Ordinariorum.

§ 1. Cum itaque, sicut nobis innotuit, complures licentiae sive facultates a nonnullis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris per diversos Ordinum, etiam Mendicantium, congregationum, societatum et aliorum regularium institutorum superiores, seu alios eorum nomine, ubique locorum monasteria, domos, collegia, conventus et alia loca regularia quovis nomine nuncupata, servatâ dumtaxat sacrorum canonum et Concilii Tridentini decretorum formâ, de solâ Ordinarii licentiâ, seu etiam forsan non servatâ formâ, et absque licentiâ huiusmodi, et contra decreta a Sede Apostolicâ super praemissis edita fundandi, erigendi et instituendi importunis precibus, seu etiam motu proprio, vel aliàs obtentae et extortae fuerint: idcirco nos, omnes et quascumque licentias ac facultates huiusmodi, litterasque desuper, tam sub plumbo quam in huiusmodi formâ Brevis, desuper expeditas, earumque tenores etiam veriores et data praesentibus, ac si specifice et sigillatim exprimerentur et insererentur, pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, iustis de causis animum nostrum moventibus, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et quascumque licentias et facultates huiusmodi, litterasque desuper, tam sub plumbo quam in eâdem formâ Brevis huiusmodi, expeditas, omniaque et singula in eis quomodolibet contenta et expressa, etiam quoad erectiones, fundationes et institutiones monasteriorum, collegiorum, domorum, conventuum et aliorum regularium locorum huiusmodi, quae suum nondum sortitae sunt effectum, tenore praesentium, perpetuo revocamus, cassamus, abrogamus et annullamus, viribusque et effectu prorsus evacuamus.

Iisque quemlibet uti posse cavetur non servatâ formâ Constitutionum apostolicarum.

§ 2. Praeterea Ordinum, etiam Mendicantium, congregationum, societatum et aliorum institutorum regularium superioribus, quocumque nomine nuncupatis, ceterisque personis, ad quos spectat, in virtutae sanctae obedientiae, ac sub privationis vocis activae et passivae necnon officiorum quorumcumque, ac inhabilitatis ad illa seu alia in futurum obtinendis, ac etiam excommunicationis ipso facto incurrendis poenis interdicimus et prohibemus, ne licentiarum seu facultatum, per nos, ut praefertur, revocatarum et annullatarum, sive alio quovis praetextu vel causâ, etiam quantumvis privilegiatâ, nova monasteria, collegia, domos, conventus et alia loca regularia huiusmodi, nisi de expressâ Ordinariorum licentiâ, ac servatâ in omnibus et per omnia sacrorum canonum et Concilii Tridentini, necnon constitutionis felicis recordationis Clementis VIII, quae incipit *Quoniam ad institutam*, sub datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die XXIII iulii MDCIII, ac decretorum de mandato eiusdem Clementis ac sanctae memoriae Gregorii XV Romanorum Pontificum praedecessorum de-

super editorum[1] formâ, recipere, erigere, fundare, seu aliàs quomodolibet instituere, seu incepta finire et absolvere audeant seu praesumant.

Clausulae praeservativae.

§ 3. Decernentes, praesentes litteras, etiam ex eo quod causae, propter quas illae emanarint, expressae, verificatae et iustificatae, aut quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes, ad hoc vocati, citati et auditi non fuerint, neque illis consenserint, vel aliàs ex quocumque capite, praetextu, colore, ingenio vel causâ, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quovis defectu notari et impugnari, redargui, infringi, retractari, in ius vel controversiam vocari, ad terminos iuris reduci, aut contra eas quodvis gratiae vel iustitiae remedium impetrari seu concedi nullatenus posse, sed eas ac omnia et singula in eis contenta semper et perpetuo valida et firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari, sicque et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et nuntios, quavis auctoritate fungentes (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorum huiusce Constitutionis deputatio.

§ 4. Quocirca venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque solemniter publicantes, faciant illas et illa ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria tolluntur.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo et recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII similiter praedecessoris nostri de unâ et in Concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quorumcumque ordinum, congregationum, societatum et institutorum regularium (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, etiam *mare magnum* vel aliàs quomodolibet nuncupatis, et litteris apostolicis, illis, eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio et consistorialiter, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et saepius innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium tenores praesentibus, pro plene et sufficienter expressis, et ad verbum

1 Quae omnia habes cit. in notâ ad rubr. (R.T.).

insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicatio Romae facta omnes afficit.

§ 6. Volumus autem, quod eaedem praesentes in valvis basilicarum S. Ioannis Lateranensis et Principis apostolorum de Urbe, ac in acie Campi Florae, ut moris est, affixae, omnes, quos illae concernunt, ita arctent et afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimatae fuissent,

Transumptorum fides.

§ 7. Quodque earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII augusti MDCXXIV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 28 augusti 1624, pontif. an. II.

Anno MDCXXIV, *indictione* VII, *pontificatus autem sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Urbani divinâ providentiâ Papae VIII, anno eius* II, *die vero ultimâ mensis augusti, retroscriptae litterae apostolicae affixae et publicatae fuerunt ad valvas basilicarum S. Ioannis Lateranensis et Principis apostolorum, ac in acie Campi Florae, ut moris est, per nos Camillum Fundatum de Cesis et Iulium Marzitellium, praelibati SS. D. N. Papae cursores, etc.*

BRANDIMARTES LATINUS
pro Mag. DD. Cursorum.

LXXXVI.

De regularibus apostatis et eiectis, ac de innovatione, declaratione et observantiâ generalium decretorum, quae Clemens VIII pro regularium reformatione, novitiorumque receptione edidit[1].

Decreta Sacrae Congregationis Concilii de regularibus apostatis et eiectis.

Causae haec edendi decreta.

Sacra Congregatio cardinalium Concilii Tridentini interpretum, regularium eiectorum et fugitivorum statui consulere, illorumque scandala summovere, et succrescentem numerum frangere operae pretium existimans, auditis religionum superioribus, reque diligentissime perpensâ, communicato etiam consilio cum sanctissimo Domino nostro Urbano VIII, atque ex peculiari Sanctitatis Suae facultate, infrascripta decreta edidit:

Sacra Congregatio Concilii innovat constitutionem Clementis VIII.

§ 1. Ac primo, ut infecta semina, e quibus pravi eiusmodi fructus potissimum prodeunt, deinceps ne serantur in vineâ Domini, censuit esse innovandas, et Sanctissimi auctoritate innovat, constitutiones et decreta generalia sanctae memoriae Clementis VIII ad regularium reformationem, ad novitiorum receptionem, professionem atque institutionem spectantia[2], districteque praecipit generalibus, atque aliis omnibus Ordinum superioribus, ut illa exacte observent, atque ut observentur efficiant, sub poenis statutis in iisdem constitutionibus.

Excepto capite de novitiis per Ordinarios approbandis.

§ 2. A quibus tamen excipiendum censuit caput illud, quo decernitur, ne in conventibus, seu monasteriis ad novitios recipiendos hactenus designatis et approbatis, seu imposterum designandis et approbandis, novitii ad habitum ullatenus

1 Quoad apostatas et extra claustra religionum vagantes edita olim fuit à Paulo IV Const. XXIII relata in tom. VI, pag. 538, quae tamen ad terminos iuris reducta fuit a Pio IV in Const. IV relata in tom. VII, pag. 15 (R. T. ex Cherub.). Circa receptionem novitiorum vide etiam Constitut. CXII Sixti V *Cum de omnibus* in tom. VIII, pag. 951 (R. T.).

2 Huiusmodi decreta Clementis VIII subiiciuntur postea huic Urbani VIII Constitutioni (R. T.).

recipi possint, nisi prius a Congregatione Reformationis Apostolicae, vel a propriis locorum Ordinariis, expresse et nominatim approbati fuerint. A cuius quidem decreti observatione sacra Congregatio iustis de causis censuit regulares esse absolvendos, prout auctoritate Sanctissimi Domini nostri absolvit atque exemit.

De transeuntibus ad arctiorem.

§ 3. Deinde, ut apostatandi opportunitas regularibus praeripiatur, statuit, ut de cetero nullus permittatur ad arctiorem religionem transire, nisi prius superiori legitime constiterit, eam religionem paratam esse illum recipere qui licentiam petit: tumque regularis rectâ se transferat ad arctiorem. Quod ut re ipsâ adimpleatur, idem superior omni studio ac diligentiâ invigilet.

De fugitivis et apostatis.

§ 4. Rursus statuit, ut fugitivi et apostatae, sive habitum regularem deferant, sive non, possint ac debeant ab episcopo loci, ubi moram trahunt, in carceres conici, superioribus regularibus consignari, secundum regularia instituta puniendi; utque ipsi quoque superiores teneantur eos perquirere, ad religionem reducere, atque efficere, ut apprehendantur; salvâ tamen in omnibus facultate Ordinariis locorum attributâ decreto Concilii cap. III, sess. VI.

De redeuntibus.

§ 5. Quod si apostatae huius modi, citra montes infra quatuor, ultra montes vero infra octo menses, a praesentis decreti publicatione inchoandos, suâ sponte ad suam quisque religionem redierint[1], tum poenarum omnium ipsis propter apostasiam inflictarum aut infligendarum remissionem atque impunitatem assequantur: ita tamen ut debeant a superiore absolutionem humiliter petere, et coram eo culpam fateri, atque emendationem polliceri: superior vero e contra benigne illos teneatur ab huiusmodi poenis absolvere, et paternâ charitate complecti.

1 Edit. Main. legit *redierit* (R. T.).

De incorrigibilibus, qui nonnisi praevio processu sunt eiiciendi.

§ 6. Ad haec, ut imposterum a religionibus nullus legitime professus eiici possit nisi sit vere incorrigibilis; vere autem incorrigibilis minime censeatur, nisi non solum concurrant ea omnia, quae ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur (sublatis hac in parte statutis et constitutionibus cuiusque religionis et Ordinis, etiam a Sede Apostolicâ approbatis et confirmatis), verum etiam unius anni spatio in ieiunio et poenitentiâ probetur in carceribus; proindeque religio privatos habeat carceres in qualibet saltem provinciâ. Elapso autem anno, si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in suâ pertinaciâ perseveraverit, ne contagione pestiferâ plurimos perdat, tamquam pecus morbida ac membrum putre eiici tandem possit, sed ab ipsomet generali tantum, de consilio et assensu sex patrum ex gravioribus religionis, eligendis in singulis capitulis vel congregationibus generalibus; tumque nonnisi instructo, secundum eorum stylum et constitutiones, processu, et plene probatis causis expulsionis ad sacrorum canonum praescriptum. Interea tamen usque ad primum generale capitulum seu congregationem proxime celebrandam, si quempiam ex iustis et necessariis causis expellere oportebit, eiectio fieri possit a generali cum consilio et assensu sex patrum, ut supra, quos idemmet generalis eligere debeat infra quatuor menses a praesentis decreti publicatione; servatâ tamen in reliquis formâ superius praescriptâ.

Eiecti subiiciuntur Ordinario.

§ 7. Sic vero eiecti, quamdiu non redierint ad religionem, in habitu clericali incedant, atque Ordinarii loci iurisdictioni et obedientiae subsint; proindeque generalis illico expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur.

Superiores vero nil relinquant intentatum, ut ii resipiscant.

§ 8. Ceterum sacra Congregatio religionum superiores serio admonet, ac per Iesu Christi viscera obtestatur, ut

memores paternae charitatis et mansuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, ut lucrentur animas fratrum suorum fere in profundum malorum delapsas, antequam gravissimum atque extremum expulsionis remedium experiantur: idque eo magis, quod subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium et sui officii immemorum praelatorum regimine peribunt, Dominus noster Iesus Christus in supremo Dei iudicio de eorumdem praelatorum manibus sit requisiturus.

Eiectis testimoniales litterae non tradendae.

§ 9. Praeterea statuit, ut iidem superiores nemini ex religiosis expulsis litteras testimoniales concedant, illos ad Sedem Apostolicam reiicientes, vel iubentes aliam ingredi religionem.

Qui suspensi sint ab exercitio Ordinum.

§ 10. Item, ut eiecti, extra religionem degentes, sint perpetuo suspensi ab exercitio ordinum, sublatâ Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi aut moderandi.

Renovatur Constitutio Gregorii IX.

§ 11. Ac postremo censuit esse innovandam et Suae Beatitudinis auctoritate innovat constitutionem felicis recordationis Gregorii IX relatam in c. *fin. extra de Regul.*; ac praeterea declarat eam constitutionem in iis quoque vendicare sibi locum, servandamque esse, qui iuste, definitive, ac iuris ordine servato expulsi fuerint; dummodo tamen in expulsis huiusmodi subsit spes evidens emendationis ex litteris saltem testimonialibus Ordinarii, cuius conscientiam in his litteris concedendis sacra Congregatio serio oneravit.

Clementis VIII Constitutio et haec decreta bis in anno in domibus regularibus legenda.

§ 12. Ne qua[1] vero difficultas in suprascriptis decretis et ordinationibus exequendis suboriatur, sacra Congregatio, Sanctissimo Domino nostro annuente, atque approbante, universis generalibus, provincialibus, commissariis, ministris, praesidentibus, abbatibus, prioribus, praepositis, guardianis, vicariis et quibuscumque aliis superioribus quorumcumque Ordinum vel congregationum, monasteriorum, conventuum, collegiorum, domorum ac locorum regularium ubique locorum existentium iniungit, serioque mandat, ut illa diligenter observent atque observari procurent in omnibus coenobiis, ac monasteriis, collegiis, ac domibus quorumque monachorum ac regularium ubique locorum existentibus, efficiantque ut tam decreta supradicta felicis recordationis Clementis VIII, quam praesentes ordinationes in singulis eiusmodi locis bis saltem in anno legantur in publicâ mensâ.

Inobedientium poena.

§ 13. Si quis vero ipsorum adversus ea, quae superius praescripta sunt, vel eorum aliquid, quoquomodo facere vel moliri praesumpserit, ipso facto poenam incurrat privationis omnium officiorum, quae tunc obtinebit, vocisque activae et passivae, ac perpetuae inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda; poenaque huiusmodi sit Sanctitati Suae ac Sedi Apostolicae reservata, iisdem superioribus, etiam generalibus, et protectoribus illam moderandi seu relaxandi potestate penitus interdictâ, et nihilominus sit irritum et inane quicquid secus a quoquam actum extiterit.

Derogatio contrariorum.

§ 14. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis in favorem quarumcumcumque personarum, atque Ordinum tam Mendicantium quam non Mendicantium, congregationum, monasteriorum, conventuum, domorum, ac locorum regularium quorumcumque, necnon illorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis) statutis vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis et privilegiis, etiam in corpore iuris clausis, aut ex causâ, vel titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam *mari magno*, seu *bullâ aureâ*, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscumque

1 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).

tenoribus et formis, et cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis seu extensionis, concessis, et iteratis vicibus approbatis et innovatis, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus et formis specialis et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma servanda esset; tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro expressis habens, quibus quoad ea, quae supradictis quomodolibet adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter et expresse, Sanctitatis Suae auctoritate, derogat, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. Romae, die XXI septembris MDCXXIV.

PROSPER FAGNANUS S. Congr. Secr.

Subsequuntur supradicta decreta generalia Clementis Papae VIII [1].

Decretum primum.

De novitiis ad habitum regularem et professionem non admittendis, nisi in conventibus designandis [2].

Clemens Papa VIII.

Facilitas noxia novitios admittendi.

Regularis disciplinae restitutioni, pro qua potissimum, iuxtà nostri muneris debitum, laborare non desistimus, illud in primis magnum impedimentum afferre quotidiano usu compertum est, quod in omnibus conventibus, iis praesertim qui maiori reformatione indigent, singuli ad religionem venientes passim recipiuntur; unde fit, ut quo magis nos variis constitutionibus male affectas radices amputare studemus, eo magis in dies depravata, infructuosaque eiusmodi noviter profitentium germina succrescant. Cui quidem malo occurrere volentes, praesenti decreto statuimus, directeque [1] praecipimus omnibus generalibus, provincialibus, commissariis, ministris, ceterisque superioribus conventuum intra Italiae et insularum adiacentium fines existentium quibuscumque, quorumcumque Ordinum [2] Mendicantium, ut de cetero neminem sub quovis praetextu aut colore ad habitum regularem admittant, nisi in conventibus auctoritate nostrâ propediem in unâquaque provinciâ designandis. Insuper sancimus, ut quoad eiusdem conventus [3], ut praefertur, per nos deputati non fuerint, omnes praefatorum Ordinum superiores a receptione quorumcumque novitiorum, sive ad habitum sive ad professionem, omnino abstineant. Superior, qui huius decreti transgressor extiterit, ipso facto poenam privationis omnium officiorum, quae tunc obtinebit, vocisque activae [4], et perpetuae inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda, se noverit incurrisse, ac aliis etiam poenis arbitrio nostro subiaceat. Receptiones vero et professiones [4] quaslibet eorum, qui contra huiusmodi decretum nostrum admissi fuerint, nullas et irritas esse ex nunc

Decretum contra illam.

1 Nonnulla huiusmodi decreta Clementis VIII iam habentur supra relata in tom. X nostrae editionis, uti indicabimus; tamen quia non omnia, neque integra ibi habentur, ideo illa iterum subiicienda hîc cum Cherubino et Coquelines censemus (R. T.).

2 Istud iam habes in tom. X, pag. 769 *b* (R.T.).

1 Sic oēs edit.; at videtur legendum *districteque* sicut in tom. X, pag. 769 nostrae edit. (R.T.).

2 Nescio an desit vocula *etiam*, prout videretur ex seq. decreto (R. T.).

3 Sic omnes edit.; at videretur legendum *quoadusque iidem conventus*, (R. T.).

4 Nescio an addendum etiam *et passivae*, ut legitur in seq. decreto (R. T.).

5 Perperam ed. Main. habet *possessiones* (R.T.).

decernimus et declaramus, privilegiis, statutis et consuetudinibus quibuscumque in contrarium minime obstantibus.

Datum Romae, die XII martii MDXCVI.

Decretum secundum.

renovationis [1]
et ampliationis decreti praedicti.

De novitiis ad habitum regularem non recipiendis, nisi in monasteriis et locis designandis [2].

Relatio praecedentis decreti.

Sanctissimus in Christo Pater et Dominus noster Dominus Clemens, divinâ providentiâ Papa VIII, cum iam dudum animadverteret collapsae regularis disciplinae restitutioni [3], pro quâ potissimum, iuxta sui muneris debitum, vigilare ac laborare non desistit, illud in primis magnum impedimentum afferre, quod in omnibus monasteriis et conventibus, iisque praesertim, qui maiori indigent reformatione, singuli, ad religionem profitendam accedentes, passim ac sine delectu recipiuntur, ac inde fieri, ut quo magis variis constitutionibus male affectas radices evellere studet, eo magis infructuosa noviter profitentium germina quotidie succrescant; cumque, ob zelum ac desiderium, quo tenetur Sanctitas Sua, omnes regulares ad vetus suae cuiusque religionis institutum redigendi, districte prohibuerit, ne quis in certis monachorum et mendicantium Ordinibus ad suscipiendum habitum religionis admitteretur, profitereturve, quousque monasteria et conventus aliquot destinarentur, in quibus posset commodius regularis observantia, secundum reformationem a Sanctitate Suâ institutam, introduci: quia tamen, non obstante tali prohitione cognovit, nonnullos fuisse, vel sub colore facultatis et licentiae a Sanctitate Suâ obtentae, vel quia talis prohibitio ad illorum notitiam non pervenerit, receptos et admissos, praeter mentis suae sensum; idcirco huic malo prospicere volens, ne licentiarum ac facultatum huiusmodi subreptione ac praetextu decretum Sanctitatis Suae irritum reddatur, nunc denuo districte praecipit ac mandat omnibus generalibus, provincialibus, commissariis, ministris, praesidentibus, abbatibus, prioribus et guardianis quibuscumque, ceterisque superioribus conventuum, monasteriorum ac domorum, quocumque nomine appellentur, intra Italiam et insularum adiacentium fines existentium, quorumcumque Ordinum Mendicantium et non Mendicantium (exceptis tamen Carthusianorum, fratrum Minorum de Strictiori Observantiâ, necnon Cappuccinorum sancti Francisci Reformatorum, sancti Dominici, Discalceatorum Ordinis Carmelitarum, necnon fratrum Congregationis Fuliensis, Cisterciensis Ordinis, ac Eremitarum eremi Camaldulensis et Montis Coronae, Clericorum Regularium Theatinorum, Societatis Iesu, sancti Pauli Decollati, et aliorum de Somascha, Ministrorum Infirmorum respective Ordinibus, societatibus seu congregationibus nuncupatis, quae etiam antea exceperat, et nunc iterum excipiendo voluit prohibitionem hanc ad illa nullo modo extendi), ne sub cuiusvis licentiae et facultatis impetrandae obtentu, nisi per litteras in formâ Brevis dumtaxat, et non aliâs, quemquam ad habitum regularem suscipiendum, nec etiam conversos, nisi in conventibus, monasteriis et domibus, auctoritate eiusdem SS. D. N. propediem in unaquâque provinciâ designandis, recipere, aut receptos ad professionem admittere ullo modo audeant. Quinimo contra primam prohibitionem Sanctitatis Suae receptos, etiamsi imperfectum habitum, aut sine caputio gerant, post praesentis decreti in Romanâ Curiâ publicationem, omnino eiicere debeant.

Ampliatio decreti.

1 Perperam edit. Main. dicit *revocationis* (R.T).
2 Istud habes etiam in tom. X, pag. 770 *a* (R.T.).
3 Perperam edit. Main. legit *restitutionibus*.

Poenae contra transgressores.

Superiorem autem, qui huius decreti transgressor extiterit, ipso facto poenam privationis omnium officiorum, quae tunc obtinebit, vocis activae et passivae, et perpetuae inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda, eo ipso incurrere voluit ac decrevit, et aliis etiam poenis arbitrio Sanctitatis suae imponendis subiacere.

Receptiones vero et professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi decretum admissi fuerint, nullas et irritas esse ad quemcumque effectum, ex nunc decernit et declarat.

Hoc autem decretum noluit Sanctitas Sua eos Ordines comprehendere, qui conventus, domus et monasteria a se probata pro novitiorum receptione et educatione hactenus permissione suâ constituerint.

Certas[1] vero licentias[2] sive particulares, quae in hanc diem effectum non sunt sortitae, revocat et annullat.

Vult autem decretum hoc suum, in solitis locis Urbis publicatum, ita praedictorum singulos afficere, ac si cuilibet personaliter fuisset intimatum: privilegiis, statutis et constitutionibus quibuscumque in contrarium minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Marcum, die XX mensis iunii MDXCIX.

Decreta alia.

Pro reformatione regularium, tam monachorum quam mendicantium, cuiuscumque Ordinis et instituti[3].

Clemens Papa VIII.

De chori servitio.

§ 1. Nullus omnino, praetextu cuiuscumque privilegii vel superioritatis, etiam generalatus, a servitio chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in proprii officii munere actu fuerit occupatus. Cum lectoribus autem et praedicatoribus superiores iis tantum diebus, quibus eos legere aut praedicare contigerit, dispensare possint. Idem quoque praestare valeat cum aegrotis, et studiorum causâ legitime impeditis. In eos vero, qui negligentes aut inobedientes fuerint, salutari poenitentiâ superiores animadvertant ad praescriptum regulae et constitutionum, alimenti etiam, si opus fuerit, subtractione.

De lectione sacrae Scripturae.

§ 2. Lectio sacrae Scripturae vel casuum conscientiae bis in hebdomadâ, praescriptis diebus, in singulis monasteriis et conventibus habeatur, ad quam fratres omnes conveniant, eâque absolutâ, mutuâ collatione circa explicatam doctrinam sese utiliter exerceant.

De paupertatis voto.

§ 3. Quo Tridentini Concilii decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius observentur, praecipitur, ut nullus ex fratribus, etiamsi superior sit, bona mobilia vel immobilia, aut pecuniam, proventus, census, eleemosynas, sive ex concionibus, sive ex lectionibus, aut tam in propriâ ecclesiâ quam ubicumque celebrandis, aliove ipsorum iusto labore et quocumque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tamquam propria, aut etiam nomine conventus possidere possit; sed ea omnia statim superiori tradantur, et conventui incorporentur, atque cum ceteris[1] illius bonis, redditibus, pecuniis ac proventibus confundantur, quo communis inde victus et vestitus omnibus suppeditari possit.

De licentiis contra votum paupertatis.

§ 4. Neque superioribus, quicumque illi sint, ullo pacto liceat eisdem fratribus, aut eorum[2] alicui, bona stabilia, etiam ad usumfructum vel usum, administrationem

1 Videretur potius legendum *ceteras*, ut habet edit. Cherub. (R. T.).

2 Nescio an addendum *sive generales* (R. T.).

3 Huiusmodi habes etiam in tom. X, pag. 37 *b* seq., sed ibi specialiter pro monachis S. Hieronymi de Observantiâ latum fuerat (R. T.).

1 Edit. Main. habet *certis* (R. T.).

2 Vocem *eorum* addimus ex loco parallelo et ex Cherub. edit. Rom.; generatim ed. Main. sequitur edit. Cherub. Lugdun. quae mendosa est (R. T.).

aut commendam, etiam depositi aut custodiae nomine, concedere:

§ 5. Eorum vero, quae ad necessitatem concessa erunt, nullus quicquam possideat ut proprium, neque ut proprio utatur:

§ 6. Qui in praemissorum aliquo deliquerit, poenas nedum a Concilio Tridentino praescriptas, sed alias quoque multo graviores, superiorum arbitrio imponendas, incurrat:

§ 7. Nulla quorumcumque superiorum dispensatio, nulla licentia, quantum ad bona immobilia vel mobilia, fratres excusare possit, quominus[1] culpae et poenae ab eiusdem Concilii decretis impositae ipso facto incurrendae obnoxii sint, etiamsi superiores asseverent, huiusmodi dispensationes aut licentias concedere posse: quibus in eâ re fidem minime adhiberi volumus.

De vestitu et suppellectili.

§ 8. Fratrum vestitus et supellex cellarum ex communi pecuniâ comparetur, et omnino uniformis sit fratrum et quorumcumque superiorum, statuique paupertatis, quam professi sunt, conveniat: ita ut nihil superflui admittatur, nihil etiam, quod sit necessarium, alicui denegetur.

§ 9. Quaecumque fratrum vestes, sive laneae sive lineae, omnisque alia supellex in aliquem commodum conventus locum deferantur, ibique ab uno vel duobus fratribus huic muneri deputatis diligenter custodiantur, ut inde superioris arbitrio, prout unicuique opus fuerit, subministrari opportune possint.

De cibis et potu.

§ 10. Omnes, etiam superiores, quicumque illi sint, eodem pane, eodem vino, eodemque obsonio, sive eâdem (ut aiunt) pitantiâ, in communi mensâ primâ vel secundâ, nisi infirmitatis causâ impediti fuerint, vescantur, neque singulare aliquid, quo privatim quisque in cibum utatur, ullo modo afferri possit: si quis in eâ re peccaverit, nihil eâ die alimenti percipiat, nisi panem et aquam.

[1] Edit. Main. legit *quo* (R. T.).

De praestationibus ratione officii.

§ 11. Superiores omnes, etiam generalis, qui redditus aut praestationes peculiares ratione officiorum habent, eorum accepta et expensa in libro distincto fideliter et diligenter adnotari curent, neque in alios usus, quam ratione officii sui necessarios, quicquam expendant. Cum vero contigerit, ipsos in aliquo conventu commorari, eam pecuniae quantitatem in commune conferant, ex qua sibi, et iis qui secum erunt, victus ad praescriptum regulae et constitutionum suppeditetur.

De bonorum administratione

§ 12. Nullus ex superioribus locorum administrationem bonorum aut aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum et reddituum sui conventus, etiam nomine conventus, per se ipsum habere sive exercere possit, sed universum id onus tribus fratribus eiusdem conventus a generali ita demandetur, ut unus rerum et bonorum, reddituumque colligendorum curam habeat; alter, tamquam depositarius, pecunias ac cetera ab illo collecta et exacta fideliter asservet; alius de pecuniis et rebus a depositario acceptis priori, fratribus ac conventui universo de necessariis, mandante tamen ipso priore, non secundum proprium affectum, sed iuxta charitatis regulam, veluti bonus dispensator provideat, officiorum huiusmodi confusione penitus interdictâ.

De reddenda ratione.

§ 13. Ceterum hi tres tam impensi quam accepti singulis mensibus superiori locali, adhibitis etiam duobus vel tribus fratribus eiusdem conventus probatioribus, rerumque usu peritis, rationem reddant: deinde ipsimet rursus, praesentibus priore et peritis praedictis, generali, cum advenerit: denique ipse generalis, in quolibet proximo capitulo generali, saltem coram tribus iudicibus ab ipso capitulo ad hoc constitutis, illorum omnium, universamque suae administrationis, tam publicae quam privatae, rationem reddere teneatur, cuius etiam exemplum authenticum ex actis ca-

pituli describatur, ad hoc, ut, ad omne mandatum nostrum vel Sedis Apostolicae, Romam transmitti possit.

De fratrum numero. § 14. In unoquoque conventu fratrum is tantum deinceps constituatur, et imposterum retineatur numerus, qui ex redditibus illius propriis, vel ex communibus consuetis, vel etiam singulorum eleemosynis, aliisve quibuscumque obventionibus, in commune, ut praefertur, conferendis, commode possit sustentari: redditus vero et supradicta omnia in communi loco ac tuto diligenter asserventur.

Superiores ne aliter declarent. § 15. Superioribus autem, ne Concilii Tridentini aut haec nostra decreta declarare, interpretari aut relaxare ullo modo possint, omnino interdicimus et prohibemus: decernentes irritum, etc. Si quis autem contra praesumpserit attentare, is eo ipso omni gradu officioque privatus, et ad ea perpetuo inhabilis existat.

De privilegiis. § 16. Nullus, nisi actu legat vel praedicet, aliquo sui gradus privilegio gaudeat.

De socio. § 17. Si alicui ex necessariâ causâ generalis iudicio probandâ socius ex eodem Ordine, qui illi ministret, concedendus erit, is nisi vigesimumquintum agat annum, et qui communi servitio sit deputatus, non concedatur, et, si commode fieri potest, sit laicus conversus.

De clausura. § 18. Ut omnis scandalorum et vagationis occasio tollatur, conventus clausura perpetuo ac diligenter servetur: propterea a superiore ianitor constituatur, qui diligentiâ ac morum integritate maxime commendetur: is ianuae custodiendae semper assistat, eamque nemini fratrum aperiat, nisi socium et exeundi licentiam obtinuerit.

§ 19. Nullus a conventu egredi audeat, nisi ex causâ, et cum socio, licentiâque singulis vicibus impetratâ, ac benedictione acceptâ a superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causâ probatâ, sociumque exituro adiungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eumdem saepius. Licentiae vero generales exeundi nulli omnino concedantur.

§ 20. Contravenientes autem poenâ gravi etiam carceris ad superioris arbitrium plectantur: eamdem etiam ianitor subeat, si, sciens, exeundi facultatem fecerit.

§ 21. Cum autem quis in conventum revertitur, superiorem iterum adibit, benedictionem recepturus, qui a socio itineris rationem, et quid rei actum sit, diligenter perquirat.

Romam ire prohibitum sine licentia. § 22. Nullos fratres Romam venire superiores permittant, nisi prius a generali vel protectore dumtaxat licentiam in scriptis impetraverint.

§ 23. Si quis autem sine huiusmodi facultate Romam venire praesumperit, voce activâ et passivâ biennio privatus existat, subiturus etiam alias arbitratu superiorum infligendas poenas. Quae item omnia adversus eos, qui supradictos admiserint et receperint, sine ullâ exemptione locum habeant.

De cellarum et dormitorii ratione. § 24. Habeat superior clavem, ita fabrefactam, ut cum sibi videbitur, cellas omnes reserare possit: et propterea nullus cellam, etiam noctu, ita claudat, quin semper a superiore possit aperiri.

§ 25. In medio dormitorii totam noctem lampas colluceat.

§ 26. Nullus, etiâm superior, cellas, sive in claustro, sive alibi separatas a communi dormitorio habeat, sed unusquisque unicâ cellâ, eâdem[1] cum ceteris aliorum fratrum coniunctâ, nudis omnino parietibus, ac lecto et mensâ humilibus, uniformique supellectili, ut praefertur, quemadmodum religiosos decet, contentus sit. Possit tamen generalis alicui ex superioribus conventuum, si eorum muneris et officii necessitatem id exigere cognoverit, alteram etiam cellam concedere.

§ 27. Cellae, sivae aediculae, quae extra dormitorium separatim sunt, ad offi-

1 Aptius in loco parall. est *eâdemque* (R. T).

cinas, aut aliàs ad communem usum et commoditatem conventus redigantur.

§ 28. Singillatim suo quisque lecto cubet, neque ullibi duo eodem lecto dormire possint, qui omnes ad certam formam redigendi erunt.

§ 29. In privatis cellis nulli camini permittantur, sed omnes destruantur statim, cardinibus etiam e parietibus convulsis, ut res illa non ad tempus facta, sed perpetuo duratura videatur; cellis tamen generalis aut alterius superioris ac praedicatoris exceptis.

§ 30. Conventus fenestrae omnes, quae in vias publicas, aut in vicinas laicorum aedes prospiciunt, muro ita obstruantur, ut omnino is prospectus impediatur.

Infirmorum cura.

§ 31. Valetudinarium in singulis conventibus certo ac salubriori loco constituatur, quod pro loci situ, ac fratrum numero, quoad fieri poterit, commodissimum esse possit, in quo fratres omnes, cum aegrotabunt, curentur, nec inde, nisi recuperatâ sanitate, abire permittantur. Qui vero infirmorum curae praepositi sunt, omni sedulitate ac charitate operam suam praestabunt ac curabunt, ne quid aegrotis omnino desit, quod ad sanitatem recuperandam pertineat.

Extra conventum degere prohibetur.

§ 32. Ineatur ratio, qua, sublatis licentiis ac facultatibus hactenus quibuscumque concessis, degentes extra conventus claustra ad ea quamprimum revocentur, nec de cetero, nisi ex gravissimâ causâ a Sede Apostolicâ probandâ, huiusmodi facultates concedi possint.

Non ubique novitii recipiendi.

§ 33. Nulli imposterum ad habitum aut professionem admittantur, nisi in conventibus per Sedem Apostolicam in qualibet provinciâ deputatis.

De muneribus et hospitalitate.

§ 34. Curent superiores, ut constitutio interdicens largitiones munerum, et praescribens hospitalitatis formam, ab omnibus in quolibet conventu inviolabiliter observetur.

De ambitu.

§ 35. Ut omnis officiorum ambitus occasio praecludatur, caveant omnes a directâ vel indirectâ vocum seu suffragiorum procuratione, tam pro se ipsis, quam pro aliis, tum in capitulis locorum, tum in ceteris, praesertim generalibus, capitulis aut congregationibus, seu alibi. Quicumque secus fecerint, praeter alias poenas et censuras hactenus contra huiusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in poenam privationis officiorum, quae obtinent, eo ipso incidant, et ad futura quaecumque pariter inhabiles habeantur (super quo cum eis dispensari a nemine possit, nisi a nobis, vel successoribus nostris), et pro qualitate culparum gravius etiam plectantur. Porro supradictas omnes poenas ad complices, ac simpliciter scientes et non revelantes extendimus.

De electionibus.

§ 36. In superiorum et officialium omnium electionibus forma praescripta a sacro Concilio Tridentino et Ordinis constitutionibus inviolabiliter servetur[1], iurentque electores, secundum veritatem cuiusque conscientiae probiores ac magis idoneos se electuros; ac propterea, priusquam ad electionem deveniatur, in primis et ante omnia praelegantur constitutiones de qualitate et requisitis eligendorum. Ad officia, gradus et praelaturas illi praecipue eligantur, qui possint et consueverint regulas Ordinis et constitutiones observare, praesertim quae pertinent ad servitium chori, ac vestitum et victum communem.

Examinatores deputentur.

§ 37. Eligantur in capitulo generali vel provinciali aliquot graves et periti ex fratribus cuiuslibet provinciae saltem tres, qui admittendos ad praedicationem verbi Dei vel audiendas confessiones, etiam ipsorum fratrum, ac lectores publicos diligenter simul examinent, priusquam probentur et ad huiusmodi ministeria admittantur.

1 Edit. Main. habet *serventur* (R. T.).

Horum etiam curae sit examinare et probare, tam quoad doctrinam, quam quoad mores, promovendos ad quoscumque ordines, in quo servetur decretum Congregationis interpretum sacri Concilii Tridentini hac de causâ nuper editum et promulgatum.

Ad superiores hortatio.

§ 38. Illud porro superiores omnes in Domino admonemus, ut memores sint rationis, quam in novissimo die reddituri sunt pro grege sibi commisso; ac propterea omni studio invigilent, ut quae in eorumdem Ordinum regulis et constitutionibus de oratione mentali, silentio et ieiuniis, capitulo culparum, aliisque spiritualibus exercitiis prudenter ac pie sancita sunt, ea omnia et singula ad unguem observentur; intelligantque super his veluti fundamentis omnium religionum aedificia construenda et amplianda esse, quae ut faciliorem exitum sortiantur, et fructus uberiores in animis fratrum producant, valde opportunum erit, si in quolibet conventu, singulis hebdomadis, habeatur sermo de religiosâ disciplinâ; regularique observantiâ.

De ordine diei.

§ 39. Quo vero omnia ordinate peragantur, appendatur tabella in loco conspicuo uniuscuiusque conventus, in qua distincte adnotetur, quid singulis horis cuiusque diei quilibet frater praestare debeat, ut certo quoque signo praemonitus maiore animi praeparatione suo muneri satisfacere possit. Quae Ordinis constitutiones his decretis non adversantur, inviolate custodiendae erunt.

Poenae.

§ 40. Quibus horum decretorum capitibus certa poena praescripta non est, arbitrio generalis vel alterius immediati superioris infligatur. Ut autem haec decreta (donec alia, quae pleniorem reformationem facient, edantur) ab omnibus observari possint, districte praecipimus generalibus, ac omnibus aliis quibuscumque superioribus, ad quos hoc spectat, ut curent ac efficiant, ea omnia inter eorumdem constitutiones perpetuo valituras redigi, interdictâ omnino eorum singulis facultate illas declarandi, et adversus eas unquam dispensandi. Alioquin sciant, se in poenam generalatus et officiorum privationis, ac inhabilitatis perpetuae ad alia quoque munera, ipso facto et sine ullâ exceptione respective incidisse.

Publicatio.

§ 41. Ne[1] vero praetextu dilatae publicationis eorum observatio quoquomodo differri possit, aut impediri, volumus, ut post illorum publicationem in conventu vel monasterio cuiuslibet Ordinis de Urbe factam, generalem, aliosque Ordinum superiores, ceterosque quoscumque fratres, praesentes statim, reliquos vero absentes, citra montes, unius mensis, ultra montes, trium mensium spatio, ita arctent, ac si eorum singulis personaliter intimata fuissent.

§ 42. Insuper mandamus, quod generales, in conventibus citra montes, unius mensis, ultra vero montes, trium mensium cursu, decreta supradicta publicari faciant, sub poenâ privationis generalatus, aliisque arbitrio nostro imponendis.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXV mensis iunii MDXCIX[2].

Aliud decretum.

De licentiâ obtinendâ a fratribus Romam venientibus[3].

Talem licentiam dare possit provincialis.

Decretum illud, quo fratres Romam petere cum generalis et protectoris licentiâ dumtaxat permissum est, Sanctitas Sua extendi ad provincialem decrevit: itaut provincialis ipse, ex causâ communi totius provinciae dumtaxat, facultatem hu-

1 Duae sequentes § in loco parallelo non legebantur (R. T.).

2 Prima vice, ut in tom. x loc. cit., decretum datum fuit XXIV aprilis MDXCIII (R. T.).

3 Istud non legebatur in *Bullario* (R. T.).

iusmodi facere valeat: declaravitque poenam privationis vocis activae et passivae, contrafacientibus inflictam, Sanctitati Suae reservatam esse: interdictâ omnino eorum superioribus singulis, etiam generali ac protectori, facultate illam moderandi ac relaxandi.

Datum Romae, die x martii MDCI.

Aliud decretum.

Super casuum reservatione ab omnibus Regularium Superioribus observandum [1].

Causa decreti. Sanctissimus Dominus noster, qui iampridem accurate perpendit, ac re ipsâ comperit, quod reservatio facultatis absolvendi religiosos poenitentes a peccatis quibusdam gravioribus, nisi superiores [2] admodum prudenter ac moderate illâ utantur, nonnullos infirmiores, qui interdum superiori suo conscientiae maculas detegere formidant, adducere posset in aeternae damnationis periculum, et spiritualis remedii desperationem;

Superiores non reservent nisi casus infrascriptos. § 1. Ideo, ut huic malo Sanctitas Sua opportune prospiceret, decrevit, ut nemo ex regularium superioribus peccatorum absolutiones sibi reservet, exceptis iis quae sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout subditorum utilitati expedire prudenter in Domino iudicaverint.

Casus reservandi. 1. Veneficia, incantationes, sortilegia;

2. Apostasia a religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eo pervenerit, ut extra septa monasterii seu conventus fiat egressio; Nocturna ac furtiva e monasterio seu conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta;

3. Proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale; Iuramentum falsum in iudicio regulari seu legitimo;

4. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum foetum, etiam effectu non sequuto;

5. Falsificatio manus aut sigilli officialium monasterii aut conventus; Furtum de rebus monasterii seu conventus in eâ quantitate, quae sit peccatum mortale;

6. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus;

7. Occasio, aut vulneratio, seu gravis percussio cuiuscumque personae;

8. Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio litterarum a superioribus ad inferiores, et ab inferioribus ad superiores;

9. Si quod aliud praeterea peccatum grave pro religionis conservatione aut pro conscientiae puritâte reservandum videbitur, id non aliter fiat, quam generalis capituli in toto Ordine, aut provincialis in provinciâ, maturâ discussione et consensu.

Non ipsi subditorum confessiones audiant. § 2. Non liceat superioribus regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte ac proprio motu id ab iis petierint.

Sed alios confessarios deputent. § 3. Superiores in singulis domibus deputent duos, tres aut plures confessarios pro subditorum numero maiori vel minori, iique sint docti, prudentes ac charitate praediti, qui a non reservatis eos absolvant, et quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse in primis confessarius iudicaverit.

Confessionis secretum. § 4. Tam superiores pro tempore existentes, quam confessarii, qui ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime ne eâ notitiâ, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.

Poenitentiae. § 5. Licebit tamen superioribus determinare poenitentias graves quibusdam peccatis, etiam non reservatis, a confessariis

1 Istud quoque deerat (R. T.).

2 Perperam, ut puto, editiones omnes legunt *superioribus* (R. T.).

imponendas, quae subditos ab huiusmodi perpetrandis cohibere possint.

Clausulae.

§ 6. Atque ita per quoscumque regularium superiores, quicumque illi sint, observari mandavit.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac cuiusvis concilii, etiam generalis[1], decretis, necnon consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore observatis, aut regulis, in generalibus seu provincialibus capitulis editis, statutis et constitutionibus, etiam apostolicâ auctoritate comfirmatis, privilegiis, indultis et concessionibus quorumcumque, quorum tenores hîc pro expressis haberi voluit, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXVI mensis maii anno Domini MDXCIII.

Quonam casu reservatio cessat.

Sanctitas Sua deinceps declaravit, et declarat, ut si huiusmodi regularium confessariis casus alicuius reservati facultatem petentibus superior dare noluerit, possint nihilominus confessarii illâ vice poenitentes regulares, etiam non obtentâ a superiore facultate, absolvere.

Decretum aliud.

De formulâ concedendi facultatem pro novitiis ad regularem habitum recipiendis in monasteriis et locis designatis[2].

Decreta praecedentia recoluntur.

Sanctissimus in Christo Pater D. N. D. Clemens, divinâ providentiâ Papa VIII, cum regularem disciplinam restituere, atque in pristinum statum revocare maxime cuperet, regularesque omnes vitam, moresque suos ad rationem eius instituti, quod quisque professus esset, ita componere, ut quae ad votorum vim, habitum, victumque communem pertinent, ea potissimum singuli religiosissime observarent, generali decreto, quod de mense iunii[1] editum, tertiâ iulii anni MDXCIX promulgatum fuit, Ordinum religiosorum superioribus (nonnullis exceptis) prohibuit, ne aut novitios reciperent, aut quemquam ad professionem ante admitterent, quam a Sanctitate Suâ monasteria aliquot ad eam rem praescripta essent, in quibus observantia regularis vigeret.

Monasteriorum designatio.

Nunc vero eadem Sanctitas Sua, a locorum etiam Ordinariis, quibus id muneris demandaverat, certior facta in[2] infrascriptis monasteriis et conventibus Ordinis N. praefinitum esse numerum dumtaxat eorum, qui vel ipsius monasterii censibus, vel consuetis eleemosynis sustentari ibi commode possunt, atque in iis omnia fideliter observari, quae sunt cum illorum professionis perfectione coniuncta, nempe castitatis, paupertatis et obedientiae vota, unâ cum ceteris decretis particularibus, vel instituti ipsius, vel pontificiis etiam, ad victum, vestitumque communem spectantibus, ipso decreto, ut supra, edito et promulgato nequaquam obstante, potestatem facit superiori eiusdem Ordinis novitiatus in infrascriptis monasteriis et conventibus erigendi, et novitios recipiendi, educandi atque ad professionem admittendi, modo tamen id ad praescriptum instructionis iussu Suae Sanctitatis editum[3], neque alio modo fiat. Quoniam vero ea est Suae Sanctitatis mens et voluntas, ut in monasteriis et conventibus, ad alendos novitios praefinitis, regularis observantia perpetuo retineatur, mandat et praecipit,

1 Sic legimus cum edit. Cherub. Rom.: male edit. Main. legit *generalibus* (R. T.).

2 Et istud in *Bullario* non legebatur (R. T.).

1 Sic legimus ex edit. Cherub. Rom.; et revera decretum, supra relatum pag. 206, datum fuit die 20 iunii, quod postea, ut hîc dicitur, fuit die tertia iulii promulgatum. Erronee itaque edit. Main. hic legit *iulii* (R. T.).

2 Praep. *in* nos addimus (R. T.).

3 Videretur potius legendum *editae* (R. T.).

ut in ipsis praescriptus iam personarum numerus in posterum servetur, nullusque omnino superior cuiusvis conditionis personarum et novitiorum numerum augere praesumat, eâ poenâ propositâ, ut in omnibus privatus officiis, vocis activae et passivae ius omne amittat. Vult denique Sanctitas Sua, huiusmodi facultatem per Congregationem Reformationis Apostolicae hoc decreto Secretarii manu subscripto concedi, non obstante decreto, ut supra, promulgato.

Datum Romae, die, etc. Praescribitur vero numerus sacerdotum . . . ., clericorum . . . ., novitiorum . . . ., conversorum autem. . . .

N. Visitationis et Reformationis Apostolicae Secretarius.

Decretum aliud.

Super formâ recipiendi novitios regularium ad habitum et professionem[1].

Decreta antea acta.

Sanctissimus in Christo Pater et Dominus Noster Dominus Clemens divinâ providentiâ Papa VIII (qui aliàs, pro regularis disciplinae restitutione, singulis regularium Ordinibus, quibusdam exceptis, prohibuit, ne ad regularem habitum novitios imposterum reciperent, receptosve ad professionem admitterent, quousque in aliquibus cuiusvis Ordinis monasteriis seu conventibus, in quibus novitiatus pro recipiendis et educandis novitiis designarentur et approbarentur, ad eius, quam professi sunt, regulae praescriptum, vitam, moresque restituerent et componerent[2]) certior deinde factus, quosdam omnium fere Ordinum conventus seu monasteria ad pristinam illam regularem vivendi formam et disciplinam, quam diutius desideraverat, fuisse redacta, in eisdem monasteriis et conventibus, ut novitiatus erigi et novitii recipi possent (sub certis tamen legibus, ac eâ praesertim, ut licentia a Congregatione Reformationis Apostolicae prius obtenta esset), concessit, et ad illa designavit et approbavit[3].

Conditiones servandae.

Nunc volens, ut ea, quae pro novitiorum receptione de mandato Sanctitatis Suae praescripta fuerunt, imposterum accuratius et exactius observentur (ultra formam traditam in constitutionibus felicis recordationis Sixti Papae V[2], et etiam Sanctitatis Suae super receptione novitiorum) decrevit, ac praesentis decreti virtute mandat[3], ne in conventibus seu monasteriis (ad novitios recipiendos de Sanctitatis Suae seu dictae Congregationis Reformationis licentiâ hactenus designatis et approbatis, seu imposterum[4] designandis et approbandis)

Novitii ad habitum recipi nullatenus[5] possint vel admitti, nisi prius ab ipsâ Congregatione, vel a propriis locorum Ordinariis, aut ab illis, in quorum dioecesi novitiatus existunt in quibus novitii recipiendi fuerint, expresse et nominatim novitii ipsi recipiendi approbati fuerint, et ut recipi et admitti possint licentiam in scriptis (gratis tamen in omnibus etiam quoad scripturam concedendam) obtinuerint. Monet autem Sanctitas Sua eosdem Ordinarios omnem curam et diligentiam adhibere, ut circa aetatem, conditionem, educationem, scientiam, vitam et mores, ceterasque qualitates in ipsis novitiis requisitas, observentur institutiones pro illis recipiendis ab eâdem Congregatione Reformationis factae et pu-

1 Istud iam editum erat in *Bullario*, tom. x, pag. 771 (R. T.).

2 Id in decreto superius relato, pag. 206 (R. T.).

1 Id in decreto proxime praecedenti, pag. 213 (R. T.).

2 Vide notam ad rubricam, sup. pag. 202 (R. T.).

3 In edit. Cherub. Rom. et in loco parallelo legitur *mandavit* (R. T.).

4 Haec verba *designatis et approbatis seu imposterum*, addimus ex loco parallelo (R. T.).

5 Potius legendum foret *ullatenus*, nam praecedet *ne* (R. T.).

blicatae, neque aliter, nec alio modo aliquem ad habitum recipi permittant. Ordinariorum ipsorum conscientiam onerando, si quempiam approbaverint vel admitti permiserint, qui non sit idoneus et iuxta constitutiones praedictas approbandus et admittendus. Firmis nihilominus remanentibus poenis omnibus contra superiores quorumcumque Ordinum, qui, in admittendis ad habitum et professionem novitiis, formam constitutionum et institutionum praedictarum non servaverint, aut novitium aliquem, quantumvis idoneum et approbatum, in quovis alio conventu et loco seu monasterio, praeterquam in hactenus a Suâ Sanctitate vel a dictâ Congregatione designatis et approbatis, seu imposterum designandis et approbandis, vel ultra numerum in eorum singulis praescriptum seu praescribendum, receperint vel admiserint, seu aliàs praemissis quovis modo contrafecerint. Irritum ex nunc et inane decernens quicquid secus, vel aliàs, quavis auctoritate, a quovis, gestum vel attentatum fuerit. Non obstantibus quibuscumque, etc.

Datum Romae, apud S. Petrum, die x[1] maii MDCII, pontificatus eiusdem SS. D. N. anno XI.

Decretum aliud.

De institutionibus super receptione et educatione novitiorum religiosorum in monasteriis et conventibus designatis vel designandis, Clementis eiusdem iussu editum[2].

Causa decreti. Cum ad regularem disciplinam in singulis religiosorum monasteriis propagandam, novitiorum institutio maxime utilis sit ac necessaria, et nihil ad gravem illam ac laudatissimam priscorum patrum vivendi rationem relaxandam maiorem vim habuisse compertum sit, quam vel nimiam in recipiendis novitiis facilitatem supra numerum, quem capere atque alere monasteria ipsa possent, vel negligentiam in probando et examinando eorum spiritu, an vere esset ex Deo atque ex praecipuo desiderio illi inserviendi, vel denique incuriam in eis educandis atque instituendis; idcirco, ut huiusmodi incommodo deinceps occurratur, praecipitur omnibus et singulis, ad quos spectat, ut in recipiendis novitiis, et in eorum institutione atque educatione, necnon in magistri et aliorum ministrorum electione (praeter alia quae in sacris canonibus ac decretis praesertim Concilii Tridentini, Pontificiis, et cuiuscumque Ordinis aut instituti constitutionibus continentur[1]) tam in[2] aliàs designatis, quam nunc et imposterum ad hoc designandis monasteriis et conventibus, haec, quae sequuntur, inviolate observari et exequi perpetuo curent:

Novitiorum examen. Primum, quod attinet ad novitiorum recipiendorum formam (ultra diligentem perquisitionem, quae habenda erit de uniuscuiusque natalibus, corporis habitudine, moribus et vitâ anteactâ, ac praecipue eorum, qui sextum decimum aetatis suae annum excedent, an[3] criminosi, an aere alieno gravati, vel reddendae alicuius administrationis rationi obnoxii sint, iuxta formam constitutionis felicis recordationis Sixti V et moderationum subsequutarum), illud etiam superiores, ad quos spectabit, sedulo perquirant, ut quibus in monasteriis et conventibus, ex apostolicâ facultate novitiatus fuerint instituti, in iis ad religionem nullus imposterum admittatur, qui et ex honestis parentibus natus

1 In loco parallelo, et hîc in edit Cherub. Rom. ad marginem, legitur XIX *maii* (R. T.).

2 Istud iam legebatur in tom. X, pag. 772 (R.T).

1 Sic legimus ex loco parallelo: erronee editiones hîc legunt *continetur* (R. T.).

2 Hîc delemus vocem *eis*, quae in aliis editionibus non legitur, neque in loco parallelo (R.T.).

3 Perperam edit. Main. *ac* pro *an* legit (R. T.).

non sit, et conditiones a sacris canonibus, summorumque Pontificum constitutionibus praescriptas non habeat, iuxta decretum super formâ recipiendi novitios die XIX maii MDCII editum[1].

Aetas et litterae.

Quisque recipiendus in aliquo Ordine regulari, etiam Mendicantium, in eâ sit aetate constitutus, quam eius Ordinis, in quo recipietur, regularia instituta et ordinationes requirunt; eam vero litterarum scientiam calleat, aut illius addiscendae spem indubiam praeseferat, ut minores, et, suis temporibus, maiores ordines iuxta decreta sacri Concilii Tridentini suscipere valeat (sed si quis, annum vigesimum quintum excedens ad habitum regularem admitti postulaverit, et talis eruditionis inexpers inventus fuerit, in conversorum tantum, quibus litterarum scientia non est necessaria, numerum referatur); ipsi autem conversi non recipiantur ante vigesimum aetatis suae annum et nisi saltem praecipua doctrinae christianae capita noverint.

Vocatio.

Demum superiores diligenter exquirant, quo spiritu, qua mente ac voluntate id regularis vitae genus elegerint, quem sibi finem proposuerint, num zelo melioris frugis ac perfectioris vitae, et ut Deo liberius famulari possint, an potius levitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animo ducantur, et an eorum parentes ope et subsidio ipsorum indigentes destituantur.

Conversorum instructio.

Provideant quoque, ut omnes etiam conversi recipiendi, priusquam ad habitum regularem admittantur, ab iis, quibus munus hoc incumbit, de regulâ, quam professuri sunt, tribus votis essentialibus, statuque regulari et aliis cuiusque Ordinis peculiaribus institutis et constitutionibus diligenter instruantur. Et quia quarumdam religionum moris est nedum conversos ad professionem admittendos, verum et oblatos, ut vocant, recipere, circa ipsorum oblatorum receptionem unaquaeque religio suas peculiares constitutiones, specialiaque instituta observare teneatur.

Confessio generalis praemittenda.

Statim atque novitii ad habitum recepti et in locum novitiatus introducti fuerint, per generalem omnium peccatorum confessionem totius anteactae vitae conscientiam discutiant et expurgent.

Novitiatos loci forma.

Quod vero ad loci qualitatem uniuscuiusque novitiatus spectat, locus huiusmodi propriâ clausurâ ab eâ parte conventus et monasterii, in qua degunt professi, segregatus sit, atque distinctus, habeatque tot ad dormiendum cellulas separatas, quot erunt numero novitii, vel dormitorium ita capax, ut pro singulis singuli lectuli commode sterni possint, in quo etiam cellula vel certus ac determinatus locus pro magistro, eiusque socio reperiatur.

In eo etiam, praeter alias communes commoditates, aptus locus adsit ad spirituales collationes, seu conferentias faciendas, ac lectiones instructionesque magistri audiendas, et in quem hyemis tempore ad calefaciendum se igne communi recipiant.

Oratorium insuper, seu cappella, si commode fieri poterit, ad novitios in spiritualibus, praesertim in caeremoniis, ecclesiasticisque functionibus exercendos,

Hortus quoque peculiaris ad honestam recreationem bene conclusus atque munitus adsit, sin minus hortum ceteris fratribus communem recreationis tempore ingrediantur. Ipsis vero novitiis ibi commorantibus curabit magister cum loci superioris auctoritate (si opus fuerit) ne in eumdem quisquam alius ingrediatur.

Ad huiusmodi locum novitiatus nemini, eiusdem vel alterius Ordinis, regulari, etiam conventus et monasterii officiali, ullo unquam tempore sub quovis praetextu aditus pateat, praeterquam magistro, eiusque socio, ac etiam monasterii aut con-

1 Hoc decretum est quod praecedit pag. 214 (B. T.).

ventus superiori, si quandocumque ingrediendum sibi necessario existimaverit; quo tamen casu aliquem semper ex senioribus conventus et monasterii patribus socium assumat.

Huius loci clausurae clavis apud magistrum semper asservetur, illique soli liceat ex gravi tantum causâ ingressum illuc alicui permittere; si quis autem novitiorum quempiam alloqui voluerit, magistro praesente, et non aliter, alloquatur.

De novitiorum magistro et eius socio.

Novitiorum magistro socius, si propter novitiorum instruendorum multitudinem necessarius fuerit, vitâ et moribus, quoad fieri poterit, consimilis deputetur, qui in his, quae ad novitiatus regimen spectant, dicto magistro immediate subiectus existat, eliganturque, tam magister quam socius, per provinciale capitulum, per triennium ad minus onus huiusmodi subituri. Quod si aliquo casu extra tempus capitulare nova loca novitiatus concedi contingat, tunc electionem magistri novitiorum et socii huiusmodi in his novis locis per generalem seu ministrum aut eorum visitatores seu vicarios, de definitorum tamen vel graviorum aliorum patrum consensu, fieri permittatur: idemque servetur, si intra triennium, alterum vel utrumque urgenti aliquâ de causâ ex illis locis amoveri vel mori contigerit, in cuius vel quorum locum alii consimiles subrogari debeant.

Eorum dotes.

Tam novitiorum magister quam socius ab iis omnibus officiis, oneribusque vacationem habeant, quae novitiorum curam et regimen impedire valeant. Ipse magister sacerdotali ordine sit initiatus, ac in quinto saltem supra trigesimum aetatis suae anno constitutus, et per decennium a professione emissâ in religione perstiterit. Socius vero trigesimum annum excedat, sintque ambo doctrinâ, et, quantum per superiorum diligentiam et vires fieri poterit, vitae etiam anteactae exemplo praestantes, orationis[1] praeterea et mortificationis operibus addicti, prudentiâ, charitateque referti, non sine affabilitate graves, zelum Dei cum mansuetudine praeferentes, ab omni cordis ac animi perturbatione, ab irâ praesertim et indignatione, quae in se et erga alios charitatem impedire consueverunt, quam longissime alieni, et tales demum, qui in omnibus seipsos bonorum operum exemplum praebeant, ut ii, qui eorum curae subsunt, illos non tam metuant quam revereantur, nec illis unquam detrahere quicquam possint.

Habeat etiam magister plenam et absolutam potestatem circa novitiorum instructionem, ac novitiatus regimen, ut in illis nemini (visitatoribus, ac superioribus maioribus, vel etiam localibus exceptis) quovis colore se ingerere liceat.

Curam adhibeat diligentem, ut novitii omnes in regulari disciplinâ sedulo exerceantur, agnoscantque praecipue divinae, qua digni facti sunt, vocationis praestantiam et excellentiam; quae vera sit atque perfecta votorum solemnium et quam necessaria cuiusque Ordinis constitutionum observantia; modum in oratione tum vocali tum mentali fructuose persistendi, illicitas passiones et vitia, ad quae natura per peccatum labefactata omni tempore prona est atque proclivis, per sensuum custodiam et mortificationem cohibendi, austeritatem, ieiunia, cilicia, disciplinas, conscientiae puritatem, crebram illius discussionem, sacramentorum frequentiam, confessionis praesertim, quae bis saltem singulis mensibus fiat, per aperitionem quotidianam motuum internorum cordis et tentationum manifestationem, per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus, diuturnumque silentium.

Novitiorum officia.

Quilibet novitius bis quotidie orationi mentali et vocali incumbat, unusquisque

1 Forsan legendum *orationi* (R. T.).

secundum propriam capacitatem et ordinem sibi a magistro praescriptum, ac pluries in die propriam conscientiam unusquisque examinare contendat. Ipsi autem magistro soli novitiorum confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen superiori, etiam locali, si ita expedire iudicaverit, vel per se ipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel aut bis in anno eorumdem novitiorum confessiones audire.

Quotidie missae sacrificio intersint, et statutis horis in choro nocturnis, diurnisque divinis officiis assistant.

Exercitationibus etiam corporalibus vacent, legant vel scribant res spirituales, modestam animi recreationem interponant, quae in solitario loco et commodo extra novitiatum semel in hebdomadâ, vel in alternis saltem hebdomadibus, longior statuatur, fiatque semper magistro praesente vel socio, qui multum invigilent, ne duo ab aliis commorentur disiuncti, atque eo tempore cuiusque, in quam naturâ feratur, propensionem scrutentur.

Non liceat, durante novitiatus et probationis tempore, unâ cum professis, nisi in choro et in ecclesiâ tempore officiorum, in processionibus, aut in coenaculo causâ refectionis, commorari, nec permittatur eis professos domo exeuntes comitari.

Pro communibus et propriis cuiusque necessitatibus quae accidere possunt, unus ex novitiis ipsis, aetate, moribusque provectior, deputetur, qui, absente socio, magistro permittente, omnia, prout opus fuerit, agat, cui etiam ianuae custodia et rerum levioris momenti provisio intra novitiatum committi poterit.

Conversorum institutio.

Cum autem, licet clericorum bene instituendorum cura debeat esse praecipua, conversorum tamen religiosa instructio non sit praetermittenda, quin potius aequanimiter amplexanda, quandoquidem satis exploratum est, istorum etiam, cum regulam profiteantur eamdem, perfectam educationem tum religioni decorem et ornamentum, tum aliis christifidelibus aedificationem, exemplum atque utilitatem afferre; conversis ipsis a clericorum novitiatu separatus ad dormiendum locus (quantum commode fieri poterit) assignari praecipitur. Illi tamen, hac separatione non obstante, magistro novitiorum, seu superioribus monasteriorum et conventuum, iuxta cuiusque Ordinis statuta et constitutiones, subditi esse et obedientiam praestare debebunt, a quo non tantum circa corporalia obsequia probandi et exercendi, verum etiam, pro eorum capacitate et commoditate de spiritualibus, praesertim de modo mentaliter orandi, diligenter instruendi erunt, quod ut commodius fiat, ad capitula et spirituales conciones, quae per magistros novitiorum fieri solent, accersiri debeant, et in ecclesiis statutis horis conveniant, nisi tunc in suis officiis actualiter occupati fuerint.

Tempore vero probationis elapso, ii tantum, qui non solum religiosae perfectionis capaces, sed ad laborem corporalem apti novo ac diligenti examine reperti fuerint (dummodo aetatis suae annum, quoad clericos, decimumsextum, quo vero ad conversos, vigesimum primum excesserint) ad professionem admittantur: sed qui ad conversorum habitum recepti fuerint ad clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint.

Professionum register.

Superior cuiuslibet conventus, in quo novitiatus fuerit constitutus, particularem librum habeat in quo novitii professio registretur, illamque novitius professus propriâ manu et duo testes, qui praesentes fuerint, subscribant. Conversus vero litterarum ignarus professus, in eorumdem testium, qui se subscripserint, praesentiâ, propriâ manu signum crucis apponat. As-

serveturque liber et custodiatur in archivio, ubi scripturae ad monasterium seu conventum pertinentes reponi consueverunt.

De filiationibus. Quia vero in quibusdam Ordinibus filiationis usus est receptus, declaratur, quod, licet decretum sit, ut novitiis educandis certa monasteria aut conventus designata quilibet Ordo habere debeat, licitum tamen sit superioribus monasteriorum et conventuum huiusmodi Ordinum, in quibus filiationis usus est, eos, quos praenarratis qualitatibus suffultos repererint, in suorum locorum filios, iuxta cuiusque Ordinis constitutiones, adscribere, sicque adscriptos, cum iuxta praesentes institutiones, et aliàs servatis servandis, ad Ordinem recepti fuerint, ad loca novitiatuum cum testimonialibus litteris transmittere, ubi tanquam dictorum conventuum seu monasteriorum filii, eorumdem nomine et instantiâ, recipi, ac in novitiatu probari, et deinde, antequam ad eadem monasteria seu conventus filiationis huiusmodi remittantur, in professorio ad perfectionem, ut permissum est, exerceri debebunt.

De numero religiosorum. Porro, ne loca unius monasterii seu conventus ab alio praeoccupentur, capituli generalis aut provincialis partes erunt, numerum praescribere pro omnibus, et eam similiter rationem circa alimentorum contributionem (si opus fuerit) inire, ac singulis conventibus et monasteriis praescribere, quae magis expedire videbitur.

De professorio post novitiatum. Ut autem novitii iam in professorum numerum (sicut praemittitur) recepti, melius in bono spiritu, regularisque disciplinae observantiâ stabiliantur et confirmentur; mandatur, ut statim post professionem emissam, si in conventibus aut monasteriis pro novitiatibus assignatus locus aderit, secundi novitiatus sive professorii, ab eâ, quae novitiorum est, atque antiquorum professorum habitatione distinctus et segregatus, ibi collocentur, si monasterium aut conventus eos alere queat; sin minus in alium commodiorem conventum aut monasterium transferantur, in quo is locus cum requisitis ad novitiatum supranarratis reperiatur, vel accomodetur, aut de novo construatur.

Ab hoc tamen illae religiones excipiuntur, quae suarum constitutionum seu institutorum vigore maioris temporis cursu novos professos intra novitiatum detinere consuescunt, quibus in hac parte non derogatur: illis tamen permittitur, ut, praedictis earum constitutionibus non obstantibus, id ipsum facere possint, si id rationi, ac religioni magis expedire iudicaverint; quibus in locis degant sub regulis et modo vivendi adhuc arctiori, quam servent antiquiores professi; ita quod in negotiis monasteriorum aut conventuum non se intromittere, nec communibus tractatibus interesse, neque alicuius exterioris obedientiae officium exercere debeant, ibique permaneant, quousque ad aetatem sacris ordinibus suscipiendis sufficientem devenerint, vel saltem per triennium post professionem, quo etiam tempore poterunt, quinimmo et debebunt, litterarum studiis operam navare sub directione ac regimine superioris, qui eas qualitates habeat, quibus novitiorum magistrum praeditum esse oportere dictum est.

Novitii recipiendi in locis designatis. Declaratur tamen, quod propter praemissa non censeatur concessa licentia recipiendi novitios in locis nisi [1] novitiatus designatis, aut imposterum designandis, et pro numero dumtaxat in earum singulis praescripto vel praescribendo.

Contrafacientium poenae. Denique si illi, qui inter religiosos gradu et ordine superiores sunt, et alii, ad quos spectat, in praedictis omnibus, vel eorum aliquo delinquerint, seu quovis modo contrafecerint, officiorum omnium, quae tunc obtinebunt privationem, gravioresque pro

1 Vel potius legendum *nisi in locis* (R. T.).

modo admissae culpae poenas se subituros certo sciant.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, die XIX martii MDCIII.

ANTONIUS SENECA,
Reformationis Apost. Sec.

Anno MDCXXIV, *Indictione* VII, *Pontificis autem Sanctissimi Domini nostri Domini Urbani divinâ providentiâ Papae VIII, anno eius secundo, die vero vigesimâ sextâ mensis octobris, supradicta decreta, tam sacrae Congregationis Concilii, quam sanctae memoriae Clementis VIII, affixa et publicata fuerunt ad valvas basilicarum sancti Ioannis Lateranensis, et Principis Apostolorum, nec non in acie Campi Florae, ut moris est, per nos Camillum Fundatum et Iulium Marzitellium cursores Sanctissimi.*

BRANDIMARTES LATINUS,
pro magistro dominorum cursorum.

LXXXVII.

Declaratur indulgentias cruciatae regnorum Hispaniarum non comprehendi in suspensione indulgentiarum occasione anni iubilaei MDCXXV [2].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Decet Romanum Pontificem indulgentiarum et gratiarum concessiones, quae ad adiuvandam contra immanissimos turcas expeditionem a Sede Apostolicâ factae [2] sunt, a generali indulgentiarum suspensione excipere, ne circa eas aliquibus dubitandi occasio praebeatur.

Pius Papa V indulgentias cruciatae nuncupatas concessit. § 1. Cum itaque, postquam dudum felicis recordationis Pius Papa V praedecessor noster omnibus in Hispaniarum regnis et insulis illis adiacentibus ac etiam Sardiniae consistentibus, qui fidei catholicae zelo adducti infra certum expressum tempus ad exercitum tunc clarae memoriae Philippi II Hispaniarum regis catholici contra turcas comparatum contra illos pugnaturi aut aliud genus servitii gratuito facturi suis sumptibus accessissent, et ibidem usque ad finem expeditionis eius anni permansissent, aut de bonis sibi a Deo collatis expeditionem praedictam adiuvassent, plures indulgentias ac peccatorum remissiones et relaxationes pro vivis et defunctis, aliasque spirituales concessiones, necnon privilegia, facultates et indulta, vel quovis alio nomine nuncupatas gratias concessit;

Quas Gregorius XIII prorogavit. § 2. Ac recolendae memoriae Gregorius Papa XIII, etiam praedecessor noster, tempus in dicti Pii praedecessoris litteris praefixum prorogando, concessiones, privilegia, facultates, indulta et gratias huiusmodi, nonnullis aliis additis, declaratis et immutatis, ad Indiarum maris Oceani et regni Siciliae ultra pharum, etiam aliquot forsan aliorum regnorum et locorum, personas, quae dicti Philippi regis imperio essent subiectae, extendit; ac deinde diversi Romani Pontifices, etiam nostri praedecessores, et nos etiam illas prorogavimus, extendimus et ampliavimus, prout in diversis litteris apostolicis, etiam in formâ Brevis desuper expeditis, plenius continetur;

Cum vero Urbanus occasione anni iubilaei omnes suspenderit indulgentias; § 3. Novissime, occasione celebrationis sanctissimi iubilaei proxime futuro anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto universo populo christiano indicti, aliorum Romanorum Pontificum morem eâ in re sequuti, de apostolicae potestatis plenitudine omnes et quascumque indulgentias etiam plenarias, et ad instar iubilaei, nec non facultates, concessiones et indulta quaecumque, a nobis, et dictâ Sede, eiusque auctoritate, quibuscumque ecclesiis et monasteriis utriusque sexus ac conventi-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Edit. Main. legit *facta* (R. T.).

bus, domibus, congregationibus, hospitalibus et piis locis, necnon Ordinibus, etiam Mendicantium, ac militiarum, necnon confraternitatibus et universitatibus, earumque, et aliis cuiuscumque dignitatis, gradus et conditionis personis ecclesiasticis et secularibus per universum orbem constitutis, etiam per modum communicationis, extensionis, et aliàs quomodocumque, perpetuo vel ad tempus, quibusvis modis et ex quibusvis causis concessa, cum irritantis adiectione decreti, et aliis efficacissimis clausulis in illis appositis, suspendimus, interdicentes ne ullae aliae quam praedicti a nobis indicti iubilaei indulgentiae interim, sive publice sive privatim, ubique locorum ac gentium publicarentur, praedicarentur vel nunciarentur, secus autem facientes excommunicationis sententiam eo ipso incurrerent, et ab Ordinariis locorum pro cuiuscumque arbitrio punirentur, et aliàs, prout in litteris apostolicis sub plumbo expeditis latius explicatur:

Indulgentias cruciatae sub huiusmodi suspensione non comprehendi declarat.

§ 4. Nos, quibus praecipue curanda sunt ea, quae ad fidem catholicam tuendam, et, adiuvante Domino, aliquando propagandam pertinent, quique, eo animo, eâque voluntate nunquam fuimus, ut indulgentiae, facultates, concessiones et indulta quaecumque intuitu expeditionis in turcas ac cruciatae huiusmodi impedirentur, aut revocarentur, ac dictarum litterarum omnium seriem, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis et insertis habentes, auctoritate praesentium declaramus, suspensionem eamdem ad indulgentias, facultates, concessiones et indulta quaecumque, occasione dictae expeditionis et cruciatae in Hispaniarum regnis et aliis dominiis et locis charissimo in Christo filio nostro Philippo IV Hispaniarum regi catholico subiectis, ut praefertur, concessa, non extendi, eaque omnia et singula sub dictâ suspensione minime comprehendi, ac propterea commissario generali, et aliis ab eo deputatis, et pro tempore deputandis, omnia et singula sibi per dictas litteras demandata facere, exequi ac plenariae exequutioni demandare[1], praedicatoribus vero, iuxta tamen easdem praedecessorum et nostras litteras deputatis et deputandis, indulgentias et alias gratias, concessiones et indulta praedicta, iuxta ipsarum litterarum tenorem et illarum summarium, in dictis regnis, dominiis et locis promulgare, denuntiare et praedicare, absque aliquo conscientiae scrupulo, sententiarumque, censurarum vel poenarum incursu, ut prius, antequam eaedem suspensionis litterae a nobis emanassent, licere;

Clausulae.

§ 5. Ita quod desuper per quoscumque etiam locorum Ordinarios molestari, perturbari, aut impediri nequeant; sicque per quoscumque iudices ordinariâ et delegatâ auctoritate fungentes, ac causarum palatii apostolici auditores, necnon sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, in quacumque instantiâ (sublatâ eis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) ubique iudicari et definiri debere, necnon irritum et inane quidquid secus per eosdem, et quoscumque alios, scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque omnibus, quae tam dicti praedecessores, quam nos in concessione indulgentiarum, et aliorum privilegiorum ad favorem dictae expeditionis concessorum, voluimus non obstare.

Exemplis danda fides.

§ 7. Ut autem declaratio nostra huiusmodi, quoties opus fuerit, innotescat, volumus harum litterarum exempla, etiam impressa, manu notarii publici subscripta, ac personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo obsignata, ubique gentium

1 Edit. Main. legit *demandari* (R. T.).

et locorum eamdem fidem facere, quae praesentes facerent, si exhiberentur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV septembris MDCXXIV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 24 septembris 1624, pontif. anno II.

LXXXVIII.

Deputatio Francisci Ubaldi sacrae Rotae auditoris in praesidentem et iudicem probationum equitum religionis Militiae Christianae[1].

Dilecto filio magistro Francisco Ubaldo, cappellano nostro et causarum palatii apostolici auditori,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Recenset erectam nuper a se militiam christianam.

§ 1. Cum nos nuper, supplicationibus dilectorum filiorum nobilium virorum Ferdinandi Mantuae ac Caroli Niverniensis ducum, necnon Adolphi comitis de Althan, nobis humiliter porrectis inclinati, unam Militiam Christianam nuncupandam sub titulo Conceptionis B. Mariae Virginis Immaculatae, sub certis modo et formâ tunc expressis, apostolicâ auctoritate erexerimus et instituerimus, prout in nostris sub plumbo desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur:

Nunc Ubaldum iudicem probationum, ab admittendis faciendarum, deputat.

§ 2. Idcirco, ut eorum, qui habitum per dictae militiae fratres milites gestari solitum suscipere, et professionem per eosdem emitti consuetam, expresse emittere voluerint, regulares nobilitatis et aliorum requisitorum probationes recte et iuxta eiusdem militiae statuta, apostolicâ auctoritate confirmata, fiant, quantum cum Domino possumus providere volentes, ac de tuâ fide, prudentiâ, integritate, doctrinâ, rerumque experientiâ plurimum in Domino confisi, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, te in praesidentem seu iudicem probationum praedictarum, cum omnibus et singulis honoribus, privilegiis, gratiis et indultis solitis et consuetis, ad nostrum beneplacitum, tenore praesentium, facimus, constituimus et deputamus, tibique, ut probationes praedictas sufficientes vel non sufficientes iuxta eiusdem militiae statuta, seu stabilimenta, eâdem auctoritate confirmata, decernere et declarare in actis notarii, per te eligendi et nominandi, aliaque omnia et singula in praemissis, et circa ea necessaria et opportuna facere, dicere, gerere et exequi libere et licite possis et valeas, auctoritate et tenore praedictis, plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem concedimus et impertimur.

Derogat obstantibus.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI septembris MDCXXIV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 26 septembris 1624, pontif. an. II.

1 Erexit hic Pontifex militiam in sua Constitutione XXXVI *Imperscrutabilis* ut supra pag. 114.

LXXXIX.

Revocatio concessionum diversorum officiorum, ac privilegiorum, exemptionum, gratiarum et indultorum, in praeiudicium Sedis et Camerae Apostolicae emanatarum.

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Superni benignitas Conditoris, cuius admirabili providentiâ cuncta reguntur, cum nullis nostris suffragantibus meritis nos ad sublime evexerit apostolicae dignitatis fastigium, universam reipublicae curam

ad ipsius Dei laudem amplectentes, ad hoc inter alia nostrae pastoralis vigilantiae studium duximus adhibendum, ut officia tam Romanae Curiae, quam alia ad Sedem Apostolicam pertinentia, a probatis viris exerceantur, ac illa personis idoneis, modoque debito conferantur; camera apostolica, quam, ob varias superiorum temporum causas, magno aere alieno conflato, et eius aerario exhausto, in maximas redditum et pecuniarum angustias incidisse comperimus, ab aere alieno ac angustiis huiusmodi quantum in nobis est, sublevetur; frumentorum et aliarum rerum ad communem vitae usum pertinentium copia in hac Urbe nostrâ et reliquo Statu Ecclesiastico conservetur et vigeat; eiusdem Sedis auctoritas et Romanae Curiae dignitas eluceat; ac per debitae reformationis et provisionis occursum, impedimentis quibuscumque sublatis, omnia prospere dirigantur, ac iustitiâ duce, quod suum est, unicuique tribuatur, felicique profectu virtus undique suscipiat incrementum.

Refertur praeiudicium camerae apostolicae illatum a perpetuitate officiorum et coadiutoriis.

§ 1. Cum itaque, inter cetera quae mentem nostram non modice perturbarunt atque perturbant, invenerimus pleraque Sedis et Camerae praedictarum officia seu munera, praesertim administrationem habentia, et quae amovibilia sunt et esse debent, tam in Urbe quam extra eam, contra eorum naturam et consuetudinem, per ambitionem et importunitatem (ut credimus) impetrantium, ad vitam, et non solum unius, verum plurium etiam personarum, concessa fuisse, necnon super illis, et aliis etiam Romanae Curiae praedictae officiis, etiam perpetuas coadiutorias, cum futurâ coadiutorum successione, factas et constitutas esse[1]; quo fit, ut eadem officia, quae antea personis benemeritis et idoneis, ac doctrinâ, prudentiâ et consilio praeditis, experientiâque et aetate maturis concessa sunt, interdum ad personas minus idoneas, coadiutoriarum nomine, deveniant, in Sedis et Curiae huiusmodi dignitatis diminutionem et ipsorum officiorum detrimentum;

Licet autem pro Status Ecclesiastici conservatione plures editae sint constitutiones:

§ 2. Et, licet plerique Romani Pontifices praedecessores nostri, et novissime felicis recordationis Paulus Papa V, ad indemnitati camerae praedictae necnon communitatum et universitatum Status Ecclesiastici opportune consulendum, ac etiam ad ubertatem annonae et grasciae in Urbe, Statuque praedictis conservandam et augendam, plures constitutiones ediderint,

Nempe Paulus V exemptiones quaslibet ab oneribus cameraе solvendis concessas,

§ 3. Et inter alia idem Paulus praedecessor per binas suas in formâ Brevis editas constitutiones[1], in unâ videlicet omnes et quascumque immunitates et exemptiones a solutione gabellarum, dationum, impositionum et aliorum onerum cameralium quorumcumque, et quae etiam per communitates et universitates pro eorumdem onerum cameralium solutione et publicorum munerum supportatione indicta et imposita ac exigi solita erant,

Aliasque assignationes,

§ 4. Necnon assignationes et provisiones super camerae praedictae redditibus et iuribus, poenarum quoque maleficiorum applicationes, approbationes, ceterasque, tam illarum et cancellariarum, sive bancarum civilium et criminalium, ac secretariarum et illarum emolumentorum, quam bonorum et iurium eiusdem camerae, cuiusvis qualitatis et quantitatis, gratias et concessiones, in praeiudicium ipsius camerae eatenus concessas et factas;

Et indulta extrahendi frumenta, et alia huius generis revocaverit.

§ 5. Et in alterâ omnia et singula ac quaecumque privilegia, licentias et facultates frumenta, blada, legumina, animalia, oleum et alia, tam annonam, quam grasciam concernentia, etiam in propriis eorum praediis, possessionibus, agris et terrenis pro tempore recollecta ex quibuscumque Status nostri Ecclesiastici tem-

1 Vide Pii V Const. CCIV *Romani*, tom. VII, pag. 943.

1 Quas vide in tom. XI, pag. 255 et 260 (R.T.).

poralis provinciis ac civitatibus, terris, castris et locis, eorumque territoriis et districtibus nobis et sanctae Romanae Ecclesiae mediate vel immediate quomodolibet subiectis extrahendi similiter eatenus concessa, praeterquam quoad aliqua tunc expressa, ac aliàs modo et formâ in eisdem constitutionibus et litteris desuper expeditis contentis, revocaverit, et praedecessorum suorum praedictorum constitutiones, ordinationes et litteras desuper expeditas, et omnia in eis contenta, perpetuo approbando, confirmando et innovando, illas et illa ex tunc de cetero observari mandaverit, ac frumenta, blada, legumina, oleum, animalia et alia praedicta extra Statum Ecclesiasticum extrahi sub excommunicationis et aliis gravissimis poenis de novo expresse prohibuerit;

Et sub huiusmodi revocatione etiam loca S. A. mediate subiecta comprehendi voluerit;

§ 6. Et postremo idem Paulus praedecessor ad tollendam omnem dubitationem super ultimodictâ constitutione excitatam per suam motus proprii cedulam, die XXVI augusti anni Domini MDCXXVI, publicatam sub ultimodictâ eius constitutione quaecumque loca sanctae Romanae Ecclesiae mediate subiecta comprehendi et comprehensa fuisse et esse declaraverit, et, quatenus opus sit, illam cum omnibus in eâ contentis ad loca praedicta extenderit et ampliaverit, prout in eisdem constitutionibus et cedulâ latius continetur [1];

Nonnullae tamen exemptiones postea ab aliquibus extortae sunt.

§ 7. Nihilominus [2] acceperimus nonnullos, contra dictas constitutiones et litteras, easdem immunitates, exemptiones, privilegia, extrahendique facultates et gratias, quae antea eis concessa fuerant, confirmari et innovari, ac in pristinum statum restitui, ac respective, tam ipsos quam alios, etiam communitates, universitates, collegia et loca diversa, [3] et forsan maiora (et etiam quod in quibusdam provinciis, civitatibus et locis spolia archiepiscoporum, episcoporum, et aliarum personarum ecclesiasticarum fieri et colligi non possunt) alia privilegia Sedi et Camerae praedictis, Romanique Pontificis supremae potestati, ac eiusdem et Sedis et Romanae Curiae dignitati et auctoritati praeiudicialia sibi dari et concedi impetrasse et obtinuisse, seu potius extorsisse:

Urbanus huiusmodi perpetuitatum et coadiutoriarum concessiones revocat.

§ 8. Nos, pro debito pastoralis officii, hos et alios abusus et corruptelas, necnon damna et praeiudicia quae circa praemissa hactenus irrepserunt et facta sunt ac quotidie augentur et fiunt, e medio tollere volentes, motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ et deliberatione nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, hac perpetuo valiturâ constitutione, in primis omnes et quascumque ad quaevis officia et munera, etiam collegialia, etiam militaria, ac etiam venalia, tam perpetua quam temporalia, Sedis et Camerae Apostolicae ac Romanae Curiae, et tam in Urbe quam extra eam, et in quibusvis, etiam Avenionensi, Bononiensi, Ferrariensi, Beneventana, aliisque civitatibus, terris, locis, dominiis et regnis, et ad nos, Sedem praedictam, nostramque et eiusdem Sedis collationem, concessionem et deputationem quomodolibet pertinentia, coadiutorias et coadiutorum quorumcumque deputationes, constitutiones, necnon eorumdem officiorum et munerum ad vitam plurium personarum, seu aliud tempus vitam cuiusque illa obtinentium excedens, concessiones, confirmationes et prorogationes, etiam in remunerationem laborum, meritorum, etiam praetextu expensarum factarum, damnorum passorum, ac illorum intuitu, aut ex quavis aliâ causâ, per quosvis praedecessores nostros Romanos Pontifices, Sedemque praedictam,

1 Hasce vide in tom. XI, pag. 260 et 264 (R. T.).

2 Part. *cum* delemus, nam praecessit in § 1 (R. T).

3 Legerem: *haec et forsan maiora... alia privilegia* (R. T.).

et illius officiales, etiam motu simili, et cum quibusvis decretis et clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, et aliàs quomodolibet, ad favorem quarumcumque personarum factas et concessas, veluti quamdam imaginem haereditariae successionis repraesentantes, ac dictae Sedi, bonoque publico, ac ipsis officiis perniciosas, et quascumque litteras, etiam sub plumbo, et in aliâ quavis formâ expeditas, cum omnibus inde sequutis (quae hactenus tamen per obitum illa obtinentium, aut aliam quamcumque vacationem effectum sortitae non sunt), necnon, quoad illarum perpetuitatem, quascumque concessiones, confirmationes, extensiones, seu prorogationes ad vitam officiorum et munerum quorumcumque, praesertim negotiorum et pecuniarum dictae camerae administrationem vel causarum civilium seu criminalium cognitionem, avocationem, defensionem, seu etiam procurationem et sollicitationem concernentium, ad collationem, concessionem et deputationem scilicet pro tempore Romani Pontificis, Sedisque praedictae spectantium, quae a primaevâ eorum erectione, seu ex inveteratâ consuetudine, perpetua et ad vitam concedi solita seu collegialia non sunt, ac etiam ea, quae extra Romanam Curiam exercentur, per quoscumque praedecessores nostros Romanos Pontifices, ac nos, Sedemque praedictam, ex quavis causâ, etiam motu simili et ex certâ scientiâ, et de similis potestatis plenitudine, in favorem quarumvis personarum, cum quibusvis decretis et clausulis, etiam insolitis et derogatoriarum derogatoriis, et aliàs quomodolibet factas, revocamus, ac irritas declaramus (ita ut in re, vel ad rem, sive in possessorio, sive in petitorio, etiamsi ad plures actus positivos et possessorios deventum fuerit, coadiutoribus et deputatis acquisitum ius dici aut censeri non possit, sed officia et munera praedicta libera sint et remaneant, ac ut prius liberè conferri et concedi possint, aeque ac si coadiutoriae, et coadiutorum deputationes et constitutiones, ac eorumdem officiorum concessiones, extensiones et prorogationes minime factae fuissent), ac in futurum coadiutorias et coadiutorum deputationes, constitutiones, ac officiorum et munerum praedictorum ad plurium vel unius vitam, contra primaevam eorum naturam et antiquam consuetudinem, concessiones, extensiones et prorogationes quascumque huiusmodi, tamquam apprime praeiudiciales, ac reipublicae, bonoque gubernio damnosas, reprobamus ac imposterum fieri prohibemus.

Officiorumque omnium, quae rerum cameralium administrationem adnexam habent, collationem sibi et successoribus reservat.

§ 9. Quinimmo omnia etiam et singula officia seu munera, tam in dictâ Urbe, quam extra eam, et in quibusvis regnis et dominiis consistentia, pro quibus salaria de pecuniis camerae nostrae praedictae persolvuntur, seu quae negotiorum vel pecuniarum camerae praedictae administrationem, vel causarum tam civilium quam criminalium cognitionem, avocationem, defensionem, procurationem seu sollicitationem habent, per quosvis etiam Sedis Apostolicae et Romanae Ecclesiae officiales et eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, conferri seu concedi solita (non tamen ea, quae ab initio venalia, vacabilia et perpetua legitime erecta, ratione officiorum maiorum quae obtinent, eis specialiter assignata seu concessa sunt, in quibus aliquid innovare non intendimus), nostrae, Romanorumque Pontificum successorum nostrorum dispositioni ita reservamus, ut ex nunc in perpetuum, et quandocumque illa a nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus ad nutum quibus libuerit (quibuscumque deputationibus et concessionibus per officiales, etiam cardinales et legatos praedictos, quibusvis personis quomodolibet hactenus factis, et

imposterum forsan faciendis, minime obstantibus) dari et concedi possint.

Concessiones contra hanc Constitutionem si quas fieri contingat, obreptitias, nullasque declarat.

§ 10. Cum nos ab omnibus officiorum coadiutoriis et coadiutorum deputationibus huiusmodi, nec non ab eorumdem officiorum et munerum ad vitam plurium personarum, sive etiam unius, contra eorum primaevam institutionem seu antiquam consuetudinem, concessionibus, deputationibus, confirmationibus et prorogationibus de cetero abstinere intendimus[1], et quae nobis licere non patimur, ac videntur incongrua et praeiudicialia, successoribus nostris Romanis Pontificibus etiam indicamus, et sic neque eosdem successores nostros Romanos Pontifices similia concessuros esse arbitremur; ob id omnes et quascumque similes vel dissimiles concessiones, deputationes, confirmationes, extensiones et prorogationes, quae contra praesentium formam et tenorem a nobis et successoribus nostris praedictis quandocumque (quod non credimus) emanarent, per subreptionem, obreptionem, ac praeoccupationem potius extortas quam obtentas, ac nullas, nulliusque roboris et momenti fore et esse censeri, neminique suffragari posse vel debere, aeque ac si factae et concessae non essent, decernimus et declaramus.

Revocat etiam exemptiones ab oneribus cameralibus, communitativis, etc.

§ 11. Praeterea, pro indemnitate camerae nostrae, ac ubertate annonae et grasciae, tam in Urbe, quam toto Statu Ecclesiastico, conservandâ, praedictorum Pauli V, et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, illorumque constitutiones etiam opportune extendentes, motu, scientiâ et potestate similibus, omnes et quascumque immunitates et exemptiones a solutione subsidii riennalis, quatreni carnis, taxarum equorum, tallearum, censuum, archivii, fogliettae, triremium, utensilium, necnon dohanarum, gabellarum, datiorum, taxae portus Anconae, quatrenorum, tractarum, et aliarum impositionum, et onerum cameralium, et etiam eorum, quae per communitates et universitates pro eorumdem onerum cameralium solutione, et publicorum munerum supportatione, ac pro viis et pontibus construendis et manutenendis, seu aliàs, indicta et imposita ac exigi solita sunt, ac etiam recipiendi et hospitandi milites, et Sedis Apostolicae officiales, barigellos, exequutores, aliosque iustitiae ministros, eisque utensilia et[1] alia necessaria subministrandi, ac aliorum quorumcumque tam realium quam personalium, seu mixtorum, ordinariorumque et extraordinariorum quorumcumque,

Atque etiam a spoliis.

§ 12. Nec non omnia privilegia localia, ne scilicet in quibusdam civitatibus, locis et dominiis temporalibus, etiam Avenionensi, Bononiensi, Ferrariensi, Beneventana, seu aliis provinciis, civitatibus et locis, etiam privilegiatis et speciali notâ dignis (non tamen in Urbe praedictâ, et eius districtu, praeter et contra formam constitutionis eiusdem Pauli praedecessoris in favorem curialium et incolarum dictae Urbis editae, quam in robore permanere et omnino servari volumus) archiepiscoporum et episcoporum, et aliarum personarum ecclesiasticarum spolia fiant et colligantur; commissarii et collectores spoliorum et iurium dictae camerae debitorum in eis non retineantur, vel ad ea non transmittantur; seu in illicitae negotiationis, dispositionum contra constitutiones piae memoriae Pii Papae V, etiam praedecessoris nostri[2], in illegitimos factarum, apostatarum, et clericorum extra residentiam decedentium, seu aliis causis non procedatur,

Assignationesque super camerae redditi.

§ 13. Ac omnes etiam et singulas provisiones, assignationes super camerae prae-

1 Aptius edit. Cherub. Rom. habet *intendamus* (R. T.).

1 Partic. *et* addimus ex Cherub. (R. T.).

2 Quam vide in tom. VII, pagina 880 (R. T.).

bus, officiis, tribunalibus.

dictae redditibus et iuribus, poenarum quoque, maleficiorum et introituum applicationes, appropriationes, necnon cancellariarum, notariatuum, seu bancarum civilium et criminalium, secretariarum, et illarum emolumentorum, aliorumque iurium et bonorum stabilium camerae et communitatum praedictarum, cuiusvis qualitatis et quantitatis, gratias, concessiones et alienationes quascumque in praeiudicium earumdem camerae et communitatum,

Indulta quoque bona certis personis infeudandi;

§ 14. Necnon indulta de bonis stabilibus et iuribus eiusdem camerae, in civitate nostrâ et districtu Ferrariensi seu alibi consistentibus, certis personis tantum infeudandis, per piae memoriae Gregorium Papam XV, etiam praedecessorem nostrum, concessa[1],

Frumentaque, aliaque huiusce generis blada extrahendi, adsportandi, etc.

§ 15. Ac omnia et singula privilegia, licentias et facultates frumenta, blada, legumina, animalia, oleum, olivas et alia quaecumque, tam annonam quam grasciam concernentia, etiam in propriis eorum praediis et possessionibus, agris et terrenis pro tempore recollecta, tam ad effectum extra Statum Ecclesiasticum, quam etiam ad loca mediate vel immediate Sedi Apostolicae subiecta, praeterquam ad Urbem praedictam asportandi, etiam tempore annonae difficultatis, et pro usu proprio, vel ad effectum in eorum vel alienis quibusvis molendinis molendi, sive terrâ, sive mari, vel per aquam dulcem, ex quibuscumque Status nostri Ecclesiastici temporalis provinciis, et etiam a dictâ Urbe, ac civitatibus, terris, castris et locis, eorumque territoriis et districtibus, nobis et dictae sanctae Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis, extrahendi, aut illa ultra usum contra tamen formam constitutionum et ordinationum apostolicarum et bannimentorum desuper editorum et edendorum emendi, ac, ut dicitur, etiam incettandi, per quoscumque praedecessores nostros, ac nos, et Sedem praedictam, etiam motu proprio et consistorialiter, ac sanctae Romanae Ecclesiae camerarium et cameram praedictam, seu etiam legatos, vicelegatos, gubernatores, officiales et ministros, quibusvis, etiam Avenionensi, Ferrariensi, Beneventanae, et aliis etiam speciali notâ dignis civitatibus, et illarum regiminibus, communitatibus et universitatibus, necnon familiis et nobilibus, principibus, ducibus et marchionibus, baronibus, domicellis, et quibusvis aliis personis, quacumque etiam episcopali, archiepiscopali, patriarchali et cardinalatus, aliâque tam seculari quam ecclesiasticâ dignitate fulgentibus, etiam ratione guberniorum, et aliorum officiorum et munerum eis commissorum, etiam pro se et filiis, eorumque haeredibus et descendentibus, necnon familiaribus et inservientibus, colonis etiam partiariis, laboratoribus et affictuariis, ac pro eorum civitatibus, terris, castris, villis, casalibus, praediis, vineis, et aliis bonis stabilibus, fructibus, iuribus et actionibus, perpetuo vel ad tempus, ac in toto vel pro parte, et etiam causâ emporiorum seu nundinarum etiam publicarum, aut aliàs, et ex quavis causâ, etiam in recompensam laborum, damnorum passorum, expensarum vel meritorum, seu illorum intuitu, et aliâ quantumvis urgentissimâ ac de necessitate exprimendâ causâ, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiamsi in appaltuum seu locationum instrumentis provisum et cautum sit illas observari debere, appaltatoresque et conductores ad illarum observationem teneri, ac illas, quomodocumque et qualitercumque hactenus, in genere vel in specie, tam ante, quam post eiusdem Pauli V et alio-

1 Huiusmodi Gregorii XV statutum non habetur in *Bullario* (R. T.).

rum praedecessorum praedictorum[1], et quandocumque, datas, factas, seu confirmatas, restitutas, reintegratas, aut aliàs concessas, et inde etiam auctoritate iudicis sequuta quaecumque, etiam perpetuo, ac motu, scientiâ et potestate similibus, revocamus et abrogamus.

Renovat praecedentium Pontificum hac super re Constitutiones.

§ 16. Necnon similis memoriae Pauli III, et Iulii etiam III, Pii V, Sixti V praedictorum, ac Clementis III[2] similiter Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, et quae incipit *In maximis rerum difficultatibus*[3], per praedictum Paulum V praedecessorem sub datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII decembris MDCV, pontificatus sui anno I, editas constitutiones exemptionum, immunitatum, concessionum et gratiarum praedictarum revocatorias; ac recolendae memoriae Pii IV[4] super revocatione similium licentiarum et facultatum extrahendi frumenta, blada et legumina ex provinciis, terris et locis dictae sanctae Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis quibusvis concessarum, ac prohibitione, ne a dictis provinciis, civitatibus, terris, locis frumenta, blada et legumina praedicta quicumque extraherent, ac dicti Pii V[5] per quam, revocationem et prohibitionem eiusdem Pii Papae IV ad licentias et facultates quodcumque genus grasciae, etiam in carnibus, ovibus, agnis et aliis animalibus, necnon oleo ac rebus aliis quibuscumque consistentis, extendit et ampliavit, et Gregorii XIII, pariter Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, per quam omnibus et singulis communitatibus, universitatibus et quibuscumque personis inhibuit, ne quovis praetextu, directe vel indirecte, cuiusvis generis frumenta, blada, legumina, atque animalia quaecumque extra Statum Ecclesiasticum extrahere, et asportare auderent seu praesumerent, et eiusdem Gregorii XIII sub datum die primâ maii MDLXXVIII sui[1] pontificatus anno sexto[2], per quam, quod nulli, sibi et sanctae Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiecti, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existerent, etiamsi barones, domicelli, comites, marchiones, vel duces et domini in temporalibus existerent, sub excommunicationis maioris, ac laesae maiestatis criminis, dominiorum et bonorum suorum confiscationis, feudorum amissionis, et quorumvis privilegiorum suspensionis, ac aliis etiam pecuniariis arbitrio suo imponendis et applicandis (ac etiam in publicis edictis et proclamatibus per annonae praefectos pro tempore tam eatenus editis et emissis, quam in futurum edendis et emittendis, contentis) censuris et poenis, triticum, hordeum, legumina ac omnis generis frumenta et fruges, a terris et locis dicti Status Ecclesiastici absque expressâ ipsius Gregorii praedecessoris, et ab eo obtentâ in scriptis, et eius manu signatâ licentiâ, extrahere vel extrahi facere, nullique ex praedictis eorum subditos et vassallos, aut alias quascumque personas, quominus triticum, hordeum, legumina, frumenta et fruges praedicta, in quibusvis locis eis subiectis, quovis praetextu, etiam moliturae, aut cuiusvis alterius oneris vel solutionis, ad almam Urbem afferrent[3] prohibere, aut per se, vel alium, seu alios, directe vel indirecte, impedire auderent; quin potius illis sic afferentibus omnem opem et favorem praestarent; ac insuper nulli, quamlibet tritici, hordei et legumi-

1 Videretur deesse *constitutiones*, vel *mortem* (R. T.).

2 Edit. Cherub. legit aptius *Clem. VIII*, cuius constitutio legitur in tom. X, pag. 373 (R. T.).

3 Ista legitur in tom. XI, pag. 256 (R. T.).

4 Quam vide in tom. VII, pag. 386 (R. T.).

5 Quam habes in tom. VII, pag. 848 (R. T.).

1 Erronee edit. Main. legit *sub* (R. T.).

2 Ambae sunt in tom. VIII, pag. 195, seq. (R. T.).

3 Erronee edit. Main. habet *afferent* (R. T.).

num, omnisque generis frumentorum et frugum quantitatem, nisi pro suo, suarumque familiarum unius anni dumtaxat usu, emere valerent, et contrafacientes poenas praedictas incurrisse declararentur, et aggravarentur ipso facto; non obstantibus etiam privilegiis, indultis, litteris et gratiis apostolicis quibusvis personis, civitatibus, terris et locis, in genere vel in specie, etiam ex causâ onerosâ concessis, statuit atque decrevit, ac dicti Clementis per quam praedicta omnia, demptâ ex illis excommunicationis poenâ, approbavit et confirmavit; necnon eiusdem Pauli V, per quam omnes et singulas Pii IV, Pii V, Gregorii XIII et Clementis VIII [1] praedecessorum suorum constitutiones et litteras in quibuslibet earum partibus, etiam [2] quoad excommunicationis et alias ecclesiasticas censuras, quantum attinet ad frumentorum, bladorum, leguminum et olei extractionem, innovavit, ac privilegia, licentias et facultates extrahendi praedicta revocavit, ac frumenta, hordea, legumina, et alia annonam et grasciam concernentia, sub excommunicationis et aliis censuris ecclesiasticis et poenis temporalibus supradictis, extra Statum Ecclesiasticum extrahi prohibuit; ac aliam [3], per quam, ultimodictam ipsius constitutionem, innovationem, prohibitionem et revocationem, ad loca immediate [4] Sedi Apostolicae subiecta extendit et ampliavit, in quibuslibet earum partibus, demptis tamen ex illis poenâ excommunicationis et aliis censuris ecclesiasticis (praeterquam in casibus, in quibus extra Statum nostrum Ecclesiasticum, vel ad loca principum, ducum, marchionum, comitum, baronum et aliorum, quorum domicilia in confinibus dicti Status nostri Ecclesiastici existunt, extractio, mercimonii causâ, fiet), motu, scientiâ et potestate paribus similiter perpetuo approbamus, confirmamus et innovamus, illasque adversus quascumque revocationes, suspensiones, limitationes et moderationes in pristinum, et eum, in quo, antequam illa [1] emanarent, erant, statum, restituimus, reponimus et plenarie reintegramus: illasque et earum singulas ab omnibus et singulis, ad quos spectat, sub temporalibus poenis praedictis in illis contentis inviolabiliter de cetero observari debere,

1 Quas omnes habes loc. cit. in p. praec. (R. T.).

2 Vocem *etiam* nos addimus ex loco parallelo (R. T.).

3 Utraque Pauli V Const. cit. fuit supra pagina 224 (R. T.).

4 Sicut supra § 6 (R. T.).

5 Ex loco parallelo potius legendum *mediate*.

§ 17. Ac provisiones, assignationes, poenas maleficiorum, emolumenta, impositiones, gabellas, vectigalia, et alias res, bona et iura praedicta, ex huiusmodi revocatione, prohibitione et constitutione, restituta eidem camerae, et respective communitatibus praedictis, et non aliis, quibus forsan illarum redditus et proventus locati et appaltati reperiuntur, licet, antequam exemptiones, concessiones, assignationes et alia praedicta emanassent, aliter dispositum fuerit, omnino deberi [1], ac ad illa omnia et singula cameram ipsam necnon communitates et universitates, eo ipso, absque aliâ adeptâ seu recuperatâ possessione, restitutas et reintegratas fore et esse praecipimus, statuimus et ordinamus.

Revocatas huiusmodi assignationes camerae apostolicae et communitatibus restituit.

§ 18. Per praedicta autem non intendimus revocare exemptiones et immunitates quibuscumque personis ecclesiasticis, tam secularibus quam regularibus, de iure competentes, minusque immunitates et exemptiones, ac extrahendi, et alias facultates, applicationes et alia, thesaurariis, appaltatoribus et conductoribus bonorum, introituum et iurium camerae nostrae ab ipsâ camerâ, seu aliis illius nomine, in appaltuum et locationum instrumentis, et illorum ratione, concessa.

Praeservat exemptiones ecclesiasticis et afflictuariis in instrumentis;

1 Potius legendum *illae* (R. T.).

2 Aut lege *censeri*, aut *censeri debere* (R. T.)

Vel communitatibus ex causâ tantum onerosâ concessas.

§ 19. Et insuper a revocationibus omnibus et singulis supradictis excipimus, et exceptas esse volumus et declaramus, immunitates, exemptiones, confirmationes, extensiones, prorogationes, facultates, privilegia, concessiones et alienationes, quibusvis communitatibus, universitatibus et aliis quibuscumque data, facta et respective concessa in vim contractus ex causâ vere onerosâ; videlicet congruae et effectualis camerae apostolicae, vel ipsis communitatibus legitime[1] factae pecuniarum solutionis, vel ex aliis causis rationalibus per nos cognoscendis et approbandis, et etiam declarandis: quas causas omnes onerosas, nonnisi legitimas, ac licitas et honestas, prout de iure, approbare intendimus: et propterea illa obtinentes quicumque in eâdem camerâ, citato dilecto filio ipsius camerae commissario generali, illas verificare, in ipsâque camerâ examinari et admitti facere teneantur (etiamsi gratiae, concessiones, privilegia, litterae, instrumenta, ceteraque praedicta[2], aliàs in eâdem camerâ admissa, et in eâ, suisque libris fuerint et sint registrata), quatenus tamen[3] causae onerosae praedictae pro vere onerosis et legitimis, ut supra, aliàs in eâdem camerâ verificatae ac approbatae et iudicatae non sint, quo casu ad indicationem tantum, non autem ad aliam verificationem eosdem obtinentes teneri volumus,

Excipit etiam immunitates cardinalibus aliisque Romanae Curiae praelatis.

§ 20. Excipimus etiam immunitates et exemptiones dictae S. R. E. cardinalibus, ratione dignitatis cardinalatus, et cameralibus, qui in eâdem camerâ sederunt et sedent, concedi solitas, ac etiam exemptiones, quibus ad praesens[4] praelati et officiales Romanae Curiae, ac praelati domestici, cubicularii secreti et secretarii, ac alii familiares et continui commensales nostri, et successorum nostrorum Romanorum Pontificum in rotulo descripti,

Facultates testandi.

§ 21. Necnon facultates testandi de quibusvis bonis, etiam ubicumque sitis, et in illis eis ab intestato succedendi, dictis cardinalibus, ac nostris et Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum familiaribus et continuis commensalibus, etiamsi illi familiares postmodum esse desierint vel desinant, et aliis quibusvis etiam gratuito quomodolibet tam per eosdem praedecessores, quam etiam per nos concessas, et aliàs in omnibus et per omnia iuxta earumdem facultatum et litterarum desuper expeditarum formam ac tenorem, quem pro latissime expresso haberi volumus,

Exemptiones consanguineis Pontificum;

§ 22. Necnon exemptiones, immunitates et privilegia quaecumque, quibus fratres, nepotes et consanguinei nostri, et pro tempore existentis Romani Pontificis viventis, fruuntur, potiuntur et gaudent,

Ob numerum duodecim filiorum etc., concessas;

§ 23. Ac demum illas ob numerum duodecim filiorum concessas, quas tamen ad terminos eiusdem Pii Papae IV[1], et aliarum apostolicarum constitutionum super similium exemptionum declaratione editarum, et ad illas tantum et pro tempore et personis[2], ac eo modo et formâ, quibus de iure communi illis[3] competunt, ac aliàs iuxta ipsius iuris communis et supradictarum et aliarum apostolicarum constitutionum dispositionem reducimus, neque aliter, quam ut praefertur, illis sive in petitorio sive in possessorio suffragari volumus et decernimus.

Et regulam cancellariae super indultis superviventiae.

§ 24. Nostrae autem mentis fuisse et esse declaramus, regulae cancellariae super revocatione indultorum superviventiae

1 Edit. Main. legit *legitimae* (R. T.).

2 Erronee edit. Main. legit *praedictas* (R. T.).

3 Sic legimus ex edit. Cherub. Rom.; perperam edit. Main. legit *tam* pro *tamen* (R. T.).

4 Subde *gaudent*, vel simile (R. T.).

1 Quam habes in tom. VII, pag. 242 (R. T.).

2 Forsan legendum *et ad illas tantum pro tempore personas* (R. T.).

3 Legerem *illae* (R. T.).

per nos editae nullatenus praeiudicare, quinimo eam quoad omnia in[1] illâ comprehensa, ac omnes et quascumque personas quavis dignitate etiam cardinalitiâ fulgentes, confirmamus, et, quatenus opus sit, innovamus et extendimus.

Mandatum de observandâ constitutione Sixti Papa V.

§ 25. Ceterum legatis et aliis omnibus officialibus praedictis, ad quos spectat, seu in futurum quomodolibet spectabit, quatenus constitutionem Sixti V praedecessoris praedicti circa poenas maleficiorum editam[2] (quam in omnibus et quoad omnia cum suis declarationibus postea factis innovamus) omnino observent.

Rei ad triremes pontificias dumtaxat mittendi.

§ 26. Omnibusque et singulis Sedis praedictae feudatariis, sive baronibus ei mediate subiectis, ne reos ad alias, quam ad triremes Sedis Apostolicae transmittere audeant seu praesumant, praecipimus et inhibemus.

Ministri camerae contra praesentis constitutionis formam nihil solvere debent.

§ 27. Appaltatoribus vero, thesaurariis, depositariis, commissariis, exactoribus et ceteris agentibus et ministris camerae et communitatum praedictarum, ne, contra praesentium formam, provisiones, concessiones, assignationesque praedictas de cetero solvant, aut exemptiones, gratias et immunitates (nisi, ut praefertur, exceptas, et eas quae in eâdem camerâ ex causâ onerosâ praedictâ, vel ex aliis rationalibus causis, per nos, ut praefertur, cognoscendis et approbandis, et seu etiam declarandis, illas concessas fuisse, citato commissario praedicto, verificatae, et pro talibus in eâdem camerâ admissae fuerint) admittant, expresse prohibemus; et si secus solverint vel admiserint, solutiones huiusmodi ac exemptiones illas nullatenus in eorum computis admitti volumus, sed eorum damno cessuras esse: quinimo eos ad refectionem damni teneri declaramus.

Licentiae extrahendi frumenta extra

§ 28. Ac deinceps, perpetuis futuris temporibus, nullos, licentiarum, facultatum et privilegiorum quorumcumque, etiam ex causâ onerosâ, ut praefertur, concessorum vel concedendorum vigore, etiamsi extractionem propriâ auctoritate fieri posse illis permissum sit, extractiones frumentorum et aliorum praedictorum extra Statum nostrum praedictum, vel etiam ad loca mediate subiecta, et etiam a dictis locis mediate subiectis extra dictum Statum aliquo pacto facere, nec etiam similes extrahendi licentias et facultates in posterum concedi, posse aut debere, nisi chirographo manu nostrâ, aut Romani Pontificis pro tempore existentis, quoties extractio facienda erit, subsignato praecedente, alioquin licentias et facultates huiusmodi, aliàs quam chirographo praedicto praecedente, pro tempore concedendas, et extractiones faciendas, nullas, nulliusque roboris et momenti fore et esse, ac ipsos extrahentes in poenas supradictas incidere, et ad illarum exequutionem contra illos irremissibiliter procedi posse et debere, volumus pariter et declaramus.

Statum, Pontificis manu signandae.

Quaecumque privilegia Pontificis auctoritati et tribunalium iurisdictioni contraria irritantur.

§ 29. Postremo omnia et quaecumque privilegia, facultates et indulta, nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti in Statu temporali, ratione supremae potestatis a iure, vel per quasvis apostolicas constitutiones, competentia seu reservata exercendi[1], aut eidem supremae potestati ac superioritati nostrae, et nostrorum tribunalium, officialium et iudicum Romanae Curiae iurisdictioni et auctoritati praeiudicialia, omnibus et singulis supranominatis, etiam, ut praefertur, qualificatis, ac etiam ut[2] supra et aliàs quomodolibet concessa quaecumque (exceptis tamen iis, quae concessa sunt ex causâ vere onerosâ, scilicet congruae solutionis pecuniarum dictae camerae factae, aut ex investiturâ, vel immemorabili consuetudine inviolabi-

1 Praep. *in* addimus ex Cherub. (R. T.).

2 Quam vide in tom. IX, pag. 73 (R. T.).

1 Nempe *indulta exercendi ea quae nobis competunt et reservata sunt* (R. T.).

2 Partic. *ut* addimus ex Cherub. (R. T.).

liter observatâ, vel ex aliis rationabilibus causis, per nos vel successores nostros cognoscendis, approbandis, seu etiam declarandis competentibus, quae etiam licet tollere non intendamus, tamen nostram et Romani Pontificis supremam potestatem, superioritatem, nostramque et eiusdem Romani Pontificis, nostrorumque Romanae Curiae tribunalium, officialium et iudicum iurisdictionem praedictam impedire, aut contra illam[1], praeterquam in casibus a iure permissis, suffragari posse vel debere nolumus, nisi prius causa onerosa, vel investitura, seu immemorabilis[2] praedicta in eâdem camerâ, citato commissario praedicto, legitime probata, verificata et iustificata, aliae vero causae rationabiles praedictae a nobis, seu successoribus praedictis pro talibus cognitae et approbatae seu declaratae fuerint), revocamus pariter et abrogamus.

Clausulae. § 30. Irritum et inane etiam decernentes quicquid secus super his a quoquam, quovis praetextu, occasione, vel causâ, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 31. Non obstantibus praemissis, et, quatenus opus sit, nostrâ de non tollendo iure quaesito, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon statutis, privilegiis, indultis, concessionibus, exemptionibus, immunitatibus, licentiis, facultatibus, deputationibus, confirmationibus, extensionibus, prorogationibus et litteris apostolicis praedictis et quibusvis aliis, etiam, ut praefertur, seu aliàs, qualificatis et speciali notâ et mentione dignis, etiam motu, scientiâ et potestate paribus, et etiam consistorialiter, et de eorumdem cardinalium consilio et assensu, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, etiam inexcogitabilibus et necessario exprimendis, etiam in vim contractus iurati, cameralique obligatione vallati, et quovis alio robore et cautelâ firmatis, editis, et seu factis, ac aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac pluries et iteratis vicibus confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis (etiamsi in eis caveatur expresse, quod nullo unquam tempore sub similium vel dissimilium exemptionum, immunitatum, facultatum, licentiarum, concessionum, deputationum, confirmationum, extensionum, prorogationum, gratiarum, privilegiorum et alienationum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis quibuscumque contrariis dispositionibus, pro tempore edendis, comprehendantur, sed semper ab illis exceptae et quoties illae emanarent, toties in pristinum et validissimum statum, etiam sub posteriori datâ per eos, quibus concessa sunt, eligendâ, restituta, reposita, plenarie reintegrata et de novo concessa sint et esse censeantur, necnon pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret), tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil, penitus omisso, et formâ illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, specialiter et expresse ac latissime derogamus et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentium facienda publicatio. § 32. Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus et apostolicâ auctoritate decernimus, easdem praesentes ad valvas basilicae

1 Ita Cherub.; ed. Main. habet *aut illum* (R. T.).

2 Idest *consuetudo*; erronee edit. Main. legit *immemorabili* (R. T.).

Principis apostolorum, et Cancellariae Apostolicae, ac in acie Campi Florae per aliquem ex cursoribus nostris publicari, et illarum exempla ibidem affixa relinqui; quae, sic publicatae et affixae, omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficiant et arctent, ac si illorum unicuique personaliter notificatae et intimatae fuissent,

Transumptis danda fides.

§ 33. Quodque earumdem praesentium transumptis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides, in iudicio et extra illud, ubique adhibeatur, quae Ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Clausulae poenales.

§ 34. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae reprobationis, reservationis, approbationis, confirmationis, restitutionis, repositionis, reintegrationis, praecepti, statuti, ordinationis, exceptionum, prohibitionum, revocationum, abrogationum, reductionis, inhibitionis, innovationum, declarationum, derogationis, voluntatum et decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noveverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXIV, XII kalendas novembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 21 octobris 1624, pontif. an. II.

Anno a Nativitate Domini Nostri Iesu Christi MDCXXIV, *indictione* VII, *die vero* XXVII *mensis novembris, pontificatus SS. in Christo Patris et D. N. D. Urbani, divinâ providentiâ Papae VIII, pontificatus sui anno* II, *retroscriptae litterae apostolicae publicatae et affixae fuerunt in valvis basilicae Principis apostolorum de Urbe, ac Cancellariae Apostolicae, et in acie Campi Florae, dimissis ibidem earumdem litterarum originalibus appensis per aliquod temporis spatium, et exinde amotis, deinde dimissis earumdem litterarum copiis affixis, ut moris est, per nos Andream Scalmanum et Fabium Æmilianum, praelibati SS. D. N. Papae cursores.*

OCTAVIUS SPADA, magister cursorum.

XC.

Confirmatio erectionis seminarii in dioecesi Cariatensi in oppido Verzini[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Episcopus Cariatensis seminarium erigit in terra Verzini.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit venerabilis frater Mauritius episcopus Cariatensis, quod ipse, quo presbyterorum ad curae animarum exercitium idoneorum penuriae in suâ dioecesi vigenti subveniret, unum ecclesiasticorum seminarium in terrâ Verzini dictae dioecesis, quae, ut asserit, a turcarum incursionibus ipsâmet civitate Cariatensi securior est, fabricâ ad id decenti et congruâ propriis suis sumptibus constructâ, iuxta Concilii Tridentini decreta erexit et instituit, terrasque seu possessiones, quarum redditus et proventus annui ad summam ducentorum ducatorum monetae regni Neapolitani facile ascendunt, per eum emptas, dicto seminario perpetuo donavit, prout in publicis desuper confectis scripturis plenius dicitur contineri.

Eiusque fundationem apostolicâ auctoritate petit roborari.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Mauritius episcopus erectionem, instrumentum et donationem huiusmodi, pro firmiori illarum subsistentiâ, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, ac in praemissis per nos, ut infra, opportune provideri summopere desideret:

Confirmat Urbanus.

§ 3. Nos, piis eius votis huiusmodi, quantum cum Domino possumus, benigne

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

annuere, ipsumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad praemissorum effectum dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc umiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotio propagandae fidei praepositorum consilio, erectionem et institutionem seminarii in dictâ terrâ, iuxta decreta eiusdem concilii, ac dotationem seu donationem domus et redditus annui ducentorum ducatorum huiusmodi ipsi seminario a dicto Mauritio episcopo, ut praefertur, factas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in praemissis quomodolibet intervenerint, supplemus.

Cavet, quominus futuri episcopi bona ad illud spectantia alienent vel oppignorent.

§ 4. Ac praeterea pro tempore futuris episcopis Cariatensibus dicti Mauritii episcopi successoribus in perpetuum, ne domum, terras, aut redditum huiusmodi seminario praedicto applicata et assignata in toto vel in parte quantumvis minimâ dismembrare, alienare, oppignorare, aut de illis quemlibet contractum seminario praedicto praeiudicialem facere praesumant, eisdem auctoritate et tenore expresse prohibemus.

Clausulas apponit.

§ 5. Decernentes praesentes litteras et in eis contenta quaecumque valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dicto seminario, illiusque superioribus et alumnis quibuscumque in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et Sedis apostolicae nuncios (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris, die XXI octobris MDCXXIV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 21 octobris 1624, pontif. anno II.

XCI.

Extensio concessionis recitandi officium et celebrandi missam Iacobi de Marchia Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci ad omnes fratres eiusdem Ordinis ubique existentes [1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Recensetur praecedens indultum.

Nuper, pro parte charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici, ac dilectorum filiorum cleri et populi civitatis Napolitanae, nec non totius Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum nobis expositо, quod bonae memoriae Iacobus de Marchia multis et eximiis virtutum, gratiarum et miraculorum donis a Domino illustratus fuerat, et propterea Philippi regis, ac cleri et populi, nec non Ordinis praedictorum nominibus humiliter supplicato, ut, donec canonizationis honor dicto Iacobo de Marchia, ob eius eximiam claritatem [2], et excellentia merita, divinâ adspirante gratiâ ab Apostolicâ Sede decerneretur, idem Iacobus de Marchia Beatus

1 Vide supra Const. LXXXI, pag. 193 (R. T.).
2 Aptius ibid. legitur *charitatem* (R. T.).

nuncupari, atque officium de eo, ut infra, recitari posset; nos, re prius per venerabiles fratres nostros sanctae Romanae Ecclesiae cardinales sacris ritibus praepositos, quibus eam examinandam mandaveramus, mature discussâ, de eorumdem cardinalium consilio, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut ipse bonae memoriae Iacobus de Marchia Beatus nuncupari, atque officium et missa de eo tamquam de Confessore non Pontifice in ecclesiâ tantummodo S. Mariae *della Nova* nuncupatae civitatis Neapolitanae, ubi corpus eiusdem requiescere asserebatur, recitari et celebrari respective libere et licite posset et valeret, apostolicâ auctoritate licentiam et facultatem concessimus: prout in nostris in simili formâ Brevis desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Extensio, de qua in rubrica.

§ 1. Cum autem, sicut Philippus rex, ac clerus et populus, Ordoque praedicti nobis nuper exponi fecerunt, pro eo, quem erga dictum beatum Iacobum de Marchia gerunt, devotionis affectu, plurimum cupiant, concessionem huiusmodi ad universum Ordinem praedictum extendi: nos, piis Philippi regis, ac cleri et populi, necnon Ordinis eorumdem votis in praemissis per amplius annuere volentes, singularesque cleri et populi, necnon Ordinis praedictorum personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis denuo super hoc humiliter porrectis inclinati, de cardinalium praedictorum consilio, concessionem huiusmodi ad universum Ordinem fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum praedictum, ita ut ab omnibus illius personis officium et missa de beato Iacobo tamquam de Confessore non Pontifice, iuxta tamen rubricas missalis et breviarii romani, recitari et celebrari respective similiter possit et valeat, eâdem auctoritate, tenore praesentium, extendimus et ampliamus.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 3. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris, die XXIII octobris MDCXXIV pontificatus nostri anno II.

Dat. die 23 octobris 1624, pontif. anno II.

XCII.

Declaratio, quod consensus monialium, sine quo mulieres seculares licentiis monasteria ingrediendi uti non possunt, expresse, capitulariter et per secreta suffragia de cetero haberi debeat[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Sacrosanctum apostolatus ministerium, quod ineffabilis divinae sapientiae providentia humilitati nostrae, nullo licet meritorum suffragio, credidit, iugiter postu-

1 Huiusmodi licentiarum revocationem habes in Greg. XIII Const. XLIV *Ubi gratiae,* tom. VIII, pag. 113; et postea contra abutentes huiusmodi licentiis et circa illarum usum statuit nonnulla Paulus V in Const. CXX *Facultatum*, tom. XI, pag. 548; sed deinde idemmet Paulus revocavit omnes licentias mulieribus concessas ingrediendi monasteria monialium, ut in eiusdem Constit. CCXVIII, *Monialium quieti*, tom. XII, pag. 184.

lat, ut inter multiplices pastoralis officii curas, illam sedulo amplectamur, qua sanctimonialium quieti opportune consulitur.

Causae faciendae declarationis.

§ 1. Cum itaque plures licentiae monasteria monialium ingrediendi diversis mulieribus secularibus, sub certis modo et formâ tunc expressis, a nobis et diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessae fuerint, eaedemque mulieres in vim licentiarum praedictarum monasteria huiusmodi, nonnisi de expresso earumdem monialium et illorum superiorum, consensu ingredi possint, seu debeant:

Declaratio, de qua in rubricâ.

§ 2. Nos, omnem dubitandi materiam, quae super modo consensum huiusmodi praestandi forsan oriri posset, e medio tollere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ nostrâ, harum serie decernimus atque declaramus, consensum dictarum monialium, de cetero per easdem moniales capitulariter et per secreta suffragia praestandum esse et praestari debere, aliàs licentiae huiusmodi mulieribus, quibus concessae fuerunt, nullatenus suffragentur:

Poenae contra inobedientes.

§ 3. Et quae sanctimonialium monasteria vigore licentiarum praedictarum, absque consensu capitulariter, ut praefertur, praestito, ingredi praesumpserint, sententias, censuras et poenas contra clausuras monasteriorum monialium violantes inflictas, se noverint incursuras;

Clausulae.

§ 4. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari: in contrarium facienda non obstantibus quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris, die XXVII octobris MDCXXIV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 27 octobris 1624, pontif. an. II.

XCIII.

Institutio confraternitatis Aulicorum Urbis in ecclesiâ S. Nicolai ad Caesarinos sub invocatione confraternitatis Urbanae[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Pastoris aeterni, qui pro gregis salute in arâ crucis immolari voluit, vices quamquam immeriti gerentes in terris, pia christifidelium vota, divini cultus augmentum et ipsorum fidelium salutem concernentia ad exauditionis gratiam libenter admittimus, eosdemque fideles ad pia et devota opera exercenda indulgentiis et peccatorum remissionibus invitamus, ut per operum huiusmodi exercitium ad aeternae beatitudinis gaudia pervenire mereantur.

Aulici propriam confraternitatem erigi curant.

§ 1. Cum itaque, sicut dilecti filii almae Urbis nostrae aulici nuper exponi fecerunt, ipsi peculiari devotionis affectu ducti, et ut alios christifideles ad eiusdem devotionis studium accendant, in parochiali ecclesiâ S. Nicolai ad Caesarinos de Urbe unam eorumdem aulicorum confraternitatem Urbanam nuncupandam ad Dei gloriam et honorem, ac animarum dictorum fidelium salutem per nos erigi summopere desiderent;

Quam erigit Pontifex, Urbanamque vocat.

§ 2. Nos, piis eorumdem aulicorum desideriis huiusmodi benigne annuere,

1 Eidem confraternitati postea concessa fuit ecclesia S. Laurentii in Fonte in regione Montium Urbis per Const. Urbani VIII data die XIV iunii MDCXXVIII, quam suo loco dabimus (R. T.).

animarumque saluti paternâ charitate prospicere, eosdemque aulicos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorumdem nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, in praedictâ ecclesiâ unam christifidelium aulicorum dictae Urbis confraternitatem, Urbanam nuncupatam, quae non sit pro hominibus unius specialis artis, sine alicuius praeiudicio, apostolicam auctoritate perpetuo erigimus et instituimus.

Temporales, § 3. Necnon confratribus dictae confraternitatis pro tempore existentibus, ut processionaliter incedere, divina officia in suo oratorio recitare, et pro ipsius confraternitatis negotiis se congregare, ac quaecumque statuta, capitula, ordinationes et decreta pro salubri eorum et dictae confraternitatis regimine et administratione necessaria et opportuna, licita tamen et honesta, sacrisque canonibus, et Concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus apostolicis non contraria, per dilectum filium nostrum in dictâ Urbe vicarium in spiritualibus generalem examinanda et approbanda, facere et edere, illaque pro tempore, prout eis videbitur et expediens fuerit, praeviâ simili examinatione et approbatione, mutare, alterare, corrigere et in melius reformare;

§ 4. Ac insuper omnia et singula legata, relicta, res et bona quomodolibet qualificata, mobilia et immobilia, per quoscumque christifideles dictae confraternitati per viam testamenti, donationis, aut aliàs quomodolibet pro tempore legitime elargita et relicta recipere, illaque per eorum officiales et deputatos regere, gubernare et administrare, ac in ipsius confraternitatis, et eius piorum operum usus convertere libere similiter et licite valeant (ita tamen ut de receptis et administratis per eosdem eidem vicario iuxta decreta Concilii Tridentini huiusmodi rationem reddere teneantur), auctoritate et tenore praedictis, concedimus et indulgemus.

Spiritualesque gratias ei elargitur. § 5. Postremo, ut dicta confraternitas maiora in dies suscipiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis christifidelibus, qui dictam confraternitatem imposterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam;

§ 6. Necnon pro tempore describendis in dictâ confraternitate confratribus, in cuiuslibet eorum mortis[1] articulo, si vere poenitentes et confessi ac sacrâ communione refecti, vel, quatenus id facere nequierint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin autem corde devote invocaverint, etiam plenariam.

§ 7. Ac eisdem pro tempore existentibus confratribus, etiam vere poenitentibus et confessis, ac eâdem sacrâ communione refectis, qui praedictae confraternitatis ecclesiam, vel cappellam, seu oratorium die festo exaltationis sanctae Crucis a primis vesperis usque ad occasum solis festi huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur.

§ 8. Insuper dictis confratribus, etiam

1 Vocem *mortis* nos addimus (R. T.).

vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, ecclesiam vel cappellam seu oratorium huiusmodi in Conceptionis B. Mariae Virginis, ac S. Urbani Papae et Martyris, et sanctorum Ioannis et Pauli, ac sancti Antonii abbatis festis diebus, ut praefertur, visitantibus, et ibidem orantibus, quo die praedictorum id egerint, septem annos et totidem quadragenas;

§ 9. Quoties vero ipsi missis et aliis divinis officiis in dictâ ecclesia, vel cappellâ, seu oratorio pro tempore celebrandis et recitandis, seu congregationibus publicis vel privatis eiusdem confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, necnon etiam qui corpora defunctorum, tam confratrum dictae confraternitatis quam aliorum, ad sepulturam associaverint, aut quascumque processiones de licentiâ Ordinarii faciendas, sanctissimumque Eucharistiae sacramentum, tam in processionibus, quam cum ad infirmos, aut aliàs ubicumque et quomodocumque pro tempore defertur, comitati fuerint, aut, si impediti, campanae ad id signo dato, semel orationem dominicam et salutationem angelicam dixerint, aut etiam quinquies orationem et salutationem praedictas pro animabus defunctorum confratrum dictae confraternitatis recitaverint, aut peccatorem aliquem ad viam salutis reduxerint, et ignorantes Dei praecepta, et ea, quae ad salutem sunt, docuerint, aut aliud quodcumque pietatis vel charitatis opus exercuerint, toties, pro quolibet praefatorum operum, sexaginta dies de iniunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis, poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Si haec confraternitas alteri confraternitati uniatur,

§ 10. Volumus autem, quod si dicta confraternitas alicui archiconfraternitati aggregetur, vel quavis aliâ ratione uniatur, seu etiam quomodolibet instituatur, praesentes et quaevis aliae litterae apostolicae illis nullatenus quoad indulgentias et remissiones praefatas suffragentur, sed ex tunc eo ipso prorsus nullae sint.

praesentes nullae sint.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX octobris MDCXXIV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 30 octobris 1624, pontif. an. II.

XCIV.

Magno magistro Militiae Christianae facultas conceditur militiae adscribendi eos qui per biennium Sedi Apostolicae inservierint.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium, erectam a se militiam christianam recenset.

Cum nos nuper Militiam Christianam Conceptionis Deiparae Virginis apostolicâ auctoritate erexerimus et instituerimus, ac sub nostrâ et Sedis Apostolicae protectione susceperimus, illique et eius militibus ac magno magistro varia privilegia, indulta, immunitates, praerogativas, gratias, et favores, prout in litteris erectionis praedictae militiae sub datum Romae apud S. Petrum, pridie idus februarii pontificatus nostri anno I, expeditis plenius continetur[1], apostolicâ auctoritate concesserimus:

Cuius magno magistro facultatem concedit adscribendi eos, qui per biennium Sanctae Sedi inservierint.

§ 1. Ad ampliandum eo magis dictae militiae felicissimum incrementum, ita ut militantis Ecclesiae infensissimi hostes, tam potentium et illustrium virorum fortitudine, quam etiam ecclesiasticorum principum maiestate et auctoritate perterriti, ab assiduis, quas erga christianam rempublicam moliuntur, insidiis desistant, et catholicae fidei propagatio in dies magis augeatur, motu proprio non ad alicuius super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ, meràque deliberatione nostris, ac de apostolicae po-

1 Quas vide supra pag. 114 (R. T.).

testatis plenitudine, eiusdem militiae magno magistro pro tempore existenti, seu ab eo delegandis vel deputandis, ac eiusdem militiae institutoribus plenam et omnimodam facultatem concedimus per praesentes, ut quoscumque patriarchas, archiepiscopos, episcopos, causarum palatii apostolici auditores, necnon camerae nostrae apostolicae clericos, protonotarios de numero participantium, necnon utriusque signaturae nostrae referendarios, qui saltem per biennium actu officia sua exercuerint, Sedis Apostolicae servitiis realiter insistendo, secundum dictae militiae statuta et constitutione a nobis approbatas, absque aliis ab eis faciendis probationibus, in eamdem militiam recipere, admittere, ac illis habitum et crucem, per eiusdem militiae milites gestari solitum, conferre libere et licite possint.

Sic autem adscriptis ceterorum militum privilegia comunicat.

§ 2. Quibus, omnibus et singulis privilegiis, indultis, praeeminentiis, praerogativis, gratiis, favoribus, immunitatibus, exemptionibus, quibus alii dictae militiae milites utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, uti, frui, potiri et gaudere, ac habitum et crucem huiusmodi gestare, nec non vocem activam et passivam in capitulis, consiliis, etiam supremo, secundum dictae militiae constitutionem faciendis, si ad hoc deputati fuerint, ac aliis dictae militiae actibus habere, et in tali habitu, ac suis dignitatibus, quas obtinent, remanere, necnon ad quoscumque alios maiores et nobiliores gradus ascendere similiter possint, necnon quaecumque, quotcumque, et qualiacumque beneficia ecclesiastica, prioratus, praeceptorias, commendas, praeposituras, abbatias, personatus, admninistrationes, ac officia, dignitates, canonicatus, ac praebendas in cathedralibus, seu metropolitanis, vel collegiatis ecclesiis, si sibi aliàs canonice conferantur, aut ipsi eligantur, praesententur, vel aliàs assumantur ad illa, et instituantur in eisdem, recipere, ac (dummodo plura simul non sint quam quae a Concilio Tridentino permittuntur) quoad vixerint retinere, et quascumque pensiones annuas, usque ad quamcumque summam, super cathedralium et metropolitanarum et abbatialium, conventualium et capitularium mensarum, necnon monasteriorum, etiam consistorialium, prioratuum, canonicatuum, ac praebendarum, dignitatum, personatuum, administrationum et officiorum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium et quorumvis Ordinum et militiarum regularium, qualitercumque qualificatorum, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis universis, ac etiam distributionibus quotidianis, aliàs sibi canonice reservandas, percipere, exigere, et in suos usus ac utilitatem convertere, ipsasque pensiones unâ cum praeceptoriis et beneficiis quibuscumque, quoad vixerint, retinere libere et licite possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, indulgemus; sicque ab omnibus et singulis censeri decernimus.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae militiae (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ[1], aut quavis aliâ firmitate roboratis) statutis, consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV novembris MDCXXIV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 14 novembris 1624, pontif. an. II.

XCV.

Ecclesiasticis regni Siciliae permittitur, ut quoddam subsidium regi praebere queant[2].

1 Edit. Main. legit *apostolicae* (R. T.).

2 Ex regest. in Secret. Brev.

Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi catholico, Urbanus Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Statibus regni Siciliae quamdam pecuniae summam regi offerentibus,

§ 1. Exponi nobis nuper fecisti, quod (cum dilecti filii tres hominum Status, seu tria brachia, ecclesiasticum, militare, et demaniale nuncupata, regni Siciliae ultra pharum, cuius tu rex existis, quibusdam rationabilibus de causis animos eorum moventibus, de offerendo tibi ac bonae memoriae Philiberto a Sabaudia, priori prioratus Castellae et Legionis hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, tunc eiusdem regni proregi, certas pecuniarum summas, donativa nuncupata, sub certis terminis ac modo et formâ exigendas inter se tractaverint) venerabiles fratres archiepiscopi, episcopi, ac dilecti filii archimandrita ac aliae personae ecclesiasticae dicti regni certam ratam sponte suâ obtulerunt et dare statuerunt in parlamentis ordinariis habitis de anno praesenti; ipsique archiepiscopi, episcopi et archimandrita ac aliae ecclesiasticae personae eorum ratam huiusmodi, accedente ad hoc nostro et Apostolicae Sedis beneplacito, persolvere obtulerunt, et forsan etiam persolverunt.

Ecclesiastici quoque ratam pro sui parte dare decernunt.

Rex itaque permitti sibi, suisque ministris, ut eam recipere queant, petit.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat ex eo quod per Lateranense concilium novissime celebratum, diversasque alias canonicas sanctiones, sub certis censuris et poenis caveatur expresse, ne reges, principes, et alii potentatus ab archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis personis ecclesiasticis, etiam sponte offerentibus, aliquam pecuniarum summam sive subventionem recipiant), maiestas tua, ac tui illius regni ministri, necnon dilectus filius noster Ioannettinus S. R. E. cardinalis ab Auria nuncupatus, qui eidem Philiberto in munere proregis huiusmodi, nostrâ et Apostolicae Sedis licentiâ sibi suffragante, successit, dubitetis, ratam praedictam recipiendo, censuras et poenas praedictas incurrere, et forsan incurrisse; ac nobis propterea humiliter supplicari feceris, pro tuae et dictorum ministrorum ac Ioannettini cardinalis et proregis conscientiae quiete, quatenus in praemissis nostram et huius Sanctae Sedis auctoritatem interponere dignaremur:

Permittit Urbanus.

§ 3. Nos, huiusmodi supplicationibus inclinati, oblationi et forsan promissioni, necnon solutioni per archiepiscopos, episcopos et archimandritam ac alias ecclesiasticas personas factis, pro hac vice tantum, nostram et Sedis praedictae auctoritatem interponimus per praesentes: et nihilominus archiepiscopis, episcopis, et archimandritae, ac aliis ecclesiasticis personis praedictis, ut ratam huiusmodi, per eos, ut praefertur, oblatam et promissam, persolvere, ac maiestas tua, et tui ministri, dictusque Ioannettinus cardinalis et prorex, eam petere et recipere, absque conscientiae scrupulo, seu censurarum et poenarum praedictarum incursu, libere et licite valeant, concedimus et indulgemus.

Ipsosque ecclesiasticos, si iam quidquam dederint, a censuris absolvit.

§ 4. Ipsosque archiepiscopos, episcopos et archimandritam, ac alias personas ecclesiasticas, et earum singulas, quatenus ipsi dictam ratam iam promiserint aut solverint, necnon eamdem maiestatem tuam, et tuos ministros, ac Ioannettinum cardinalem et proregem praedictum, si eamdem ratam iam perceperint, ab omnibus et singulis censuris et poenis propterea quomodolibet incursis, eâdem auctoritate, absolvimus et absolutos fore censemus et declaramus.

Decernit pensionarios etiam teneri ad solutionem huiusmodi ratae.

§ 5. Decernentes, quod omnes et singuli pensionarii, seu ii, quibus loco pensionum fructus in totum vel in partem reservati existunt, cuiuscumque dignitatis vel conditionis sint, exceptis tamen sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, ad huiusmodi ratae solutionem in omnibus et per

omnia, perinde ac si nominatim ratam eamdem se soluturos obtulissent (clausulis et decretis in litteris apostolicis reservationum pensionum et fructuum huiusmodi etiam consistorialiter appositis, etiam quod dictae pensiones ab omni decimâ, subsidio charitativo, ac quovis alio onere, tam ordinario quam extraordinario, quavis auctoritate, etiam pro expeditione tam offensivâ quam defensivâ contra turcas et alios infideles, ac reipublicae christianae ab illorum conatibus defensione, seu aliâ inexcogitabili causâ, a Romano Pontifice pro tempore existente, etiam ad imperatoris, regum, ducum, et aliorum instantiam, illorumque contemplatione et intuitu, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ impositis et imponendis, aut aliàs qualitercumque, exemptae sint, nequaquam obstantibus) teneantur, et efficaciter obstricti sint; ipsique archiepiscopi, episcopi, archimandrita, et aliae personae, quarum ecclesiae, monasteria et alia beneficia ecclesiastica annuis pensionibus, auctoritate apostolicâ assignatis, gravata et onerata sunt, ratam pensionariorum suorum, seu eorum, quibus fructus huiusmodi sunt reservati, solvere, et illud, quod pro ipsis pensionariis, seu iis, quibus fructus huiusmodi sunt reservati, vere et realiter, ac quacumque fictione cessante, persolverint, suâ propriâ auctoritate postmodum penes se retinere possint, nec propterea sententias, censuras et poenas in eisdem pensionum reservationibus contentas incurrant.

Contraria tollit. § 6. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum huiusmodi (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus, etiam in corpore iuris clausis, ac litteris apostolicis, quibusvis generaliter vel specialiter concessis, necnon litteris reservationum pensionum, et fructuum huiusmodi, ac quibusvis obligationibus, etiam in formâ camerae, etiam cum iuramento et censuris, ac mandati exequutivi susceptione, vel aliàs desuper factis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, de verbo ad verbum mentio, seu quaevis alia expressio habenda sit, et in eis caveatur expresse, quod per huiusmodi clausulas generales, etiam mentionem specialem importantes, eis derogatum esse non censeatur, aut derogari non videatur, nisi certis modo et formâ in illis expressis plene observatis. Quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Pauperes tamen ecclesiasticos eximit. § 7. Ceterum, volentes providere ne pauperes ecclesiastici ad contributionem huiusmodi graventur, Ioannettinum cardinalem et proregem praedictum hortamur attente, ac in virtute sanctae obedientiae illi mandamus, quatenus pauperes ecclesiasticos, qui in redditibus annuis nihil, aut parum, etiam usque ad valorem decem unciarum, scuta XXV monetae illius regni constituentium, inclusive habent, ad contributionem praedictam per quoscumque, quavis auctoritate fungentes, cogi aut compelli nullo modo permittat.

Exactionem vero huiusmodi per ecclesiasticos fieri praecipit. § 8. Volumus, quod exactio pecuniarum huiusmodi ab ecclesiasticis per personas etiam ecclesiasticas a dictâ maiestate tuâ seu dicto Ioannettino cardinale et prorege deputandas fieri debeat, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis (quod si secus in aliquo praemissorum factum fuerit, qui contravenerint, in poenas et censuras incurrant, perinde ac si praesentes litterae non emanassent);

Transumptis credi iubet. § 9. Quodque etiam praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo ali-

cuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra in omnibus et per omnia adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apûd S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV novembris MDCXXIV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 15 novembris 1624, pontif. anno II.

XCVI.

Indultum fratribus Iesuatis sancti Hieronymi, Ordinis sancti Augustini, quod abiecto caputio albi coloris, aliud coloris eorum habitus, eâque formâ qua ceteri Mendicantes utuntur, deinceps gestare valeant[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Onerosa pastoralis officii cura nobis, licet immeritis, ex alto commissa postulat, ut religiosos viros, qui, spretis mundi vanitatibus, divini numinis obsequiis sese manciparunt, propensis studiis complectamur, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Indultum de quo in rubricâ. § 1. Hinc est quod nos, dilectos filios fratres Iesuatos sancti Hieronymi, Ordinis sancti Augustini specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, eisdem fratribus, ut, abiecto caputio albi coloris, quod super humeros hactenus gesserunt, aliud in capite coloris eorumdem pallio similis, atque eâ formâ qua ceteri Mendicantes utuntur, gestare libere et licite valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus, ac licentiam et facultatem impertimur.

Clausulae. § 2. Decernentes illos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari, inquietari vel perturbari nullatenus posse, neque debere; praesentes vero litteras validas et efficaces esse et fore, eisdemque fratribus in omnibus et per omnia plenissime suffragari;

§ 3. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique Ordinis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maio-

1 Institutum horum fratrum habes in Martin. V Const. XXII *Piae*, tom. IV, pag. 730; et Const. XX Pauli V, *Religiosos*, tom. XI, pagina 272; et eisdem fratribus, approbatis a locorum Ordinariis, ad audiendas confessiones in ecclesiis parochialibus dicti Ordinis, ut parochianorum confessiones audire valeant, concessit Greg. XV in Const. LXXVI *Ex iniuncto*, tom. XII, pag. 730; qui etiam comprobavit novitiatum in Urbe, ut in eiusdem Const. CVIII, *Inter multiplices* ibid., pag. 812.

rem, sub annulo Piscatoris, die XIX novembris MDCXXIV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 19 novembris 1624, pontif. an. II.

XCVII.

Confirmatio confraternitatis Musicorum sub Visitationis B. Mariae, S. Gregorii Papae, ac S. Caeciliae titulo, antea in ecclesiâ Congregationis clericorum regularium S. Pauli D. collati de Urbe institutae, cum indultorum ac indulgentiarum concessione.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Procemium. Pietatis et christianae charitatis opera ubique cum divini cultus incremento exerceri cupientes, his propterea, quae pie et provide facta fuisse dicuntur, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis adiicimus firmitatem, Christique fideles, ut in eorumdem piorum operum exercitio magis confoveantur, favoribus et gratiis prosequimur opportunis, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Erectam pridem confraternitatem musicorum, § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales et confratres confraternitatis Musicorum nuncupatae, sub Visitationis B. Mariae Virginis ac S. Gregorii Papae et S. Caeciliae invocationibus, quod aliàs confraternitas praedicta in S. Pauli Clericorum Regularium Congregationis eiusdem S. Pauli Decollati seu aliâ almae Urbis nostrae ecclesiâ canonice erecta et instituta fuit;

Statutaque pro ea edita, § 2. Ac, pro felici, prosperâque illius directione et gubernio, nonnulla statuta condita fuerint[1], illaque a dilecto filio nostro in dictâ Urbe vicario in spiritualibus generali probata fuerunt, prout in publicis desuper confectis scripturis plenius dicitur contineri.

Confirmari petunt confratres. § 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, firmiora sint ea, quae a Sede Apostolicâ approbantur et confirmantur, cupiantque propterea officiales et confratres praedicti, erectionem et institutionem, statutaque praedicta apostolicae confirmationis patrocinio communiri, aliàsque sibi per nos indulgeri:

Confirmat Urbanus. § 4. Nos, eorum votis in praemissis, quantum cum Domino possumus, annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationum, suspensionum et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, erectionem et institutionem praedictas, quatenus canonice factae fuerint, ut praefertur, nec non statuta praedicta, dummodo tamen licita sint et honesta, sacrisque canonibus, et Concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus apostolicis non adversentur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§ 5. Eisdemque officialibus et confratribus, ut statuta huiusmodi pro temporum varietate, prout eis melius et expediens videbitur, mutare, alterare, corrigere et in melius reformare, ac etiam de novo condere, praeviâ tamen eiusdem vicarii examinatione et probatione, libere et licite valeant, licentiam et facultatem concedimus et impertimur.

Prohibet, quominus sine licentiâ revisorum ab hac confraternitate deputandorum compositio- § 6. Praeterea, ut officiales et confratres praedicti in piorum operum exercitio magis accendantur et confoveantur, nonnullorumque compescatur temeritas,

1 Cohaerenter legeretur *fuerunt* (R. T.).

nes musicales typo edantur.

qui, nullis, vel saltem incompositis, artis musicae huiusmodi studiis aut legibus servatis, publice typis mandare[1] non verentur, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, et praesertim librorum impressoribus et bibliopolis, sub quingentorum ducatorum auri de camerâ, pro unâ camerae nostrae apostolicae, ac pro aliâ eidem confraternitati, ac pro reliquâ tertiis partibus accusatori et iudici exequenti irremissibiliter applicandorum, eo ipso, absque ullâ declaratione, incurrendâ poenâ, ne de cetero in Urbe quascumque tam proprias quam alienas musicales compositiones et moctetta cuiusvis generis et speciei existentia, iam per quoslibet eiusdem artis peritos composita, et de cetero componenda et imprimenda, sive ad ipsam Urbem ad effectum impressionis transmittenda, absque speciali correctorum seu revisorum ab ipsâ confraternitate deputatorum licentiâ in scriptis obtinendâ, quae tamen gratis concedi debeat, imprimere, aut ab alio vel aliis impressa vendere seu venalia habere, vel proponere quoquo modo audeat seu praesumat, interdicimus et prohibemus.

Vel scholae musicae aperiantur.

§ 7. Ad haec (ut ad publicas artis musicae huiusmodi scholas in dictâ Urbe aperiendas imperiti nullatenus admittantur) dictae confraternitati, quod de cetero omnes et singuli, sive clerici sive laici, artis musicae huiusmodi scholas in dictâ Urbe aperire, in eisque publice musicam docere volentes, licentiam ab eisdem deputatis in scriptis et sigillo eiusdem confraternitatis munitam, quae gratis concedatur, petere et obtinere[2], auctoritate et tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Gratias spirituales confratribus concedit.

§ 8. Postremo, ut dicta confraternitas maiora in dies suscipiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis christifidelibus, qui dictam confraternitatem imposterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam;

§ 9. Necnon nunc et pro tempore descriptis et describendis in dictâ confraternitate confratribus in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi, ac sacrâ communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu, ore si potuerint, sin autem corde devote invocaverint, etiam plenariam;

§ 10. Ac eisdem nunc et pro tempore existentibus confratribus, etiam vere poenitentibus et confessis, ac eâdem sacrâ communione refectis, qui praedictae confraternitatis ecclesiam, vel cappellam, seu oratorium die festo S. Caeciliae a primis vesperis usque ad occasum solis festi huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haereticorum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur.

§ 11. Insuper dictis confratribus, etiam vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, ecclesiam, vel cappellam, seu oratorium huiusmodi in Visitationis beatae Mariae Virginis, ac sanctorum Angelorum Custodum, et sancto rum Gregorii et Leonis II, Romanorum Pontificum, festis diebus, ut praefertur, visitantibus, et ibidem orantibus, quo die praedictorum id egerint, septem annos et totidem quadragenas;

§ 12. Quoties vero missis et aliis divinis officiis in dictâ ecclesiâ, vel cappellâ, vel oratorio pro tempore celebrandis et recitandis, seu congregationibus publicis

1 Subintellige *compositiones musicales* (R.T.).
2 Subde *possint* vel *debeant* (R. T.).

vel privatis eiusdem confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, nec non etiam qui corpora defunctorum, tam confratrum et consororum dictae confraternitatis, quam aliorum, ad sepulturam associaverint, ac quascumque processiones de licentiâ Ordinarii faciendas sanctissimum Eucharistiae sacramentum, tam in processionibus, quam cum ad infirmos, aut aliàs ubicumque et quomodocumque pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut, si impediti, campanae ad id signo dato, semel orationem dominicam et salutationem angelicam dixerint, aut etiam quinquies orationem et salutationem easdem pro animabus defunctorum confratrum et consororum dictae confraternitatis recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, et ignorantes praecepta Dei, et quae ad salutem sunt, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet praedictorum operum sexaginta dies de iniunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ ecclesiae consuetâ relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

§ 13. Volumus autem, ut si dictis confratribus, praemissa peragentibus, aliquam indulgentiam, perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duraturam, concesserimus, praesentes nullae sint.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX novembris MDCXXIV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20 novembris 1624, pontif. anno II.

XCVIII.

Confirmatio constitutionum in collegio Graecorum de Urbe servandarum[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Universalis Ecclesiae regimini per abundantiam divinae gratiae, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, praepositi, inter multiplices, gravissimasque pastoralis officii curas, ad ea mentis nostrae aciem peculiari sollicitudine iugiter convertimus, quae ad maiorem Dei gloriam et sanctae Matris Ecclesiae unitatem et exaltationem, fideique catholicae propagationem, ac christifidelium in bonis litteris, atque christianis moribus instructionem fore dignoscuntur opportuna.

Urbanus dum protector huius collegii esset, sequentes edidit constitutiones.

§ 1. Sane aliàs in minoribus constituti, et cardinalatus honore fungentes, ut collegii Graecorum, a felicis recordationis Gregorio Papa XIII praedecessore nostro in almâ Urbe nostra erecti, et cuius protectoris munus nobis commissum erat, temporalibus commodis prospiceremus, inter alia tunc a nobis gesta, atque exequutioni demandata, collegium praedictum, illiusque personas et bona quaecumque, curae et administrationi presbyterorum Societatis Iesu a felicis recordationis Gregorio Papa XV etiam praedecessore nostro committi obtinuimus; et pro feliciori eiusdem collegii regimine atque gubernio infrascripta statuta atque constitutiones, quibus dictum collegium de cetero regeretur et gubernaretur, iussu nostro edita fuerunt tenoris subsequentis, videlicet:

§ 2. *Collegii constitutiones.*

De rectore et eius officio.

Ad rectorem, quem praepositus generalis more Societatis constituet, et, cum ei visum fuerit, amovebit, cura domesticae disciplinae, et constitutionum omnium exacta exequutio spectabit, qui etiam constitutiones illas, quarum exequutio specialiter protectoribus ac praeposito generali reservatur, opportune illis in memoriam revocet, ut exequutioni eas mandent; ministros vero omnes collegii, qui de Socie-

tate non sunt, ipse constituet et amovebit. Rector extraordinarias et insolitas expensas ultra viginti ducatorum summam nullas faciat, nisi conscio et approbante praeposito generali, neque ultra centum ducatorum summam, nisi accedente etiam consensu protectoris, qui collegio specialiter praeest. Quod si expensae mille ducatorum summam excesserint, non fiant nisi de consensu omnium protectorum et superiorum.

Certa pecuniae summa constituatur ad libros singulis annis pro magistris et scholaribus et pro augendâ bibliothecâ coëmendos. Itemque ad supellectilem ecclesiae conservandam et augendam; quae summa, considerato statu collegii, a protectore, qui collegium admnistrat, vel de eius consensu a rectore constituetur.

De cardinalibus protectoribus.

Cum protectorum aliquis decesserit, moneat rector praepositum generalem, ut pro ratione muneris sui aliumsub stituendum a Sede Apostolicâ curet, qui ad res collegii promovendas atque Graeciae reductionem idoneus futurus videatur. Interim vero in collegio res Deo serio commendetur.

E protectoribus unus semper sit specialiter a Sede Apostolicâ deputatus, qui accepti, expensique rationes a rectore, oeconomis, vicariis monasterii Sanctissimae Trinitatis diligenter quotannis exigat, quique res, quae protectoris operâ atque auctoritate indigere videbuntur, ordinarie cognoscat. Quod si quod extraordinarium et gravius inciderit, referatur ad congregationem protectorum omnium et superiorum, quae circa festum Pentecostes et Nativitatis Domini ordinarie semper habebitur, aut etiam saepius, cum id negotia postulabunt.

De admittendis in alumnatum.

Qui in collegio admittendi sunt, sint Graecis parentibus nati, sancto baptismate secundum ritum Ecclesiae Graecae initiati, legitimo matrimonio suscepti, linguam patriam saltem mediocriter teneant, non debiles, aut deformes, non impediti linguâ, non desertores ullius religiosi Ordinis, aut fidei, non neophyti, atque eo ingenio praediti, ut sperari possit, fore, ut utiles Ecclesiae operarii evadant; annorum nec minus duodecim, neque supra decimum sextum, nisi si quando ex peculiaribus causis (neque nisi longâ probatione praeviâ ad experiendum hominis ingenium ac naturam) protectori et superiori dispensandum videretur cum aliquo, ut paulo maior natu admitti possit, dummodo octavum decimum annum non accedat[1]. Quod si de admittendo aliquo agatur, qui eam aetatem excesserit, nonnisi de expressâ Sedis Apostolicae dispositione id fieri possit, quae dispensatio subreptitia ac nulla prorsus habeatur, nisi constiterit, in eius petitione expositas fuisse Pontifici causas constitutionis huius.

Admitti in collegium poterunt ex omnibus Graeciae provinciis et ceteris Orientis locis, in quibus Graeci habitant; Italo-Graeci, quos vocant, non excedant numerum decem; Rutheni etiam quatuor, et monachi S. Basilii congregationis S. Nili duo, dummodo ingenio polleant, ali in collegio poterunt, quamdiu protectoribus expedire videbitur.

Curet praepositus generalis, ut quantum fieri potest, ex diversis Graeciae provinciis ac locis scholares alantur in collegio, ut fructus ad plures gentes pertinere possit. Eam ob rem ex parvis locis et insulis ne plures simul in collegio versentur, nisi alii suppetant. Si quis latini ritus ex subreptione insciis superioribus ingressus fuerit, post susceptum iuramentum teneatur etiam postquam ex collegio discesserit, ritum graecum servare, atque ad animarum salutem incumbere: qua etiam conditione admitti intelligatur[2], si qui alioqui ritus latini ex

1 Potius legendum videretur *excedat* (R. T.).
2 Ex seqq. legerem *intelligantur* (R. T.).

peculiari Sedis Apostolicae dispensatione admissi fuerint.

Si cui ex alumnis specialiter indulserit Sedes Apostolica, ut non obstante iuramento ad ritum Ecclesiae Latinae transire possit, teneatur ad restitutionem omnium expensarum, quae in eo alendo et instituendo factae sunt, nisi etiam super hoc dispensatum cum eo fuerit; qui vero sine expressâ dispensatione ritum mutaverint, quibuscumque officiis et beneficiis eo ipso sint privati et ad similia in futurum obtinenda inhabiles perpetuo existant; collegii autem protector administrans contra eos tamquam contra periuros procedere possit ac debeat.

Qui ex Oriente et Graecia veniunt, curetur, ut quantum fieri potest, honesto et commodo loco nati sint, utque eorum parentes et consanguinei bona ac domicilium in iis regionibus habeant, quo facilius et libentius in patriam revertantur. Qui vero ex Italia recipiuntur, eiusmodi sint, ut propter parentum et consanguineorum curam non cogantur ab instituto collegii desistere, sed tales sint, qui libere possint a protectoribus in eas Italiae partes ad curam animarum exercendam dimitti, quae eorum operâ indigebunt.

Curet praepositus generalis, ut sint aliqui, qui idoneos ad finem et disciplinam collegii conquirant, deque eorum indole et ceteris secundum constitutiones collegii requisitis recte iudicent, neque ordinarie quemquam admittant[1], nisi de consensu rectoris et cum litteris, quae fidem faciant, eum habere conditiones omnes et singulas requisitas in specie. Ignoti autem, vagi, aut alioquin minus idonei nullâ ratione recipiantur. Qua in re protectoris specialiter ad gubernationem collegii deputati, praepositi generalis et rectoris conscientiam oneramus.

De eorumdem numero.

Non plures admittantur in collegium, quam quos sine periculo aeris alieni contrahendi superiorum iudicio collegium commode sustentare poterit.

1 Erronee, ut puto, ed. Main. h. *mittant* (R.T.).

De iuramento ab eis praestando.

Qui decimum sextum annum excesserint, statim post semestre spatium ab ingressu in collegium, minores autem, dummodo sex menses antea in collegio versati sint, statim atque decimum sextum expleverint, iurent; Italo-Graeci, se non discessuros e collegio, nisi legitime dimittantur, et statum ecclesiasticum ac sacros etiam ordines usque ad presbyteratum ritu graeco suscepturos quandocumque et inibi[1], superioribus visum fuerit, atque ad curam animarum, quocumque intra Italiam a protectoribus, aut uno illorum ad id specialiter deputato, missi fuerint, ituros, neque acturos umquam, ut ad ritum latinum transire sibi liceat. Graeci autem iurent ritum graecum a sancta Romanâ Ecclesiâ probatum perpetuo servaturos, neque a collegio discessuros, nisi legitime dimittantur ab iis, ad quos spectat; tuncque statim in Graeciam profecturos, nisi alio a superioribus missi fuerint, ibique, quantum in se erit, fidem catholicam, quam in hoc collegio didicerunt, seminaturos, neque acturos umquam, ut ad ritum latinum transire sibi liceat. Promittant praeterea se, dum in collegio versabuntur, instituta et constitutiones eius iuxta superiorum interpretationem servaturos, neque a communi omnium alumnorum vivendi ratione, vel in vestitu, vel in habitatione, vel in victu discessuros, neque quidquam molituros contra constitutiones, instituta et moderatores collegii. Quam promissionem, simul cum iuramento, in libro, quem ad hanc rem servari volumus, chirographo suo coram testibus consignabunt.

1 Potius videretur legendum *ubi* (R. T.).

De disciplinâ, studiis, etc.

Postquam in collegium admissi fuerint, separatim a ceteris ad dies minimum decem habitent, quo tempore, quae ad pie-

tatem et vitam, secundum disciplinam et instituta collegii, moderandam pertinent, privatim doceantur, neque cum aliis, aut in cubiculis versentur, aut separatim agant, vel colloquantur,[1] exceptis iis qui ad id a superioribus fuerint designati.

Generalem per id tempus totius vitae confessionem facient apud collegii confessarium, aut alium, qui magis ad rem superiori videatur, qui eos a censuris omnibus et casibus Sedi Apostolicae, etiam in bullâ Coenae Domini reservatis, iuxta facultates ab eâdem Sede concessas absolvet.

Quod si quis, propter aetatis teneritudinem, ad secessum minus idoneus, neque ex confessione generali utilitatem capturus videatur, decem saltem diebus ante iuramentum secedat, ac piae meditationi, confessioni generali, et vitae secundum suam vocationem instituendae vacet; omnes tamen initio doceantur fidei rudimenta, et cetera ad pietatem conducentia, quae pro captu aetatis suae discere possunt.

Sed illis mensibus, qui illis conceduntur ad deliberandum, an manere in collegio, eiusque institutum amplecti velint, attendat diligenter rector, num ad collegii disciplinam et finem illi propositum idonei sint. Quod si quem minus idoneum deprehenderit, sine morâ dimittat.

Nemo in hoc collegio alatur, qui sine spe solidi in pietate fundamenti discessurus videatur, ne malus unius exitus ea destruat, quae multorum in religione et pietate profectus aedificavit. Quapropter rectoris conscientiam districtius oneramus, ne huiusmodi homines, postquam eos, sive ante sive post iuramentum deprehenderit, remanere in collegio diutius patiatur; quemadmodum ne eos quidem, qui minus in litteris profecturi videntur, ubi satis eorum indoles explorata fuerit.

Omnes in collegio fraternâ charitate devincti iisdem legibus vivant, etiamsi sacerdotes, religiosi, et magistri sint et communem cum ceteris vitae rationem in victu, vestitu, habitatione et ceteris omnibus rebus sequantur.

Pietate, piisque exercitationibus.

Quia totius spiritualis aedificii fundamentum pietas est, in eo diligentiam omnem impendat rector, ut eam in alumnorum pectoribus inserat; curet igitur, ut frequens sacramentorum, precum ac piorum librorum usus in collegio vigeat, ac verbo Dei et ipse eos ad studium pietatis incitet, et iuvandos ab aliis identidem curet, ita ut praeter lectiones aut conciones sacras, quas in templis audient, saltem quintodecimo quoque die privatis cohortationibus ad ea, quae vocationis et instituti sui sunt propria, animentur.

Vetus collegii consuetudo servetur, ut octavo quoque die confiteantur, et, quibus praeter aetatem licet, decimoquinto quoque die communicent; praeterea vero solemnibus diebus festis, ac dominicis omnibus adventus et quadragesimae, idque ordinarie latito ritu, praeterquam in festo Paschatis, Pentecostes et in festo Nativitatis Domini, aut si quando praeterea iustis de causis protectori videbitur. Doceantur autem a confessario, aut alio spiritualibus rebus praefecto, quomodo haec cum spirituali suo fructu peragant. Quotidie missam latino ritu audiant; festis vero diebus etiam ritu graeco, et mane antequam studiis operam dent, dimidiam horam orationi pendant: meditationi quidem, qui per aetatem idonei videbuntur; ceteri autem vocali orationi ex confessarii praescripto et more collegii; vespere, antequam cubitum eant, horae quadrantem unum litaniis et discutiendae conscientiae suae tribuent; quod si quis officium ecclesiasticum recitare teneatur, id aliis horis persolvat.

Qui sacerdotes, aut in sacris constituti sunt, in gradu suo ministrare secundum rectoris praescriptum debeant, ut ritus et caeremonias ecclesiasticas quas exercere

1 Coniunct. *et* delemus (R. T.).

deinde debent, addiscant (ac, si quâ in re errent, corrigantur ab aliis, quibus id officium demandatum est; qui autem correcti fuerint, neque gravate ferant, et emendare errata studeant); neque umquam, dum sacerdotis copia est, divina officia omittantur, etiam propter actus litterarios, aut quacumque aliâ de causâ.

De directore spiritus.

Sit domi praefectus rerum spiritualium, qui alumnorum confessiones accipiat; praeterea vero sit unus aliquis, qui Graecos advenas in fide ac ceteris ad pietatem pertinentibus instruat; curetque, ut fidei professionem, quibus necessaria est, et confessionem faciant: quod munus, si nullus sit de Societate qui commode obire possit, superioris iudicio unus e cappellanis ecclesiae, aut alius ex alumnis, cuius virtuti ac fidei, re mature consideratâ, credi possit munus hoc, obeat.

Alumni, quamvis alioqui ingeniosi ac studiosi, in pietate tamen desides, quique alios exemplo aut consiliis suis ab obedientiâ, pietatis studio, et collegiali observantiâ avertere tentaverint, ne alios inficiant, statim e collegio dimittantur. Festis diebus domi se contineant, nisi quando ad actus litterarios, aut ad concionem lectionemve sacram eundum sit, quam audiant cum habebitur, nisi divinorum officiorum aut litterariarum exercitationum[1] occupatio impediat.

De servitio ecclesiae praestando.

Missam ac vesperas diebus omnibus dominicis, festis omnibus Beatae Virginis, et Angelorum, sanctorum Athanasii, Basilii, Gregorii Nazianzeni, Ioannis Chrysostomi, Nicolai, Catharinae virginis et martyris, festis omnibus Paschatis, Pentecostes, Natalis Domini, Circumcisionis, Epiphaniae, Transfigurationis, Inventionis et Exaltationis sanctae Crucis in ecclesiâ decantent: diebus item omnibus maioris hebdomadae, in vigiliâ Natalis Domini et Epiphaniae: ac praeterea, si qui sunt dies, qui in Ecclesiâ Graecâ populi universi devotione celebrentur, etiam ipsi divinum officium Orientalis Ecclesiae more celebrent.

Toto quidem anni tempore, sed praesertim cum pomeridianis horis vacatur a lectionibus et per autumnales ferias exerceantur in divinis officiis et caeremoniis secundum ritus Orientalis Ecclesiae peragendis, ut haec praestare deinde cum decore et aedificatione possint: in quo, quia magni momenti est, ne remissius aut negligentius agatur, rectoris conscientiam oneramus. Quo item tempore, aut alia cum studia intermittuntur, maiores ea doceantur, quae celebrando sacrosancto missae sacrificio secundum ritum orientalem accomodata sunt, ne ad ecclesiarum deinde curam minus parati accedant.

De episcopo, eiusque munere.

Curet protector procurationi collegii specialiter deputatus, ut Graecus aliquis ex Oriente ritu graeco consecratus episcopus Romae sit ad divina officia, atque ordinationes ritu graeco in ecclesiâ S. Athanasii peragendas[1], qui, quae ad caeremonias et ritus Orientalis Ecclesiae faciunt, docere alumnos possit, et ipse per omnia servet; qui tamen nullum ius in collegium aut ecclesiam habeat, atque ad nutum amoveri a protectore possit.

De sacellanis et cantoribus.

Duo praeterea sacellani et cantores totidem ex alumnis imprimis, vel, si aliter fieri non possit, conducti sint, qui ecclesiae deserviant, ac missas et divina officia, quoties rectori videbitur, celebrent, cantus et caeremonias ecclesiasticas alumnos doceant. Alumni autem, qui secundum gradum suum in ecclesiâ ministrabunt, sine ullo stipendio aut exemptione in illo genere id praestent; quod si alumni non sint, in collegio non habitent, neque cum alumnis agere, nisi cum magnâ circumspectione, permittantur.

De iis qui Ordinibus religio-

Si quis alumnorum ad perfectionis sta-

1 Edit. Main. habet *exercitationem* (R. T.).

1 Aptius lege *peragenda*, vel *peragendum* (R. T.).

sis adscribi cupiunt.

tum, et aliquod religiosae vitae genus adspiret, post susceptos quidem ritu graeco sacros ordines, nonnisi de expressâ Sedis Apostolicae licentiâ ullum ex maioribus Ordinibus latini ritus ingredi possit. Ante vero quam suscipiat, liceat ei de licentiâ protectoris eorum Ordinum institutum aliquod amplecti, in quo in animarum salute ac reductione utiliter in Graecia laborare possit.

Doctrinam christianam memoriter omnes addiscant, et, qui nondum philosophiae dant operam, diebus dominicis recitent, eiusque explicationem audiant ab aliquo per rectorem designato.

De libris.

Librorum, qui tum in scholis praelegendi, tum privatim permittendi sunt, magnus delectus habeatur, ne morum puritati ac pietati per linguae addiscendae praetextum officiant. Ob eamque rem alumnorum capsas et scrinia rector per se vel per alium virum fidelem frequens invisat. Quod si quis libros huiusmodi apud se habere deprehendatur, severe puniatur, et post tertiam an[1] quartam correctionem, nisi valde evidens emendationis spes ostendatur, e collegio dimittatur. Quod si quando alicui ex magistris liber aliquis eiusmodi permittendus videatur, nonnisi post maturam considerationem, et consulto prius praeposito generali fiat.

De suffragiis pro benefactoribus.

Insignium collegii benefactorum, inprimisque fundatoris, in suis orationibus quotidie memores sint, ac fundatoris quidem, vel similis alterius benefactoris, in anniversario die depositionis eorum, offerendo pro animabus ipsorum solemni missae sacrificio, memoria peragatur. Pro ceteris vero, in die depositionis ipsorum sacerdotes omnes, qui domi sunt, pro ipsis sacrificium offerant, quo item die pro ipsis officium defunctorum alumni recitent: quod ipsum observetur quotiescumque protectorum aliquis vitâ excesserit.

1 Potius legendum *ac* vel *aut* (R. T.).

Cum quis alumnorum mortuus fuerit, officium, missa et reliqua ad exequias pertinentia graeco ritu ei persolvantur; ceteri vero sacerdotes pro eo sacrificent, et alumni privatim pro eo defunctorum officium privatim recitent.

De promovendis ad sacros ordines.

Curent superiores ut alumnorum nemo ad sacros ordines promoveatur, nisi in litterarum et pietatis studio bene probatus, ut ex eius ordinatione fructus merito sperari possit. Qui autem tales fuerint, sine litteris dimissorialibus suorum Ordinariorum, sed ad titulum collegii ac missionis ordinari possint et debeant, dummodo graeco ritu ab episcopo graeco ad id a Sede Apostolicâ deputato ordinentur. Antequam sacris ordinibus initientur, in spiritualibus exercitiis per dies circiter decem contineantur, unoquoque ad minimum anno, aut etiam duobus, si commode fieri possit, priusquam e collegio proficiscantur, sacerdotes ordinentur, atque interim sacerdotalibus officiis, sacramentorum administratione et concionibus habendis exerceantur. Quas conciones priusquam in refectorio, vel publice, cum rectori videbitur, habeantur, studiorum praefectus, aut alius a rectore deputatus mature recognoscat et corrigat. Quod si quis alia dicat, quam quae ostensa atque correcta fuerint, severe puniatur, aut etiam, si excessus notabilis superioribus videbitur, e collegio cum ignominiâ dimittatur.

Meminerint Sedis Apostolicae impensis se in alieno solo studiorum causâ sustentari, neque ullam rerum, quae domi sunt, vel quas utendas accipiunt a collegio, dispositionem aut dominium habere: ita proinde vivere studeant, ut optatum per eos fructum sperare possit Ecclesia, eâque victus, vestitus et ceterarum rerum moderatione contenti sint, quae pro collegii angustiis superiori convenire in Domino videbitur.

1 Edit. Main. legit *quod* (R. T.).

Communi omnes, quantumvis magistri aut sacerdotes sint, victu, vestitu, et cubiculo utantur, quamdiu in collegio fuerint, neque, nisi valetudinis causâ, peculiare quidquam, in victu praesertim, cuipiam permittatur.

Cibum extra collegium nemo sumat, nisi forte apud parentes, fratres, aut patruos, idque non saepius quam bis in anno, de expressâ protectoris administrantis licentiâ. Pernoctandi vero extra collegium aut cibi post solis occasum sumendi[1] facultas nullâ ratione concedatur. Quod si quis in hospitiis, locandis, aut, quod absit, in cauponis cibum aut potum clam sumpsisse deprehendatur, dimittatur e collegio.

A litibus ac negotiorum procuratione, quae vagandi occasionem, remissionem studiorum ac disciplinae necessario afferunt, alumni prorsus arceantur: neque per aulas aut domos externorum excurrant. Constituatur autem aliquis pius, prudens et expertus vir, qui, si qua[2] forte incurrerint alumnorum negotia, fideliter expedienda curet, ac rerum omnium, quae aguntur, rectori rationem reddat.

Alumnorum nemo, cuiuscumque gradus, ordinis et conditionis sit, sine comite, ad id a superiore designato, egredi domo audeat. Socius autem sit maturus aliquis ac fidelis vir, isque non e numero alumnorum. Quod si quis, aut sine facultate et comite egressus fuerit, aut designatum sibi comitem deseruerit, vel, eo pro foribus relicto, negotia intus occulte tractaverit, in collegium amplius non recipiatur, nisi forte ad tempus, puniendi causâ.

Ad tollenda scandala, quae ex commessationibus oriri possunt, nullum externum in hortos aut viridaria collegii invitare ad sumendum cibum rector possit sine praepositi generalis consensu.

Apud se nemo pecuniam habeat, sed apud oeconomum aut alium a rectore designatum deponat, qui eam in utiles aut necessarios domini usus, conscio et approbante rectore, expendet.

Cubiculorum distinctio, ut quae magni momenti ad bonam collegii gubernationem ac iuventutis instructionem est, diligenter servetur, nullâque ratione permittat rector, ut domi, aut alibi, qui unius cubiculi sunt, cum iis colloquantur, qui ad alterum cubiculum spectant, sine peculiari, ac toties quoties concedendâ, facultate, quam non facile cuiquam concedat, nisi fratribus, aut consanguineis, aut discipulis, ut cum magistris suis colloquantur. Extra cubiculum vero nemo alumnorum exeat, nisi impetratâ prius a cubiculi praefecto facultate, et indicato negotio, cuius causâ exire velit, quae non animi sed necessitatis causâ concedatur. In officinas vero et loca privatis famulorum ministeriis assignata, aut a communi conspectu dissita, nemo ingrediatur.

Cum externis, Graecis praesertim Orientalibus, neque domi neque alibi colloquium misceant. Quod si quis ignotus accesserit, ut eos alloquatur, nonnisi praesente aliquo viro fideli et gravi, qui linguam intelligat, et quaecumque agunt videre possit, id fiat, sive ii grandiores natu, sive pueri sint: ob eamque rem, priusquam quisquam vocetur ad ianuam, rectori, aut, absente eo, ministro renuncietur, ut constituat, num vocari eum expediat, et socium assignet, quo praesente colloquantur. Atque ut consuetudinis et familiaritatis cum externis occasio praecidatur, nemo, qui de collegio non sit, ad audiendas lectiones in collegio admittatur.

Quemadmodum Graeci, qui ex Oriente veniunt, cum omni charitate a superioribus excipiendi, et, quibus in rebus fieri potest, iuvandi sunt; ita nullâ ratione permittendum, ut promiscue cum alumnis

1 Nempe *extra collegium* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).

agant, ac severè puniendi, qui contrafecerint. Sed si quis catechismo, aut auxilio aliquo alio indiget, unus aliquis assignetur, cuius virtuti ac pietati merito confidi possit, qui eum in Domino instruat. Externorum vero nemo permittatur in alumnorum cubicula ingredi, ac multo minus colloquia ibi commiscere, sine aliquo de Societate comite, idque admodum parce ac considerate.

Litteras neque mittere, neque accipere, nisi conscio et approbante superiore, cuiquam liceat, qui eas, priusquam mittat aut reddat, per se vel per aliquem e Societate gravem et multae confidentiae virum omnino perlegat. Qui autem clam mittere vel accipere litteras deprehensus fuerit, severe puniatur: nisi forte materia, quod absit, eiusmodi fuerit, ut dimitti eum ex collegio, ac graviori etiam poenâ vindicari expediat.

Pacifice inter se ac fraterne agant, neque iocis modo[1] procacioribus, sed iis etiam abstineant, qui cum offensione aliquâ esse possunt, et rixas deinde contentionesque gignere: quam etiam ob rem, ne per iocum quidem, alter alterum tangat. Quod si quis graviori contumeliâ aut plagis quemquam affecerit, severissimè puniatur, aut etiam iudicio superioris e collegio dimittatur.

Rectorem atque officiales ceteros, qui eorum curam gerunt, reverenter tractent, atque impositas ab iis poenitentias obedienter et humiliter peragant. Quod si quis subire poenas contumaciter renuerit, aut admodum irreverenter se in superiores gesserit, aut contra eosdem, eorumque ordinationes, alios instigaverit, dimittatur. Unicuique cubiculo proprius praefectus praesideat, qui neque domi, neque foris, alumnos sibi commissos deserat, cuique in iis, quae ad disciplinam et bonum cubiculi sui statum pertinent, omnes obediant, a quo identidem de alumnorum rebus et modo, quo se gerunt, rector doceatur; neque idem praefectus patiatur, ut eum verbis aut factis alumni minus reverenter tractent; sit vero ipse sacerdos, atque eâ aetate et moribus, ut eum merito vereantur. Quod si quem ex praefectis animadverterit rector alumnis placendi nimium studiosum, neque ita fidelem in officio suo, continuo dimittat. Famulorum vero aut officialium neminem patiatur rector cum alumnis agere.

Nulla neque in sedendo, neque in ambulando, neque in re aliâ inter alumnos praecedentiae ratio habeatur, nisi cum, aut sacerdotes cum non sacerdotibus, aut cum discipulis suis magistri versantur: curent potius omnes, ut alter alterum honore praeveniat, et christianae modestiae et humilitatis exemplum sibi invicem praebeant.

Ægrotorum diligens habeatur cura, neque patiatur rector, aut res necessarias, aut paternum in eos animum suum a quoquam desiderari. Atque, ut curare debet, ut opportune ab aliis invisantur, ita non temere permittat alumnis in eorum cubicula ingredi, sed designet eos, qui per vices ex eodem cubiculo invisant, nisi forte aliquid incidat, quod suadeat, ex alio quoque cubiculo aliquem aliquando advocari.

In studia diligenter incumbant, ut utiles Ecclesiae operarii aliquando esse possint, ob eamque rem rectoris conscientiam oneramus; curet ut omnium studiorum impedimenta serio tollantur de collegio, ne per incuriam tantus in alumnis educandis atque instituendis labor irritus et inanis reddatur.

Quibus diebus vacatur a lectionibus, privatum studium ne intermittant, atque, excepto hebdomadario recreationis die, domi se plerumque contineant; quamvis, ne laboris assiduitate frangantur, extraordinarie aliqua ad relaxandos animos hora concedi iis possit. Lectiones omnes, quae

1 Legerem: *atque iocis, non modo*, etc. (R.T.).

philosophis et theologis praescribuntur, suis temporibus diligenter audiant, neque cuiquam facile dispenset rector, ut earum aliquam ordinarie omittat, nisi re mature consideratâ et collatâ cum praeposito generali.

Controversiae fidei, quae Ecclesiae Catholicae non solum cum schismaticis sunt, sed eae etiam, quae cum huius temporis haereticis agitantur, curet rector ut alumnis diligenter explicentur, neque ab eâ exercitatione quemquam eximat, qui[1] theologiam aut conscientiae casus audiant.

Iis singulis facultatibus operam dabunt, quibus dare eos debere rector in Domino iudicaverit. Quod quo melius et consultius fiat, bis aut saltem semel singulis annis eorum omniun, qui superiores facultates audiunt, doctrinam atque ingenium per examinatores explorentur, et qui minus in iis studiis proficere deprehendentur, maiore Dei obsequio prae oculis habito, amoveantur, ne et ipsi tempus inutiliter terant, et plus profecturos alios collegium possit admittere.

Non prius ad audiendam philosophiam promoveantur, quam graece latineque loqui expedite possint; graece vero eleganter scribere; eam ob rem, postquam satis in classe rhetoricae linguae utrique studuisse videbuntur, graecae linguae perfecte perdiscendae annum integrum impendant. Et dum philosophiae et theologiae dant operam, curet rector, ut privatis scriptionibus, lectionibus ac disputationibus eam linguam exerceant.

Ad actus publicos theologiae vel philosophiae nemo admittatur, nisi diligenti examine praevio aptus iudicetur ut eius loci dignitatem tueri possit, atque iis moribus sit, ut non indignus eo honore videatur; ad doctoratum vero ii tantum promoveantur, qui et doctrinâ insignes et virtute conspicui sint.

1 Nempe *eorum, qui* (R. T.).

Privatas domi repetitiones et disputationes apud proprios suarum facultatum repetitores habeant; neque quisquam ante absoluta studia ab iis ordinarie eximatur, nisi gravissimâ de causâ, iudicio praepositi generalis.

Studiis absolutis, non ultra triginta dies alumni in collegio retineantur: toto vero tempore, quo post absoluta studia in collegio versabuntur, omnibus collegii legibus teneantur, sicut ceteri qui domi sunt; habent tamen superiores, de consensu protectoris specialiter deputati, facultatem aliquos egregiâ virtute atque indole retinendi, quorum operâ, vel ad collegii administrationem, ad iuvandos graecos advenas, aut alios, si qui Romae fuerint, uti possint, aut similibus aliis de causis.

Quae alumnis discedentibus, praesertim pauperibus, in discessu danda sint, ita a protectore praescribantur, ut querelarum et invidiae occasio praecidatur. Qua in re eorum praecipua ratio habeatur, qui bene de collegio meriti fuerint, et valde exemplariter in eo se gesserint: iis vero, quibus satis pecuniae suppetit, quique ad iuvandas animas non proficiscuntur, aut qui ob culpam aliquam dimissi fuerint, nihil detur.

Curet rector, ut tam graecarum quam latinarum litterarum magistri, qui alumnos docere debent domi, ad munus suum idonei, atque iis moribus sint, qui aedificare, ac promovere eos in pietatis studio possint. Ob eamque rem, qui inquietos se et parum studiosos disciplinae collegialis ostenderint, aut superioribus parum morigeros, scholis nullo modo praeficiantur.

Id quo tutius ac maiore cum consideratione fiat, postquam domi rector consultationem habuerit, rem totam ad praepositum generalem deferat, ut, si quid fuerit dubii, ipse decidat.

Nisi necessitas cogat, nemo ad superiorem classem docendam admoveatur,

nisi prius in inferiori operam suam ac diligentiam superioribus probaverit.

Alumni, quamdiu protectori et superioribus videbitur, docere alios teneantur; cui muneri, quantum fieri poterit, post absoluta studia, aut saltem post primum annum theologiae admovendi sunt. Ipsi vero, memores se gratis in collegio educatos et institutos esse, neque mercedem, neque exemptionem ullam a communi collegii disciplinâ expectent, sive graecas sive etiam latinas litteras, cum id opportunum videbitur, docere iubeantur, quos tamen, tamquam bene de collegio ac toto Oriente promeritos, peculiari affectu rector foveat, et quibus in rebus sine dispendio disciplinae potest, iis gratificetur.

Librorum, qui praelegendi in scholis sunt, magnus delectus habeatur, ut neque moribus officiant, et addiscendae linguae utiles sint, atque ad auditorum captum accommodati. Eam ob rem curet rector, ut a viris linguae graecae admodum peritis et piis, catalogus aliquis eorum librorum conficiatur, qui singulis gradibus magis accommodati sunt, neque sine maturâ consideratione, et re cum viris peritis communicatâ, alios praelegi patiatur.

Priusquam scholis quisquam praeficiatur, per viros idoneos examinetur: quod examen subire omnes debebunt, quos rector iudicaverit: non tamen[1], ut exploretur, quis praestet litteris, quam ut constet, qui ad id muneris idonei sint, ut ex iis deinde is eligatur, cuius mores, virtus et obedientia id superiorum iudicio merebitur.

Erga alumnos, qui iam discesserunt, rector collegii paternâ sollicitudine utatur, ut eorum labores cognoscat, et fructum, quem in Domino fecerint; deque iis protectores ac sanctam Sedem Apostolicam certiorem faciat, litteris consuletur[2]: et, si quâ re in Urbe indiguerint, aut si negocia habuerint ad aedificationem et salutem animarum pertinentia, expedienda curet; iisque, quibus rebus potest, subveniat.

Curet denique rector, ut neque inutiles, neque discoli in collegio detineantur, atque alumni in pietatis studio, atque erga sanctam Romanam Ecclesiam amore ac reverentiâ, atque animarum et reductionis Greciae zelo educentur.

Divina officia, qua decet modestiâ et gravitate, peragantur: quamobrem sacrarum caeremoniarum magistri, atque alii viri graves choro praesint, qui non modo, si quid errorum fuerit, privatim corrigant, sed cum opus est, publice etiam castigent aut puniant. Si quis autem ex alumnis, quod absit, indignum quid orationis domo facto, dicto, nutu vel adspectu minus honesto commiserit, confestim e collegio dimittatur. Quod si propter delicti levitatem condonandum aliquid videretur, non fiat nisi de licentiâ protectoris et gravi aliâ poenitentiâ impositâ.

Ritum graecum per omnia diligenter servent, dum sunt in collegio; latinum vero, quantum scandali, et eorum, cum quibus conversantur, ratio postulabit.

Curet praepositus generalis, cui collegium per se ac per officiales suos, sicut cetera eidem Societati commissa collegia, regendum apostolicâ auctoritate tradidimus, ut secundum praesentes constitutiones, perpetuis futuris temporibus gubernetur, neque minorem diligentiam adhibeat, vel in eo domi regendo, atque idoneis officialibus constituendis, vel in rebus eius temporalibus administrandis per vicarium monasterii Sanctissimae Trinitatis, quem semper unum de Societate de consensu protectoris ab eo constitutum, eiusque obedientiae per omnia subiectum, et, cum visum fuerit, amovendum esse volumus, quam si unum esset e Societatis ipsius collegiis.

Si quid forte in his constitutionibus usus

1 Legendum potius *non tam* (R. T.).

2 An recta lectio iudicet lector scius (R. T.).

desiderari monstraverit, aut obscurum fuerit, vel ambiguum, id protectores et superiores, re mature coram Domino consideratâ, ex communi omnium, qui Romae fuerint, consensu suppleant, declarent et extendant.

Nullus autem protector aut superior dispensandi super constitutionibus potestatem habeat, illis casibus exceptis, qui expresse in instructione et declaratione nostrâ numerantur. Sed si quâ in re praeterea dispensandum sit, id fiat de communi omnium protectorum, qui Romae fuerint, et superiorum consensu, idque raro, graves ob causas, atque ubi nulla sit privati commodi aut gratiae suspicio. Quae omnia et singula, iuxta instructionem quam protectores et rector a nobis specialiter habebunt, ab omnibus tam alumnis quam aliis quibuscumque ad collegium pertinentibus, etiam sacerdotibus et religiosis, sub poenis et censuris, nostro, protectorum aut superiorum arbitrio pro culpae modo infligendis, mandamus inviolabiliter observari.

Hucusque collegii constitutiones.

Ad pontificatum erectus Urbanus huiusmodi constitutiones confirmat,

§ 3. Quapropter ad summi apostolatus apicem divinâ favente clementiâ, subinde evecti, praecipuae ac paternae nostrae in Graecorum nationem charitatis esse duximus, ne quid ad felicem ipsius collegii, eiusque personarum statum desideraretur, statuta et constitutiones huiusmodi, pro inviolabili illorum observatione, apostolicae nostrae confirmationis robore communire. Motu itaque proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, statuta et constitutiones huiusmodi, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Easque servari iubet.

§ 4. Decernentes statuta et constitutiones huiusmodi a modernis et pro tempore existentibus dicti collegii rectore, ministris et alumnis, ceterisque ad quos spectat et in futurum spectabit, firmiter et inviolabiliter observari et adimpleri.

Clausulae.

§ 5. Sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII novembris MDCXXIV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 23 novembris 1624, pontif. anno II.

XCIX.

Beatificatio venerabilis servi Dei Francisci Borgia Societatis Iesu, cum indulto recitationis officii ac missae celebrationis[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In Sede Principis apostolorum, nullo meritorum nostrorum suffragio, a Domino constituti, piis fidelium votis, quibus virtutum largitor in servis suis honorificatur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis.

Praevio decreto Congregationis rituum;

§. 1. Cum itaque, sicut dilectus filius noster Gaspar tituli Sanctae Crucis in Hie-

rusalem presbyter cardinalis Borgia nuncupatus nobis nuper exposuit, venerabiles fratres nostri sanctae Romanae Ecclesiae cardinales sacris ritibus praepositi causam servi Dei Francisci Borgiae, olim ducis Candiae, ac postea religiosi professi et tertii praepositi generalis Societatis Iesu, a tribus rotae auditoribus (instante clarae memoriae Philippo III Hispaniarum rege catholico, necnon regnorum eiusdem Philippi regis proceribus, civitatibus, universitatibus, ac demum praeposito generali eiusdem Societatis)[1], et deinde de mandato nostro ab eisdem cardinalibus, referente dilecto filio nostro Francisco tituli Sancti Angeli in Foro Piscium diacono cardinali Boncompagno nuncupato, discussam, cum de validitate processuum, sanctitate vitae, ac denique de miraculis sufficienter constare pronunciassent, in tali statu censuerint habendum[2], ut ad solemnem ipsius servi Dei canonizationem quandocumque deveniri possit;

Et instante praeposito Societatis Iesu;

§ 2. Gaspar vero cardinalis ac praepositus et presbyteri dictae Societatis, pro eo quem erga eumdem Dei servum Franciscum Borgiam gerunt devotionis affectu, illum Beatum nuncupari, ac officium et missam de eo, donec ad illius canonizationem deveniatur, recitari summopere desiderent:

Pontifex venerabilem Franciscum Borgiam Beatum appellari posse;

§ 3. Nos, piis Gasparis cardinalis ac praepositi generalis, ac presbyterorum praedictorum votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac singulares praepositi et presbyterorum praedictorum personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, ut idem Dei servus Franciscus Borgia Beatus nuncupari, deque eo ab omnibus dictae Societatis Iesu religiosis ubique existentibus, necnon in ditionibus familiae illorum de Borgia ab omnibus sacerdotibus, tam secularibus quam regularibus, kalendis octobris, ipso nuncupato die sui obitus, missam celebrari, ac officium de communi Confessorum non Pontificum recitari iuxta rubricas missalis et breviarii romani respective libere et licite valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus.

Et officium recitari, ac missam celebrari de eo indulget.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Obstantia tollit.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, secretarii ipsius Societatis, vel notarii publici manu subscriptis, et personae alicuius in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique locorum adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptisque credi iubet.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII novembris MDCXXIV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 23 novembris 1624, pontif. anno II.

1 Vide annon desit *examinatam* aut simile (R.T).

2 Forsan legendum *habendam* (R. T.).

C.

Facultas commissario cruciatae regnorum Hispaniarum publicandi etiam typis litteras apostolicas super indultis eiusdem cruciatae emanatas[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Recensentur litterae concessionis cruciatae.

§ 1. Nuper a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: *Charissimo*

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico, Urbanus Papa VIII. Charissime in Christo, etc. *Aliàs felicis recordationis Pius Papa V*[1], etc.

Facultas commissario cruciatae, de qua in rubricâ.

§ 2. Nunc autem faciliori earumdem gratiarum exequutioni, quantum cum Domino possumus, providere volentes, supplicationibus etiam dicti Philippi regis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eidem Didaco patriarchae moderno, et pro tempore existenti gratiarum praedictarum exequutori et commissario dictâ auctoritate deputato, praeinsertas litteras nostras cum omnibus et singulis in eis contentis, modo et formâ quibus aliae nostrae et Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum huiusmodi litterae super dictarum gratiarum spiritualium et temporalium per eumdem Pium praedecessorem concessarum, ut praefertur, prorogatione expediri solitae publicari consueverunt, publicandi, illasque simul cum eisdem litteris, vel separatim, singulis annis imprimendi seu imprimi faciendi, eleemosynamque per eos, qui gratiis per praeinsertas litteras nostras huiusmodi concessis uti voluerint, elargiendam (sine tamen praeiudicio eleemosynae, ratione gratiarum spiritualium et temporalium per dictum Pium praedecessorem concessarum huiusmodi, et a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ac etiam a nobis prorogatarum, ut praefertur, dari consuetae) iuxta earumdem primarum gratiarum tenorem et formam taxandi seu declarandi, apostolicâ auctoritate praedictâ, tenore praesentium, plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem concedimus et impartimur.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac omnibus illis, quae in litteris nostris praedictis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III decembris MDCXXIV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 3 decembris 1624, pontif. anno II.

CI.

Cavetur, quominus officia tam oneris quam honoris in collegio S. Francisci de Paula in regione Montium de Urbe pro fratribus Ordinis Minimorum provinciae Calabriae erecto, ab aliis quam ab eiusdem provinciae fratribus exerceantur.

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter cetera cordis nostri desiderabilia, ea quoque, ex debito pastoralis officii nostris humeris, licet imparibus, divinâ dumtaxat dispositione impositi, non modice nos urget cura, ut inter christifideles quoslibet, praesertim religiosas personas sub suavi unius et eiusdem instituti iugo et charitatis vexillo Altissimo famulantes, praeciso discordiarum et zizaniarum inimici hominis sementorum aditu, pax et concordia vigeant, piorum testantium voluntates adimpleantur et inviolabiliter observentur, ac regularium loca ad divinum cultum propagandum, et ignorantiae caliginem discutiendam, sacraeque paginae doctrinam (qua mediante uberiores in vineâ dexterâ Domini plantatâ fructus colligi et animarum salus procurandique noscuntur[1]) adipiscendam libere destinata promoveantur: et propterea, quae[2] successu temporis aliquid contra desideriorum nostrorum huiusmodi dispositionem ausu temerario fieri vel attentari contingat, sacri apostolatus officiii nostri partes interponimus, ac aliàs ultro dispo-

1 Vide supra, pag. 165.

1 Lectio mendosa nec facile emendabilis: forsan *procurari* loco *procurandique* legendum (R. T.).

2 Forsan legendum *quando* pro *quae* (R. T.).

nimus, prout, rerum, temporum, locorum et personarum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino validius expedire.

Recensetur tenor testamenti Ioannis de Pizzullis relati in Constitutione VIII, pag. 53.

§ 1. Cum itaque, sicut nobis innotuit, quondam Ioannes Pizzullus presbyter, dum vixit, Calaber ex oppido Reginae, Bisinianensis dioecesis, oriundus, Urbis tamen incola et civis, pio charitatis affectu et spirituali erga nationem citerioris Calabriae benevolentiâ et amore ductus, in ultimo per eum condito, sub cuius dispositione ab humanis decessit, testamento, in omnibus suis mobilibus et immobilibus ac semoventibus bonis, iuribus, actionibus, creditis, aliisque quibuscumque quòmodolibet nuncupatis et qualificatis, dilectos filios correctorem et fratres seu conventum domus regularis S. Andreae de Fratris[1] nuncupatae de Urbe, Ordinis fratrum Minimorum S. Francisci de Paula, haeredes suos universales instituerit; et inter cetera ordinaverit, quod summa sex mille scutorum monetae ad minus in emptionem alicuius fundi in praedictâ Urbe per dictos correctorem et fratres sive conventum impendi, et in ipso fundo ecclesia[2] sub invocatione eiusdem S. Francisci de Paula cum[3] hospitio seu collegio extrui, ac in eodem hospitio seu collegio fratres Ordinis et nationis praedictorum studiorum causâ recipi et commorari, illisque de victu et aliis ad studiorum prosequutionem necessariis provideri, et ad eum effectum, ac pro servitio et usu solum dictorum fratrum studentium, omnes alii redditus haereditatis suae erogari et converti deberent; ac omnem bonorum dictae haereditatis in toto vel in parte alienationem ex quacumque etiam urgentissimâ causâ prohibuerit; volens, quod bona huiusmodi semper, ad effectum ut ex fructibus inde pro tempore provenientibus in dicto hospitio seu collegio fratres studentes Ordinis et nationis huiusmodi manuteneri et ali possint et debeant, conservarentur; quodque numerus ipsorum fratrum fructibus huiusmodi et expensis pro eorum manutentione necessariis, ad arbitrium cardinalis protectoris Ordinis et executorum testamenti huiusmodi pro tempore existentium, correspondéret, seu proportionatum esset; necnon inter ipsos fratres studentes, eos, qui quovis modo domum maternam dicti testatoris, videlicet illorum de Grilli, etiam usque ad quartum gradum exclusive, consanguinitate attigerint, et deinde eos, qui ex dicto oppido oriundi forent, ac successive illos, qui ex provinciâ Calabriae citerioris, et ultimo, si aliqua loca superessent, eos qui ex provinciâ ulterioris Calabriae orti existerent, in ipso hospitio seu collegio praeferri; et in eventum, in quem dicti haeredes vel fratres dicti hospitii seu collegii pro tempore existentes haereditatem huiusmodi cum conditionibus praedictis et aliis oneribus per ipsum testatorem iniunctis acceptare, vel, eâ acceptatâ, conditiones ac onera huiusmodi adimplere nollent, aut etiam pro unâ vice in quavis etiam quantumvis minimâ parte dispositionem testamentariam huiusmodi transgrederentur, tunc et eo casu etiam voluerit et mandaverit, ut omni commodo et beneficio haereditatis praedictae privati remanerent, in eoque fratres congregationis Colloreti nuncupatae (sub regulâ et habitu S. Augustini militantes) et in provinciâ Calabriae citerioris praedictae fundatae succederent, eosdem fratres dictae congregationis ipsis haeredibus vel fratribus hospitii seu collegii huiusmodi in dictâ haereditate ex tunc cum eisdem conditionibus et oneribus substituendo; deinde (parochiali ecclesiâ Ss. Sergii et Bacchi de eâdem Urbe, unâ cum

1 Legendum de *Frattis*, ut supra pag. 54 *a* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *ecclesiam* (R. T.).

3 Erronee eadem edit. legit *cuius* (R. T.).

dilectorum filiorum illius parochianorum animarum curâ, per dilectum filium tunc existentem ministrum generalem dicti Ordinis, a felicis recordationis Gregorio Papa XV, praedecessore nostro, Ordini praedicto ad effectum collegium huiusmodi condendi obtentâ), idem testator, volens per se ipsum suam huiusmodi dispositionem ad effectum perducere, quoddam[1] palatium in dictâ Urbe et Regione Montium iuxta monasterium S. Petri ad vincula nuncupati situm, unâ cum viridariis, membris et pertinentiis suis, a dilecto filio nobili viro Ioanne Georgio Caesarino duce Civitatisnovae emerit, illudque sic emptum dicto Ordini ad effectum inibi ecclesiam et hospitium ac collegium huiusmodi construi faciendi (cum onere quod ipsi corrector et fratres seu conventus dictum palatium ad usum collegii pro habitatione fratrum dicti Ordinis theologiae operam navantium nationis citerioris Calabriae huiusmodi reducere seu reduci debeant, et in reliquis sub eisdem conditionibus, oneribus, caducitatibus, modoque et formâ in dicto testamento contentis) irrevocabiliter inter vivos perpetuo donaverit; subindeque dilectos etiam filios Ioannem Baptistam a S. Agatha, et Franciscum de Spezzano, ac Dionysium de Paula, necnon Vicentium de Cusentia et Laurentium etiam de Spezzano, ac Michaëlem a Regina, Paulum de Ruito, necnon Ioannem etiam a Regina, et Antonium de Morano, fratres dictum Ordinem expresse professos, et ex citeriori Calabria huiusmodi oriundos, in dictâ domo S. Andreae tunc commorantes, in actualem et corporalem possessionem palatii, viridariorum, aliorumque membrorum et pertinentiarum praedictorum introduxerit; ipsique denique sic introducti superiorum auctoritate capellam seu oratorium sub invocatione eiusdem S. Francisci de Paula in quadam parte eiusdem palatii existentem seu existens ornaverint et clausuram conventus appellaverint; illis vero ordinationem ipsius conditionis exactius adimplere desiderantibus, dictus testator et donator, sicut Domino placuit, ab hac vitâ decesserit, ac post eius obitum fratres dictae domus S. Andreae, considerantes ipsum testatorem et donatorem nationis suae religiosos ex dicto eorum Ordine existentes collegio huiusmodi honorare voluisse, omniaque ad eorum usum et utilitatem destinasse, et consequenter sicut onera diversa, sic et bonorum huiusmodi administrationem eis demandare in animo habuisse, dictumque Ioannem Baptistam praedicti collegii vicarium deputatum et pro tempore existentes illius superiores idoneos et opportunos dictae hereditatis administratores et voluntatis eiusdem testatoris et donatoris diligentes observatores et exequutores futuros esse perspicientes, de eiusdem tunc existentis generalis, ac dilectorum similiter filiorum dicti Ordinis, illiusque collegarum assensu, et cum interventu et praesentiâ tam dictorum collegarum, quam etiam dilecti pariter filii nostri Hippolyti sanctae Mariae Novae diaconi cardinalis Aldobrandini nuncupati, moderni eiusdem Ordinis protectoris, seu eius auditoris ad id ab eodem Hippolyto cardinale specialiter deputati, ac sub nostro et Sedis Apostolicae beneplacito acceptatam[1] per eos dicti testatoris haereditatem, omneque commodum et incommodum illius, necnon sua et dictae domus S. Andreae iura et actiones quaecumque eis et eorum cuilibet quomodolibet attributa, ac competentia et competitura, cum omnibus et singulis conditionibus, oneribus, vinculis et poenis in dicto testamento contentis, in praedictum Ioannem Baptistam vicarium, pro se ac successoribus suis, dictoque collegio et illius religiosis

1 Edit. Main. legit *quodquam* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *acceptam* (R. T.).

acceptantem, et eiusdem collegii superiorem et collegiales seu religiosos pro tempore existentes transtulerint, ac Ioannem Baptistam et pro tempore existentes dicti collegii superiores et collegiales seu religiosos praedictos veros et proprios administratores, procuratores generales, gestores et agentes totius haereditatis praedictae, cum facultate illam regendi, gubernandi et administrandi, regique, gubernari et administrari faciendi, necnon conventum et ecclesiam, ac domum regularem erigendi et fabricandi, omniaque et singula faciendi et adimplendi, ad quae ex dispositione testamenti et donatione praedictorum [1] obligati fuerunt, constituerint; postmodumque idem Gregorius praedecessor, supplicationibus testatoris et donatoris ac Ioannis Baptistae et Francisci de Spezzano praedictorum inclinatus, donationem praedictam, ac desuper confectum instrumentum, apostolicâ auctoritate approbari et confirmari mandaverit;

Quod Gregorius XV approbavit.

§ 2. Ac insuper nos translactionem ac instrumentum huiusmodi eâdem auctoritate approbaverimus et confirmaverimus, prout in testamento, ac instrumentis, singulisque litteris apostolicis exinde confectis plenius continetur; ex formâ vero et tenore, tam testamenti quam donationis huiusmodi, clare et manifeste appareat, dictum testatorem collegium praedictum pro religiosis suae nationis tantum, et non pro aliis, fundare et dotare, ac eamdem nationem suam speciali hoc beneficio, ad testandam et declarandam sui erga patriam animi pietatem, prosequi voluisse, et fratres dictae domus S. Andreae, intentionem eiusdem testatoris et donatoris talem fuisse existimantes, adhaerendo [2] ad translationem et cessionem praedictas sponte et libenter devenerint; ac ab eo tempore citra dictus Ioannes Baptista vicarius, et Franciscus, ac Dionysius, necnon Michaël et Paulus, ac Ioannes et Antonius praedicti haereditatem huiusmodi, illiusque bona ac dictum collegium administraverint et gubernaverint; et, licet tam ipsi, quam postea alii religiosi dicti Ordinis ex dictâ natione oriundi super libero gubernio, regimine et administratione eiusdem collegii et illius bonorum molestari, et in ipso collegio alii religiosi, quam ex dictâ provinciâ Calabriae citerioris orti, recipi et commorari non posse videatur,

Translationem vero huiusmodi haereditatis ad conventum S. Francisci in regione Montium confirmavit Urbanus Constitutione praecitata.

§ 3. Nihilominus, quia successu temporis facile contingere poterit, ut religiosi aliarum provinciarum et nationum in collegio praedicto recipi, et ad illius regimen et gubernium assumi petant et procurent; id autem non solum menti et intentioni dicti testatoris omnino contrarium, sed etiam religiosis dictae provinciae Calabriae grave praeiudicium allaturum esse, exindeque probabile sit, inter religiosos dicti collegii rixas, odia, contentiones et dissidia, aliaque non levia inconvenientia cum gravi status dicti collegii perturbatione, et forsan totali illius ruinâ et excidio, sine dubio passim oritura esse: Nos, praemissis inconvenientibus et incommodis, nostrae et Sedis praedictae providentiae ministerio, consultum esse desiderantes, Ioannem Baptistam et Franciscum, ac Dionysium, necnon Vincentium, ac Michaëlem et Paulum, ac Ioannem et Antonium praedictos, aliosque dictae nationis Calabriae religiosos, sub regulâ dicti Ordinis S. Francisci de Paula nunc et pro tempore militantes, specialis gratiae favore prosequi volentes, eosque et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequen-

Officia eiusdem conventus a solis Calabris obtineri posse declarat.

1 Forsan legendum *praedictis* (R. T.).
2 Potius lege *ei adhaerendo* (R. T.).

dum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon testamenti et instrumentorum ac praedictarum litterarum tenores etiam veriores praesentibus pro expressis habentes, motu nostro proprio, non ad Ioannis Baptistae, aut Francisci, vel Dionysii, seu Vincentii, nec ad Michaëlis, vel Pauli, seu Ioannis, aut Antonii praedictorum, vel alicuius eorum, aut cuiusvis alterius nobis pro eis oblatae petitionis instantiam, sed ex merâ deliberatione nostrâ, dictaeque apostolicae potestatis plenitudine; quod ex nunc de cetero perpetuis futuris temporibus dictum collegium, necnon tam praedictae haereditatis, quam alia collegio[1] huiusmodi proprietatis iura et bona universa praesentia et futura in quibuscumque rebus consistentia et ubicumque existentia, ac etiam officia et munera tam oneris quam honoris, per religiosos dicti Ordinis ex provinciâ citerioris Calabriae praedictae nunc et pro tempore oriundos tantum (dummodo superiores dicti Ordinis ex Calabria ad regendum et gubernandum dictum collegium, ac illius redditus et bona administrandum idonei reperiantur), et non per alios quarumcumque aliarum provinciarum et nationum eiusdem Ordinis religiosos, quos ad id omnino incapaces et inhabiles esse volumus et declaramus, sub obedientiâ tamen, visitatione, correctione et omnimodâ superioritate eiusdem tunc et pro tempore existentis dicti Ordinis ministri generalis regi, gubernari et administrari,

Aliarumque provinciarum fratres ibi vetat commorari.

§ 4. Ac in eodem collegio nulli alii religiosi, quam ex dictâ provinciâ citerioris Calabriae oriundi et aliàs iuxta testamenti et donationis praedictorum formam qualificati[2], recipi, commorari, ali et manuteneri possint et debeant;

Dat fratribus facultatem exteros huiusmodi amovendi.

§ 5. Et, si ullo unquam tempore alios religiosos, quam, ut praefertur, oriundos, ad regimen, gubernium et administrationem collegii ac proprietatum, iurium et bonorum, necnon officia et onera huiusmodi, etiam per dictum ministrum generalem et provinciales, aliosque superiores dicti Ordinis nunc et pro tempore existentes, seu eorum auctoritate, etiam ex quacumque quantumvis urgenti, legitimâ et necessariâ causâ, deputari et assumi, aut in collegio praedicto manutenendos et alendos, etiam studii causâ, mitti, vel in eis[1] consignari aut deponi contigerit; religiosi eiusdem collegii ex dictâ provincia Calabriae citerioris oriundi ibi pro tempore commorantes illos recipere et admittere nullatenus teneantur, et, si qui aliquando recepti et admissi fuerint, eos inde dimittere et expellere possint et debeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo statuimus et ordinamus.

Demptâ superioribus Ordinis secus agendi auctoritate

§ 6. Necnon ministro generali, et dilectis filiis provincialibus, aliisque superioribus nunc et pro tempore existentibus dicti Ordinis in virtute sanctae obedientiae, ne ad regimen, gubernium et administrationem collegii, iuriumque et bonorum praedictorum, ac officia et onera huiusmodi alios religiosos, quam ex dictâ provinciâ Calabriae citerioris oriundos, et ut praemittitur qualificatos, quovis praetextu, colore vel ingenio, et ex quacumque etiam lecturae et studii causâ, per se vel alios deputare et assumere, seu in collegio huiusmodi manutenendos et alendos mittere, aut in illis[2] consignare seu deponere, aut deputari, assumi, mitti, consignari et deponi facere quomodolibet audeant seu praesumant, motu, deliberatione, ac de potestatis plenitudine, necnon auctoritate et tenore similibus, districtius praecipimus et inhibemus.

Clausulae.

§ 7. Decernentes, praesentes nostras litteras, etiam ex eo quod dictus minister

1 Potius legendum *collegii* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *qualificari* (P. T.).

1 Forsan legendum *vel in eo* (R. T.).
2 Iterum legi posset *in illo* (R. T.).

generalis, dilecti filii provinciales, ac superiores praedicti, aliique quicumque in praemissis interesse habentes, vel habere praetendentes, illis non consenserint, ad eaque vocati, et causae, propter quas illa [illegible], examinatae, iustificatae, aut aliàs approbatae non fuerint, seu quovis alio praetextu, ex quacumque quantumvis legitimâ et iuridicâ causâ, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam vocari, ad viam et terminos iuris reduci, aut adversus illas quodcumque iuris, gratiae vel facti remedium impetrari aut concedi non posse, neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus, per quoscumque Romanos Pontifices, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium facientibus[1] comprehendi, sed ab illis semper exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et eum, in quo ante praemissa quomodolibet erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, et de novo etiam sub quacumque posteriori datâ per dictos Ioannem Baptistam et Franciscum, ac Dionysium, necnon Vincentium et Michaëlem, ac Paulum et Ioannem, ac Antonium, eorumque successores eiusdem collegii collegiales quandocumque eligendâ concessas, semperque validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere;

§ 8. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuntios (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorum designatio.

§ 9. Quocirca dilectis filiis nostris archipresbytero ecclesiae Lateranensis, ac nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis in Urbe, eiusque districtu vicario in spiritualibus generali, sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, ac venerarabili fratri archiepiscopo Cusentino per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, easdem praesentes nostras litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Ioannis Baptistae et pro tempore existentis hospitii seu collegii huiusmodi superioris[1] ac collegialium seu religiosorum, aut alicuius eorum, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes litteras, et in eis contenta huiusmodi, ab omnibus, ad quos nunc spectat et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari; necnon Ioannem Baptistam ac pro tempore existentem hospitii seu collegii huiusmodi superiorem et collegiales, seu religiosos praedictos, illis pacifice frui et gaudere; non permittentes eos, aut eorum aliquos, desuper quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio.

Quibus necessariae conceduntur facultates.

§ 10. Nos enim archipresbytero et vicario ac archiepiscopo praefatis, et eorum cuilibet, quoscumque molestatores, perturbatores, contradictores et rebelles, etiam per edictum publicum, constito sum-

1 Forsan legendum *faciendis* (R. T.).

1 Perperam ed. Main. legit *superiores* (R. T.).

marie de non tuto accessu, citandi; eisque, ac quibus et quoties inhibendum fuerit, etiam per simile edictum, quoad archiepiscopos et episcopos sub interdicti ingressus ecclesiae, quo vero ad alios inferiores, etiam sub censuris ecclesiasticis et etiam pecuniariis, eorum arbitrio imponendis, moderandis et applicandis poenis, inhibendi; necnon eos, quos censuras et poenas praedictas incurrisse constiterit, eas incurrisse, servatâ formâ Concilii Tridentini, declarandi; ac, legitimis super litteris habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravandi, reaggravandi et interdicendi, plenam et liberam, motu, scientiâ, auctoritate et tenore praemissis, concedimus facultatem.

Derogatio contrariorum.

§ 11. Non obstantibus praemissis, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII etiam praedecessoris nostri, qua cavetur expresse, ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis tunc expressis casibus, et in illis ultra unam dietam, a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede praedictâ deputati extra civitatem, vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere audeant, seu praesumant, ac in concilio generali de duabus dietis editâ, dummodo quis ultra tres dietas vigore earumdem praesentium extra suam civitatem vel dioecesim ad iudicium non trahatur; necnon quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicti Ordinis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illi, illiusque ministro generali, provincialibus, superioribus praedictis, ac aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium forsan praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda esset, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse, harum serie, derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Clausulae poenales.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, voluntatis, declarationis, statuti, ordinationis, praecepti, inhibitionis, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXIV, pridie nonas decembris, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 4 decembris 1624, pontif. anno II.

CII.

Contra male ad sacros vel minores ordines seu clericalem characterem ordinantes et male ordinatos.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Cura Pontificum Ecclesiae ordinem ac tranquillitatem tuendi.

Secretis aeternae providentiae consiliis, nullo nostrorum suffragio meritorum, speculatores domus Israel in sublimi apostolatus culmine constituti, eo potissimum pontificiae sedulitatis officia convertenda esse arbitramur, ut qui in sortem Domini

vocantur, Christique militiae dant nomen, spiritualem Ecclesiae tranquillitatem non perturbent, sed pacem confirment, vires augeant, ac tam strenue se gerant, ut ipsam terribilem, quasi castrorum aciem ordinatam, inferae potestates ac principes tenebrarum quotidie magis perhorrescant. Haec autem quanto impensius fieri optamus, tanto maiori indignatione irreligiosam quorumdam impudentiam detestamur, ac sacrilegam temeritatem execramur, qui sacros canones, Summorumque Pontificum decreta non verentes, clericales ordines illegitime suscipiunt, ac dum in ecclesiasticorum ministrorum coetum per nefas irrepunt, Dei cultui, animarum saluti, omnibusque ad optimum christianae reipublicae regimen pertinentibus, plurimum obesse noscuntur.

Clemens IV prohibuit, quominus quis extra suam dioecesim, absque Ordinarii sui dimissorialibus, sacris initiaretur.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Clemens Papa IV praedecessor noster, volens periculis animarum eorum obviare, qui vinculo excommunicationis adstricti, aut apostatae, seu irregulares, vel aliàs ordinum sacrorum susceptione indigni, suam patriam, in qua de his haberetur notitia, fugientes, se in remotis partibus faciebant ad huiusmodi ordines promoveri, statuit, ut nullus episcoporum Italiae de cetero aliquem ultramontanum clericum ordinare praesumeret, nisi ab eodem Clemente praedecessore, vel ab episcopo, de cuius dioecesi traxerat originem ordinandus vel in cuius dioecesi beneficiatus existebat, per eius patentes litteras causam rationabilem continentes, quare ipsum nolebat aut nequibat ordinare, [1] specialem licentiam haberet, eos vero, quos contra praemissa contigisset ordinari, manere voluit, absque spe dispensationis super hoc a Sede Apostolicâ obtinendae, suspensos, ac ordinantes condignâ poenitentiâ puniri.

Urbanus Clementis innovans Constitutionem,

§ 2. Cum autem, non sine gravi animi nostri molestiâ, nobis innotuerit, quamplures ultramontanos, suae salutis immemores, Deique timore postposito, ad ordines praedictos cum falsis dimissorialibus litteris, seu etiam titulo patrimonii ficto, vel fiduciario, seu etiam falso, cum maximo bonorum omnium scandalo, se promoveri fecisse: nos, innumeris, quae ex minus canonicâ clericorum ordinatione huiusmodi proveniunt, malis, quantum nobis ex alto conceditur, providere volentes, praedictam Clementis praedecessoris constitutionem, cum omnibus et singulis in eâ contentis, approbantes et innovantes, motu proprio et ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis in Italia existentibus, tenore praesentium, prohibemus, ne quovis praetextu et ex quacumque causâ, Hispanos, Lusitanos, Gallos, vel Germanos, aliosque quoscumque ultramontanos, et ex quibusvis locis extra Italiam oriundos [1], non solum ad sacros, sed neque etiam ad minores ordines vel clericalem characterem promovere audeant, seu praesumant, nisi dimissoriales suorum Ordinariorum litteras a nostris et huius Sanctae Sedis nuntiis seu collectoribus in illis partibus commorantibus recognitas et probatas et subscriptas habeant, eorumdemve nuntiorum seu collectorum subscriptiones a dilectio filio nostro in almâ Urbe vicario in spiritualibus generali similiter examinatae, recognitae et approbatae fuerint; aliàs promoventes, ad annum ab exercitio pontificalium, promoti vero perpetuae suspensionis poenam, absque spe dispensationis a Sede Apostolicâ obtinendae, incurrant eo ipso. Insuper promotos huiusmodi, ac etiam eos, qui cum falsis, vel fictis, aut fiduciariis patrimonii titulis scienter se ad ordines huiusmodi promoveri fecerint, non

Ultramontanos, absque huiusmodi dimissorialibus a Sedis Apostolicae ministris recensitis, ordinari in Italia sub poena suspensionis vetat.

Promotos autem cum falsis patrimoniis aliis etiam poenis vult puniri.

1 Importunum *nisi* delemus (R. T.).

1 Erronee edit. Main. legit *oriundis* (R. T.).

solum praedictis, verum etiam maioribus arbitrio nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis infligendis poenis.

Italos autem falsis dimissoriis promotos fori privilegio privat.

§ 3. Italos vero, si quos imposterum clericali charactere insigniri, vel ad minores ordines promoveri ab alieno episcopo cum falsis dimissoriis contigerit, etiamsi qualitatibus per Concilii Tridentini decretum, sess. XVI, cap. XXIII, requisitis praediti sint, nihilominus (sequutâ tamen prius desuper iudicis ecclesiastici declaratione) fori privilegio minime gaudere, sed seculari iurisdictioni, ut antea, plene in omnibus subiacere et subiectos esse respective volumus;

Clausulas necessarias apponit.

§ 4. Sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari: in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Constitutionemque Pii II contra male promotos praeservat.

§ 5. Per praesentes autem constitutioni recolendae memoriae Pii Papae II praedecessoris nostri contra male promptos editae[1] nullatenus derogare intendimus, sed illam cum omnibus et singulis in eâ contentis, in suo robore et efficaciâ permanere, perinde ac si praesentes non emanassent, decernimus.

Praesentes publicari iubet.

§ 6. Ut autem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius devenire possint, volumus, quod illae, sive earum exempla, in valvis basilicarum S. Ioannis Lateranensis, ac Principis apostolorum de Urbe, et cancellariae apostolicae, nec non in acie Campi Florae, ut moris est, affixae, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctent et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent;

§ 7. Quodque earumdem transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Earumque exemplis credi.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI decembris MDCXXIV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 11 decembris 1624, pontif. an. II.

Anno MDCXXIV, *indictione* VII *pontificatus Sanctissimi Domini nostri Domini Urbani divinâ providentiâ Papae VIII, die vero* XVI *mensis decembris, retroscriptae litterae apostolicae affixae, lectae et publicatae fuerunt ad valvas basilicarum S. Ioannis Lateranensis, Principis apostolorum de Urbe, ac cancellariae apostolicae, acie Campi Florae, per nos Alexandrum de Rochis et Fabium Æmilianum Sanctissimi Domini Papae cursores.*

BRANDIMARTES LATINUS,
pro mag. dominorum cursorum.

CIII.

Praeceptum episcopo Calaguritano et Calciatensi ut ea revocet, quae contra clerum ipsius dioecesis gessit, non obstante inhibitione auditoris camerae apostolicae[1].

Venerabili fratri Petro, episcopo Calaguritano et Calciatensi, Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Camerae apostolicae auditor episcopo inhibuerat, ne quid innovaret in causa coram eâdem pendente inter ipsum episcopum et clerum.

§ 1. Nuper accepimus, quod licet dilectus filius magister Philippus Pirovanus cappellanus noster, et sacri palatii apostolici causarum ac infrascriptae causae auditor, per suas litteras inhibitorias, sub datum Romae, primâ iulii MDCXXIV, iuxta

1 Quae legitur in tom. V, pag. 165 (R. T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

stylum Romanae curiae expeditas et successive tibi intimatas, auctoritate apostolicâ et in virtute sanctae obedientiae, ac sub certis tunc impositis poenis, tibi iniunxerit et inhibuerit, ne in causâ et causis inter te et dilectos filios beneficiatos et universum clerum tuae civitatis et dioecesis, de et super nonnullis statutis a te in synodo dioecesanâ anni MDCXX promulgatis sive illorum exequutione, coram eo pendentibus aliquid innovares, nulloque impedimento esses ipsi clero, quominus conventus, congregationesve haberet tam pro expensis liti subministrandis, quam pro aliis rebus ad causam pertinentibus deliberandis et constituendis:

Cui mandato cum non paruerit episcopus;

§ 2. Nihilominus tu post intimationem dictae inhibitionis tibi factam nonnullos ex dicto clero ac ab eo deputatos carcerasti, poenisque et multis affecisti.

Et Urbanus praecipit, ut quae contra inhibitionem gesserat, revocet.

§ 3. Propterea nos, cupientes praemissis occurrere, et quod dictae inhibitioni cum effectu pareas, statumque et merita causae et causarum huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, fraternitati tuae sub indignationis nostrae et aliis arbitrio nostro infligendis poenis districte praecipiendo mandamus, ut praemissa omnia et singula post intimationem dictae inhibitionis gesta quaecumque revoces, et clerum praedictum in statum, in quo erat tempore dictae inhibitionis, reponas, ac defendas, reponique, ac defendi facias, eumdemque clerum, aut illius singulares personas, in congregationibus, distributionibus, aut aliis ad hanc litem pertinentibus pertractandis, faciendis et exequendis (dummodo collectas a sponte contribuere volentibus dumtaxat, non autem ab invitis, exigat) nullo modo impedias, et si quos carceratos detines, a carceribus relaxes, praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, stylo palatii, ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX decembris MDCXXIV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20 decembris 1624, pontif. anno II.

CIV.

Erectio collegii Hibernorum in oppido Lovanii Mechliniensis dioecesis[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In supereminentis Sedis Apostolicae speculâ, meritis licet imparibus, a Domino constituti, et intra mentis nostrae arcana revolventes, quantum ex litterarum studiis catholica fides augeatur, divini nominis cultus protendatur, veritas agnoscatur, et iustitia colatur, ad ea, per quae litterarum studia huiusmodi ubilibet, praesertim vero in regionibus ubi maior necessitas urget, excitentur, libenter intendimus, atque his sollicitudinis nostrae partes propensius impartimur, prout, locorum qualitate debite pensatâ, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Erectio collegii, de quo in rubrica.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, aliàs a bonae memoriae Eugenio, archiepiscopo Dublinensi, dum vixit, ducentorum et quinque, a quibusdam vero aliis ducentorum et quadraginta florenorum annuorum monetae Brabantiae summae pro unius collegii Hibernorum nuncupandi in oppido Lovanii Mechliniensis dioecesis erectione et institutione respective relictae et assignatae fuerint; nos, considerantes erectionem et institutionem collegii huiusmodi, tam[2] fidei catholicae in illis partibus conservationi et propagationi, tum etiam adolescentum nationis Hiberniae in christianâ pietate, ac fide sincerâ institutioni valde utiles, maximique adiumenti fore; idcirco, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium ne-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Aptius legeretur *tum* (R. T.).

gocio propagandae in universum mundum fidei praefectorum[1] consilio, motu proprio, et ex certâ scientiâ, maturâque deliberatione nostris, in praedicto oppido unum collegium Hibernorum nuncupandum, cum cappellâ, seu oratorio, ac refectorio, communi sigillo, bibliothecâ, archivio, ceterisque collegialibus insignibus, ac membris et officinis necessariis et opportunis, pro perpetuis receptione, usu et habitatione unius rectoris, ac competentis numeri ministrorum et alumnorum sive scholarium dictae nationis, qui inibi christianis moribus, bonisque litteris, et ecclesiasticâ disciplinâ imbui debeant, tenore praesentium, sine tamen alicuius praeiudicio, perpetuo erigimus et instituimus.

Dos eidem assignata.

§ 2. Illique sic erecto et instituto, pro eius dote, ac rectoris et ministrorum, alumnorumque, sive scholarium sustentatione, ac onerum eis incumbentium supportatione, tam praedictas summas per dictum Eugenium archiepiscopum, et alios, ut supra, relictas et assignatas, quam etiam alia scuta trecenta annua per cardinales praedictos ad libitum eorum persolvenda, nec non alia omnia et singula bona per quoscumque christifideles eidem collegio donanda et assignanda, ex nunc, prout postquam donata et assignata fuerint (ita quod liceat rectori, ac ministris, ac alumnis, sive scholaribus praedictis ipsorum bonorum omnium, corporalem, realem et actualem possessionem, suo et dicti collegii nominibus, propriâ auctoritate, libere apprehendere et apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque ex eis provenientia percipere, exigere, levare, recuperare, locare, arrendare ac in communes dicti collegii usus et utilitatem convertere, cuiusvis licentiâ desuper minime requisitâ), perpetuo similiter applicamus et appropriamus.

1 Edit. Main. legit *praefatorum* (R. T.).

Largitio Pontificis eiusdem favore.

§ 3. Praeterea, cardinales praedictos onere solutionis trecentorum scutorum praedictorum aliquâ ex parte levare volentes, collegio per praesentes erecto huiusmodi summam mille scutorum auri, per dilectum filium modernum comitem de Isemburgh (occasione dispensationis matrimonii inter ipsum ac dilectam in Christo filiam Carolinam, natam dilecti etiam filii nobilis viri moderni comitis de Arembergh ducis Arescotani, contrahendi per nos illi concessae) in manibus venerabilis fratris Petri Francisci archiepiscopi Patracensis nostri et Apostolicae Sedis in Belgicis ditionibus nuncii persolutam, auctoritate et tenore praedictis damus et elargimur; eademque mille scuta investiri, ac pro ratâ redditus, qui ex eis a collegio praedicto percipietur, de summâ trecentorum scutorum per dictos cardinales annuatim ad eorum beneplacitum eidem collegio, ut supra, persolvendorum, ita ut non trecenta scuta integra, sed tanto minus, quanta erit summa redditus ex scutis mille huiusmodi a dicto collegio percipiendi, solvantur, minui et detrahi volumus et mandamus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV decembris MDCXXIV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 14 decembris 1624, pontif. an. II.

CV.

Commissio Berlingerio, episcopo olim Ariminensi, generali totius ducatus Urbini, quoad dux vixerit, ab ipso deputato gubernatori, ut, eveniente eiusdem ducis obitu, possessionem illius ducatus, civitatum et dominiorum, nomine sanctae Sedis et Camerae Apostolicae apprehendat[1].

Venerabili fratri Berlingerio, episcopo olim Ariminensi, Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Berlingerio, a Francisco Urbini duce illius ducatus gubernatore constituto.

§ 1. Cum dilectus filius nobilis vir Franciscus Maria Urbini dux, provide considerans, ducatum Urbini, necnon civitates Senogalliensis et Pisaurensis, necnon sancti Leonis cum terra et arce Maioli, et totum Statum Montisferetranum, aliaque dominia, civitates, oppida, castra, terras, arces, propugnacula, seu fortalitia, et loca quaecumque, etiam speciali notâ et expressione dignâ, in et sub Statu dicti ducatus Urbini ad praesens quomodolibet comprehensa, eius antecessoribus dudum a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris in feudum data et concessa, seu aliàs per eum quomodolibet possessa, per obitum suum sine liberis et descendentibus masculis, legitimis et naturalibus, ob lineam finitam, cum omnibus eorum territoriis, districtibus, iurisdictionibus, membris, iuribus et pertinentiis universis (excepto Castro Podii Hibernorum, et aliis bonis non feudalibus neque iurisdictionalibus relaxatis et reservatis Francisco Mariae duci praedicto, eiusque haeredibus et successoribus in instrumento concordiae sub die xxx aprilis proxime praeteriti celebrato), aperta, ac ad nos et Romanam Ecclesiam, Sedemque et Cameram Apostolicam reversura et devoluta iri, se vero provectae iam etatis existere, necnon mensurabiles dies suos, humanamque vitam in imagine pertranseuntem sibi ob oculos proponens, ut curis aliisque impedimentis secularibus solutus, de substantiâ suâ, quae apud Deum est, tutius adipiscendâ solidiori meditationum, piorumque operum excercitio cogitare valeat, te universalem, quoad ipse vixerit, ducatus, et aliorum dominiorum praedictorum gubernatorem ad electionem nostram deputaverit;

Pontifex committit, ut eveniente ducis obitu eiusdem ducatus possessionem nomine S. Sedis apprehendat,

§ 2. Nos, si[1] durante gubernatoris huiusmodi munere eumdem Franciscum Mariam ducem ab humanis decedere contigerit, nihil, quod ad muneris nostri partes pro nostrorum et huius sanctae Sedis Apostolicae ditionis temporalis iurium conservatione, prosperoque ducatus, civitatum, ac Status, necnon dominiorum, civitatum, oppidorum, terrarum, castrorum, propugnaculorum, fortalitiorum, aliorumque locorum huiusmodi statu, gubernio, atque regimine spectat, praetermittere volentes, ac de singulari fraternitatis tuae fide, doctrinâ, integritate, diuque spectatâ in gravissimis rebus gerendis prudentiâ plurimum in Domino confisi, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut, eveniente, dum gubernatoris huiusmodi munere fungeris, ipsius Francisci Mariae ducis obitu, corporalem, realem et actualem possessionem ducatus, civitatum, dominiorum, oppidorum, terrarum, et locorum praedictorum, eorumque territoriorum, districtuum, iurisdictionum, castrorum, fortalitiorum, sive propugnaculorum, membrorum, pertinentiarum, et iurium quorumcumque, nostro, et Ecclesiae, Sedisque et Camerae praedictorum nomine,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Perperam edit. Main. legit *sit* (R. T.).

amotis et expulsis exinde quibusvis detentoribus sive occupatoribus, per te, seu alium, vel alios tibi benevisos, apprehendas, sive a quibusvis aliis in vim facultatum tibi a nobis desuper aliàs sub certis modo et formâ tunc expressis concessarum apprehensam, recipias et retineas;

Et fidelitatis iuramentum ab illius subditis recipiat; ceteraque hic enunciata exequatur;

§ 3. Necnon a communitatibus, universitatibus, gubernatoribus, praetoribus, locatenentibus, magistratibus, capitaneis, colonnellis, castellanis, et aliis quocumque nomine nuncupatis, quacumque dignitate fungentibus officialibus ducatus, civitatum, dominiorum, oppidorum, terrarum et locorum, aliorumque praedictorum, homagia et fidelitatis iuramenta recipias; signa, vel contrasigna antiqua similiter recipias, mutes, et nova constituas, renoves, et quibus opus fuerit, vel tu expediens iudicaveris, tradas et consignes, ac alios quoscumque actus possessorios, necnon in ducatu, civitatibus, dominiis, oppidis, terris et locis, aliisque praedictis, quamcumque iurisdictionem civilem, criminalem et mixtam exerceas; modum et statum officiorum, magistratuum tam optimatum, quam populi, et gubernii temporalis, nec non custodiae, et militiarum, praesidiorumque ducatus, ac civitatum, dominiorum oppidorum, terrarum, locorum, et aliorum praedictorum, prout tibi videbitur, immutes, ac etiam renoves, et de novo deputes, ad formamque, et methodum regiminis, et gubernii aliarum provinciarum, terrarum et locorum Status nostri Ecclesiastici redigas, quaecumque statuta, ordinationes, et constitutiones circa praemissa, et alia qnaecumque, quae magis expedire iudicaveris, condas, publices, et observari facias; necnon, si opus fuerit, quoscumque milites conscribas, et quae pro commeatu et apparatu necessaria fuerint, undique perquiras et compares, ac ex quibuscumque locis Status nostri Ecclesiastici convehi et comportari facias, quaecumque armorum et belli negocia tractes, congressus militum generales vel particulares, prout res et occasio similiter postulaverit, constituas et imperes [1], quascumque expensas, quae in praemissis, et eorum occasione necessariae erunt, nostris et camerae apostolicae praedictae sumptibus facias; et, ut huiusmodi expensas facilius facere possis, quascumque pecuniarum summas ad nos et eamdem cameram spectantes a quibuscumque thesaurariis, datiariis, exactoribus, collectoribus, appaltatoribus, officialibus, et ministris quibuscumque quocumque nomine nuncupatis debitas, necnon etiam a gubernatoribus rectoribus, et locatenentibus provinciarum, civitatum, locorum quorumcumque Status nostri Ecclesiastici, ac depositariis, et exactoribus poenarum et maleficiorum, nostro et dictae camerae apostolicae nomine exigas et recipias, et ipsos solventes de exactis quietes, ac etiam redditus communitatum et universitatum, ac civitatum, terrarum, et locorum eiusdem ducatus Urbini recipias, et ex ipsis camerae, communitatumque, et universitatum redditibus sumptus huiusmodi facias (de quibus tamen nullam nobis, aut Romanis Pontificibus successoribus nostris, aut, pro nobis et eis, dictae camerae, aut S. R. E. camerario, praesidentibus clericis, vel aliis quibuscumque Sedis et Camerae Apostolicae ministris, aut S. R. E. cardinalium collegio, ullisque aliis unquam nominatim vel in specie rationem, aut administrationis computum reddere tenearis, nec ad id cogi aut compelli possis; et nihilominus, si tu rationem aut administrationis computa sponte reddere volueris, expensas huiusmodi, per te, ut praefertur, faciendas, tamquam de expresso ordine et mandato nostro factas, ac veluti si a nobis ipsis factae fuissent, tibi sine ullâ prorsus oppositione, aut partitarum per te dandarum reiectione,

1 Erronee edit. Main. legit *impares* (R. T.).

aut in dubium revocatione, bonas fieri, et in eiusdem camerae apostolicae libris describi, adnotari, et acceptari debere, volumus et expresse ordinamus et mandamus);

Item ut omnibus praecipere valeat.

§ 4. Ut vero omnia et singula, quae ad praemissa pertinent, summâ, ut decet, auctoritate praecipiantur[1], et pari celeritate debitae exequutioni demandentur, omnibus et singulis archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis, necnon praesidentibus, gubernatoribus, praefectis, eorum locatenentibus, praetoribus, et aliis quocumque nomine nuncupatis officialibus et ministris, quavis potestate, auctoritate, et privilegio suffultis, et quibuscumque etiam a nobis, et Apostolicâ Sede, seu camerâ apostolicâ immediate deputationem habentibus, seu dependentibus, necnon baronibus, domicellis, comitibus, aliisque, etiam ducali, marchionali, vel aliâ dignitate insignitis, communitatibusque et universitatibus, et hominibus quarumvis provinciarum, civitatum, terrarum et locorum nobis et S. R. E. mediate vel immediate subiectorum, et omnia et quaecumque occasione praemissorum, quae tibi necessaria et opportuna visa fuerint, et toties quoties volueris, mandes, iubeas et imperes, ac etiam S. R. E. cardinalibus, etiam de latere legatis, rogando iniungas; omnes vero et singulos barones, domicellos, comites, aliosque ducali et marchionali, vel aliâ dignitate praeditos, et quaslibet alias singulares personas, etiam ecclesiasticas, tam seculares, quam quorumvis ordinum, seu militiarum, etiam sancti Ioannis Hierosolymitani regulares (ita tamen ut contra eosdem ecclesiasticos, nonnisi per[2] personas in dignitate ecclesiasticâ constitutas, per te semel vel pluries, etiam iteratis vicibus, deputandas procedatur), si quae mandatis, iussis et monitionibus tuis obtemperare, recusaverint, aut illis quoquo modo contradixerint, vel sese opposuerint, tamquam nostris et apostolicis mandatis, iussis et monitionibus parere recusantes, illisque contradicentes, ac se opponentes, nostros, et S. R. E., ac Sedis Apostolicae rebelles, declares et publices, ac contra illos summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, manu regiâ, nullo iuris ordine servato, nec aliquo formato processu, more militari, aut iure belli, ad privationem officiorum, feudorum et bonorum quorumcumque etiam allodialium per eos quibuscumque locis possessorum, seu quovis modo obtentorum respective, omni et quacumque appellatione et recursu postpositis, procedas; et, ubi iustitia ita exegerit, et ordo dictaverit rationis, seu cum ita expedire iudicaveris, eosdem contradictores et rebelles quacumque pecuniariâ, vel corporali, ac etiam ultimi supplicii poenâ affici facias, ac etiam contra eosdem, tam pro praemissis, quam pro aliis quibuscumque ab eis patratis criminibus et delictis, simili modo et formâ procedas, cum facultate quoscumque ex his resipiscentes, et veniam postulantes, ac de cetero a similibus abstinere proponentes, etiam post condemnationem, et in ipso iustitiae actu seu poenae exequutione, absolvendi, ac poenas quascumque eis remittendi et condonandi, eosque ac quoscumque alios a quibusvis gravissimis, et capitalissimis causis et delictis bannitos et condemnatos, habitâ tamen prius ab offensis pace, et praeterquam quoad bona fisco incorporata, liberandi et gratiandi, ac in pristinum gradum et dignitatem, ac eum, in quo antea erant, statum restituendi, reponendi et plenarie reintegrandi, salvos conductus, ad tempus vel in perpetuum, iis quibus tibi videbitur concedendi; et generaliter omnia et singula ad statum, gubernium, regimen et administrationem

1 Perperam ed. Main. legit *percipiantur* (R.T.).
2 Praep. *per* nos addimus (R. T.).

ducatus, civitatum, dominiorum, oppidorum, terrarum, locorum, aliorumque praedictorum, necnon arcium, propugnaculorum, et fortalitiorum custodias, populorumque pacem et quietem, ac annonae abundantiam spectantia, ac tam gratiam, quam iustitiam concernentia, etiamsi talia sint vel fuerint, quae sub generali verborum significatione non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis, et speciali notâ digna essent, specialemque, specificam et expressam requirerent mentionem, facias, dicas[1], geras et exequaris; ac in omnibus et singulis praemissis quarumcumque personarum, etiam ecclesiasticarum, regularium quorumcumque ordinum, etiam quacumque dignitate, etiam episcopali vel maiori fulgentium, operâ utaris, easque cum facultatibus per te illis praescribendis subdeleges (ita tamen, ut de gestis et exequutis per te, aut mandato tuo per quoscumque alios, tu, vel illi nobis, aut Romanis Pontificibus successoribus nostris, aut S. R. E. cardinalium collegio, vel quibuscumque aliis, ut praefertur, praeterquam soli Deo, rationem aliquam ullo unquam tempore reddere minime teneamini, neque ad id cogi, vel compelli possitis); insuper civitatis, oppidi, terrae, castri, vel loci, in quo, seu qua te tempore obitus dicti Francisci Mariae ducis esse contigerit, corporalem, realem et actualem possessionem solum per te ipsum, aliàs tamen modo et formâ praemissis, capias et apprehendas, etiam privative quoad diversas alias expressas personas, quibus similes pro praemissis peragendis facultates pariter concessimus, quas quidem facultates eisdem personis quoad hoc suffragari nullo modo volumus: super quibus omnibus et singulis plenam, liberam, absolutam, et omnimodam facultatem, potestatem, et auctoritatem tenore praesentium tibi concedimus et impartimur.

1 Edit. Main. legit *dices* (R. T.).

§ 5. Iniungentes propterea eisdem cardinalibus de latere legatis, ac mandantes archiepiscopis, episcopis, et aliis locorum Ordinariis praedictis, sub interdicto ingressus ecclesiae, ac suspensionis a divinis, et tam iis, quam quibuscumque gubernatoribus, praesidentibus, locatenentibus, praetoribus, necnon thesaurariis, datiariis et exactoribus, collectoribus, appaltatoribus, et aliis officialibus et ministris, quibuscumque nominibus nuncupentur, Sedis et camerae praedictarum in Statibus nostris praedictis existentibus, baronibus quoque, domicellis, ducibus, marchionibus, necnon communitatibus, universitatibus et hominibus quibuscumque, ac etiam ecclesiasticis, secularibus et regularibus personis praedictis, demumque universis et singulis subditis nostris, immediatis et mediatis, in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae, necnon rebellionis, ac etiam excommunicationis latae sententiae poenis, ut tibi in omnibus et per omnia, quacumque excusatione, tergiversatione et impedimento remotis, prompte pareant, obediant et assistant, tuaque iussa, monita et mandata, aeque ac nostramet, eâ qua decet obedientiâ et fide exequantur et adimpleant, alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari; camerario vero, thesaurario generali et praesidentibus clericis, aliisque camerae apostolicae praedictae ministris, ut impensas huiusmodi per te faciendas, et illarum partitas per te, si tu expensarum rationem, ut praefertur, reddere volueris, exhibendas, in eiusdem camerae apostolicae libris describant et accipiant et bonas faciant. Praeceptum de illi parendo.

§ 5. Non obstantibus felicis recordationis Pii IV de gratiis interesse camerae apostolicae concernentibus in eâdem camerâ Derogatio contrariorum.

intra certum tunc expressum tempus praesentandis et registrandis, ac Sixti V Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum contra bannitos et alios facinorosos editis, necnon apostolicis, ac in universalibus provincialibusque conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac ducatus, civitatum et aliorum locorum praedictorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVII decembris MDCXXIV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 27 decembris 1624, pontif. anno II.

CVI.

Facultas nuntio apostolico inferioris Germaniae exhibendi habitum militiae christianae tribus personis per consilium eiusdem militiae nominandis [1].

Venerabili fratri Petro Aloysio, episcopo Tricaricensi, nostro et Sedis Apostolicae in partibus inferioris Germaniae nuntio,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,

salutem et apostolicam benedictionem.

Recenset institutam à se militiam christianam.

§ 1. Nuper, supplicationibus dilectorum filiorum nobilium virorum Ferdinandi Mantuae ac Caroli Nivernensis ducum, necnon Adulphi comitis de Althan, nobis humiliter porrectis inclinati, unam Militiam Christianam, sub titulo Conceptionis beatae Mariae Virginis Immaculatae, apostolicâ auctoritate ereximus et instituimus, illique sic erectae et institutae privilegia, gratias et indulta concessimus, aliaque in militiae huiusmodi favorem fecimus, statuimus et ordinavimus, prout in nostris desuper sub plumbo expeditis litteris plenius continetur [1].

Facultatem nuncio apostolico tribuit, de qua in rubricâ.

§ 2. Quare, cupientes, ut ii, qui peculiari erga fidem catholicam devotione ducti habitum per dictae militiae fratres gestari solitum suscipere, et professionem, per eos emitti consuetam, suo tempore expresse emittere voluerint regulares [2], desiderii sui compotes fieri facilius valeant, quantum cum Domino possumus, opportune providere, necnon litterarum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, supplicationibus etiam Ferdinandi ac Caroli ducum necnon Adulphi comitis praedictorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae, sive a te deputandis ut tribus personis qualificatis, infra limites tuae legationis existentibus, a consilio eiusdem militiae nominandis, nostro tamen et S. R. E. temporali dominio non subditis, habitum praedictum, servatâ in omnibus et per omnia constitutionum eiusdem militiae apostolicâ auctoritate confirmatarum formâ, exhibere, seu exhiberi facere, ipsisque personis, ut habitum praedictum suscipere, et professionem huiusmodi suo tempore expresse emittere, libere et licite possis et valeas, ac possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, licentiam et facultatem concedimus et impartimur.

Derogat obstantibus.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Quas vide supra pag. 114 huius tomi (R. T.).

2 An vox *regulares* praeter rem sit, nescio (R. T.).

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX decembris MDCXXIV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 30 decembris 1624, pontif. an. II.

CVII.

Confirmantur constitutiones editae pro collegio Hibernorum Lovanii erecto[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Editas pro collegio Lovaniensi Constitutiones

§ 1. Cum, sicut pro parte dilectorum filiorum rectoris et alumnorum collegii Hibernorum nuncupati, nuper in oppido Lovanii Mechliniensis dioecesis per nos apostolicâ auctoritate erecti, nobis nuper expositum fuit, pro felici, prosperoque ipsius collegii regimine et gubernio, nonnullae regulae, constitutiones et statuta edita fuerint, ac pro inviolabili eorum observatione plurimum cupiant illa apostolicae nostrae confirmationis robore communiri:

Confirmat Pontifex.

§ 2. Nos, rectoris et alumnorum praedictorum votis huiusmodi, quantum cum Domino possumus, annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotio propagandae in universum mundum fidei praefectorum, quibus regulas, constitutiones et statuta huiusmodi examinanda demandavimus, consilio, regulas, constitutiones et statuta praedicta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Et praecipit observari.

§ 3. Necnon regulas, constitutiones et statuta huiusmodi in praedicto collegio ab omnibus, ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, firmiter et inviolabiliter observari debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII ianuarii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 13 ianuarii 1625, pontif. anno II.

CVIII.

Congregationi Oratorii D. N. I. C. Parisiis erectae communicantur privilegia Congregationi Oratorii a B. Philippo Romae institutae a Romanis Pontificibus concessa[1].

Urbanus Episcopus,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Sacrosanctum apostolatus ministerium, quod ineffabilis divinae sapientiae providentia humilitati nostrae, nullo licet meritorum suffragio, credidit, iugiter postulat, ut catholicae religioni, divinique cultus augmento, et animarum saluti indefessis studiis consulentes, piisque christifidelium votis ad ea tendentibus, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuentes, personarum ecclesiasticarum quarumlibet vota religionis propagationem et augmentum concernentia ad exauditionis gratiam admittamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Erectionem vide supra pag. 266 (R. T.).

Causae petendi, obtinendique privilegia.

§ 1. Sane dilectus filius Petrus de Berulle, praepositus generalis Congregationis Oratorii Domini Nostri Iesu Christi nuncupatae Parisiensis, nobis nuper exponi fecit, quod dilecti filii presbyteri ac clerici eiusdem Congregationis[1], quae Congregationi Oratorii B. M. in Vallicella etiam nuncupatae de Urbe a S. Philippo Nerio fundatae admodum conformis est, sacramentorum ecclesiasticorum administratione, assiduisque verbi Dei praedicationibus, et aliis spiritualibus exercitiis, cum magno spirituali christifidelium illarum partium fructu sedulo se se exercent.

Communicatio privilegiorum, de qua in rubricâ.

§ 2. Quare nos, ut presbyteri et clerici praedicti in huiusmodi piorum operum exercitio magis confoveantur, felicioribusque in dies proficiant incrementis, opportune providere, dictumque Petrum ac presbyteros et clericos praefatos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus dicti Petri nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia et singula privilegia, facultates, gratias et indulta quaecumque, tam spiritualia quam temporalia, secundodictae Congregationi, illiusque praepositis ac presbyteris et clericis, aliisque personis, necnon oratorio parvo nuncupato, etiam per viam communicationis vel extensionis, aut aliàs quomodolibet, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros seu nos quomodolibet concessa, ac quibus eadem secundodicta Congregatio, illiusque praepositus, presbyteri ecclesiastici et personae, ac oratorium huiusmodi, de iure, usu, consuetudine, privilegio aut concessione apostolicâ in genere vel in specie, ac tam coniunctim quam divisim, aut aliàs quomodolibet, utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, dummodo tamen sint in usu, nec revocata, aut sub ullis revocationibus comprehensa, nec sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis aut constitutionibus apostolicis repugnent, primodictae Congregationi, illiusque praeposito generali, presbyteris, clericis et personis, etiam de congregatione exteriori laicorum nuncupatâ existentibus, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus; illaque omnia et singula ad[1] primodictam Congregationem huiusmodi, illiusque praepositum generalem, presbyteros, clericos et personas praedictas (ita ut eadem primodicta Congregatio, illiusque praepositus generalis, presbyteri, clerici et personae huiusmodi nunc et pro tempore existentes domorum eiusdem primodictae Congregationis, de Ordinariorum tamen locorum, in quibus illae erectae reperiuntur, licentiâ, praemissis omnibus et singulis aeque et pariformiter, ac sine ullâ differentiâ, uti, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant, perinde ac si singula praemissa illis specialiter et expresse ac principaliter, non autem ad instar concessa, et praesentibus expressa, ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, inserta fuissent) auctoritate et tenore praedictis extendimus; illaque omnia et singula praedictae Congregationis, illiusque domibus, necnon praeposito generali, presbyteris, clericis et personis praedictis communicamus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes praesentes litteras semper et perpetuo validas et efficaces existere

1 Huius Congregationis institutionem vide in tom. XIII, pag. 206, seqq. (R. T.).

1 Praepositionem *ad*, certe necessariam, nos addimus (R. T.).

et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, secundodictae Congregationis huiusmodi (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV ianuarii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 14 ianuarii 1625, pontif. anno II.

CIX.

Indultum fratribus Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula accipiendi legata cum perpetuo onere missarum et suffragiorum [1].

1 De hisce Fratribus vide supra pag. 156 et 177 huius tomi (R. T.).

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Apostolicam decet benignitatem ultimis pie testantium voluntatibus favere, et ut illae suum sortiantur effectum, etiam strictiorum Ordinum regularia instituta interdum relaxare, maxime cum relaxatio huiusmodi ad divini cultus incrementum tendere dignoscitur, et vota personarum regularium, praesertim reformatorum, hoc a nobis exposcunt.

Motiva et facti narratio.

§ 1. Sane nobis exponi nuper fecit dilectus filius Bartholomaeus Levius, provincialis Ordinis Minimorum sancti Francisci de Paula, in provinciâ et comitatu nostro Venaissino, quod de anno Domini MDCIX tunc in humanis agens Magdalena de Lagnet, dum viveret, domina in temporalibus oppidi de Causans, devotionis zelo ducta, titulo donationis irrevocabilis, quae dicitur inter vivos, donavit dicto Ordini septem millia scuta monetae, duo millia videlicet ad effectum construendi ecclesiam sub invocatione Assumptionis Divae Genitricis Mariae et conventum dicti Ordinis in civitate Carpentoratensi, et quinque millia scuta ad sustentationem duodecim religiosorum dicti Ordinis, electâ per ipsam sepulturâ in dictâ ecclesiâ, sub Sedis Apostolicae beneplacito sic construendâ, pro eius corpore humando, oneratisque eius haeredibus, quique fuerint, ut si ipsa non dedisset dicta scuta septem millia Ordini praedicto, statim eâ functâ vitâ darent ipsi duo millia scuta ad effectum praedictum provinciali dicti Ordinis pro tempore praesenti, reliqua vero quinque millia scuta darentur in pensionem annuam ad favorem dicti conventus. Cumque pro dictâ ecclesiâ et conventu construendis locus commodus in dictâ civitate non reperiretur, bonae memoriae Horatius, tunc episcopus Carpentoratensis, oratorium prope et extra moenia castri seu fortalitii loci de Venosco, Carpentoratensis dioecesis, ad mensam

illius episcopalem spectans, ac minime collativum, eisdem fratribus obtulit; ipsaque Magdalena donatrix, requisita de eius consensu, dictis fundationi et donationi eisdem praestando, anno Domini MDCXIII declaravit se gratum habere, dictam ecclesiam et conventum per eam fieri ordinatum in civitate Carpentoratensi fieri et erigi in dicto oratorio, quatenus supradictus Horatius episcopus illud sub dictae Sedis Apostolicae beneplacito a mensâ episcopali dismembraret, et sine aliquo onere pro constructione dictae ecclesiae liberaret et concederet. Et nihilominus idem Horatius episcopus oratorium praedictum non pure et libere dictis fratribus concessit iuxta mentem fundatricis, imo sub diversis oneribus et conditionibus. Unde mortuâ dictâ Magdalena de anno eiusdem Domini MDCXV institutis haeredibus universalibus dilectis filiis presbyteris Doctrinae Christianae Avenionensis, introductoque iudicio in rotâ pro consequutione dictorum septem millium scutorum ad effectum praedictum, fuit denegata pro tunc exequutio, quia assignatio dicti oratorii non fuerat facta libere. Quod ut componeret felicis recordationis Gregorius Papa XV, praedecessor noster, ad supplicationem venerabilis fratris Cotturi, moderni episcopi Carpentoratensis, et dilecti filii Ioannis a Turre, tunc provincialis Ordinis Minimorum in dictâ provinciâ et conventu[1] Venaissino, onera quaecumque in dicto oratorio apposita apostolicâ auctoritate in conventum Avenionensem eiusdem Ordinis transtulit, oratoriumque praedictum in omnibus et per omnia exoneravit; iterumque petitâ exequutione in rotâ, et ostensâ liberatione oratorii, fuit relaxatum mandatum.

Motiva adversariorum pro non solvendo legato.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti adversarii more reorum solutionem dictorum scutorum septem millium effugere, aut saltem protrahere omni eorum conatu satagentes, dederint ultimo loco de obstantiâ regulae dicti Ordinis Minimorum, qua expresse cavetur, ne dicti religiosi, qui sub perpetuâ quadragesimali vitâ et ex mendicatis eleemosynis vivunt, perpetuas missas seu aliqua suffragia perpetuo, particulariter et in specie, ac ultra quinquaginta annos suscipere valeant; cumque donatio praedicta habeat huiusmodi onera[1] et conditiones requisitas[2]; licet credatur eas omnino fore reiiciendas[3] ac favore piae causae, ecclesiae scilicet construendae ac alimentorum dictis duodecim religiosis praestandorum, iuris interpretatione haberi pro non appositis, concurrente praesertim indulto ex litteris bonae memoriae cardinalis Ss. Quatuor Coronatorum, olim summi poenitentiarii, quibus concedebatur fratribus praedictis facultas acceptandi in posterum dicta onera, quamvis perpetua, missarum, absque conscientiae scrupulo, regulâ praedictâ non obstante, ac attentâ etiam resolutione aliàs captâ in generali capitulo in civitate Ianuensi celebrato, non esse essentiale in regulâ, quod fratres non possint se obligare ad onera perpetua; nihilominus, quia postmodum in actis capituli generalis habiti Paulae regula praedicta confirmata fuit, et recessum a resolutionibus captis in capitulo Ianuae, actaque recessus praedicti fuerunt a felicis recordationis Paulo Papa III similiter praedecessore nostro in formâ specificâ confirmata:

Pontifex fratres habiles facit ad acceptandum legatum cum perpetuo onere missarum.

§ 3. Idcirco, ad tollenda omnia subterfugia partis, penes quam effici non potest, ut pecuniae, ut supra, donatae remanere debeant, ac ut celerius, pro divini cultus incremento et pro observatione voluntatis praedictae donatricis, ecclesiae et conventus praefati aedificari possint, neque diu-

1 Forsan legendum *comitatu* (R. T.).

1 Sic ed. Cher. Lugd.; ed. Main. h. *opera* (R.T.).

2 Forsan legendum *appositas* (R. T.).

3 Reiiciendae conditiones, an potius ex ipsis petita obiectio adversariorum? (R. T.).

tius suum cadaver inhumatum deseratur, quae ipsi sepeliendo dictam ecclesiam propriis impensis exstrui mandavit; nos, eumdem Bartholomaeum provincialem specialis gratiae favore prosequi volentes, necnon a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, porrectis nobis pro parte suâ super hoc supplicationibus inclinati, acceptationem praedictae donationis in capitulo generali dicti Ordinis iam factam (cum onere celebrandi seu celebrare faciendi unam missam submissâ voce omnibus diebus dominicis et aliis de praecepto Ecclesiae festivis in perpetuum in cappellâ loci de Causans[1], conditione item superadditâ, quod preces, seu horae publicae canonicae, quae dietim in dicto conventu et ecclesiâ sic construendâ dicuntur[2], matutinum scilicet, laudes, prima, tertia, sexta, nona, vesperae et completorium, necnon etiam missa, quae conventualis dicitur, et solet a dictis fratribus celebrari in omnibus eorum ecclesiis pro salute animarum earumdem ecclesiarum fundatorum, ac aliae omnes missae, votivis exceptis, dicantur et applicentur ad intentionem ipsius fundatricis, iuxta formam instrumentorum dictarum donationum), dummodo tamen dicta donatio, ut praefertur, in capitulo generali praeterito fuerit acceptata, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, in omnibus et per omnia approbamus et confirmamus, ac illi perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, eidemque religioni et fratribus, ut se ad onera in dictâ donatione, ut praefertur, iniuncta, quamvis perpetua, praemissis non obstantibus, obligare possint, concedimus et indulgemus, eosdemque ad praemissa, dictâ auctoritate, ad effectum executionis donationis praedictae, efficaciter et opportune habilitamus, ac omnes et singulos, tam iuris quam facti et solemnitatum defectus, qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: dictamque acceptationem, cum oneribus et conditionibus praefatis factam, subsistere,

Decretum irritans cum derogatione contrariorum.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices et commissarios iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV ianuarii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 14 ianuarii 1625, pontif. annoi I.

1 An recta lectio *de Causans*, iudica (R. T.).

2 Si adhuc ecclesia *construenda*, aptius forsan legeretur *dicentur* (R. T.).

CX.

Uladislaus, regis Poloniae filius, ense et pileo donatur[1].

Dilectissimo in Christo filio nobili viro Uladislao, charissimi in Christo filii nostri Sigismundi Poloniae et Svetiae regis illustri nato,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili, nobilis vir, salutem et apostolicam benedictionem.

Praeclara Uladislai indoles.

Immortales christianae fortitudinis laudes, quas, vel in ipso aetatis flore nobilitas tua sibi comparavit, nemo conticescit. Illas relata saepissime ex profligatis christiani nominis hostibus trophaea silere non possunt. Illas barbarorum agmina, quae toties vitam sibi fugâ quaerere coëgisti, abunde loquuntur. Illas denique publica paterni regni felicitas uberrime con-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

testatur. Nos vero, quanto maiori animi iucunditate perfundimur gloriosa per nobilitatem tuam edita facinora memoriâ repetentes, tanto impensius optamus, aliquod paternae, qua te iure optimo complectimur, voluntatis et eximiae virtutis, qua regia invicti genitoris decora feliciter aemularis, extare monumentum.

Ense et pileo benedictis donatur.

§ 2. Cum igitur pius, idemque pervetustus mos inoleverit, ut Romanus Pontifex, nocte Christo Nascenti sacrâ, ensem et pileum solemni ritu benedictum, vel regibus vel aliis de catholicâ religione optime meritis principibus deferri iubeat; nobilitati tuae, quam his diebus ad almam Urbem nostram sacrosancti iubilaei celebritas evocavit, ensem et pileum, per nos de more benedictos, apostolicâ benignitate gratiose donamus: divinam precantes clementiam ut mittat tibi auxilium de sancto et de Sion tueatur te. Dexteram tuam hoc munere praemunitam perditae gentes, quae Deum non noverunt, suae sentiant impietatis vindicem, et caput tuum veluti galeâ salutis armatum christiani nominis hostes expavescant. Quae quidem nobilitati tuae maxime in votis esse nos pro comperto habentes, eamque diligentissime curaturam minime dubitantes, apostolicam benedictionem ei peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX ianuarii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 19 ianuarii 1625, pontif. anno II.

CXI.

Praescribitur, quo pacto sanctimoniales, aliique impediti, indulgentias anni sancti lucrari possint.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Sanctimonialibus, eremitis infirmis, aliisque impeditis,

Pontificia sollicitudo, quamvis omnium Christifidelium saluti prospiciat, praecipue tamen spiritualibus sanctimonialium profectibus, paternae charitatis affectu, studet providere: ipsae enim sunt filiae, quae oblitae populum suum et domum patris sui, animi splendore caelestem regem oblectant: ipsae sunt prudentes virgines, quae lampades suas, charitatis flammâ succensas, provide aptantes, meliorem partem elegerunt, et dum vitam caelitus petitam ducunt, non modo sibi ipsis ad caelum viam sternunt, sed ieiuniis, vigiliis et orationibus, ceteris quoque christifidelibus eam aperire student. Quare summopere optandum est, ut vitae rationem, quae eas angelis quodammodo aequat, constantissime retineant, ac dent operam, ut sicuti praeclaros hîc agunt de carne in carne triumphos, ita post huius vitae certamina in caelesti patriâ feliciter coronentur. Quoniam autem consimile vitae genus quamplurimi anachoretae, atque eremitae, ut supernarum rerum contemplationi securius vacent, laudabiliter elegerunt: spiritualibus quoque ipsorum incrementis, paternis visceribus, maxime ducimus consulendum.

Quominus ecclesias descriptas visitare possint anno sancto;

§ 1. Cum igitur tam ipsi quam praedictae sanctimoniales perpetuâ vivant clausurâ mancipatae; necnon multi, ut accepimus, utriusque sexus christifideles, partim carceribus detenti, partim vero diuturnâ infirmitate praepediti, non solum in almâ Urbe nostrâ et Italia, sed in aliis etiam regionibus, provinciis et locis reperiantur, qui et quae respective impedimentis huiusmodi remotis, pro percipiendis praesentis anni iubilaei fructibus, ad almam Urbem nostram omnino venirent, et basilicas, ecclesiasque ad id deputatas, benedicente Domino, indubitanter visitarent[1], ob praedicta impedimenta, ad Urbem huiusmodi minime venire, neque respective basilicas et ecclesias ipsas visitare valeant:

1 Heic adderem partic. *sed* (R. T.).

Urbanus consulit, modo, qui praescribitur;

§ 2. Nos, pro pastoralis officii nostri debito, paternâque charitate, illorum omnium animarum saluti, quantum cum Domino possumus, prospicere volentes, omnibus et singulis sanctimonialibus, necnon anachoretis, atque eremitis huiusmodi, necnon utriusque sexus christifidelibus, tam carceratis, quam infirmis praedictis tantum, et qui aliàs, impedimentis longae carcerationis, ac diuturnae infirmitatis cessantibus, ad hanc almam Urbem, pro thesauris spiritualibus huiusmodi consequendis, venturi fuissent, vere poenitentibus et confessis, quod in locis, ubi eos esse contigerit, pia christianae pietatis et charitatis opera, iuxta formam ab Ordinariis locorum, seu sanctimonialium et anachoretarum, eremitarumque huiusmodi superioribus, vel de eorum mandato, a prudente confessario, in almâ vero Urbe a dilecto filio nostro vicario, seu eius vicesgerente tantum, praescribenda, pro cuiuslibet statu et conditione, ac loci et temporis ratione habitâ, exercendo, et alia nostris in litteris indictionis anni iubilaei contenta adimplendo, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones, etiam plenissimam, consequantur et eorum quilibet consequatur, quas consequerentur et consequi possent, si in hoc praesenti anno iubilaei, diebus ad id statutis, quatuor ad id deputatas basilicas et ecclesias almae Urbis et extra illius muros, pro quibus visitandis iubilaeum et indulgentiae praedictae concessae sunt, personaliter visitarent et eorum quilibet visitaret.

Cum facultate confessarium sibi deligendi.

§ 3. Eisdemque sanctimonialibus et christifidelibus impeditis huiusmodi, ut ad effectum praesentium confessarios presbyteros seculares, vel cuiusvis Ordinis regulares, ab eisdem Ordinariis locorum ad id probatos, qui confessionibus eorum diligenter auditis eos et eorum quemlibet a quibusvis peccatis, criminibus et delictis quantumcumque gravibus et enormibus, etiam Apostolicae Sedi reservatis, etiam in Bullâ Coenae Domini contentis, iniunctâ eis poenitentiâ salutari, absolvere possint, eligere valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Contraria derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Huiusque concessionis exemplis credi iubet.

§ 5. Volumus autem, quod praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII ianuarii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 28 ianuarii 1625, pontif. anno II.

CXII.

Deputatio ecclesiae S. Mariae Transtyberim loco ecclesiae S. Pauli extra Urbem, stante suspicione pestis, unâ cum concessione (cumulative tamen) omnium indulgentiarum, ac spiritualium gratiarum dictae ecclesiae S. Pauli concessarum pro praesenti anno sancto[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Paterna dominici gregis cura, quam misericordiarum pater et consolationis Deus humilitati nostrae, nullo licet meritorum suffragio, commisit, a nobis postulat, ut apertis abundantius praesenti anno iubilaei Ecclesiae thesauris provideamus, quo grex ipse thesauros huiusmodi per abundantiam divinae gratiae salubriter con-

1 Indictionem anni sancti posuimus supra Const. *Omnes gentes*, ut supra pag. 143.

sequatur, et si qua[1] pium eiusdem gregis in praemissis desiderium impedire seu retardare posse dignoscuntur, illa, quantum nobis ex alto conceditur, peculiari studio removeamus.

Causa ferendae Constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut non sine viscerum nostrorum commotione accepimus, nonnullae regni Siciliae civitates, oppida et terrae innumeris malis, atque incommodis ob saevientem inibi pestiferae contagionis morbum miserabiliter conflictentur, et propterea, pro avertendis, quantum divinae bonitati placuerit, in hac almâ Urbe nostrâ, totâque ditione Ecclesiasticâ et reliquis Italiae partibus huius pestilentiae periculis, evenire possit, ut christifidelibus ad percipiendos spirituales eiusdem iubilaei fructus ecclesiam S. Pauli extra muros almae Urbis nostrae, unam ex quatuor ad id deputatis, visitare volentibus, mora, atque impedimentum inferantur:

Deputatio de qua in rubricâ.

§ 2. Idcirco, pro pastorali, quam procurandae eiusdem gregis animarum saluti impendere tenemur, sollicitudine, spirituali christifidelium praedictorum consolationi, benedicente Domino, consulere volentes, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui ecclesiam S. Mariae Transtyberim loco ecclesiae S. Pauli praedictae visitaverint, et praescripta atque iniuncta pro consequendis spiritualibus eiusdem iubilaei fructibus adimpleverint, quod omnes et singulas indulgentias, etiam plenissimas, et peccatorum remissiones, necnon poenitentiarum relaxationes, aliasque gratias spirituales eisdem prorsus modo et formâ consequantur (cumulative tamen, non autem privative quoad ecclesiam S. Pauli praedictam) quas consequerentur, si ipsam ecclesiam S. Pauli visitarent, ibique praescripta et iniuncta, ut praefertur, adimplerent, quodque ad effectum huiusmodi dicta ecclesia S. Mariae Transtyberim omnibus et singulis indulgentiis, etiam plenariis et plenissimis, stationibus, peccatorum remissionibus, poenitentiarum relaxationibus, aliisque quibusvis gratiis spiritualibus, tam circà altarium quorumcumque visitationem, quam in illis missarum celebrationem, quibus ecclesia S. Pauli extra muros huiusmodi utitur, potitur et gaudet, ac uti, potiri et gaudere possit et poterit quomodolibet in futurum, pari modo et aeque principaliter sine ullâ prorsus differentiâ uti, potiri et gaudere libere et licite possit et valeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

1 Edit. Main. legit *si quae* (R. T.).

Obstantium derogatio.

§ 3. Non obstantibus nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutisque et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 4. Praesentibus ad nostrum beneplacitum dumtaxat valituris.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX ianuarii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 30 ianuarii 1625, pontif. anno II.

CXIII.

Deputatio ecclesiarum S. Mariae de Populo, S. Mariae Transtyberim, ac S. Laurentii in Lucinâ de Urbe, loco ecclesiarum S. Sebastiani, S. Pauli et S. Laurentii extra muros, pro septem Urbis eiusdem ecclesias visitantibus.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Paterna dominici gregis cura, quam misericordiarum pater totius consolationis Deus humilitati nostrae, nullo licet meritorum suffragio, commisit, a nobis postulat, ut apertis abundantius praesenti anno iubilaei Ecclesiae thesauris, provideamus, quo grex ipse thesauros huiusmodi per abundantiam divinae gratiae salubriter consequatur; et si qua[1] pium eiusdem gregis in praemissis desiderium impedire seu retardare posse dignoscuntur, illa, quantum nobis ex alto conceditur, peculiari studio removeamus.

Peste in Sicilia grassante, § 1. Cum itaque, sicut non sine viscerum nostrorum commotione accepimus, nonnulla regni Siciliae civitates, oppida et terrae innumeris malis atque incommodis ob saevientem inibi pestiferae contagionis morbum miserabiliter conflictentur, et propterea, pro avertendis, quantum divinae bonitati placuerit, ab hac almâ Urbe nostrâ, totâque ditione Ecclesiasticâ et reliquis Italiae partibus huius pestilentiae periculis, evenire possit, ut christifidelibus septem ecclesias almae Urbis nostrae et extra illius muros devotionis causâ visitare volentibus, circa eas, quae extra muros huiusmodi sunt, mora atque impedimentum inferantur;

Urbanus deputationem facit, de qua in rubricâ. § 2. Idcirco, pro pastorali, quam procurandae eiusdem gregis[2] animarum saluti impendere tenemur, sollicitudine, spirituali christifidelium praedictorum consolationi, benedicente Domino, consulere volentes, de omnipotentis Dei misericordiâ, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui S. Mariae de Populo nuncupatae, loco S. Sebastiani, ac etiam S. Mariae Transtyberim, loco S. Pauli, necnon S. Laurentii in Lucina etiam nuncupati, ecclesias eiusdem almae Urbis, loco S. Laurentii ecclesiarum extra muros huiusmodi, visitaverint, et praescripta atque iniuncta pro indulgentiis et aliis gratiis spiritualibus, quibus S. Sebastiani, ac S. Pauli, nec non S. Laurentii ecclesiae extra muros huiusmodi decoratae sunt, consequendis adimpleverint, quod omnes et singulas indulgentias plenarias et peccatorum remissiones, necnon poenitentiarum relaxationes, aliasque gratias spirituales, etiam pro animabus defunctorum, eisdem prorsus modo et formâ consequantur (cumulative tamen, non autem privative quoad S. Sebastiani, ac S. Pauli, necnon S. Laurentii ecclesias extra muros huiusmodi) quas consequerentur, si ipsas S. Sebastiani, ac S. Pauli, necnon S. Laurentii ecclesias extra muros visitarent, ibique praescripta et iniuncta, ut praefertur, adimplerent, quodque ad effectum huiusmodi S. Mariae de Populo, ac S. Mariae Transtyberim, necnon S. Laurentii in Lucina ecclesiae praedictae omnibus et singulis indulgentiis, etiam plenariis, et stationibus, peccatorum remissionibus, poenitentiarum relaxationibus, aliisque quibusvis gratiis spiritualibus, tam circa altarium quorumcumque visitationem, quam in illis missarum celebrationem, quibus S. Sebastiani et S. Pauli, necnon S. Laurentii ecclesiae extra muros huiusmodi utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, pari modo et aeque principaliter, sine ullâ prorsus differentiâ, uti, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Contraria tollit. § 3. Non obstantibus nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutisque et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 4. Praesentibus ad nostrum beneplacitum dumtaxat valituris.

1 Iterum edit. Main. habet *si quae* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *Graecis* (R. T.).

Transumptisque fidem addit.

§ 5. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX ianuarii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 30 ianuarii 1625, pontif. anno II.

CXIV.

Monentur locorum Ordinarii, ut christifideles per concionarios hortentur ad succurrendum indigentiis sacrorum locorum Hierusalem [1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Salvatoris et Domini nostri, qui pro humani generis redemptione se ipsum exinanivit factus obediens usque ad mortem, vices, licet immeriti, gerentes in terris, inter multiplices, gravissimasque apostolicae servitutis curas, hanc prae ceteris in visceribus gerimus, ut tanti, ac tam salubris mysterii monumenta, quae in civitate Hierusalem et locis circumvicinis sunt, conserventur, et omni, qua fieri poterit, maiori honorificentiâ recolantur.

Propter angustiam fratrum Ordinum Minorum in civitate Hierusalem,

§ 1. Cum itaque, sicut non sine animi nostri dolore accepimus, dilecti filii fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ in civitate et locis praedictis existentes variis atque extraordinariis exactionibus, angariis, aliisque molestiis ab impiâ turcarum tyrannide iugiter vexentur:

Pontifex locorum Ordinarios monet, ut populos ad eis succurrendum hortentur.

§ 2. Nos, eorumdem fratrum saluti atque statui, necnon sacrorum monumentorum huiusmodi conservationi et manutentioni, quantum nobis ex alto concedi-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

tur, consulere volentes, venerabiles fratres patriarchas, archiepiscopos, episcopos et alios locorum Ordinarios in Italia existentes, per viscera misericordiae Dei nostri requirimus et in Domino hortamur attente, ut in proxime futurâ quadragesimâ fratrum in civitate et locis praedictis commorantium necessitates, eorumdem sacrorum monumentorum conservationem et manutentionem per verbi Dei praedicatores populo proponi et commendari, omnesque et singulos ad eleemosynas pro praemissis liberaliter porrigendas excitare.

Et eleemosynas commissario tradi curent.

§ 3. Eas vero, quas a chistifidelibus propterea erogari contigerit, ad manus personae fidae et facultatibus idoneae per eosdem Ordinarios deputandae, ad effectum illas commissario a dilecto filio magistro generali eiusdem Ordinis ad hoc deputato seu deputando realiter et cum effectu consignandi, pervenire curent et faciant, quod et omnipotenti Deo bonorum omnium retributori acceptissimum, nobis vero gratissimum erit.

Fides transumptis addit.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII februarii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 7 februarii 1625, pontif. anno II.

CXV.

Iubet sub poena excommunicationis et privationis vocis activae et passivae, ne ex bibliothecâ Ianuensi Ordinis Minimorum extrahantur quomodolibet libri.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Mandat prout in rubrica.

Conservationi et manutentioni bibliothecae domus regularis Iesu Mariae nuncupatae Ianuensis, Ordinis fratrum Minimorum S. Francisci de Paula, quantum cum Domino possumus, consulere, ac dilectum filium Laurentium de Peyrinis provincialem provinciae Ianuensis eiusdem Ordinis specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ipsumque et dictae domus singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eiusdem Laurentii provincialis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cetero quisquam, quavis auctoritate fungens, quosvis libros, quinterna, folia, sive manuscripta, sive impressa, dictae bibliothecae hactenus assignata et in posterum assignanda, quovis quaesito colore, vel ingenio, causâ vel occasione e dictâ bibliothecâ extrahere, sive ut extrahantur vel removeantur permittere quoquo modo audeat seu presumat, sub excommunicationis et privationis vocis activae et passivae poenis per contrafacientes incurrendis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, domus ac Ordinis huiusmodi (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§ 3. Volumus autem, quod praesentis prohibitionis copia in valvis dictae bibliothecae, aut aliquo alio perspicuo loco, unde ab omnibus cerni possit, continue affixa remaneat.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII februarii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 13 februarii 1625, pontif. anno II.

CXVI.

Nuncius apostolicus apud Hispaniae regem collector deputatur pecuniarum ex redditibus cruciatae, fabricae basilicae Principis Apostolorum solvendarum.

Venerabili fratri Iulio episcopo Gravinensi, nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Philippus rex ex redditibus cruciatae quamdam partem fabricae sancti Petri se solutarum promiserat.

§ 1. Cum aliàs felicis recordationis Paulus Papa V praedecessor noster ex causis tunc expressis concesserit facultates sanctae cruciatae in regnis Hispaniarum, in locis in dicti Pauli praedecessoris nostri litteris nominatis, ad sex annos, et nomine clarae memoriae Philippi III Hispaniarum regis catholici dilectus filius noster Gaspar tituli S. Crucis in Hierusalem presbyter cardinalis Borgia nuncupatus pollicitus fuerit, quod thesaurarii pecuniarum ex facultatibus huiusmodi proventarum summam centum millium ducatorum auri in auro eidem Paulo praedecessori, aut cui per eum ordinatum fuisset, in subventionem fabricae basilicae Principis apostolorum de Urbe, viginti sex millia singulis annis primo currentibus dicti sexennii, persolvent:

Pontifex ad eam percipiendam nuncium apostolicum deputat.

§ 2. Nos, cupientes fabricam huiusmodi omni ope promoveri, ac de fide, integritate et diligentiâ tuâ plurimum in Domino confidentes, te ac pro tempore existentem nostrum et Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum nuncium ad summam cen-

tum millium ducatorum huiusmodi, seu dictae summae residuum, debitis temporibus a praedictis thesaurariis, seu aliis personis pecunias praedictas solvere debentibus, per se[1], vel alium, seu alios loci tui, periculo tamen suo, deputatos, petendum, exigendum, levandum et recuperandum, et de exactis, levatis et recuperatis quietandum et absolvendum, nostrum et praedictae fabricae procuratorem et commissarium, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, facimus, constituimus et deputamus.

Qui illam praefectis dictae fabricae solvere teneatur.

§ 3. Volentes quod omnes et singulas pecuniarum summas per te pro tempore sic exactas, ac prout in dies illas exegeris, venerabili fratri nostro Francisco Mariae episcopo Praenestino de Monte, necnon dilectis filiis nostris Dominico Ss. Duodecim Apostolorum Gymnasio, Scipioni S. Chrysogoni Burghesio, Marcello Ss. Quirici et Iulitae Lantes, Aloysio S. Petri ad vincula Capponio, Dominico S. Martini in Montibus Rivarolae, Petro Paulo Ss. Nerei et Achillei Crescentio, ac Hippolito S. Mariae Novae diacono cardinalibus Aldobrandino nuncupatis, modernis et pro tempore existentibus dictae fabricae praefectis, aut cui, vel quibus dicti praefecti, seu eorum maior pars ordinaverit, realiter et cum effectu persolvas, ac persolvi facias. Nos enim, quidquid in praemissis per te actum, dictum, gestum et procuratum fuerit, gratum, ratum et firmum habebimus, teque de omni et toto eo, quod praefectis et aliis pro tempore persolveris aut persolvi feceris, auctoritate et tenore praedictis, ex nunc prout ex tunc, liberamus, quietamus, et absolvimus.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ipsius fabricae (etiam iuramento confirmatione apostolicâ, et quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, etiam certam formam in confectione quietantiarum requirentibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII februarii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 17 februarii 1625, pontif. anno II.

1 Forsan legendum *per te* (R. T.).

CXVII.

Revocatio litterarum Pauli V, quibus cavetur, quominus beneficia civitatis Calaritanae ex Turritana Urbe originariis, et viceversâ conferantur[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Romanus Pontifex a Salvatore et Domino nostro, qui charitas est et Deus pacis, super universas orbis ecclesias et provincias constitutus, ut iuxta verbum propheticum noxia evellat et destruat, utiliaque plantet et aedificet, ea interdum, quae certis etiam rationalibus ex causis a Sede Apostolicâ sancita sunt, maioribus ex causis, quibus praesertim mutuae inter christifideles charitati, pacique et tranquillitati consulitur, dissidiisque et contentionibus obviam itur, alterat et immutat, in hisque sollicitudinis et providentiae suae studium interponit, prout pia catholicorum regum vota exposcunt, et ipse, omnibus rerum, temporumque qualitatibus maturâ consideratione pensatis conspicit salubriter in Domino expedire.

Recensentur Pauli litterae.

§ 1. Aliàs siquidem a felicis recordationis Paulo Papa V praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Ad universalis Ecclesiae regimen, divinâ disponente clementiâ, vocati, inter alia pro populorum votivâ dilectione ni-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

hil occurrit praestantius, quam exorta inter christifideles, principis[1] tenebrarum astutiâ, discordiarum fomenta nostrae sollicitudinis occursu protinus extinguere, et cuiusvis altercationis seu dissidii salubriter operâ nostrâ evulsis seminibus, pacis et tranquillitatis dulcedinem inter eos, divinâ nobis assistente gratiâ, imponere et conservare valeamus. Cum itaque, sicut nobis nuper non sine animi nostri molestiâ innotuit, a certo tempore citra, varia dissidia, inimicitiae et odia inter dilectos filios communitates et homines civitatum Calaritanae et Turritanae, seu Sassarensis, ita instigante humani generis hoste, orta sint, scripta etiam typis mandata cum omnipotentis Dei offensâ, omniumque tam civium dictarum civitatum quam dictarum personarum damnationis periculo, et populi utriusque civitatis huiusmodi scandalo emanarint, ipsaque dissidia, inimicitiae et odia adeo in animis eorum invaluerint, adeoque acerbe vigeant de praesenti, ut si illis durantibus originarios ambarum civitatum huiusmodi et earum dioecesum[2] ad beneficia in eis consistentia promiscue et indifferenter admitti contigerit, illa inde gravius flagrare, ac fomitem et materiam maioris mali concipere, diutiusque ipsi in illis persistere habeant: nos igitur, quibus, ex officii pastoralis nobis divinitus commissi debito, incumbit his malis et incommodis, quantum in nobis est, obviare, et ne graviora evadant, et ex novâ aliquâ occasione vel materiâ ulterius et diutius animis ipsorum civium inhaereant, difficiliusque postea componantur et sedentur, omni qua possumus operâ ac sollicitudine procurare cupientes, motu proprio et ex certâ nostrâ scientiâ, maturâque deliberatione nostrâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine,

Quibus ad amputanda dissidia cavetur, quominus originariis unius civitatis alterius Urbis beneficia conferantur.

1 Perperam ed. Main. legit *christifideles principes*, (R. T.).

2 Praep. *ad* nos addimus (R. T.).

harum serie statuimus et ordinamus, quod ex nunc et deinceps, huiusmodi dissidiis, controversiis, inimicitiis et iurgiis vigentibus seu durantibus, et donec et quousque illa penitus cessare et composita esse, ac cives ipsos ad mutuam concordiam et pacem rediisse constiterit, et interim ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, omnia et singula beneficia ecclesiastica in civitatibus et dioecesibus praedictis nunc et pro tempore consistentia, etiamsi illa canonicatus et praebendae, dignitates, personatus, administrationes et officia in cathedralibus et metropolitanis vel collegiatis ecclesiis, et dignitates ipsae in cathedralibus etiam metropolitanis post pontificales maiores, aut collegiatis ecclesiis huiusmodi principales, seu parochiales ecclesiae, aut earum perpetuae vicariae, ac in Romanâ Curiâ vel extra eam litigiosa, ac de iurepatronatus laicorum etiam nobilium et illustrium, seu eorum et clericorum mixtim, ac ex fundatione, vel dotatione, aut indulto apostolico, seu aliàs quomodolibet qualificata sint vel fuerint, et ad illa consueverint qui per electionem assumi, illisque cura immineat animarum (exceptis iis beneficiis, quae de charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici, qui etiam Sardiniae rex existit, et successorum suorum iurepatronatus ex fundatione vel dotatione seu ex privilegio apostolico nunc sunt et pro tempore erunt, ad quae, unquam sub praesenti statuto minime comprehensa, liberum sit ipsi regi catholico nunc et pro tempore existenti quasvis personas idoneas praesentare), quoties illa, quae scilicet de iurepatronatus regis praedicti non existant, per cessum, etiam causâ permutationis, vel decessum, seu quamvis aliam dimissionem vel amissionem aut privationem ea pro tempore obtinentium, seu ius in illis vel ad illa habentium, aut aliàs quovis modo, ac etiam in aliquo

ex mensibus, in quibus vacantium beneficiorum ecclesiasticorum dispositio nobis et dictae Sedi, etiam per constitutiones apostolicas, seu cancellariae apostolicae regulas, est vel pro tempore fuerit reservata, vel etiam ordinariis collectoribus per easdem constitutiones, seu regulas, vel litteras alternativarum, aut alia privilegia et indulta hactenus concessa et imposterum concedenda, simul vel successive vacare contigerit, etiamsi actu nunc, ut praefertur, vel aliàs quibusvis modis, et ex quorumcumque personis, seu per liberas resignationes vel concessiones quorumvis de illis in dictâ curiâ vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus, sponte factas[1], aut constitutionem felicis recordationis Ioannis Papae XXII, praedecessoris nostri, quae incipit *Execrabilis*, vel assequutionem alterius beneficii quavis auctoritate collati vacent, ac ex eo quod beneficia ipsa obtinentes, seu in illis, vel ad illa ius habentes, dictae Sedis notarii, subdiaconi, acolyti, cappellani, litterarum apostolicarum abbreviatores, scriptores, cubicularii, scutiferi, proventuum et iurium camerae apostolicae debitorum collectores et subcollectores, seu quicumque alii curiae vel Sedis praedictarum officiales, etiam sub diversis constitutionibus piae memoriae Pauli Papae III etiam praedecessoris nostri suorum et pro tempore existentium Romanorum Pontificum familiarium continuorum commensalium declaratoriis comprehensi, praesentes et futuri, quocumque nomine nuncupati, seu quae[2] ex quavis aliâ causâ dispositioni apostolicae specialiter vel aliàs generaliter reservata; aut ex generali reservatione apostolicâ affecta, seu ad Sedem eamdem devoluta existant vel fuerint, originariis et naturalibus alterius civitatis seu dioecesis, nempe, quae in civitate et dioecesi Calaritanâ consistunt, originariis et naturalibus civitatis et dioecesis Turritanae seu Sassarensis, quae vero in civitate et dioecesi Turritana seu Sassarensi consistunt, originariis et naturalibus civitatis et dioecesis Calaritanae, apostolicâ vel ordinariâ aut quavis aliâ auctoritate conferri nullatenus possint, neque debeant; sed interim originarii et naturales cuiuslibet ex civitatibus et dioecesibus praedictis ad beneficia alterius civitatis et dioecesis obtinenda inhabiles et incapaces omnino existant, etiamsi in eisdem civitatibus et dioecesibus domicilium contraxerint, et in eis per quodcumque etiam longissimum temporis spatium commorati fuerint et commorentur; ac si[1] eadem beneficia, etiamsi ad illorum patronorum praesentationem, sibi conferri, aut de illis provideri contra formam praesentium obtinuerint, aut collationibus et provisionibus huiusmodi, ac aliis dispositionibus in eorum favorem desuper factis, seu etiam motu simili concessis, uti, vel eas ratas et gratas habere praesumpserint, omni et quocumque beneficio et officio ecclesiastico per eos ubicumque obtento, eo ipso, absque aliquâ declaratione desuper faciendâ, privati sint; ac Ordinarii et alii inferiores collatores et patroni, qui contra praemissa quidquam attentare praesumpserint, a quorumcumque beneficiorum collatione, provisione, electione, praesentatione, institutione et quacumque aliâ dispositione, prout cuique competierit, tamdiu suspensi remaneant, donec remissionem a Romano Pontifice pro tempore existente meruerint obtinere. Decernentes omnes et singulas collationes, institutiones et quasvis alias dispositiones de quibuscumque beneficiis praedictis, ut praefertur, vel aliàs quomodolibet qualificatis, contra praesentis statuti formam et tenorem etiam per nos et quoscumque

1 Edit. Main. legit *facta* (R. T.).

2 Erronee eadem habet *qui* (R. T.).

1 Particulam *si* nos addimus (R. T.).

alios Romanos Pontifices successores nostros, dictamque Sedem et illius legatos, etiam de latere et nuncios, omnesque et singulos alios ius et favorem conferendi, providendi, commendandi, eligendi, praesentandi et aliàs quomodolibet de huiusmodi beneficiis disponendi ab ipsâ Sede habentes, nec non ordinarios et alios inferiores collatores, etiam ad patronorum praesentationem, seu de illorum consensu, pro tempore factas, ipso iure nullas et invalidas, nulliusque roboris vel momenti fore et esse, ac pro nullis et infectis habere[1], nec per eas cuiquam ius vel etiam coloratum possidendi titulum tribui posse, et ipsos, in quorum favorem emanarint, illarum prorsus usu et commodo carere; ac beneficia ipsa, ut prius, vacare, et quae ex illis dispositioni apostolicae reservata, seu affecta fuerint, sub eâdem reservatione et affectione remanere, ac tam illa, quam etiam omnia alia non reservata, neque affecta, de quibus a dictâ Sede, vel illius legatis, seu nunciis, aut aliis ius et facultatem conferendi a dictâ Sede, ut praefertur, habentibus, contra formam praesentis statuti quandocumque dispositum fuerit, ad novam Romani Pontificis pro tempore existentis dispositionem dumtaxat pertinere; ab Ordinariis vero et aliis inferioribus collatoribus, cessantibus reservationibus et affectionibus apostolicis, praeter et contra tenorem huius statuti pro tempore collata, ac etiam ea, quae de iurepotronatus huiusmodi fuerint, devolutioni ad Sedem praedictam immediate eo ipso subiacere, illaque omnia a Sede praedictâ dumtaxat impetrari posse, nec ius ullum ad resignantis seu cedentis[2], etiamsi in possessione etiam diutinâ remanserint, ac resignationes seu cessiones huiusmodi publicatae non fuerint, redire, vel penes eos remanere; ac praesentes (etiam ex eo, quod causae, propter quas emanarunt, coram locorum Ordinariis, etiam tamquam a Sede praedictâ delegatis, vel aliàs quomodolibet, examinatae, verificatae et iustificatae, ipsique Ordinarii et alii inferiores collatores et patroni, nec non quicumque interesse habentes, ad id vocati non fuerint, nec praemissis consenserint, vel alio quocumque praetextu legitimo urgente et iuridico) de subreptionis, obreptionis, vel nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quocumque defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius, vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus eas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari non[1] posse, neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus a nobis vel quibuscumque aliis Romanis Pontificibus et dictâ Sede, etiam motu et potestatis plenitudine similibus, pro tempore emanatis comprehendi, sed semper ab illis exceptas et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et eum statum, in quo erant antea, restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo, etiam sub datâ posteriori, concessas, validasque et efficaces fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri, ac ab omnibus inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos et dictos auditores ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Ceterum, animarum saluti sollicite intenti, venerabiles fratres archiepiscopos Calaguritanum et Turritanum hortamur in Domino, ac etiam illis in

1 Forsan legendum *haberi* (R. T.).

2 Potius lege *ad resignantes seu cedentes* (R.T).

1 Particulam *non* nos addimus (R. T.).

virtute sanctae obedientiae praecipimus, quatenus, pastoralis officii, et ad quod sunt evocati, memores, dissidia, odia et inimicitias huiusmodi, quibus humani generis hostis animarum eorum curae commissarum perniciem molitur, eminentiori animi curâ, ut pios et vigilantes pastores decet, componere, ac civitates ipsas, animis incolarum in Christi charitate coalescentibus, ad pacem et unionem revocare studeant; in hoc uno peculiari paterno affectu toti incumbant; nulli labori, incommodo, molestiae mentis et corporis, quo id consequantur; pareant, praecipue autem ad divinam opem confugientes precibus et sacrificiis Dominum ipsum utrique civitati praedictae propitium reddere et ab eo pacis beneficium impetrare contendant. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiarum, in quibus beneficia huiusmodi fuerint, nec non civitatum et dioecesum praedictarum, ac regni et insulae Sardiniae, in quibus consistunt (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus et quantumvis longo tempore observatis, legibus etiam municipalibus et pragmaticis, ac aliis sanctionibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam super facultate dicta beneficia conferendi, eius[1] ecclesiis, illarumque praesulibus, capitulis, civitatibus, dioecesibus, regno et insulae praedictis, earumque communitatibus, universitatibus, hominibus, incolis, superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, nec non irritantibus et aliis decretis, etiam vim validi et efficacis contractus, seu statuti perpetui, vel legis habentibus et inducentibus, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, Sedemque praedictam, ac nos, etiam motu et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter et aliàs etiam iteratis vicibus in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae, apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXVI septembris MDCVII, pontificatus nostri anno III.

Sed cum maiores inde discordiae fuerint exortae;

§ 2. Cum autem, sicut charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus nobis nuper exponi fecit, ex contentis atque dispositis in praeinsertis litteris, huiusmodi dissidia, rixae, contentiones atque discordiae non solum inp raedictis Turritanâ seu Sassarensi, ac Calaritanâ civitatibus, earumque dioecesibus, verum etiam in totâ Sardiniae insulâ verisimiliter oriri possent, et propterea, ut eis mature obviam eatur, pacique et mutuae inter eiusdem insulae habitatores et incolas concordiae, securius consulatur, idem[1] Philippus rex super praemissis per nos opportune provideri desideret:

Urbanus Pauli litteras revocat.

§ 3. Nos, qui omni cogitatione, omnique curâ in id incumbimus, ut christifideles praesertim ecclesiastici in pacis amoenitate et iustitiae cultu reddant Domino abundantes fructus suos, pio[2] ipsius Philippi regis desiderio, quantum nobis ex alto conceditur, annuere volentes, supplicationibus eiusdem Philippi regis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas Pauli praedecessoris

1 Forsan legendum *eis* vel *ipsis* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *idemque* (R. T.).

2 Eadem habet *pro* (R. T.).

litteras, omniaque et singula in eis quomodolibet contenta et expressa, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo revocamus, cassamus, abrogamus et annullamus, ac viribus et effectu prorsus vacuamus: necnon revocata, cassa, abrogata et annullata, viribusque et effectu vacua perpetuo esse et fore, neque personis in praeinsertis litteris huiusmodi expressis quovis modo suffragari posse, seu debere;

Necessariis additis clausulis.

§ 4. Revocationem vero et cassationem, abrogationem, annullationem, viribusque et effectu evacuationem, de dictis Pauli praedecessoris litteris et in eis quomodolibet contentis et expressis, per nos, ut praefertur, factas, praesentesque litteras perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, neque illas (etiam ex eo quod causae, propter quas emanarint, expressae, verificatae et iustificatae, seu personae huiusmodi, vel alii quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes, ad hoc vocati, citati et auditi non fuerint, neque illis consenserint, vel aliàs ex quocumque capite, praetextu, colore, ingenio, vel causâ) de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quovis defectu notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, in ius vel controversiam vocari, ad viam, seu terminos iuris reduci, aut[1] aliud quodcumque iuris, gratiae vel facti remedium impetrari seu concedi posse; sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac santae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis Apostolicae nuncios, quavis auctoritate fungentes, iudicari et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

1 Subde *contra eas* (R. T.).

§ 5. Non obstantibus praeinsertis litteris huiusmodi, ac dictarum ecclesiarum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Derogatque contrariis.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV februarii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 25 februarii 1625, pontif. anno II.

CXVIII.

Erectio custodiae Bavariae fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia reformatorum, in provinciam Reformatorum Discalceatorum Bavaviae nuncupandam, cum communicatione omnium gratiarum spiritualium et temporalium provinciis Hispaniarum concessarum, ac nonnullis aliis ordinationibus pro bono huius provinciae regimine[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Sacrosanctum apostolatus ministerium humilitati nostrae, licet nullo meritorum suffragio, per ineffabilem divinae sapientiae providentiam commissum postulat, ut inter multiplices, gravissimasque aposto-

Exordium.

1 De istis fratribus vide in Gregor. XV Constitut. XXVI, *Onerosa*, tom. XII, pag. 577; et quae adnotavimus ad Const. XL, *Romanus;* ipsius Urbani VIII ut supra pag. 121.

licae servitutis curas, illam peculiari studio amplectamur, per quam personae sub suavi religionis iugo Salvatoris nostri obsequiis famulantes, felicioribus in dies proficiant incrementis.

Ex causis hic expressis;

§ 1. Dum itaque, sicut accepimus, dilecti filii fratres Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum custodiae Bavariae assiduis verbi Dei praedicationibus, continuâque sacramentorum ecclesiasticorum administratione, necnon aliis spiritualibus exercitiis, uberes in vineâ Domini fructus afferre noscantur:

Custodia Bavariae in provinciam erigitur;

§ 2. Nos, ut fratres praefati in piorum huiusmodi operum exercitio melius perseverare valeant, providere, ac felici illorum statui, quantum cum Domino possumus, peramplius consulere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, custodiam praefatam in provinciam Ordinis eiusdem sancti Francisci Reformatorum Discalceatorum Bavariae nuncupandam [quae reformata, et aliis eorumdem fratrum reformatorum Discalceatorum nuncupatorum provinciis regnorum Hispaniarum conformis, et ad illarum instar esse,

Sub immediatâ dependentiâ a superioribus generalibus Ordinis;

§ 3. Necnon sub omnimodâ[1] ministri generalis dicti Ordinis, ac (eo Italicae nationis, et extra Italiam existente) eius vicarii generalis, necnon etiam commissarii generalis iuxta Bullam unionis electi (non autem commissariorum generalium eorumdem Ordinis et regnorum, nec superioris vel inferioris Germaniae, ita quod minister ac vicarius et commissarius generales praefati, iuxta Bullam huiusmodi electi, illam nonnisi per se ipsos, aut[2] commissarios Ordinis Reformatorum praefatorum visitare valeant) iurisdictione, auctoritate et superioritate,

1 Perperam edit. Main. legit *omnimodo* (R.T.).

2 Forsan legendum *non autem per commissarios*, etc. (R. T.).

Iuxta constitutiones Nicolai III et Clementis V.

§ 4. Cuiusque fratres iuxtâ declarationes felicis recordationis Nicolai III et Clementis V Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, vivere debeant[1],

Provinciali competens concedilur, iurisdictio;

§ 5. Et cum hoc etiam, quod ex nunc minister provincialis provinciae Bavariae huiusmodi omnem iurisdictionem, facultatem et auctoritatem, tam in fratres Ordinis praefati sibi subditos, quam circa novarum domorum eiusdem instituti in eâdem provinciâ fundationem seu erectionem aut aedificationem, nec non etiam circa novitios, aliaque in litteris apostolicis recolendae memoriae Gregorii Papae XIII etiam praedecessoris nostri contenta, prout alii ministri provinciales aliarum provinciarum fratrum eiusdem Ordinis Reformatorum Discalceatorum nuncupatorum, in omnibus et per omnia habeat;

Et privilegia

§ 6. Ac tam ipsi, quam singularum domorum dictae provinciae fratrum Minorum S. Francisci Reformatorum Discalceatorum nuncupatorum Bavariae superiores, necnon singulares eorum, et cuiuslibet illarum personae, omnibus et singulis praerogativis, praeeminentiis, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indultis, concessionibus, favoribus et gratiis spiritualibus et temporalibus, quibus alii huiusmodi ministri provinciales et illarum domorum regularium superiores et singulares personae uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, pariter et pariformiter, ac aeque principaliter, sine ullâ prorsus differentiâ, uti, frui, potiri et gaudere possint, et gaudeant;

Cavetur quominus generalis huius provinciae constitutiones immutare

§ 7. Quodque nunc et pro tempore existens minister generalis praefatus, aut visitatores ab eo etiam pro tempore mittendi, statuta, constitutiones et ordinationes eiusdem provinciae Bavariae, illiusque

1 Nicolai III Const. V in Const. III de verborum significatus, et Clem. V in Clementinus I in eodem titulo (R. T. ex Cherub.).

domorum regularium huiusmodi, nisi de consensu maioris partis fratrum vocalium dictae provinciae Bavariae in eorum capitulis provincialibus praestando, alterare vel immutare, aut eosdem fratres ab eorum modo vivendi, dummodo iuxta easdem declarationes vivant, disturbare,

Vel fratres Observantes possint Reformatos in quaestuis perturbare.

§ 8. Necnon, quod fratres Ordinis eiusdem sancti Francisci de Observantiâ nuncupati, infra limites eiusdem seu alterius provinciae existentes, collectas seu quaesturas ad domos regulares eiusdem provinciae Reformatorum Discalceatorum Bavariae spectantes (exceptis eis a fratribus dictae provinciae Bavariae in dicto eorum capitulo provinciali forsan concedendis) occupare, aut eosdem fratres Reformatos Discalceatos provinciae Bavariae huiusmodi desuper perturbare, nullo unquam tempore possint nec valeant] apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus.

Ministri generalis auctoritas.

§ 9. Et insuper eidem ministro generali, ut ministrum provincialem, custodem, et definitores dictae provinciae Bavariae creare et eligere, ceteraque omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna (etiamsi talia sint vel fuerint, quae magis specialem, specificam, individuam et expressam requirerent mentionem) facere, dicere, ordinare et exequi libere et licite possit et valeat, plenam, liberam et amplam, auctoritate et tenore praemissis [1], concedimus et impartimur licentiam et facultatem; ita tamen, ut fratres provinciae huiusmodi constitutionibus et ordinationibus in capitulo sive congregatione generali factis, quae strictiori observantiae non adversentur, subiaceant, ad illarumque observationem omnino teneantur.

Clausulae.

§ 10. Decernentes provinciam per praesentes erectam et institutam huiusmodi decretis et declarationibus, a nobis et Romanis Pontificibus praedecessoribus et sucessoribus nostris, pro reformationibus et custodiis Italiae, emanatis seu emanandis, nullatenus subiectam et comprehensam esse vel fore, ac provincialem, custodem et definitores, aliosque superiores, ac fratres poovinciae per praesentes erectae et institutae, a quoquam, quavis etiam archiepiscopali, aut episcopali, vel etiam maiori auctoritate fungenti [1], desuper molestari, inquietari, perturbari, aut impediri non posse;

§ 11. Sicque per quoscumque iudices et commissarios ordinarios vel delegatos (sublatâ eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quicquid super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 12. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, atque etiam dicti Ordinis, illiusque provinciarum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem Ordini et provinciis, illiusque et illarum superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die I martii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 1 martii 1625, pontif. anno II.

1 Perperam omnes edit. legunt *auctoritatem;* edit. autem Main. addit *et etiam* (R. T.).

1 Perperam edit. Main. legit *fungentes* (R. T.).

CXIX.

Commissio collectori Portugalliae, ut curet in regnis Portugalliae et Algarbiorum supersederi ab exequutione litterarum Gregorii XV de exemptorum privilegiis circa curam animarum et administrationem sacramentorum monialium monasteria, et praedicationem verbi Dei [1].

Dilecto filio magistro Ioanni Baptistae Dalloto, in utrâque signaturâ nostrâ referendario, iurium et spoliorum camerae nostrae apostolicae in Portugalliae et Algarbiorum regnis debitorum collectori generali,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem.

Recenset Gregorii litteras.

§ 1. Aliàs a felicis recordationis Gregorio Papa XV praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: *Gregorius episcopus*, etc. (Gregorii constitutionem vide in tom. XII, pag. 656).

Sed cum nonnulla e contra a Portugalliae regis ministro fuerint allegata;

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, circa exequutionem litterarum praedictarum in Portugalliae et Algarbiorum regnis faciendam, nonnulla per dilectum filium Michaëlem Suarium Pereira, negociorum regnorum huiusmodi pro carissimo in Christo filio nostro Philippo Portugalliae et Algarbiorum rege catholico in Romanâ curiâ agentem, eiusdem Philippi regis nomine coram dilectis filiis nostris Dominico Ss. Duodecim Apostolorum Gymnasio, Ioanne Garzia Ss. Quatuor Coronatorum Millino, ac Scipione S. Susannae, necnon Antonio S. Onuphrii titulorum presbyteris cardinalibus respective nuncupatis ad id a nobis specialiter deputatis deducta fuerint; idcirco donec deducta, ut praefertur, et quae deducenda fuerint, per Dominicum, Ioannem Garziam, Scipionem et Antonium cardinales praedictos, seu alios a nobis super his deputandos, maturius et plenius videantur atque considerentur;

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Praecipit Urbanus supersederi ab illarum exequutione.

§ 3. Motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut in regnis Portugalliae et Algarbiorum praedictis tantum ad exequutionem [1] praeinsertarum litterarum huiusmodi supersederi, auctoritate nostrâ, cures et facias, donec aliter a nobis seu Romanis Pontificibus successoribus nostris provisum fuerit; contradictores quoslibet et rebelles, ac tibi in hoc non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus praeinsertis litteris huiusmodi, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III martii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 3 martii 1625, pontif. anno II.

CXX.

Indultum Tiniensibus consequendi indulgentiam anni iubilaei in ipsâ Tiniensi insula [2].

Urbanus Papa VIII,

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Salvator noster Dominus Iesus Christus Dei filius, cuius licet immeriti vices in terris gerimus, ad hoc nobis ligandi et solvendi potestatem tradere voluit, ut super eius gregem excubantes illius saluti paterne incumbamus.

Cum Tinenses nequeant hoc anno sancto Romam se conferre;

§ 1. Hinc est quod nos, attendentes populos et personas fideles insulae Tinensis ob magnam distantiam et longinquitatem, aliaque legitima impedimenta, seu

1 Videretur legendum *ab exequutione* (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

aliàs ad hanc almam Urbem nostram pro consequendâ indulgentiâ praesentis anni iubilaei accedere non posse; et propterea ipsarum personarum fidelium in civitate ac dioecesi, ac insulâ praedictis existentium animarum saluti prospicere volentes, precibus quoque venerabilis fratris Nicolai episcopi Tinensis nobis super hoc humiliter porrectis[1] inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotio Propagandae fidei praepositorum consilio, deque Omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus insulae praedictae vere poenitentibus et confessis ut[2] unam seu plures ecclesiam, seu ecclesias vel cappellas aut loca pia per dictum Nicolaum episcopum deputandas per quindecim dies continuos vel interpolatos (quos pro personis infirmis, senibus, praegnantibus, virginibus, viduis et aliis quovis alio legitimo impedimento detentis, ac capitularibus congregationibus tam secularium quam regularium, sodalitatibus, universitatibus, confraternitatibus, ecclesiam seu ecclesias, aut cappellas vel loca pia huiusmodi visitantibus, atque ob alias causas, prout dicto Nicolao episcopo videbitur, ad minorem numerum arbitrio suo reduci, et alibi etiam in terris et locis dictae insulae unam vel plures ecclesias visitandas[3], prout animarum saluti cognoverit expedire, suo arbitrio deputari posse volumus) devote et reverenter visitando, et ibi quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam pro peccatorum suorum remissione[4], ac pro pace inter christianos principes conservandâ, et haeresum extirpatione, sanctaeque matris Ecclesiae exaltatione pie ad Deum orando, plenariam eiusdem anni iubilaei omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem consequantur, perinde ac si dicto iubilaei anno quatuor ecclesias dictae almae Urbis pro consequendo iubilaeo huiusmodi deputatas statutis ad id diebus personaliter visitassent, et aliàs ad hoc requisita adimplevissent,

Iis Pontifex praescripta peragentibus indulgentiam iubilaei elargitur.

§ 2. Et ad effectum huiusmodi, illis, ut confessores, quos idem Nicolaus episcopus iubilaei huiusmodi causâ in statutis ecclesiis nominatis delegerit[1], sibi eligere valeant presbyteros seculares vel cuiusvis Ordinis regulares, qui, confessionibus eorum diligenter auditis, eos et eorum quemlibet a quibusvis peccatis, criminibus, excessibus et delictis, etiam quantumcumque gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis, ac in litteris, quae in die Coenae Domini legi consueverunt, contentis, ac censuris et poenis ecclesiasticis, ad effectum ipsius iubilaei consequendum tantum, iniunctâ eis poenitentia salutari, absolvere possint,

Dat facultatem confessariis absolvendi a casibus reservatis Sedi Apostolicae,

§ 3. Necnon, ut illi, qui forsan Romam venerunt, et iubilaeum ipsum quovis modo consequuti sunt, denuo etiam illud iuxta tenorem praesentium consequi valeant, auctoritate apostolicâ, harum serie, concedimus et indulgemus.

Iisque, qui Romam venerunt, denuo iubilaeum consequendi,

§ 4. Praeterea ipsi Nicolao episcopo, ut cuiusvis Ordinis monialibus, et orphanarum, aliarumque mulierum in communi viventium congregationibus ad iubilaeum intra monasterium, domusve suas consequendum conditiones, modum et tempus praescribere, et denique in praemissis omnibus et singulis arbitrio suo facere, ordinare et providere, et quaecumque sibi visa remedia opportuna adhibere possit, prout animarum saluti expedire iudicaverit, facultatem tribuimus.

Episcopo vero iniuncta opera pro monialibus, etc., commutandi.

§ 5. Praesentibus ad duos menses tantum a die publicationis praesentium, quam

Psaesentibus ad duos menses anno sequenti valituris.

1 Edit. Main. legit *porrecti* (R. T.).
2 Particulam *ut* nos addimus (R. T.).
3 Edit. Main. legit *visitando* (R. T.).
4 Heic deesse videtur *recitando* (R. T.).

1 Forsan legendum *delegarit* (R. T.).

anno proxime sequenti dumtaxat fieri volumus, computandos valituris.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV martii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 4 martii 1625, pontif. anno II.

CXXI.

Facultates provinciae Romandiolae praesidi concessae ad annonam in eâdem provinciâ procurandam [1].

Venerabili fratri archiepiscopo Adrianopolitano, provinciae nostrae Romandiolae et exarcatus Ravennae praesidi,
Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Facultas praesidi visitandi omnia loca et personas,

§ 1. Annonae copiae, quantum cum Domino possumus, ad subditorum nostrorum commodum et levamen consulere volentes, ac de tuâ singulari fide, diligentiâ, integritate et prudentiâ plurimum in Domino confisi, tibi, quem nuper provinciae nostrae Romandiolae et exarcatus Ravennae praesidem apostolicâ auctoritate deputavimus, per te, seu per personas a te deputandas, omnes et quascumque provinciae et exarcatus huiusmodi civitates, terras, oppida et loca, etiam ad quascumque personas tam seculares quam ecclesiasticas, ac cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, etiam hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani regulares, etiam oneroso et quovis alio titulo exemptas, tam ducalis, baronalis, quam cuiusvis alterius dignitatis existentes, etiam cardinalatus honore fungentes, et nostros feudatarios spectantia et pertinentia, etiam nobis et dictae Sedi mediate subiecta, et infra limites tui gubernii huiusmodi existentia, ad effectum infrascriptum visitare, ac quascumque civitatum, terrarum, oppidorum et locorum praedictorum personas supra expressas ad veram et realem granorum, bladorum, leguminum, olei et aliarum rerum ad annonam et grasciam spectantium per eas quomodolibet possessarum notam et descriptionem tibi exhibendum et invitas cogere et compellere, ac frumenta, blada, legumina et alia huiusmodi e locis ad loca iuxta rei et casus exigentiam, prout in Domino videris expedire, transferre, ac ad frumentum, blada, legumina et alia praedicta vendendum similiter cogere et compellere (cum hoc tamen, ut in locis nobis et dictae Sedi mediate, ut praefertur, subditis et exemptis, ac circa personas ecclesiasticas praedictas, tamquam noster et eiusdem Sedis delegatus procedas, teque uti talem procedere semper declares),

Easque cogendi ad exhibendam notam rerum ad annonam et grasciam pertinentium.

Et huiusmodi res de loco ad locum transferendi, vendendi, etc.

§ 2. Insuper quascumque constitutiones apostolicas, necnon edicta, mandata, proclamata et banna generalia, ad favorem annonae et grasciae huiusmodi emanata, observari, necnon quascumque provisiones, ordinationes et alia omnia, quae propterea, ac etiam pro conservatione granorum, bladorum, leguminum, olei et aliarum rerum praedictarum in Statu Ecclesiastico, ac pro beneficio et felici gubernio annonae in civitatibus, terris, oppidis et locis huiusmodi necessaria esse et quomodolibet opportuna duxeris, etiamsi talia sint, quae magis specialem, specificam et expressam requirerent mentionem, cum facultatibus dilecti filii praefecti annonae per nos deputati, facere et ordinare et exequi libere et licite possis et valeas, plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem apostolicâ auctoritate tenore praesentium concedimus et impartimur.

Cum facultatibus, quae annonae praefecto concedi solent.

§ 3. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae, aliisque arbitrii nostri poenis, omnibus et singulis, ad quos quomodolibet spectat, ut quandocumque a te, seu personis a te deputandis huiusmodi, fuerint requisiti, omni et quacumque appellatione et reclamatione remotis, pareant et obe-

Mandatum de parendo.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

diant, ac opportunum favorem et auxilium tibi et illis efficaciter exhibeant et exhibere procurent.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac civitatum, terrarum, oppidorum et locorum, necnon hospitalis praedictorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, personis praedictis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus ad beneplacitum nostrum dumtaxat valituris.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI martii MDCXXV, pontificatus nostri anno II[1].

Dat. die 11 martii 1625, pontif. anno II.

CXXII.

Facultas eidem Romandiolae et exarcatus Ravennae praesidi bannitos absolvendi, etiamsi parti laesae non satisfecerint, dummodo abstineant a loco patrati delicti[2].

Venerabili fratri Ioanni archiepiscopo Adrianopolitano, provinciae nostrae Romandiolae et exarcatus Ravennae praesidi, Urbanus Papa VIII.

Recenset praesidi Romandiolae a se datam facultatem ducatus Urbini et Montis Feretrani possessionem capiendi.

§ 1. Cum nos hodie motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi, ut, casu aperitionis ac devolutionis ad nos et Romanam Ecclesiam, Sedemque et Cameram Apostolicam feudi ducatus Urbini, necnon civitatum Senogalliensis et Pisuarensis, ac Status Montisferetrani, aliorumque dominiorum, civitatum, oppidorum, terrarum, fortalitiorum, propugnaculorum et locorum quorumcumque etiam speciali notâ et expressione dignorum, in et sub Statu dicti ducatus Urbini et Montisferetrani ad praesens quomodolibet comprehensorum, seu per ipsum ducem quomodolibet possessorum, quandocumque et quomodocumque eveniente sive succedente, tu, per te, vel alium, seu alios, secundum rei et casus exigentiam, corporalem, realem et actualem possessionem ducatus, civitatum, dominiorum, oppidorum, terrarum et locorum praedictorum, eorumque territoriorum, districtuum, iurisdictionum, fortalitiorum, sive propugnaculorum, membrorum, pertinentiarum et iurium quorumcumque nostro, Ecclesiae, Sedis et camerae praedictarum nomine, amotis et expulsis inde quibusvis detentoribus, sive occupatoribus, apprehendere et apprehensam retinere, aliaque tunc expressa facere, dicere, gerere et exequi libere et licite posses et valeres, plenam, liberam et ampliam facultatem et auctoritatem concesserimus, prout in nostris in simili formâ Brevis desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur[1]:

Nunc dat quoque facultatem bannitos absolvendi, iniunctis tamen quae hic praescribuntur.

§ 2. Nos, ut praemissa, omniaque et singula in dictis litteris contenta melius et facilius exequutioni demandare valeas, quantum cum Domino possumus, opportune providere volentes, motu, scientiâ, deliberatione, deque potestatis plenitudine paribus, tibi, ut in eventus in eisdem lit-

1 Eaedem facultates eiusdem exempli Brevi concessae hac die fuerunt etiam Diomedi Varesio provinciae Marchiae Anconitanae gubernatori.

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Forsan illae sunt litterae, quas supra innuimus pag. 182 *a* (R. T.).

teris expressos dumtaxat, et non aliàs, bannitos quoscumque, ex quantumvis capitalibus, praeterquam laesae maiestatis, veris, non fictis, et saepius iteratis, aggravatisque criminibus, excessibus et delictis damnatos, Status nostri Ecclesiastici, si poenitentiâ ducti ad te accedere, et in eosdem eventus servitiis Sedis Apostolicae operam navare, et alia illis per te iniungenda exequi voluerint, gratiose absolvere et liberare, eisque gratiam, absolutionem et remissionem in formâ amplissimâ, etiamsi illi pacem ab offensis non habuerint, nec parti laesae satisfecerint (dummodo a loco seu locis commissorum delictorum abstineant, neque ad illa accedant, nisi prius offensis satisfactis, et ab illis pace obtentâ, aliàs gratiae vigore praesentium illis faciendae nullius sint roboris vel momenti) promittere et concedere, ac super bannitorum huiusmodi absolutione, liberatione et remissione publica banna et proclamata in locis necessariis publicare, aliaque omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna, etiamsi talia sint, vel fuerint, quae magis specificam, specialem et expressam requirerent mentionem, facere, dicere, gerere et exequi libere et licite valeas, plenam similiter, liberam et amplam facultatem et auctoritatem, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Contraria tollit. § 3. Non obstantibus felicis recordationis Sixti V, et aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum contra homicidas, bannitos et alios facinorosos quomodolibet editis constitutionibus et ordinationibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sic absoluti debent poenitentiam a confessario iniungendam adimplere. § 4. Volumus autem, ut ii, qui praedictas absolutiones, liberationes et remissiones in vim praesentium obtinuerint, poenitentiam salutarem sibi postmodum per confessarios idoneos a locorum Ordinariis approbatos, quibus plenam super praemissis facultatem concedimus iniungendam adimplere omnino teneantur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI martii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 11 martii 1625, pontif. anno II.

CXXIII.

Concessio similium facultatum Marchiae Anconitanae gubernatori quoad afflictum Montis Marchiani[1].

Dilecto filio magistro Diomedi Varesio, in utrâque signaturâ nostrâ referendario, provinciae nostrae Marchiae Anconitanae gubernatori,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Facti series et concessio de qua in rubricâ. § 1. Cum nos hodie motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi, ut, casu aperitionis ac devolutionis ad nos et Romanam Ecclesiam, Sedemque et cameram Apostolicam feudi ducatus Urbini, nec non civitatum Senogalliensis et Pisaurensis, ac Status Montisferetrani, aliorumque dominiorum, civitatum, oppidorum, terrarum, fortalitiorum, propugnaculorum et locorum quorumcumque, etiam speciali notâ et expressione dignorum, in et sub Statu dicti ducatus Urbini et Montisferetrani ad praesens quomodolibet comprehensorum, seu per ipsum ducem quomodolibet possessorum, quandocumque et quomodocumque eve-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

niente sive succedente, tu, per te, vel alium, seu alios, secundum rei et casus exigentiam, corporalem, realem et actualem possessionem ducatus, civitatum, dominiorum, oppidorum, terrarum et locorum praedictorum, eorumque territoriorum, districtuum, iurisdictionum, fortalitiorum, sive propugnaculorum, membrorum, etc.[1] plenitudine paribus, te in eventus in eisdem litteris expressos dumtaxat, et non aliàs, in et super affictu Montis Marciani, quoad annonam, ac bannitorum absolutionem, liberationem et remissionem, superintendentem cum omnibus et singulis facultatibus, gratiis et indultis tibi per alias nostras in simili formâ Brevis super annonâ et bannitorum praedictorum absolutione, liberatione et remissione hodie expeditas litteras concessis, tenore praesentium, facimus, constituimus et deputamus.

Mandatum de parendo.

§ 2. Mandantes propterea, sub indignationis et aliis arbitrii nostri poenis, dicti loci affictuariis, eorumque officialibus et ministris, ceterisque omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, ut te in superintendentem huiusmodi, iuxta tenorem praesentium, recipiant et recognoscant, tuisque monitis et mandatis salubribus prompte pareant et obediant, alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris, seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus capitulis et conventionibus inter cameram apostolicam, et eiusdem oppidi Montis Marciani, illiusque terris et tenimentis affictuariorum initis, nec non regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo, ac omnibus illis, quae in litteris praedictis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI martii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 11 martii 1625, pontif. anno II.

CXXIV.

Mandat metropolitae Russiae, ut synodum provincialem singulis quadrienniis celebret[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Procemium.

Sacrosanctum apostolatus officium humilitati nostrae per ineffabilem divinae sapientiae providentiam commissum postulat, ut, licet inter gravissimas, multiplicesque apostolicae servitutis curas super universas orbis ecclesias iuxta pastoralis officii debitum invigilemus, illis tamen peculiarem sollicitudinem impendamus, quae non solum in longinquis regionibus constitutae, verum etiam multis catholicae fidei hostium periculis expositae operâ Sedis Apostolicae iugiter noscuntur indigere.

Mandat infra annum concilium provinciale cogi.

§ 1. Hinc est quod nos, felici atque prospero ecclesiarum in provinciâ Ruthenâ seu Ruscâ existentium statui atque gubernio, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotio propagandae in universo mundo fidei praepositorum consilio, venerabili fratri archiepiscopo Kioviensi eiusdem provinciae metropolitae per praesentes committimus et mandamus, ut, infra annum proximum, concilium provinciale episcoporum, eorum scilicet, qui cum Romanâ Ecclesiâ tempore felicis recordationis Clementis Papae VIII praedecessoris nostri uniti sunt, iuxta praescriptum sacrorum canonum necnon generalium conciliorum, convocet atque celebret.

1 Reliqua prout in constitutione praecedenti.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Illudque singulis quadriennii celebrari.

§ 2. Insuper, quod finito concilio provinciali, infra annum, ut praefertur, convocando et celebrando, ex tunc de cetero perpetuis futuris temporibus singulo quoque quadriennio simile concilium provinciale non minus unius hebdomadae spatio duraturum modo et formâ praemissis convocari et celebrari omnino debeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo statuimus et ordinamus.

Datâ metropolitae facultate episcopos ad id compellendi.

§ 3. Dantes plenam et amplam facultatem et auctoritatem eidem archiepiscopo nunc et pro tempore existenti tempus et locum celebrationis conciliorum huiusmodi praefigendi et assignandi, ac poenas sibi benevisas episcopis legitime non impeditis ad concilia huiusmodi non venientibus, et, qui venerint, ante finem celebrationis conciliorum huiusmodi praefigendum absque eiusdem archiepiscopi licentiâ recedentibus, imponendi et infligendi.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, praesentes litteras validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII martii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 12 martii 1625, pontif. an. II.

CXXV.

Pisano archiepiscopo committit, ut curet archiepiscopum Mithilenarum a Graecis Liburni commorantibus recipi atque audiri [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Venerabili fratri Iuliano, archiepiscopo Pisano, Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Archiepiscopum Mithilenarum deputat in visitatorem Graecorum Liburni commorantium.

§ 1. Cum nos nuper ad regimen et salutem animarum christifidelium Graecorum in oppido Liburni tuae Pisanae dioecesis commorantium venerabilem fratrem Gabrielem archiepiscopum Mithilenarum, cuius integritas, fides et prudentia fide dignorum testimoniis apud nos comprobatur, apostolicâ auctoritate deputaverimus:

Mandat archiepiscopo Pisano, ut curet a Graecis recipi.

§ 2. Nos, cupientes, ut christifideles praedicti eumdem Gabrielem archiepiscopum in animarum suarum patrem recipiant et pastorem, doctrinamque eius audiant et sequantur, ac se ab eo doceri et in viâ salutis dirigi permittant, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut apud eosdem Graecos efficaciter cures, quod ipsi salubribus eiusdem Gabrielis archiepiscopi monitis et mandatis pareant et obediant: alioquin sententiam, sive poenam, quam idem Gabriel archiepiscopus contra inobedientes rite tulerit, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV martii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 15 martii 1625, pontif. anno II.

CXXVI.

Confirmatio quorumdam statutorum ecclesiae metropolitanae Eborensis de probationibus super puritate sanguinis ab iis faciendis, qui ad dignitates, aliaque beneficia eiusdem ecclesiae promoventur [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Sacrosanctum apostolatus officium humilitati nostrae per ineffabilem divinae sapientiae providentiam commissum postulat, ut, ad felicem atque prosperum ecclesiarum quarumlibet praesertim cathedralium statum, directionemque iugiter intendentes, ea, quae propterea facta fuisse dicuntur, ut firma perpetuo et illibata persistant, libenter cum a nobis petitur, apostolicae confirmationis patrocinio muniamus.

Archiepiscopus Eborensis statuta nonnulla edit.

§ 1. Nuper siquidem, pro parte charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici exposito, quod venerabilis frater Iosephus archiepiscopus Eborensis, ad maiorem ecclesiae Eborensis decorem, divinique in eâ cultus augmentum, nonnulla statuta et ordinationes ediderat,

Quae Pontifex Congregationi Concilii examinanda tradit.

§ 2. Nos statuta et ordinationes huiusmodi a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus sacri Concilii Tridentini interpretibus revideri et recognosci iussimus. Qui quidem cardinales in vim mandati nostri huiusmodi statuta et ordinationes in hunc, qui sequitur, modum redegerunt, videlicet:

Tenor huiusmodi statutorum.

D. Iosephus a Mello, Dei et Apostolicae Sedis gratiâ metropolitanus archiepiscopus Eborensis, notum facimus omnibus et singulis has nostras statuti, sub spe beneplaciti SS. D. N. Papae, sanctaeque Sedis Apostolicae, litteras visuris, lecturis et audituris: quod, cum videremus, nostram ecclesiam Eborensem esse unam ex metropolitanis regni Portugalliae et inter illas insignem, tum ob antiquitatem, reddituumque ubertatem, quibus ceteras praefati regni ecclesias antecedit, tum quia semper, et saltem ut plurimum, solita fuit gubernari per praesules regiae stirpis, eique semper inservierunt dignitates et canonici sanguinis claritate et litteris praestantes, ex quibus multi ad dignitatis episcopalis gradum assumuntur; et eam notabile damnum passuram in suâ auctoritate et servitio, si ad illius dignitates, canonicatus, beneficia et officia admittantur personae ex hebraeorum sanguine descendentes, aut quae aliquâ maculâ huiusmodi, licet parvâ, per viam paternam seu maternam sint infectae, cum experientiâ doceat, huiusmodi hominum naturam esse turbolentam, et in ministerio Ecclesiae valde nocivam, et merito timeatur huiusmodi personarum incarceratio propter crimen apostasiae, et errorum in fide, ut saepius contigit tempore praeterito, et passim tempore praesenti contingit, quod verget in notabile damnum nostrae ecclesiae, et dedecus et opprobrium tam illius, quam personarum illi inservientium; volentesque, quantum in Domino possumus et pro officii nostri debito tenemur, his inconvenientibus et scandalis probabiliter eventuris occurrere, ut praefata nostra ecclesia perpetuis futuris temporibus honorifice veneretur, et auctoritatem tam multipliciter comparatam conservare possit; egimus non semel, sed iterum atque iterum saepius cum decano et capitulo dictae ecclesiae de condendo statuto, quo caveretur, ne persona aliqua praefatâ labe laborans ad beneficium aliquod, aut officium seu ministerium dictae ecclesiae admitteretur: cumque super formâ et clausulis statuti convenire non possemus, ut ad concordandum nobiscum praefatum decanum et capitulum adduceremus, ei multa et diversa media proposuimus, et procuravimus statutum ecclesiae Toletanae et aliud ecclesiae Colimbriensis, ut, huiusmodi statutis adhaerentes, aliud ad praefatam ecclesiam nostram conficeremus: quod tamen praefato decano et capitulo persuadere non potuimus: et aliquoties propter discordes illius opiniones a nostris, aliquoties etiam propter nimiam dilationem ex parte ipsius capituli pro-

curatam, huiusmodi negotii exequutio tamdiu impedita fuit, ut ad desperationem conficiendi negotii veniremus. Quare nos, desiderantes, ne huiusmodi discordiis et dilationibus tam utile, necessarium et honestum statutum, cum damno nostrae ecclesiae, differretur, ut[1] illud facere decrevimus; maturâque praecedente deliberatione, et sub spe beneplaciti SS. D. N. Papae et sanctae Sedis Apostolicae, ad divini cultus augmentum et ad nostrae ecclesiae Eborensis venustatem et honorem (statutis Toletanae et maxime Colimbriensis ecclesiarum adhaerentes, mutatis et additis, quae censuimus aptiora ad finem praetensum et ad meliorem statuti observantiam et exequutionem) in nomine Domini nostri Iesu Christi condimus, facimus et ordinamus statutum pro dictâ nostrâ ecclesiâ tenoris sequentis:

De iis qui excludendi sunt a capitulo.

Quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus nulla dignitas, canonicatus et praebenda, aut semipraebenda, seu quartanaria, aut alia quaecumque beneficia hactenus in dictâ nostrâ ecclesiâ Eborensi erecta et instituta, seu in posterum erigenda et instituenda, per cessum, etiam ex causâ permutationis, vel per decessum, aut aliam quamvis amissionem vel dimissionem praefata beneficia pro tempore obtinentium, aut aliàs quovis modo vacantia, neque etiam per viam coadiutoriae, quibusvis clericis ex hebraeorum[2], vel eorum, qui ex paternâ lineâ usque ad infinitum vel ex maternâ usque ad septimum gradum inclusive eam infamiae notam contraxerint, aut aliquo quocumque modo personis simili labe infectis, vel etiam laborantibus, ut supra, sanguine coniuncti fuerint, conferri possint: idemque censendum fore de dignitatibus, canonicatibus et praebendis magistralibus et doctoralibus, et de aliis quibuscumque beneficiis in eâdem nostrâ ecclesiâ existentibus, etiam ex indultis apostolicis universitati studii generalis Colimbriensis, seu regiae illius academiae, aut eiusdem doctoribus et professoribus affectis, vel aliàs debitis, statuimus.

Litterae provisionis archiepiscopo exhibendae.

Quod ad[1] lites, controversias et dubia, quae desuper pro tempore dari possunt, statuimus, ut qui aliquo modo aliquam ex dignitatibus, canonicatibus, praebendis, semipraebendis, quartanariis, ceterisque omnibus beneficiis hactenus in dictâ nostrâ ecclesiâ Eborensis erectis et institutis, aut deinceps instituendis et erigendis in eâ, etiamsi sint universitati et academiae huiusmodi affecta, sibi quavis auctoritate conferri obtinuerit, antequam illius possessionem per se vel procuratorem suum assequatur et apprehendat, litteras super collatione et provisione huiusmodi, sibi expeditas iuxta formam antiqui dictae ecclesiae nostrae statuti, ex vi praesentis statuti praesentare teneatur archiepiscopo Eborensi qui pro tempore fuerit, ut praefatas litteras examinari, et iuxta huius statuti formam de huiusmodi proviso, seu praesentato, et sui sanguinis puritate faciat inquiri; quod tamen non habebit locum in inquisitoribus deputatis et ceteris ministris S. Officii inquisitionis, qui aliquando fuerunt, sunt vel pro tempore erunt, quia ii ad praedictarum dignitatum, canonicatuum, praebendarum, semipraebendarum, quartanariarum, ceterorumque beneficiorum possessionem admittentur, absque ullâ super puritate sanguinis informatione faciendâ.

Iuramentum ab admittendis praestandum.

Quod omnes et singuli, qui ad huiusmodi beneficia admittendi erunt, prius iuramentum praestent in capitulo capitulariter congregato de huiusmodi statuto observando, et de illius derogatione, et iuramenti praedicti relaxatione, seu remis-

1 Partic. *ut* redundare videtur (R. T.).

2 Aliquid deest, *stirpe*, aut simile (R. T.).

1 Forsan legendum *quoad* (R. T.).

sione, vel absolutione ullo[1] unquam tempore ab archiepiscopo, et capitulo, aut etiam a Romano Pontifice pro tempore existente, seu a Sede Apostolicâ, sive a quovis alio praelato, aut aliâ quacumque personâ non petendis, neque obtinendis, neque utendo obtentis, vel impetratis, vel motu proprio sibi concessis, nec ante huiusmodi iuramenti praestationem, et actum confectum de illo in libro capituli ad hunc effectum conficiendo, et per provisum subscriptum, in beneficii possessionem mittatur, seu inducatur, nec mitti, aut induci possit.

Quod si quis in possessionem alicuius ex praedictis dictae nostrae ecclesiae beneficiis absque iuramenti huiusmodi receptione admissus fuerit, vel ei possessio beneficii quomodocumque tradita fuerit, possessionis huiusmodi actus eo ipso nullus, nulliusque vigoris seu roboris existat, et huiusmodi possidens non possessor, sed intrusus censeatur in iudicio et extra.

Forma in probationibus super puritate sanguinis faciendis servanda.

Quod archiepiscopus pro tempore existens, ubi primum sibi ab aliquo proviso, seu praesentato, seu eius procuratore praesentatae fuerint litterae provisionis, seu collationis, aut praesentationis, statim deputet duos canonicos praefati capituli, et unum ex notariis approbatis curiae Eborensis, ut examinent testes super qualitate generis provisi seu praesentati petentis beneficii possessionem: qui quidem canonici et notarii careant omnino sanguinis impuritate, nec aliquo modo ex praefatorum hebraeorum sanguine descendant, et qui deputati fuerint ad faciendam informationem, nullo modo se poterunt eximere ab illâ faciendâ, poteritque archiepiscopus illos et illorum quemlibet parere recusantes cogere per censuras et poenas pecuniarias, seu fructuum suorum beneficiorum subtractionem.

Quod si informatio facienda sit extra urbem et eius territorium, in tali casu, ut sumptibus provisi seu praesentati parcatur, diriget archiepiscopus litteras commissionis ad vicarium loci, in quo informatio facienda erit, ut examinet testes, et scribat informationem, dictaque testium scribat scriba ipsius vicarii, dummodo uterque, ut supradictum est, nullam praefati impuri sanguinis maculam habeat, quo casu alter loco inhabilis sufficietur per archiepiscopum, et praefati commissarii, tam deputati ex gremio capituli, quam vicarii, in faciendâ informatione servabunt formam traditam ab archiepiscopo, nullusque testis admittetur a proviso seu praesentato productus, aut qui aliàs non sit idoneus.

Quod facta informatio in formâ supradictâ tradetur archiepiscopo per illum examinanda, eâque examinatâ, per decretum suum in scriptis declarabit provisum seu praesentatum habilem ad beneficium, eique dandam et debere dari beneficii possessionem: et cum tali decreto per ipsum archiepiscopum subscripto provisus iam qualificatus capitulum adibit, et petet beneficii possessionem, et in eam a capitulo mittetur in vim et exequutionem praefati decreti, et absque illo modo nullo in possessionem mittetur: et si absque huiusmodi decreto, vel absque praestatione iuramenti, de quo supra fit mentio in tertio capitulo huius statuti, possessionem apprehenderit, et ad illam admittatur, talis actus et possessio nullius sit roboris et momenti, et intrusus in iudicio et extra habeatur, et fructus non faciat suos, neque illi de illis ullo modo respondeatur, careatque talis intrusus omni actione repetendi restitutionem, nec se spoliatus dicere possit, nec ei restitutionis de iure debitae spoliato actio competat; decretum tamen seu declaratio super sanguinis puritate fieri debeat infra sex menses a die praesentationis litterarum inchoandos, qui-

1 Edit. Main. legit *nullo* (R. T.).

bus ante huiusmodi declarationem elapsis, obiectio impuritatis sanguinis minime obstet proviso, quominus debeat in possessionem immitti.

De fructibus beneficii vacantis.

Quod fructus, redditus, proventus, emolumenta, et distributiones, etiam quotidianae, spectantes et spectantia ad beneficii possessionem petentis[1], a die, quo titulus collationis, provisionis, seu praesentationis archiepiscopo praesentatus fuerit per ipsum provisum, aut praesentatum, seu eius procuratorem, et ipse, vel eius procurator petierit, ut informatio fiat, deponantur apud personam, seu personas, in quarum potestate tuto asserventur, ut proviso, seu praesentato post praestitum praefatum iuramentum, apprehensamque possessionem beneficii ex decreto per archiepiscopum ferendo super informatione, omnes tradantur tamquam si praesens esset in ecclesiâ et in choro, dummodo a praefato praesentationis die instet pro faciendâ informatione per se, vel per suum procuratorem, et per illum non stet, et sit praesens in urbe Eborensi.

Quod, non obstante quacumque habilitatione, si quis ex capitularibus, aut aliis quibuscumque beneficiatis nostrae ecclesiae praefatae contra possessionem sic iam apprehensam aliquod impedimentum ex supradictis opponere voluerit, ad id admittatur: hac tamen conditione, quod si non probaverit appositum impedimentum, et appositum malitiose fuisse constiterit, graviter et acerbe puniatur opponens, et voce activâ et passivâ perpetuo privatus existat.

Quod si in admissione alicuius dignitatis, canonici, praebendati, semipraebendati, alteriusve beneficiati, quicumque ille sit, secretarius capituli, aut canonicus eiusdem ab eodem capitulo ad id deputatus, nomine archiepiscopi et capituli coram possessionem petente, vel eius procuratore, antequam ad possessionem admittatur, protestetur, quod[1] si in posterum ullo unquam tempore compertum fuerit, aut aliâs iuridice constiterit ad possessionem huiusmodi admitti petentem aliquo ex supradictis impedimentis esse infectum, provisio sibi facta cum litteris desuper expeditis, et inde sequuta huiusmodi possessio ab ipsâ possessionis die, etiamsi postmodum triennalis vel maioris temporis possessor efficiatur, nullius roboris et momenti existat, ac dignitas, canonicatus, et praebenda, aut semipraebenda, quartanaria, et quodcumque aliud beneficium in praefatâ nostrâ ecclesiâ iam fundatum, erectum et institutum, aut in posterum in eâ fundandum, erigendum et instituendum, per talem obtentum, vacet eo ipso, ita ut de illo per Romanum Pontificem alteri idoneo et qualificato conferri possit, ipseque possessor omnes et singulos fructus, redditus, proventus et distributiones quotidianas, aliaque emolumenta per eum percepta, tamquam intrusus, et canonico titulo carens, restituere et rependere teneatur, actusque huiusmodi protestationis conficietur, et a praesentibus et petente huiusmodi ad possessionem admitti aut eius procuratore subscribetur, illiusque etiam observantia ab eo iurari debet.

De informationibus et testibus.

Quod archiepiscopus curabit, ut officia reliqua praefatae nostrae ecclesiae provideantur solum personis praefatâ sanguinis labe carentibus, nullusque etiam ad ministerium ecclesiae, et eius sacristiae, aut chori admittatur, qui dictâ labe laboret. Circa huiusmodi autem officialium et ministrorum qualificationem fient informationes, antequam in possessionem officiorum seu ministeriorum mittantur, prout archiepiscopo magis expedire videbitur. Quod si post adeptam possessionem deprehensum iuridice fuerit, aliquem ex admissis a praefatâ hebraeorum stirpe descendere, eo ipso provisio quaelibet talis

1 Edit. Main. legit *petentes* (R. T.).

1 Vox ista *quod* redundare videtur (R. T.).

officii seu ministerii et possessio inde sequuta nullius sint roboris et momenti, et eo ipso talis provisus et possidens privatus censeatur, et tale officium seu ministerium alteri committatur et provideatur tanquam vacans, nec qui provisionem et possessionem obtinuerat, possit se dicere spoliatum, nec actio de iure competens spoliatis ei ullo modo suffragetur.

Quod tam archiepiscopus, quam eius commissarii per ipsum nominati ad faciendas informationes (si SS. D. N. Papae, sanctaeque Sedi Apostolicae placuerit) habeant omnem iurisdictionem necessariam, quando, quoties, et ubi opus fuerit, ut possint cogere et compellere testes ad ferendum testimonium et eos ad id vocare, et facere omnia ad hoc negocium necessaria, et super eo procedere per censuras, poenas pecuniarias, et per alia iuris et facti remedia.

De obtinendâ Papae confirmatione.

Quod supplicetur a SS. D. N. Papa, et a sanctâ Sede Apostolicâ, ut, non obstante defectu consensus capituli, illum sine causâ iustâ multoties denegantis et differentis, huiusmodi statutum, prout in illo continetur, dignetur approbare, confirmare, eique robur firmitatis apostolicae adiicere cum clausulis necessariis et opportunis ad illius plenam observantiam et exequutionem. Quae omnia nos praefatus D. Iosephus a Mello archiepiscopus Eborensis statuimus et ordinamus, ut perpetuis futuris temporibus observentur in nostrâ ecclesiâ per nos et per archiepiscopos Eborenses pro tempore existentes et dictae ecclesiae capitulares, sub spe tamen beneplaciti SS. D. N. Papae, sanctaeque Sedis Apostolicae, et approbationis et confirmationis ab eo et eâ concedendae; quod beneplacitum et approbationem et confirmationem suppliciter et humillime petimus. Datum Madriti sub nostri nominis subscriptione, sigillique nostri impressione, trigesimo die mensis augusti anno a Nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCXXIII. Antonius Gometius, noster secretarius scribi fecit hoc statutum, et subscripsit. Iosephus archiepiscopus Eborensis.

Huiusmodi statuta confirmari rex petit.

§ 3. Cum autem dictus Philippus rex, pro maiori statutorum et ordinationum huiusmodi firmitate, illa a nobis approbari et confirmari summopere desideret:

Confirmat Urbanus.

§ 4. Nos, pio eiusdem Philippi regis desiderio, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, praeinserta statuta et ordinationes, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulas apponit.

§ 5. Decernentes statuta et ordinationes, praesentesque litteras semper et perpetuo valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, quos illa quomodolibet concernunt et concernere possunt in futurum, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae ecclesiae Eborensis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene

et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX martii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20 martii 1625, pontif. anno II.

CXXVII.

Ex voto Congregationis Concilii declaratur, in translationibus episcoporum, ecclesiae vacationem ab eâ die esse computandam, qua episcopus ab eius vinculo absolvitur in consistorio [1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Causae ferendi decreti.

§ 1. Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum cleri Hispaniarum expositum fuit, quod, occurrentibus in illis regnis ecclesiarum cathedralium per dimissionem sive translationem vacationibus, eas non induci praetenditur, quousque episcopus translatus ecclesiae noviter obtentae, ac successor dimittentis ecclesiae dimissae possessionem adepti non fuerint: ideoque tam ipsos episcopos quam eorum vicarios interim ordinariam iurisdictionem retinere, eoque [2] sub praetextu, quod, cum translationes et dimissiones huiusmodi de translatorum et dimittentium consensu fiant, non intelligatur ecclesia dimissa, neque episcopus ab illius vinculo absolutus, quousque de huiusmodi consensu non constiterit; de quo minime constare potest, cum a tergo litterarum apostolicarum non adnotetur, prout fieri solet in expeditionibus beneficiorum inferiorum, quae fiunt per concessum, nec de illo fit adnotatio particularis, de qua secretarii consistorialis attestatio haberi queat; unde oritur, quod iurisdictio penes episcopum translatum seu dimittentem esse videatur, quousque de tali consensu appareat per aliquem actum positivum subsequentem, qui nonnisi ex captâ possessione vigore litterarum apostolicarum huiusmodi resultare poterit.

Decretum, de quo in rubrica.

§ 2. Nos, inconvenientibus et litium anfractibus, qui ex praemissis oriri possunt, quantum cum Domino possumus, obviare, ac clerum huiusmodi specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et singulares illius personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium Concilii Tridentini interpretum, quibus negotium huiusmodi mature ac diligenter examinandum et nobis referendum commisimus, consilio, ecclesiam, a qua episcopus de suo consensu transferetur, ab eo tempore vacare [1], quo idem episcopus ab illius vinculo in nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis consistorio absolvitur, etiam ante expeditionem litterarum apostolicarum, vel ad [2] praedictam secundae ecclesiae possessionem, posteaque vero ex testimonio, seu documento secretarii sacri collegii, vel alio modo huiusmodi absolutionis notitiam episcopus translatus habuerit, illico eum ab exercitio ordinariae iurisdictionis abstinere debere, eamque in capitulum transire, ita ut statim capitulum eâdem iurisdictione uti, sedem vacantem publicare, atque officialem seu vicarium ad dicti concilii praescriptum constituere possit et debeat;

1 Ex Regest. in Secret. Brev.
2 Potius legendum *eo* (R. T.).

1 Subintellige *decernimus*, ut in fine § 3 (R.T.).
2 Aptius lege *ante* (R. T.).

Clausulae.

§ 3. Praesentes quoque litteras perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, necnon clero praedicto in omnibus et per omnia suffragari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis Apostolicae nuncios, quavis auctoritate fungentes, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus et declaramus.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum huiusmodi (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX martii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20 martii 1625, pontif. an. II.

CXXVIII.

Adhortatio ad patriarchas, archiepiscopos et episcopos, ut ipsi et christifideles omnes, bonis operibus muniti, Deum pro pace et concordiâ inter christianos principes inducendâ, et christiani populi incolumitate assequendâ efficacibus precibus exorent.

Urbanus Papa VIII,
Venerabiles fratres,
salutem et apostolicam benedictionem.

Bellorum tumultus per Europam.

§ 1. Tonitrua ultionis Omnipotentis exterrent Europam, et furente discordiarum turbine concutiuntur fundamenta orbis terrarum. Consurgunt principes indignantes de soliis suis, et nationes ardentes odio sitiunt sanguinem et ad arma properant. Armata haeresis, existimans abscondi non posse acceptarum cladium ignominiam nisi in templorum incendiis, non patitur in Germaniâ conquiescere religionem, quamvis clarissimis viris triumphantem; quinimmo ostentans faces exitiales, et remota accersens auxilia, tempestates saevientis oceani Romano [1] Imperio minitatur. Belgium diuturnis bellis vexatum, ut intestina dissidia coërceat, non potest propria viscera non laniare, eorumque populorum internecionem, quos vellet paterno patrocinio tueri, cogitur appellare victoriam.

Ac per Italiam deplorat.

§ 2. Haec regio pacis et religionis arx Italia, quae exterarum provinciarum calamitates misericors spectatrix lamentabatur, fit hac tempestate campus seditionum, et ea bellorum incendia in Valtellinâ, finitimisque regionibus timet excitari, quae nonnisi gentium sanguis et principatuum casus extinguat.

Unde periculum est, ne haeresis diffundatur.

§ 3. Periculum autem est, ne, hac arreptâ occasione, pestiferum haeresum virus latius se diffundat, et animorum sanitatem corrumpat contagione impietatis. Quocumque enim animo bellum inter christianos principes geratur, non potest tantâ moderatione administrari, quin plerumque triumphos sceleri ferat, et naufragia religioni. Iam vero audaces illae haereticorum minitantium voces audiri sine lachrymis non possunt, qui impiam causam defendere se posse gloriantur frameâ Dei nostri, idest, potentiâ principum catholicorum. Neque solum haec aestimanda sunt

1 Edit. Main. legit *Romani* (R. T.).

damna, quia regionibus vastitatem et animis perniciem parant, sed quia beatissimos triumphos creduntur adimere hoc tempore christianitati.

Pontifex in dolore positus paratum se pro Dei gloria vitam effundere profitetur.

§ 4. Haec tam vasta et tam minax humanarum miseriarum scena quodnam lachrymantibus oculis Pontificiae charitatis spectaculum praebeat, facile coniicere potestis, venerabiles fratres. Tamen neque animum despondemus, qui scimus, Dominum aliquando in tempestate et turbine delitescere; neque inanibus querimoniis tempus ducimus, qui lamenta viribus destituta putamus haberi potius solatia pereuntium, quam periclitantium auxilia. Accenditur velut ignis zelus noster, et, si noster sanguis fortiter fusus opportuna est medicina aegrotanti reipublicae, gaudentes in proprio damno salute filiorum, vitam ipsam pro Dei gloriâ devovemus. Omnipotentem cordium scrutatorem testamur, nos Caesarum triumphis anteferre eas Pontificum aerumnas, qui digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati, et divinum pastorem imitantes, animam suam posuerunt pro ovibus suis.

Omnemque adhibere curam ad pacem conciliandam.

§ 5. Cum autem non videatur eiusmodi holocaustis hoc tempore delectari pontifex sempiternus, ea consilia dies noctesque meditamur, quae habeantur arma lucis ad profligandum patrem discordiarum. Armamus quidem ecclesiasticas legiones, ne opus Dei facere negligenter arguamur; at enim eodem tempore nullum praetermittimus officium, quo possit conciliari concordia regum et leniri furor armorum.

Hac de causâ cardinalem Barberinum ad principes legavit.

§ 6. Tandem, postquam accuratissimis precibus flagitavimus pacem Numinis dissipantis gentes quae bella volunt, decrevimus id remedium adhibere, quod in consimili rerum discrimine non semel peperit incolumitatem orbi christiano. Ergo nuper, approbante apostolico senatu, declaravimus Ecclesiae universae pastoralem sollicitudinem cardinalitiâ legatione. Selegimus vero Franciscum cardinalem Barberinum fratris nostri filium. Creditur pontificia consanguinitas non levem actori publicae causae adiungere auctoritatem: porro autem allegantes eum, quem natura nobis voluit esse charissimum, videmur luculentius paternum affectum testari generi humano. Nunquam certe nos ei gravissimum hoc terrarum tumultuantium negotium mandaremus, nisi exploratum nobis foret, eam illi mentem inesse, ut gloriam Dei et populorum salutem existimet verum ecclesiasticorum principum thesaurum ac triumphum. Nunc autem ille ad potentissimos reges proficiscitur, curaturus, ut exoptatâ christianae reipublicae concordiâ laetificet moerentem Ecclesiam, et propugnacula communiat publicae incolumitatis.

Hortaturque episcopos omnes, ut pacem a Deo petant.

§ 7. Timidae sunt cogitationes hominum, et consilia mortalitatis non raro ludibria existunt, nisi pater luminum cordibus nostris infundat Spiritum sapientiae et fortitudinis. Quare, venerabiles fratres, in partem sollicitudinum nostrarum vocati, congregate hoc tempore populos, et quasi tubae exaltate vocem vestram. Currat christiana plebs ad arma iustitiae, muniatur sacco et cilicio, quibus lorica salutis conficitur, et distringens gladium ancipitem orationibus conflatum, profliget legiones inferni, ut potentium Ninivitarum gemitus imitata leniat iram Dei furore suo terras arguentis. Tum autem eum orate, ut det verba sua in ore apostolici legati, ne pax, quae Christi in caelum redeuntis testamentum fuit et haereditas, a filiis discordiarum temere dissipetur. Turris fortissima nomen Domini: ad hanc confugiant iusti, et fides, quae montes transferre et maria potest perambulare, sentiet, montes Sion esse in civitate mysticae Hierusalem, et Dominum potentem in praelio excubare in circuitu populi sui. Omnipotens princeps pacis, qui arcum conteris et confringis arma impiorum, in manu tuâ sunt corda

dominantium, et sub te curvantur, qui portant orbem: emitte e thesauris misericordiae sempiternae spiritum charitatis, qui christianorum principum voluntates conciliet: effice, ut, foederatis potentium viribus atque animis, in hac altissimâ terrarum speculâ canere quamcitissime possimus[1] classicum caeli, atque uti tanto armorum apparatu ad regnum Dei propagandum plaudente concilio iustorum et triumphante fide orthodoxâ. Iustissimi huius voti spem et fiduciam praebere potest Omnipotens fidelium precibus exoratus, venerabiles fratres, a quibus pium hoc solatium expectamus: vobisque apostolicam benedictionem peramanter impartimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV martii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 25 martii 1625, pontif. an. II.

CXXIX.

Declaratio, quod regnum Portugalliae in legatione Hispaniarum comprehendatur[2].

Dilecto filio nostro Francisco S. Agathae diacono cardinali Barberino nuncupato, nostro secundum carnem ex fratre germano nepoti, ad charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum regem catholicum nostro et Apostolicae Sedis de latere legato,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem.

Urbanus cardinalem Barberinum Hispaniae legatum deputaverat.

§ 1. Cum nos nuper te ad charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum regem catholicum, ac universa Hispaniarum regna, illarumque provincias, dominia, civitates, oppida, terras et loca eidem Philippo regi subiecta et dictis regnis adiacentia, et ad quoscumque etiam christianos principes, ceteraque alia loca, ad quae te declinare contigisset, nostrum et Apostolicae Sedis de latere legatum destinaverimus; tibique, ut regnorum ac personarum et locorum eorumdem saluti et statui operâ tuâ consuleretur, certas tunc expressas facultates concesserimus, prout in diversis nostris, tam sub plumbo, quam in simili formâ Brevis, desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur;

Nunc declarat, mentem suam fuisse sub hac legatione Portugalliae quoque regnum comprehendere.

§ 2. Cum autem a nonnullis forsan dubitari posset, an in praedictis Hispaniarum regnis et dominiis, ipsi Philippo regi subiectis, Portugalliae et Algarbiorum regna comprehenderimus, teque ad illa et eorum populos nostrum et eiusdem Sedis de latere legatum huiusmodi, ut praefertur, destinaverimus: nos, ut omnis in et super praemissis dubitandi, sive aliàs quomodolibet haesitandi materia e medio tollatur, opportune providere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ nostris, tenore praesentium, declaramus, et in verbo Romani Pontificis attestamur, mentis et voluntatis nostrae fuisse et esse, in praedictis Hispaniarum regnis et dominiis Portugalliae et Algarbiorum regna huiusmodi comprehendere et comprehendisse, teque ad illa et eorum populum universum, cum omnibus et singulis facultatibus praedictis, nostrum et eiusdem Sedis de latere legatum destinare et destinasse, ut praefertur.

Peculiaresque ad id eidem concedit facultates, pensiones reservandi et beneficia ecclesiastica conferendi.

§ 3. Praeterea, quo in delato tibi per nos legationis huiusmodi munere erga eiusdem Sedis devotos et fideles, tam in Portugalliae, quam Hispaniarum regnis, illorumque provinciis, dominiis et aliis locis praedictis consistentes, te gratiosum et benignum uberius exhibere valeas, circumspectioni tuae, ultra facultates tibi per nos, ut supra, concessas, ut super quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, tam secularium quam cuiusvis Ordinis regularium, et aliàs quomodolibet

1 Verbum *possimus* addimus ex Cherub. (R.T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

qualificatorum, de quibus tamen iuxta litterarum nostrarum praedictarum tenorem disponere potes, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis universis, tam certis quam incertis, ac etiam distributionibus quotidianis, quascumque pensiones annuas, non tamen medietatem fructuum, reddituum et proventuum huiusmodi excedentes (seu eosdem fructus, redditus et proventus usque ad dictam medietatem loco pensionum earumdem) quibusvis personis tibi benevisis, etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica, cum curâ et sine curâ, et aliàs quomodolibet qualificata, etiam ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis, in titulum, commendam, administrationem, aut aliàs quomodolibet obtinentibus, et expectantibus, aliisque clericali saltem charactere insignitis et aliàs pensionum huiusmodi capacibus, eis, quoad vixerint, vel eorum legitimis procuratoribus, per beneficia ipsa pro tempore quomodolibet obtinentes annis singulis, ac in locis et terminis, ac sub privationis, aliisque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, necnon vinculis, clausulis et cautelis in litteris reservationum pensionum huiusmodi apponi solitis, persolvendas, de consensu tamen illorum, qui pensiones ipsas pro tempore solvere debebunt, auctoritate nostrâ reservare, constituere et assignare[1]; necnon in provisionibus, seu commendis, per te in vim dictarum facultatum faciendis cum eisdem personis, ut quaecumque duo dissimilia, vel simplicia similia, si invicem tamen compatientia, beneficia ecclesiastica, etiamsi unum ex illis omnibus cum curâ, aut dignitas, etiam maior, vel principalis, canonicatus et praebenda[2], personatus, administratio vel officium fuerit, et ad ea consueverit quis per electionem assumi, eique cura etiam iurisdictionalis immineat animarum, si sibi aliàs canonice per te conferantur, recipere, et, dummodo illa omnia, uno excepto, personalem residentiam non requirant, insimul quoad vixerint retinere libere et licite valeant, auctoritate praedictâ dispensandi, illisque concedendi et indulgendi, necnon omnia et singula beneficia ecclesiastica in dictis facultatibus quomodolibet qualificata, etiam per obitum familiarium tuorum, donec ex causâ legationis huiusmodi abfueris, vacantia[1], etsi singulorum beneficiorum praedictorum fructus, redditus et proventus vigintiquatuor ducatorum auri de camerâ secundum communem aestimationem valorem annuum excedant, modo et formâ in eisdem facultatibus expressis, conferendi, et de illis disponendi, plenam, liberam et amplam facultatem, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et impertimur.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque conciliis editis et edendis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon ecclesiarum, in quibus beneficia huiusmodi forsan fuerint (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque omnibus et singulis, quae in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII martii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 28 martii 1625, pontif. an. II.

1 Syntaxis exigit addi verbum *valeas* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *praebendae* (R. T.).

CXXX.

Prohibet, quominus imagines nondum a Sede Apostolicâ canonizatorum, vel beatificatorum, cum radiis, splendoribus et laureolis proponantur, vel tabellae et luminaria ad eorum sepulchra apponantur, etc.

1 Vocem *vacantia* nos addimus (R. T.).

Feria v, die XIII martii, anno a Nativitate Domini Nostri Iesu Christi MDCXXV, in generali Congregatione S. Romanae et universalis Inquisitionis habitâ in palatio apostolico in Vaticano coram SS. D. N. D. Urbano divinâ providentiâ Papa VIII, ac illustrissimis et reverendissimis DD. S. R. E. cardinalibus adversus haereticam pravitatem inquisitoribus generalibus a sancta Sede Apostolicâ specialiter deputatis.

Exordium.

Sanctissimus D. N. sollicite animadvertens abusus, qui irrepserunt et quotidie irrepere non cessant in colendis quibusdam cun sanctitatis aut martyrii famâ vel opinione defunctis; qui, etsi neque canonizationis, neque beatificationis honore insigniti sint ab Apostolicâ Sede, eorum tamen imagines in oratoriis, atque ecclesiis, aliisque locis publicis, ac etiam privatis, cum laureolis, aut radiis, seu splendoribus proponuntur, miracula et revelationes, aliaque beneficia a Deum per eorum intercessiones accepta, in libris rerum ab ipsis gestarum enarrantur, et ad illorum sepulchra tabellae, imagines et res aliae ad beneficia accepta testificanda et lampades et alia lumina apponuntur,

Prohibet, ne imagines nondum beatificatorum cum aureolis exponantur;

§ 1. Volensque proinde huiusmodi abusibus, pro debito officii pastoralis, occurrere, re etiam cum illustrissimis et reverendissimis DD. cardinalibus contra haereticam pravitatem in universâ republicâ christianâ generalibus inquisitoribus communicatâ, et mature consideratâ ac discussâ, declaravit, statuit et decrevit, ne quorumvis hominum cum sanctitatis seu martyrii famâ (quantacumque illa sit) defunctorum imagines, aliaque praedicta, et quodcumque aliud venerationem et cultum praeseferens et indicans, in oratoriis, aut locis publicis seu privatis, vel ecclesiis, tam secularibus quam regularibus, cuiuscumque religionis, ordinis, instituti, congregationis, aut societatis, apponantur, antequam ab Apostolicâ Sede canonizentur, aut Beati declarentur, et si quae appositae sunt, amoveantur, prout eas statim amoveri mandavit.

Vel eorum gesta typis publicentur sine licentiâ.

§ 2. Ac pariter imprimi de cetero inhibuit libros eorumdem hominum, qui sanctitatis, sive martyrii famâ, vel opinione, ut praefertur, celebres e vitâ migraverint, gesta, miracula vel revelationes, seu quaecumque beneficia tamquam eorum intercessionibus a Deo accepta continentes, sine recognitione atque approbatione Ordinarii, qui in iis recognoscendis theologos, aliosque pios ac doctos viros in consilium adhibeat; et, ne deinceps fraus, aut error, aut aliquid novum ac inordinatum in re tam gravi committatur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittat, eiusque responsum expectet. Revelationes vero et miracula, aliaque beneficia supradicta, quae in libris horum hominum vitam et gesta continentibus hactenus sine recognitione atque approbatione huiusmodi impressa sunt, nullo modo approbata censeri vult, mandatque Sua Sanctitas.

Aut ad eorum sepulchra tabellae, aut lampades ponantur.

§ 3. Ad horum hominum sepulchra vetuit etiam ac inhibuit tabellas atque imagines ex cerâ aut argento seu ex aliâ quacumque materiâ tam pictas quam fictas atque exculptas appendi aut affigi, et lampades sive alia quaecumque lumina accendi, sine recognitione ab Ordinario omnino, prout supra, faciendâ, Sedique apostolicae referendâ ac probandâ.

Excipiuntur ii, quibus favet cultus immemorabilis.

§ 4. Declarans, quod per suprascripta praeiudicare in aliquo non vult neque intendit iis, qui aut per communem Ecclesiae consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis, scientiâ ac tolerantiâ Sedis Apostolicae, vel Ordinarii, coluntur.

Ordinariis locorum executionem demandat.

§ 5. Ut autem praemissa diligentius observentur, universis, ac singulis, tam Ordinariis quam haereticae pravitatis inquisitoribus, districte praecipit, ut in suâ

quisque dioecesi vel provinciâ sedulo pervigilent, ne sine approbationibus praedictis imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, revelationes ac beneficia praedicta publicentur, aliave contra superius disposita fiant.

Poenas transgressoribus infligit.

§ 6. Transgressores vero, si regulares fuerint, privationis suorum officiorum, ac vocis activae et passivae, necnon et suspensionis a divinis; si vero clerici seculares, privationis pariter suorum officiorum, suspensionis a divinis et ab administratione sacramentorum, exequutioneque suorum ordinum respective, aliisque arbitrio praedictorum Ordinariorum seu inquisitorum, pro modo culpae, infligendis poenis plectendo.

Praesentium publicatio.

§ 7. Qui autem libros impresserint, aut imagines pinxerint, sculpserint, seu quoquomodo effinxerint, vel formaverint, ceterique artifices, circa praemissa qualitercumque delinquentes, praedicta omnia amittant et insuper pecuniariis aliisque etiam corporalibus poenis, iuxta criminis gravitatem, eorumdem Ordinariorum seu inquisitorum arbitrio afficiantur.

§ 8. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Transumptis danda fides.

§ 9. Et ne praemissorum ignorantia possit ab aliquo praetendi, voluit, ut decretum huiusmodi, seu illius exemplum, ad valvas basilicae Principis apostolorum Urbis ac in acie Campi Florae affixum omnes perinde arctet atque afficiat, ac si unicuique personaliter intimatum fuisset.

§ 10. Quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

IOANNES ANTONIUS THOMASIUS,
S. Romanae et universalis Inquisit. not.

Anno MDCXXV, *indictione* VII, *pontificatus Sanctissimi Domini nostri Domini Urbani divinâ providentiâ Papae VIII anno eius secundo, die vero quartâ mensis aprilis, supradictum decretum affixum et publicatum fuit ad valvas basilicae Principis apostolorum de Urbe, et in acie Campi Florae, ut moris est, per me Brandimartem Latinum, Sanctissimi Domini nostri Papae cursorem.*

OCTAVIUS SPADA, magister cursorum.

Sequitur declaratio praeinsertae prohibitionis.

Quomodo imagines et tabellae recipi possint, vel debeant.

Postmodum vero idem Sanctissimus Dominus noster a quibusdam revocari in dubium accepit, an tabellas et imagines, quas in posterum offerri contigerit, recipere, et antea oblatas conservare liceret. Sanctitas Sua, quae tantummodo voluit, occurrendo abusibus qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum sanctimoniam divinae clementiae placuerit admirandis operibus illustrare, re prius cum illustrissimis et reverendissimis DD. cardinalibus contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus communicatâ, praesenti decreto declaravit: Quod, sicut nunquam prohibuit, nec suae intentionis fuit prohibere oblationem, receptionemque tabellarum et imaginum huiusmodi, ita, ut nulli deinceps haesitationi locus relinquatur, statuit in praesentiarum et decernit, ut quoties ad aliquam ecclesiam, aut oratorium, locumve alium publicum, secularem seu regularem, tabellas et imagines, aliudve simile quisquam detulerit, ac intercessione hominum inter Sanctos vel Beatos non adscriptorum, quamvis cum martyrii vel sanctitatis famâ demortuorum, optata se impetravisse dixerit, liceat ecclesiasticis personis, ecclesiarum, locorumve praedictorum curae praepositis, tabellas et imagines, sive pictas, sive ex quavis materiâ

fictas, atque alia quaecumque collatae gratiae fidem facientia, simul cum deferentis, aliorumque, qui conscii fuerint, attestationibus, accipere, atque approbantibus Ordinariis, ad quos referre statim omnia teneantur, in secreto aliquo, seorsum ab ecclesiâ, loco custodire, ibidemque iam amota collocare et asservare, ut, si quando Dominus talium virorum merita beatificationis seu canonizationis honore in terris decorare voluerit, extent huiusmodi sanctitatis qualescumque probationes, Apostolicae Sedis iudicio tunc examinandae. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

IOANNES ANTONIUS THOMASIUS
S. Romanae et universalis Inquisit. not.

Anno MDCXXV, *indictione* VIII, *pontificatus Sanctissimi Domini nostri Domini Urbani divinâ providentiâ Papae VIII, die vero* XXX *mensis octobris*[1], *supradictae litterae, sive decretum affixum et publicatum fuit ad valvas Principis apostolorum Urbis, ac in acie Campi Florae, ut moris est, per me Brandimartem Latinum, Sanctissimi Domini nostri Papae cursorem.*

CXXXI.

Confirmatio litterarum Clementis VIII de formâ servandâ in electione generalis, praesidentis, etc., Congregationis S. Ioannis evangelistae in Portugallia[2].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Clementis VIII litterae recensentur;

§ 1. Aliàs a felicis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis videlicet:

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Quibus praecipitur, ut in electione generalis, praesidis, aliorumque praelatorum, constitutiones Congregationis huius serventur.

In eminenti Sedis Apostolicae speculâ divinâ dispositione constituti, sic pastorali nostro muneri invigilare, ac de personarum praesertim ecclesiasticarum statu prospere dirigendo cogitare tenemur, ut villicationis nostrae recte rationem reddere valeamus. Nuper siquidem accepimus in Congregatione S. Ioannis evangelistae, sub habitu et regulâ Congregationis S. Georgii in Alga Venetiarum, in regno Portugalliae institutâ, ab ipsius fere fundationis initio, vel saltem a centum quinquaginta annis, in generalis et aliorum ipsius Congregationis rectorum electione constitutionum illius formam, qua huiusmodi electionem per secreta suffragia omnium ipsiusmet Congregationis sacerdotum, qui in eâdem Congregatione sex annos complevissent, fieri debere disponitur, observatam fuisse; indeque continuam pacem, tranquillitatem et rectum in ipsâ Congregatione gubernium conservatum extitisse: quae forma electionis, si Apostolicae Sedis auctoritate perpetuo confirmaretur, uberiores quotidie fructus pareret, ac inde quieti et tranquillitati praedictae Congregationis melius consuleretur. Nos itaque, felici praedictae Congregationis conservationi et incremento, quantum cum Domino possumus, benigne prospicere volentes, non ad ipsius Congregationis, aut aliorum pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ, merâque deliberatione nostris, formam electionis praedictam ac eam concernentia statuta et ordinationes ipsius Congregationis nominatim, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus. Decernentes ea perpetuo observanda, ac valida, firma et efficacia fore et esse; sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque ipsius Congregationis praelatos et alios iudices ordinarios et delegatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudi-

1 Deest anni indicatio (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

candi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Et nihilominus, ut electiones generalis et aliorum rectorum praedictorum libere et secundum constitutiones supradictae Congregationis, ut praefertur, fiant, quod nulla persona tam ecclesiastica (quacumque etiam episcopali, archiepiscopali et maiori dignitate, et quacumque potestate fungens) quam secularis (etiam quamvis eminenti, et etiam speciali notâ dignâ, potestate et dignitate praefulgens) aliquos eiusdem Congregationis canonicos, ut ex illis unus in generalem, vel alii in particularium monasteriorum rectores, vel superiores, quocumque nomine nuncupatos, eligantur, nominare vel praesentare, aut quoquo modo proponere, vel quorumvis canonicorum suffragia et vota ad alicuius, vel aliquorum canonicorum, etiam quorumvis benemeritorum, et talibus officiis dignorum, favorem per se ipsum, vel per litteras, aut interpositas personas exquirere, sollicitari, donisve aut promissionibus corrumpere valeant, sed singulis omnino liberum sit votum et suffragium suum ad eum, quem ipsi secundum Deum et conscientiam suam ad ipsius Congregationis regimen idoneum esse iudicaverint, dare: capitulum vero generale ipsius Congregationis tempore ab ipsius Congregationis constitutionibus praescripto, nisi in praecedenti capitulo generali ob aliquam iustam causam aliter dispositum fuerit, semper celebrari debeat, nec ab aliquâ personâ, etiam, ut praefertur, qualificatâ, aliud tempus praescribi valeat, vel praescriptum differri: quodque, iuxta felicis recordationis Eugenii IV constitutionem, canonici eligant ex Congregatione unum in praesidem capituli, qui durante capitulo in eo resideat; nec aliquis quacumque dignitate et auctoritate fulgens eidem capitulo praeesse, vel interesse possit, nisi de speciali nostro, aut Sedis Apostolicae mandato; et quod, statim atque praelati dictae Congregationis, ut praefertur, canonici iuxta constitutiones et decreta praedicta electi fuerint, electio facta a scrutatoribus, iuxta constitutionem felicis recordationis Eugenii Papae IV praedecessoris nostri in ipsius Congregationis statutis insertam et semper observatam, cuius tenorem praesentibus pro expresso habemus, publicetur; ipsique praelati electi statim officia, ad quae electi sunt, gubernari incipiant, nec talis publicatio praelatorum per quamcumque personam, etiam, ut praemittitur, qualificatam, quovis quaesito colore vel praetextu impediri vel differri possit, auctoritate et tenore praedictis perpetuo statuimus et ordinamus; ac, ut personae praedictae suffragia vocalium quoquo modo, ut praefertur, sollicitantes, aut corrumpere procurantes, privationis omnium officiorum ac beneficiorum quae obtinent, et inhabilitatis ad alia obtinenda, nec non suspensionis a divinis, si ecclesiasticae personae fuerint, poenam, a qua nisi per Romanum Pontificem absolvi valeant, eo ipso, absque aliâ declaratione, incurrant, statuimus et decernimus: et insuper, quod visitatores dictae Congregationis pariter in eodem capitulo deputentur canonici illius, qui aliàs ad hoc idonei fuerint iuxta earumdem constitutionum seriem; nec alius quisquam, quavis pariter dignitate et auctoritate fulgens, nisi pariter de speciali nostro et Sedis Apostolicae mandato, ipsam Congregationem visitare possit. Non obstantibus quibuscumque apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac privilegiis, indultis et litteris apostolicis, quibuscumque personis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, ap-

probatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque: aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Ceterum dilectos filios universos et singulos eiusdem Congregationis canonicos suffragantes, nunc et pro tempore existentes, paterne in Domino hortamur et monemus, ut in suffragiis ferendis, nullâ carnis, sanguinis, aut alterius mundani affectus ratione habitâ, sed solum Deum et ipsius Congregationis utilitatem prae oculis habentes, sic procedant, ut talis semper eligatur, qualis Dei obsequiis et Congregationis eiusdem prospero regimini ac quieti et tranquillitati aptus et idoneus esse iudicabitur. Datum Romae, apud S. Petrum, die v februarii MDXCVI, pontificatus nostri anno IV.

Aliisque litteris consuluit libertati huiusmodi electionis.

Clemens Papa VIII. Aliàs per nostras in formâ Brevis litteras sub datum die v februarii MDXCVI, pontificatus nostri anno IV, expeditas, nonnulla circa electiones generalis et aliorum rectorum et praelatorum, ac officialium Congregationis sancti Ioannis evangelistae sub regulâ et habitu S. Georgii in Alga Venetiarum in Portugalliae regnis institutae perpetuo observanda ordinavimus et statuimus, prout in eisdem litteris, quarum tenorem praesentibus, ac si de verbo ad verbum inseretur, pro expresso haberi volumus, plenius continetur. Volentes autem, ut ordinationes et statuta huiusmodi firmiter omnino atque inviolate observentur, neque adversus illas quicumque aliquo pacto directe vel indirecte venire vel facere praesumant, opportunius providere, motu proprio et ex certâ scientiâ, maturâque deliberatione nostrâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, quascumque electiones generalis, vel aliorum rectorum, praelatorum, superiorum et officialium dictae Congregationis contra et praeter formam dictarum litterarum, praesertim vero ad quarumcumque personarum tam ecclesiasticarum, quacumque etiam episcopali, archiepiscopali et maiori dignitate et quacumque potestate fungentium, quam secularium, etiam quantumvis eminenti et speciali notâ dignâ potestate et dignitate praefulgentium, nominationem, praesentationem, instantiam, preces et intercessionem, faciendas, nullas prorsus et invalidas, irritasque, ac nullius roboris vel momenti fore et esse, ac nemini electorum aliquo pacto suffragari; quinimo contra eos, qui his minus legitimis rationibus ad regenda monasteria, ipsamque Congregationem, seu alia quaecumque officia se eligi vel assumi procuraverint per se aut per personas interpositas ecclesiasticas aut seculares quocumque praetextu aut colore, per eiusdem Congregationis superiores quandocumque procedi, et, rei veritate cognitâ, condignis poenis in praedictis litteris expressis, et tamquam publicae dictae Congregationis quietis perturbatores affici posse et debere; similiter etiam praesidentem capituli generalis et visitatores, praesentatos aut electos seu missos a quacumque personâ, ut praefertur, quavis dignitate ecclesiasticâ aut mundanâ, quantumvis speciali notâ dignâ, et aliâ quacumque praeeminentiâ fulgente contra seu praeter formam nostrarum constitu-

tionum, praesidentem et visitatores nec esse nec censeri; neque in rebus ad dictam Congregationem pertinentibus procedere aut aliquid facere posse vel debere; et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores (sublatâ eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere; ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus, et declaramus. Omnes etiam canonicos dictae Congregationis acceptantes generalem, rectores, praesidentem, visitatores, aut alios officiales, praesentatos seu missos aut electos contra tenorem nostrarum constitutionum, voce activâ et passivâ in perpetuum privamus; ac insuper superioribus et canonicis dictae Congregationis stricte praecipimus et mandamus, ut litteris, praesentationibus, nominationibus et commendationibus huiusmodi quarumcumque personarum praedictarum nequaquam obediant, sed sub praedictis poenis secundum nostras constitutiones in omnibus actibus capitularibus omnino procedant; quinimo ipsi superiores contra transgressores quoscumque graviter, ut praemissum est, omni appellatione remotâ procedant. Hortamur etiam et paterne in Domino requirimus et monemus charissimos in Christo filios reges ac dilectos filios nobiles viros principes ac duces ac alios magnates seculares, ne in religiosorum praedictorum negotiis huiusmodi praestando[1], nominando, commendando, vel aliàs contra praesentium tenorem faciendo se intromittant, sed liberam illis electionem, et alia disponendi[2] iuxta nostrarum constitutionum seriem relinquant. Hanc autem nostram constitutionem, annullationem, ordinationem et legem quolibet anno rector generalis ante electionem praesidis secundum ordinem nostrum faciendam publice legi curet et faciat. Non obstantibus quibusvis ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quae in praedictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu secretarii generalis et sigillo eiusdem generalis obsignatis eadem, quae praesentibus ipsis, fides adhibeatur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die v novembris MDXCVI, pontificatus nostri anno v.

Ipsis itaque fratribus petentibus,.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum rectoris generalis ac definitorum totius Congregationis praedictae nobis nuper expositum fuit, ipsi plurimum cupiant praeinsertas litteras huiusmodi, pro firmiori ac inviolabili earum observantiâ, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri; nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut eorum votis annuere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Urbanus praedictas confirmat Clementis litteras.

§ 3. Nos igitur, rectorem generalem, ac definitores, universamque Congregationem praedictam specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innnodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praeinsertas litteras huiusmodi, cum omnibus et singulis in eis contentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmi-

1 Puto legendum esse *praesentando* (R. T.).

2 Facile deest aliquid, ex g. *facultatem* (R. T.).

tatis robur adiicimus; ipsasque litteras ac omnia et singula in eis contenta hujusmodi perpetuo valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, necnon dictae Congregationi in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Exequutores, defensoresque designat.

§ 4. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis in dicto regno constitutis, necnon dilecto filio iurium et spoliorum camerae apostolicae debitorum in Portugalliae et Algarbiorum regnis praedictis collectori generali, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praeinsertas et praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi solemniter publicantes, ac in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostrâ, rectorem generalem, ac definitores, et universam Congregationem huiusmodi eorumdem praemissorum commodo et effectu pacifice frui ac gaudere; non permittentes illos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariisque derogat.

§ 6. Non obstantibus recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII pariter praedecessoris nostri de unâ et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, aliisque omnibus, quae in eisdem litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x aprilis MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 10 aprilis 1625, pontif. an. II.

CXXXII.

Indulgentia plenaria Deum precantibus pro praesentibus Ecclesiae necessitatibus.

Urbanus Papa VIII,
Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Refert bellorum motus in Europa,

§ 1. Divinae misericordiae foribus hoc sacrosancto iubilaei anno per nos reclusis, teterrimus humani generis hostis, qui spiritualis aedificii ruinam assidue molitur, bellico furori hostium reseravit. Perstrepunt ubique arma, et populi, quos christianâ charitate ferventes, hoc praesertim tempore, charismata meliora aemulari optabamus, saevis irae flammis incensi; mutuas in clades exardescunt.

Et in Italia exortos.

§ 2. Nos vero, qui omnes paternâ dilectione complectimur, Europae fere universae, praecipue autem Italiae, quae illibatae religionis studio, iure optimo, gloriatur, ac tutissimum florentis, diuturnaeque pacis existit domicilium, casus mirum in modum dolemus, et sanguinem qui effundi iam coepit, magna nostrarum consequitur[1] copia lacrymarum.

Ad Deum itaque confugiendum esse censet;

§ 3. Quamquam vero, tot tantisque malis opportuna remedia adhibere cupientes, ea, quae officii nostri ratio poscebat, humanaeque prudentiae leges monere videbantur, quantum in Domino potuimus, pastorali sedulitate providimus, nihilominus, fortiora praesidia nonnisi e caelo sperantes,

1 Sic edit. Cherub. Rom.; edit. Main. legit *consequimur;* forsan legendum foret *magnâ... prosequimur copiâ...* (R. T.).

Patrem misericordiarum, quem iniquitates nostrae in iram concitaverunt, contritis et humiliatis cordibus ducimus adeundum, ut in gentes, quae eum non noverunt, non in filios iram suam effundat, ut recordetur, quia caro sunt, nec contra folium, quod vento rapitur, ostendat potentiam suam, ut exortam sedet tempestatem, statuat procellam eius in auram, et sileant fluctus eius.

Aperiendosque Ecclesiae thesauros.

§ 4. Hoc autem ut fructuosius et maiori cum spiritus ardore peragatur, ex veteri Ecclesiae Romanae omnium matris et magistrae more, in praesentibus necessitatibus ad eiusdem Ecclesiae thesauri largam dispensationem pro nostro pastorali munere confugiendum duximus.

Cives Romanos ut Deum precibus exorent hortatur.

§ 5. Itaque, ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus sancti, omnes et singulos utriusque sexus christifideles in almâ Urbe nostrâ constitutos, auctoritate apostolicâ, paterne, enixeque requirimus et monemus ac in Domino hortamur ad infrascripta devote peragendum et adimplendum, necnon ad pias ac fervidas ad Altissimum preces effundendum, ut per viscera misericordiae suae Ecclesiam exaltare, eamque ab hostium conatibus et insidiis defendere, haeresim extirpare, principibus christianis pacem et veram concordiam donare, ac in necessitatibus huiusmodi subvenire dignetur.

Eisque hic praescripta agentibus, indulgentiam plenariam elargitur.

§ 6. Nos enim omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, meritis licet minime suffragantibus, contulit, universis et singulis christifidelibus in almâ Urbe praedictâ degentibus, qui solemni processioni, quam a basilicâ Principis apostolorum ad ecclesiam S. Mariae Transtyberim feriâ quartâ sequentis hebdomadae, unâ cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, christianorumque regum et principum apud nos et Sedem Apostolicam oratoribus, omnibus praelatis et proceribus, universoque clero et populo, agemus, interfuerint, vel qui eâdem hebdomadâ basilicam et ecclesiam huiusmodi saltem semel visitaverint, ibique devote, ut supra, Deum oraverint, necnon feriâ quartâ et sextâ ac sabbato eiusdem hebdomadae ieiunaverint, peccataque sua confessi, in qualibet ex dictis diebus vel dominicâ immediate subsequenti sanctissimum Eucharistiae sacramentum reverenter susceperint, quod omnes et quascumque praesentis anni iubilaei indulgentias et peccatorum remissiones, poenitentiarumque relaxationes consequantur, quas consequerentur, si omnes ecclesias ad id deputatas personaliter visitarent, et alia in litteris indictionis eiusdem iubilaei praescripta adimplerent, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Legitime impeditis consulit.

§ 7. Regularibus autem personis utriusque sexus in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam laicis quam religiosis regularibus in carcere existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate seu alio quocumque legitimo impedimento detentis, qui supra expressa vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut confessarius, quem ut infra elegerint, praedicta omnia et singula, vel eorum aliqua in alia pietatis opera commutare, atque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, concedimus pariter et indulgemus.

Confessariis facultatem concedit absolvendi a casibus reservatis et vota commutandi.

§ 8. Cupientes autem, omnes christifideles participes fieri huius pretiosissimi thesauri, universis et singulis utriusque sexus tam laicis quam ecclesiasticis secularibus et regularibus cuiusvis ordinis, congregationis et instituti licentiam concedimus et facultatem damus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint, quemcumque presbyterum confessarium, tam secularem quam cuiusvis ordinis regularem, ex approbatis a dilecto filio nostro in almâ

Urbe vicario in spiritualibus generali, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam nobis et Sedi Apostolicae etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, atque aliâs per quascumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae et hac vice tantum absolvere et liberare valeat[1]; et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutifera opera commutare; iniunctâ tamen eis, et eorum cuilibet, in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio infligendis.

Excipit excommunicationem ab homine latam.

§ 9. Non intendimus autem per praesentes iis, qui a nobis et Sede Apostolicâ vel ab aliquo praelato seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi et interdicti, seu aliâs in sententias et censuras incidisse declarati vel publice denuntiati fuerint, nisi infra tempus huiusmodi satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Obstantia tollit.

§ 10. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi, in certis tunc expressis casibus, ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles iubilaei, indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum et congregationum sive institutorum regularium (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ordinibus et congregationibus atque institutis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut expressio habenda vel quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, ac formam eorum traditam pro servatâ habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptisque credi iubet.

§ 11. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI aprilis MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 21 aprilis 1625, pontif. an. II.

CXXXIII.

Inquisitori Portugalliae facultas conceditur ad quinquennium absolvendi neophytos relapsos provinciarum et insularum transmarinarum regi Portugalliae subiectarum[1].

Venerabili fratri
Ferdinando, episcopo olim Pharaonensi,
Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Sedes Apostolica pia mater, sanctorum apostolorum (qui pastoralis officii formam

1 Erronee edit. Main. legit *valeant* (R. T.).

1 Ex regest. in Secret. Brev.

tradentes nascentis Ecclesiae infantiam lacte, provectam vero eius aetatem solido cibo nutriverunt) verbo et exemplo edocta, neophytorum omnium a susceptâ Christi fide deviantium statui et imbecillitati libenter compatitur, ac illos tamquam parvulos, et teneras dictae Ecclesiae plantas, pietatis et benignitatis suae uberibus confovendo, nonnulla eis etiam post relapsum condonat et remittit, quae in provectioribus merito essent acerbius corrigenda et punienda.

Causae concedendae facultatis.

§ 1. Cum itaque, sicut[1] charissimus in Christo filius noster Philippus Portugalliae et Algarbiorum rex catholicus nobis nuper exponi fecit, quamplures provinciarum et insularum transmarinarum pro tempore existentis Portugalliae et Algarbiorum regis temporali ditioni subiectarum incolae et habitantes, de gentilitatis et infidelitatis errorum tenebris ad veri luminis, qui est Christus, cognitionem noviter conversi, ac sacri baptismatis lavacro abluti, ex mutuâ inter se ac etiam indiscretâ eorum cum aliis gentilibus et infidelibus conversatione, vel aliàs humani generis antiqui hostis fraude, a fide catholicâ deficiant, et quandoque ad eam reducti in pristinos gentilitatis seu infidelitatis errores, ac etiam in alias a sanctâ Ecclesiâ damnatas et reprobatas haereses atque superstitiones relabantur, sed postmodum, cognitis suis erroribus, maxima contritionis signa et[2] nunquam amplius ab eiusdem fidei sinceritate discedendi propositum praeseferentes, eidem sanctae matri Ecclesiae reconciliari summopere desiderent, et pro illorum salute plurimum expediat, ut sic poenitentes benigne recipiantur, nec curiae seculari propter illorum relapsum iuxta iuris rigorem debitâ animadversione puniendi relinquantur, ac[3] desperatio veniae eos ad pristinam perditionem faciat recidivos, ipsique ac alii gentiles et infideles metu corporalis supplicii ab eorum futurâ ad Christi fidem conversione retrahantur:

Concessio facultatis, de qua in rubrica.

§ 2. Nos, Illius, qui misericors et miserator existens non vult mortem peccatoris sed magis ut convertatur et vivat, vices gerentes in terris, pro eâ potestate, quam ab eo per Filium suum habemus, iuris rigorem mansuetudine temperando, noviter conversos praedictos, ne iacta in eis fidei praedictae semina arescant, aut diaboli malitiâ eradicentur, sed benignitatis dictae Sedis ratione aspersa coalescant, ac firmis radicibus stabilita incrementum suscipiant, et usque ad perfectionem perdurent, omni, qua possumus, clementiâ prosequi et confovere volentes, piis ipsius Philippi regis in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, cum tu haereticae pravitatis in regnis praedictis generalis inquisitor existas, ac pro tempore existenti in regnis huiusmodi generali inquisitori, ut durante quinquennio a die, quo praesentes litterae tibi fuerint praesentatae, computando, per te, vel alium, seu alios haereticae pravitatis in eiusdem regnis et provinciis et insulis pro tempore deputatos inquisitores, adiunctis etiam locorum Ordinariis, vel illorum officialibus seu vicariis in spiritualibus generalibus, aut, illis recusantibus seu negligentibus, etiam absque illis, omnes et quoscumque utriusque sexus regnorum, provinciarum et insularum huiusmodi neophytos ex gentilibus et infidelibus originem ducentes, qui post Christi fidem per eos susceptam in crimen apostasiae ab ipsâ fide, vel in damnatas et reprobatas haereses et errores semel et iterum vel etiam tertio, non tamen ulterius, relapsi fuerint, cognitâ in eis verâ et non fictâ ac simulatâ poenitentiâ, necnon apostasiâ a fide et haeresibus ac erroribus huiusmodi prius per eos, publice vel privatim prout tibi

1 Verbum *accepimus* intrusum delemus (R. T.).
2 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).
3 Forsan *ne* pro *ac* legendum (R. T.).

et pro tempore existentibus generali seu aliis inquisitoribus praedictis videbitur, detestatis, abiuratis et anathematizatis, a sententiâ excommunicationis, aliisque ecclesiasticis censuris et poenis, quas propterea quomodolibet incurrerunt, vel quae contra ipsos per sacras constitutiones, tam generales quam particulares, quomodocumque statutae, ac aliàs promulgatae fuerint, iniunctâ eisdem pro modo culpae aliquâ poenâ arbitrariâ vel aliâ poenitentiâ salutari, quam iis, qui secundâ et tertiâ vice relapsi fuerint, aggravari volumus, auctoritate nostrâ in utroque foro in formâ Ecclesiae consuetâ absolvere et liberare, atque ad eiusdem Ecclesiae gremium recipere et admittere, ac tam etiam tradendi [1] curiae seculari propter primum, secundum, tertiumque relapsum huiusmodi a iure statutum, quam etiam alias corporales et capitales ac confiscationis omnium bonorum et ceteras quascumque talibus delinquentibus inflictas et irrogatas poenas, ipsis misericorditer remittere et condonare libere et licite possitis et valeatis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, de speciali gratiâ indulgemus; tibique ac generali et aliis inquisitoribus praedictis plenam et liberam desuper facultatem, auctoritatem et potestatem ad dictum quinquennium dumtaxat duraturam tribuimus et impartimur.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis, et apostolicis, ac in synodalibus, provincialibus et generalibus conciliis editis, constitutionibus et ordinationibus, necnon legibus etiam municipalibus et imperialibus, ac officii inquisitionis regnorum, provinciarum et insularum huiusmodi (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, etiam consistorialiter, et aliàs quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro expressis et insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII aprilis MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 22 aprilis 1625, pontif. an. II.

Sequitur declaratio, quod quinquennium currere incipiat a die publicationis praerelatarum litterarum apostolicarum.

Venerabili fratri
Ferdinando, episcopo olim Pharaonensi,
Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Recensentur litterae praecedentes.

§ 1. Hodie a nobis emanarunt litterae fraternitati tuae directae tenoris subsequentis, videlicet: a tergo, *Venerabili fratri*, etc.; intus vero: *Sedes apostolica*, etc.

Causae faciendae declarationis.

§ 2. Cum autem, sicut charissimi in Christo filii nostri Philippi Portugalliae et Algarbiorum regis catholici nomine nobis nuper expositum fuit, ob periculosam et longam navigationem ad provincias et insulas supra expressas verendum sit, ne, antequam in illis praeinsertae litterae publicentur, magna pars quinquennii in eisdem praeinsertis litteris praefixi elabatur, et propterea dictus Philippus rex cupiat, tempus dicti quinquennii non currere,

1 Ed. Main. h. *traden.* quod non aliter finiri posse videtur, i. e. *tradendi eos statutum* (R.T.).

nisi a praedictarum litterarum in illis partibus publicatione; et ideo nobis humiliter supplicari fecerit, ut super hoc opportunâ declaratione providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Declaratio, de qua in rubricâ.

§ 3. Nos igitur, eiusdem Philippi regis votis ac precibus annuentes, volumus et harum serie declaramus, tempus dicti quinquennii a die publicationis faciendae in partibus tantum currere incipere. Non obstantibus omnibus illis, quae in eisdem praeinsertis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis qnibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII aprilis MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die, annoque eodem.

CXXXIV.

Quod fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini in Hispania et Indiis, ad doctoratus seu magisterii in sacrâ theologiâ gradus promovendi, ab examinatoribus in capitulo generali a priore generali deputandis examinentur, ut magistralibus exemptionibus et dignitatibus gaudere possint [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex in sacrâ B. Petri sede a Domino constitutus, ex iniuncto sibi munere, religiosos viros, qui, spretis huius seculi vanitatibus, divini muneris [2] obsequiis sub suavi religionis iugo sese mancipaverunt, praecipuâ benignitate complectens, in his, quae prosperae, felicique eorum directioni conducunt, sedulo invigilat; quae vero in hoc impedimento esse dignoscuntur, pastorali sollicitudine tollere procurat, prout conspicit in Domino salubriter expedire.

Causae ferendae Constitutionis.

§ 1. Cum itaque (sicut accepimus) multi Ordinis Eremitarum sancti Augustini provinciarum Hispaniarum et Indiarum religiosi, doctrinâ et meritis sufficientibus carentes, nimiâque doctoratus seu magisterii in sacrâ theologiâ graduum in eisdem provinciis consequendorum ambitione ducti, partim ad universitates studiorum generalium, in quibus ad gradus huiusmodi suscipiendos levissima fiunt examina, studiose recurrant, partim vero ne huiusmodi quidem examina apud ullam universitatem subeant, ac alii etiam minus legitimis et honestis rationibus ad eosdem gradus aditum sibi patefacere contendant, in non modicum Ordinis et provinciarum huiusmodi praeiudicium:

Prohibetur quominus magistri gradu et exemptionibus fruantur, nisi prius ab examinatoribus Ordinis fuerint examinati.

§ 2. Nos, praemissis, quantum nobis ex alto conceditur, obviare, prosperoque Ordinis et provinciarum eorumdem statui et directioni providere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, nullus Ordinis et provinciarum huiusmodi religiosus, etiam praetextu licentiae a quibuscumque superioribus obtentae, in qualibet studii generalis universitate, ad hoc ut inibi ad doctoratus seu magisterii in sacrâ theologiâ gradum promoveatur, praesentari, aut gradum ipsum aliàs quoquomodo (ut suscipere debet ad effectum ut magistralibus exemptionibus et dignitate et ordine gaudere possit) suscipere valeat, nisi prius, praevio rigoroso examine ab examinatoribus in partibus per dicti Ordinis priorem generalem in capitulo generali deputandis faciendo, etiam per aliquos actus litterarios, ac etiam in his, quae a sacro Concilio Tridentino circa praedicatores

1 De numero, electione et qualitatibus magistrorum sacrae theologiae in provinciis Italiae eligendorum statuit Gregorius XIII Const. CL, *Dominicum*, tom. VIII, pag. 422; et de his fratribus vide Alexand. IV Const. XXIX, *Licet*, tom. III, pag. 635; praeterea scias ordinationes congregationis Siciliae approbasse Paulum V Constit. CCLXXXV, *Exponi*, tom. XII, pag. 377.

2 Aut potius lege *divini numinis* (R. T.).

praecipiuntur, examinatus et approbatus fuerit, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus et ordinamus.

Examinatoribus statutae poenae, si minime idoneos approbaverint.

§ 3. Mandantes propterea eisdem examinatoribus, ut praefertur, deputandis, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis, necnon privationis vocis activae et passivae, aliorumque officiorum per eos obtentorum, ipso facto incurrendis poenis, ne quempiam Ordinis et provinciarum huiusmodi religiosum doctrinâ et meritis sufficientibus ad huiusmodi gradus suscipiendos non praeditum quoquomodo approbent vel admittant.

Approbationes, secus si fiant irritantur.

§ 4. Et nihilominus quascumque huiusmodi approbationes aut ad gradus admissiones contra praesentium tenorem (quod absit) quandocumque aut quomodocumque faciendas, nullas prorsus et invalidas, nulliusque roboris et momenti fore et esse, ac nulli prorsus suffragari posse;

Clausulae.

§ 5. Sicque, et non aliter, in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, necnon irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, auctoritate et tenore praesentium decernimus et declaramus.

Obstantium derogatio.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinis et provinciarum huiusmodi (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eorumdem Ordinis et provinciarum religiosis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis specialis, specifica et expressa mentio habenda esset, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 7. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV aprilis MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 25 aprilis 1625, pontif. anno II.

CXXXV.

Prorogatio proximi capituli generalis Militiae Christianae ad annum[1].

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ortohodoxae fidei, religionisque zelus, nobilitas generis, ac eximiae devotionis affectus, quo dilectus filius nobilis vir Carolus dux Nivernensis nos et Romanam reveretur Ecclesiam, promerentur, ut, petitiones suas ad exauditionis gratiam admittentes, ea favorabiliter concedamus, per quae reipublicae christianae progressui, semotis impedimentis, consulitur.

Mandaverat Urbanus capitulum generale anno 1625 haberetur.

§ 1. Nuper siquidem, supplicationibus dicti Caroli ducis nobis porrectis annuentes, militiam christianam sub denominatione Conceptionis Deiparae Virginis Immaculatae apostolicâ auctoritate ereximus et instituimus, ac illius magni magistri electionem usque ad capitulum generale

1 De hac militiâ vide supra pag. 114 seqq. (R. T.).

in festivitate Pentecostes praesentis anni MDCXXV in almâ Urbe nostrâ celebrandum differendam, et, ne interim praedictae militiae progressus retardaretur, eiusdem militiae consilium supremum nuncupandum in dictâ Urbe usque ab beneplacitum nostrum cum certo personarum numero statuendum, duximus[1].

Sed propter ingruentia bella.

§ 2. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Caroli ducis petitio continebat, propter praesentium temporum calamitates et undique imminentia bellorum pericula, necnon hostis insidias dictae militiae felicissimam propagationem non parum impedientes, capitulum praedictum in festivitate Pentecostes huiusmodi haberi minime possit, sicque magni magistri electionem huiusmodi retardatam esse comperiatur: etiam pro parte eiusdem Caroli ducis nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in praemissis opportune providere, eumque amplioris gratiae favore prosequi de benignitate apostolicâ dignaremur.

Ad alium annum differe.

§ 3. Nos igitur, qui honestis fidelium quorumlibet, praesertim nobilitatis genere pollentium, votis libenter annuimus, eosque favoribus prosequimur opportunis, dictum Carolum ducem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, posterioribus supplicationibus huiusmodi inclinati, tempus, ad capitulum generale praedictum ac electionem magni magistri eiusdem militiae faciendam, ut praefertur, praefixum, quod adhuc durat, ad unum annum tantum a die ipsius festivitatis computandum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, prorogamus, extendimus et ampliamus.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictaeque militiae (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque.

Clausulasque poenales addit.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, prorogationis, extensionis, ampliationisque infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXV, sexto idus maii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 10 maii 1625, pontif. anno II.

1 Vide supra pag. 117, § 15 (R. T.).

CXXXVI.

Nannetensi episcopo committitur cura monialium reformatorum Ordinis S. Benedicti in Galliis[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Sacrosanctum apostolatus ministerium humilitati nostrae nullo licet meritorum suffragio per ineffabilem divinae sapientiae providentiam commissum postulat, ut inter gravissimas, multiplicesque apostolicae servitutis curas, illam peculiari studio complectamur, ut sanctimoniales, quae, oblitae populum suum et domum patris sui, caelestis sponsi obsequiis se mancipaverunt, per felicem, providamque illarum directionem atque gubernium maioribus in dies in regularium suorum institutorum observantiâ et sanctitate vitae proficiant incrementis.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Recenset Gregorii XV litteras quibus monialium huiusmodi curam archiepiscopo Senonensi duobusque aliis ecclesiasticis commiserat.

§ 1. Aliàs siquidem a felicis recordationis Gregorio Papa XV praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Gregorius Papa XV, ad perpetuam rei memoriam. Ad militantis Ecclesiae regimen, etc. (Omittitur tenor istius Constitutionis, quia iam reperitur in suo ordine sub datum XXII martii MDCXXI, anno II[1]).

Et subinde, pro parte dicti Ludovici regis eidem Gregorio praedecessori exposito, quod dictus Ioannes archiepiscopus non ita pridem ab humanis decesserat, dictus Gregorius praedecessor, supplicationibus eiusdem Ludovici regis nomine sibi humiliter porrectis inclinatus, per alias suas in simili formâ Brevis sub die XVIII iulii MDCXXII expeditas litteras bonae memoriae Sebastianum episcopum Aduren-sem in locum dicti Ioannis archiepiscopi Senonensis, in et quoad praemissa, apostolicâ auctoritate substituit et subrogavit; quodque deinde perpetuis futuris temporibus, uno ex tribus praedictis obeunte, reliqui duo, aut unus ex eis, aliam personam ecclesiasticam pietate, doctrinâ et vitae sanctimoniâ praestantem nominare, dictaeque tres personae sic pro tempore nominatae visitatorem monasteriorum monialium huiusmodi eligere, ac ipsa monasteria, illorumque abbatissas et moniales pro tempore existentes, eorumque omnia bona mobilia et immobilia, cuiuscumque generis, speciei, valoris, naturae, quantitatis et qualitatis existentia, regere et administrare possent et deberent, statuit atque decrevit, et aliàs, prout in ultimodictis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur[2].

Aliasque quibus demortuo archiepiscopo, Adurensem episcopum suffecerat.

Eo etiam defuncto, Urbanus episcopum Nannetensem substituit, datâ ei facultate duos alios ecclesiasticos sibi in socios assumendi.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Ludovicus rex nobis nuper exponi fecit, Henricus cardinalis et Sebastianus episcopus praedicti postmodum, sicut Domino placuit, ab humanis decesserint, electo tamen et subrogato per eumdem Sebastianum episcopum in vim praeinsertarum litterarum in et quoad praemissa venerabili fratre Philippo episcopo Nannetensi, superior vero monachorum Reformatorum huiusmodi, multiplicibus, gravissimisque subditorum suorum negotiis admodum implicatus, monialium directioni atque regimini vacare nequeat; nos, felici monialium praedictarum statui, atque gubernio, quantum nobis ex alto conceditur, consulere volentes, supplicationibus etiam dicti Ludovici regis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, superiorem monachorum Reformatorum praedictum a regimine et gubernio et quacumque aliâ earumdem monialium iurisdictione, dictâ auctoritate, tenore praesentium, absolvimus et liberamus: dictoque Philippo episcopo, ut, in locum dicti monachorum superioris, in et quoad praemissa, personam modo et formâ praemissis qualificatam, quae unâ cum eodem Philippo episcopo tertiam personam iuxtà praeinsertarum litterarum huiusmodi formam et tenorem eligat, eligere libere et licite possit et valeat, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et indulgemus.

Eveniente autem eorum obitu tres alios a nuncio apostolico eligi mandat.

§ 3. Praeterea statuimus, atque ordinamus, ut in eventum obitus trium personarum praedictarum, pro tempore existens noster et Sedis Apostolicae in regno Franciae nuncius duas huiusmodi personas, quae deinde tertiam eligant, ut praefertur, qualificatas et qualificatam pariter eligat, servatâ in reliquis in omnibus et per omnia praedictarum Gregorii praedecessoris litterarum formâ et tenore.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque in praemissis per quoscumque iu-

1 Eam habes in tom. XII, pag. 507 (R. T.).

2 Quas etiam vide in tom. XII, pag. 714 (R. T.).

dices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac omnibus illis, quae in litteris huiusmodi concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII maii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 17 maii 1625, pontif. anno II.

CXXXVII.

Statuitur presbyteros Congregationis S. Ioannis Dei non posse missarum eleemosynam percipere, nec ad praelaturas promoveri, praeviisque tantum examinatorum litteris testimonialibus ad sacros Ordines esse promovendos[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Circumspecta Romani Pontificis providentia ea interdum, quae a Sede Apostolicâ concessa et sancita sunt, ipsâ subinde rerum experientiâ suadente, praesertim cum felici personarum sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium, statui, regularisque observantiae incremento opportune consulitur, atque inconvenientibus obviam itur, alterat et immutat, in hisque sollicitudinis et providentiae suae studium favorabiliter interponit, prout conspicit in Domino salubriter expedire.

In quodam capitulo concessum fuerat presbyteris indultum missae eleemosynam bis in hebdomada percipiendi.

§. 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Cosmus Garzia fratrum Congregationis Ioannis Dei sub regulâ S. Augustini in regnis Hispaniarum procurator nobis nuper exponi fecit, in quodam eiusdem Congregationis capitulo ordinatum fuerit, ut quilibet eiusdem Congregationis sacerdos duas missas ad sui libitum singulis hebdomadis celebrare, eleemosynamque sibi propterea datam percipere, et de eâ in suos usus disponere valeat, ordinatio autem praedicta non parum eidem Congregationi obesse dignoscatur: nobis propterea dictus Cosmus eorumdem fratrum nomine humiliter supplicari fecit, ut super praemissis et aliàs prospero ipsius Congregationis regimini providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Quod cum toti Congregationi noxium sit.

Urbanus irritat.

§ 2. Nos igitur, piis Cosmi et fratrum praedictorum votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ordinationem praedictam, ac, prout illam concernunt, omnia et singula in scripturis desuper confectis contenta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo revocamus, cassamus, abrogamus et annullamus, viribusque et effectu prorsus evacuamus.

Formamque praescribit in ordinationibus huiusmodi presbyterorum servandam.

§ 3. Insuper volumus, ac auctoritate et tenore praedictis statuimus, quod eiusdem Congregationis sacerdotes praelaturas in dictâ Congregatione nullo modo obtinere possint, et illi duo pro qualibet regulari domo ex fructibus dictae Congregationis, qui pro sacramentorum ecclesiasticorum administratione ad sacros etiam presbyteratus ordines vigore litterarum felicis recordationis Pauli Papae V praedecessoris nostri desuper emanatarum promovendi sunt[1], ad eosdem ordines de

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Quas habes in tom. XII, pag. 3 seqq.; vide § 9 (R. T.).

cetero promoveri nullatenus valeant, nisi prius decem annos professionis in eâdem Congregatione peregerint, et ab examinatoribus synodalibus non solum ad ordines praedictos, verum etiam ad sacras confessiones audiendas examinati et idonei reperti fuerint, et necessarias super hoc patentes litteras ab eisdem examinatoribus obtinuerint.

Clausulas apponit.

§ 4. Decernentes, praesentes litteras, ac omnia et singula in eis contenta valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, quos illa concernunt, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantia tollit.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congregationis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Congregationi, illiusque superioribus et fratribus, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV maii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 24 maii 1625, pontif. anno II.

CXXXVIII.

Confirmatio statutorum militiae Christianae sub titulo Conceptionis B. Mariae Virginis institutae[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Recenset institutam a se hanc militiam.

§ 1. Aliàs, supplicationibus dilectorum filiorum nobilium virorum Ferdinandi Mantuae et Caroli Nivernensis ducum et Adolphi comitis ab Althan nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, unam Militiam Christianam nuncupandam sub titulo Conceptionis B. Mariae Virginis Immaculatae, ac sub regulâ S. Francisci, necnon sub protectione Ss. Michaëlis archangeli et Basilii, pro uno magistro, qui magnus nuncupetur, ipsius Militiae caput et superior existat, necnon militum ac ministrorum numero eidem magistro beneviso, apostolicâ auctoritate, sine cuiusquam praeiudicio, perpetuo ereximus et instituimus; eisdemque magistro et capitulo generali dictae Militiae, ut quascumque constitutiones, statuta, ordinationes, capitula et stabilimenta ad prosperam dictae Militiae directionem facientia, licita tamen et honesta, ac sacris canonibus, Conciliique Tridentini decretis minime contraria, ab hac tamen sanctâ Sede approbanda, condere, illaque pro rerum et temporum qualitate et varietate alterare, revocare, mutare, moderari, corrigere et alia de novo condere, libere et licite possent et valerent, dictâ auctoritate concessimus et indulsimus; et aliàs prout in nostris desuper sub plumbo expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Datamque magno magistro facultatem statuta condendi.

Quae confirmat.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Carolus

1 Instituit hanc militiam istemet Pontifex Constit. XXXVI, quae incipit *Imperscrutabilis*, supra pag. 114; militibus indultum concessit obtinendi pensiones Constit. XXXVII, pag. 118; vide etiam Const. LXXXIV (in h. n. ed. CXXXV), supra pag. 321.

dux nobis nuper exponi fecit, nonnulla pro felici eiusdem Militiae statu atque gubernio statuta nuper condita fuerint, illaque, pro inviolabili eorum observatione, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri plurimum desideret; nos, piis dicti Caroli votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, statuta praedicta, dummodo tamen licita et honesta, nec revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa sint respective, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus apostolicis, neque debitae nobis et S. R. E. obedientiae et fidelitati adversentur, dictâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus.

Clausulae

§ 3. Decernentes eadem statuta ab omnibus, ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolabiliter observari debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV maii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 24 maii 1625. pontif. anno II.

CXXXIX.

Confirmatio decreti sacrae Congregationis Concilii Tridentini de obedientiâ pro fratribus Ordinis Cappuccinorum provinciae Flandriae, qui ad sacros ordines promoventur, episcopis a provinciali non praestanda[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Refert congregat Concilii decretum.

§ 1. Nomine dilecti filii ministri provincialis provinciae Flandriae Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Cappuccinorum nuncupatorum nobis nuper expositum fuit, quod aliàs a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus sacri Concilii Tridentini interpretibus emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet:

Illustrissimi et reverendissimi Domini,

Provincialis Cappuccinorum provinciae Flandriae refert, aliquos episcopos praetendere, ut in litteris, quibus ipse suos fratres ordinandos transmittit, exhibeat reverentiam et obedientiam episcopis, et amplius praestet iuridicam fideiussionem subministrandi victum et vestitum iis, quos apostatari, aut aliàs a religione dimitti continget. Quae cum nova sint et inaudita, ne quod religioni praeiudicium inferatur, supplicat, ut declaretur, an ipse possit ad hoc compelli, nec ne?

Sacra Congregatio cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit, provincialem Cappuccinorum in litteris dimissoriis, quas suis fratribus concedit ad ordines suscipiendos, nequaquam cogi posse ab episcopis ad reverentiam et obedientiam illis exhibendam, aut ad huiusmodi fideiussionem praestandam, neque ullum pium antistitem debere aut tutâ conscientiâ posse ab eorumdem fratrum ordinationibus hoc solo praetextu abstinere, quod ea formula exhibendi episcopo reveren-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

tiam et obedientiam servata, vel fideiussio praestita non fuerit.

Cosmus cardinalis de Torres.

Loco † sigilli.

Illudque confirmat. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, minister provincialis praedictus plurimum cupiat decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ et observantiâ, apostolicae confirmationis patrocinio communiri; ideo nobis humiliter supplicari fecit, ut eius votis huiusmodi annuere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ministrum provincialem praedictum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum praeinsertum huiusmodi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; ipsumque decretum, ac omnia et singula in eo contenta, ab omnibus, ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, firmiter et inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Contraria tollit. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis privilegiis, gratiis et indultis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxviii maii mdcxxv, pontificatus nostri anno ii.

Dat. die 28 maii 1625, pontif. anno ii.

CXL.

Declarat facultates absolvendi ab haeresi et casibus Sedi Apostolicae reservatis et in Bullâ Coenae Domini, particularibus personis, ultra montes per S. S., seu sanctum Officium concessas, non comprehendi sub generali suspensione occasione anni sancti[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Occasione iubilaei Pontifex facultates omnes absolvendi a casibus Sedi Apostolicae reservatis concessas suspenderat. § 1. Cum nos nuper, occasione tunc instantis anni iubilaei, omnes et singulas facultates et indulta absolvendi ab haeresi et casibus Sedi Apostolicae reservatis, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, quibusvis personis particularibus, tam singulariter quam universaliter, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam nos, etiam ad instantiam imperatoris, regum, ducum et aliorum principum, aut aliàs quomodocumque et ex quibusvis causis et occasionibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ, ac aliàs quomodolibet, concessa, apostolicâ auctoritate suspenderimus et suspensa esse declaraverimus, easque et ea eodem anno durante nulli prodesse, aut suffragari debere decreverimus, prout in nostris desuper sub plumbo expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur;

Dubium inde exortum est, an § 2. Cum autem, sicut accepimus, a

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

suspensae quoque fuerint similes facultates ultra montes concessae.

nonnullis in dubium revocetur, an facultates absolvendi ab haeresi et casibus huiusmodi, sive a nobis, sive a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus adversus haereticam pravitatem in universâ republicâ christianâ inquisitoribus generalibus, per nostras in simili formâ Brevis, sive eorum patentes litteras respective, particularibus personis ultra montes degentibus concessae, in litteris praedictis comprehendantur;

Declarat non esse suspensas.

§ 3. Nos, omnem in praemissis dubitandi occasionem e medio tollere, simulque cunctorum christifidelium animarum saluti iuxta creditum nobis desuper apostolicae servitutis officium, quantum nobis ex alto conceditur, consulere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ nostrâ, facultates quascumque absolvendi ab haeresi et a casibus Sedi Apostolicae et in Bullâ Coenae Domini praedictâ reservatis, sive a nobis, sive a cardinalibus praedictis per eorum patentes litteras huiusmodi, particularibus personis ultra montes degentibus concessas, in litteris suspensionis praedictis minime comprehendi, neque comprehensas fuisse, seu esse, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus, ita ut facultates absolvendi huiusmodi eisdem particularibus personis concessae, et illarum vigore factae et faciendae ab haeresi et casibus huiusmodi absolutiones, valeant, suumque effectum sortiantur, et quibus illae, servatis servandis, concessae fuerint, suffragentur in omnibus et per omnia, perinde ac si litterae praedictae a nobis nullatenus emanassent.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, litteris praedictis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Et transumptis credi iubet.

§ 5. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in eccclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra habeatur, quae praesentibus ipsis haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIX maii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 29 mai 1625, pontif. anno II.

CXLI.

Confirmatio litterarum Pauli Papae V quibus communitati Anconitanae duae tertiae partes pecuniarum ex maleficiis mulctisque provenientium conceduntur [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Refert litteras Pauli V.

§ 1. Aliàs a felicis recordationis Paulo Papa V praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

A tergo: Dilectis filiis antianis et hominibus civitatis nostrae Anconitanae: *intus vero:* Paulus Papa V: Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. Meritis et supplicationibus vestris adducti, votis et petitionibus vestris, quantum cum Domino possumus, benigne satisfacere curamus. Nuper nobis expositum fuit pro parte vestrâ, quod aliàs felicis recordationis Sixtus Papa V praedecessor noster (exposito sibi pro parte vestrâ, quod, etsi [2] cum duae tertiae partes pecuniarum ex maleficiis nostrae civitatis Anconitanae provenientes ex titulo et causâ onerosis iamdudum a Sede Apostolicâ vobis et communitati vestrae concessae fuerint, ex vigore concessionis huiusmodi cum plenâ illarum possessione, quibusvis reservationibus apostolicis in contrarium editis, et praesertim felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri sub datum MDLXI nonis decembris pontificatus sui anno II, non obstantibus, permanseritis;

Quibus communitati Anconitanae duae tertiae partes mulctarum, etc., concessae fuerunt.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Vocem *etsi* nos addimus (R. T.).

quinimo tam dictus Pius, quam etiam bonae memoriae Gregorius Papa XIII, etiam praedecessor noster, voluntatem sanctae memoriae Pii Papae V similiter praedecessoris nostri insequendo, post statutorum ac privilegiorum confirmationem ac roboris adiectionem, duas tertias partes praedictas ad vos et communitatem vestram spectare et legitime pertinere voluerint, illasque vobis et communitati huiusmodi applicaverint et approbaverint, et super illarum liberâ perceptione ab aliquo minime impediri, aut a vobis et communitate vestrâ huiusmodi quovis praetextu, occasione vel causâ auferri, seu illas et illa minui aut alterari nullatenus debere mandaverint; nihilominus vos, communitasque vestra et homines praedicti in perceptione et exactione integrarum suarum partium ex dictis maleficiis provenientium per gubernatores, seu locatenentes, seu alios officiales et ministros pro tempore in dictâ nostrâ civitate existentes, sub diversis praetextibus, etiam reparationis palatii, defraudati, impediti et gravati respective fuistis) ipse Sixtus praedecessor, vestris tunc supplicationibus inclinatus, per suas in simili formâ Brevis litteras, die x augusti MDLXXXV pontificatus sui anno I datas [1], vos ad maleficiorum et delictorum omnium in ipsâ civitate Anconitanâ commissorum et committendorum plenariam notitiam habendam per vestri sindici interventum dumtaxat perpetuo admisit; et propterea dictae civitatis gubernatori, locumtenenti, auditoribus et aliis officialibus pro tempore ad criminalia deputatis, quocumque nomine appellarentur et quacumque fungerentur auctoritate, mandavit, ut omnes descriptiones, seu inventaria, ratione vel causâ quorumvis maleficiorum, delictorum et criminum deinceps confi-

1 Has non puto esse in *Bullario*; sed aliquid de hoc iure legitur in Const. XVI eiusdem Sixti V in tom. VIII, pag. 605 *b* (R. T.).

cienda, ac quacumque [1] occasione praemissorum fieri voluit cum praesentiâ et interventu sindici praedicti, vel alterius a vobis deputandi, facerent ac fieri mandarent, ac cum [2] omnibus et singulis supplicationibus et precibus pro causis criminalibus sequendis, necnon decretis, absolutionibus et processuum cassationibus, cancellationibus, abolitionibus, compositionibus et solutionibus faciendis huiusmodi sindicum pro tempore existentem interesse, ac de illis notam sumere, et [3] dictas duas tertias partes percipere et levare libere et sine aliquâ diminutione sinerent et permitterent, aliàsque, prout latius in eisdem litteris continetur: Quodque deinde (cum idem Sixtus praedecessor postmodum, per suas sub datum idibus martii pontificatus sui anno IV expeditas litteras [4], poenas pecuniarias, mulctas et confiscationes, omnium seu cuiuscumque partis bonorum, inflictas et infligendas, cuiusvis criminis, excessus, maleficii et delicti, vel quasi, per quoscumque praesides, rectores, gubernatores et alios quoscumque officiales et iudices, qui in quibusvis civitatibus, castris, terris et locis ecclesiasticae ditioni subiectis iurisdictionem quomodolibet exercerent, camerae nostrae apostolicae applicasset et appropriasset, voluissetque, ut quaecumque communitates, universitates, collegia et personae etiam ecclesiasticae, quavis dignitate fungentes, quae poenas, confiscationes et mulctas huiusmodi, seu illarum portionem aliquam, ad se quovis titulo et causâ etiam onerosâ et quantumvis iustissimâ spectare praetenderent, intra duos tunc proximos menses, seu super prae-

1 Syntaxis iam turbatur, et postea inintelligibilis evadit: puto legendum: *quaecumque occasione praemissorum fieri contingeret* (R. T.).

2 Forsan legendum *ac tum* vel *ac ut* (R. T.).

3 Praep. *et* nos addimus (R. T.).

4 Quas vide in tom. IX, pag. 73 (R. T.).

missis iura et privilegia, in camerâ apostolicâ exhibere, deducere et allegare tenerentur, ac aliàs prout in praedictis litteris latius continetur) vos, vigore primodictarum Sixti V, et aliarum Pauli III confirmatoriarum reintegrationis bonorum, officiorum et aliorum iurium vobis factae, sub datum x kalendas martii pontificatus sui anno VI, necnon etiam Pii IV Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, sub datum XXVI ianuarii pontificatus sui anno IV (per quas, poenas, mulctas et confiscationes praedictas vobis ex titulo oneroso dudum fuisse et esse applicatas, declarabatur) litterarum, iuridice et legitime in camerâ nostrâ apostolicâ docuistis, duas tertias poenarum et maleficiorum huiusmodi partes vobis ex titulo vere oneroso competiisse et competere, et eodem titulo a Romanis Pontificibus dudum concessas fuisse et esse, et propterea in eâdem camerâ decretum confirmatorium concessionis et applicationis poenarum huiusmodi obtinuistis, prout latius pariter in patentibus litteris bonae memoriae Henrici presbyteri cardinalis Caetani tunc existentis S. R. E. camerarii desuper confectis continetur. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, firmiora sint ea, quae saepius Apostolicae Sedis patrocinio muniuntur, et propterea cupiatis praemissa omnia, quae per felicis recordationis Gregorium XIV et Clementem VIII praedecessores nostros confirmata fuerunt, ut firmiora perpetuo subsistant, a nobis quoque confirmari; et ideo nobis humiliter supplicari fecistis, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur: nos igitur, vos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et vestrum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praedictas Sixti V ac Henrici cardinalis tunc camerarii necnon Gregorii et Clementis praedecessorum praedictorum litteras, quarum tenores praesentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro sufficienter expressis haberi volumus quatenus tamen in pacificâ solutione exigendi dictas duas tertias partes pecuniarum ex maleficiis provenientium modo et formâ praemissis communitas vestra existat, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, eisque nostrae et apostolicae auctoritatis robur adiicimus, ac omnes et singulos etiam substantiales defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus. Mandantes propterea dilecto filio nostro Petro tituli Ss. Ioannis et Pauli presbytero cardinali Aldobrandino nuncupato moderno et pro tempore existenti eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae camerario, necnon dictae camerae thesaurario, praesidentibus et aliis ministris, ut praedictas, hasque nostras litteras inviolate et ab omnibus, ad quos spectat, observari faciant, vosque dictis duabus tertiis partibus poenarum, mulctarum, confiscationum et aliorum occasione maleficiorum, quae in istâ civitate Anconitana, eiusque comitatu committuntur, provenientium[1] in perpetuum, iuxta litterarum praedictarum tenorem, libere frui et gaudere, et a vobis exigi, percipi et levari, nec vos super praemissis ullo unquam tempore molestari, perturbari, aut inquietari faciant, sed vobis potius omne auxilium et favorem prompte exhibeant et praestent. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et lit-

1 Edit. Main. legit *provenientium* (R. T.).

teris apostolicis quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, atque his omnibus, quae in praedictis litteris concessum est non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae, apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXVI augusti MDCV, pontificatus nostri anno I.

Communitas huiusmodi litteras petit ab Urbano confirmari.

§ 2. Cum autem, sicut antiani et homines praedicti nobis nuper exponi fecerunt, ipsi subinde litteras praedictas a recolendae memoriae Gregorio Papa XV etiam praedecessore nostro per eius in simili formâ Brevis expeditas litteras sub certis modo et formâ tunc expressis approbari et confirmari obtinuerint[1], ea vero, quae Sedis Apostolicae munimine saepius roborantur, firmius subsistant, et ab omnibus exactius observari soleant; cupiantque propterea easdem litteras nostrae quoque confirmationis patrocinio roborari:

Confirmat Pontifex.

§ 3. Nos, eorumdem antianorum et hominum votis huiusmodi annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas litteras huiusmodi, ac in eis contenta quaecumque, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, easdem litteras et in eis contenta huiusmodi perpetuo valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dictis communitati et hominibus in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 5. Non obstantibus omnibus illis, quae in eisdem litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 3 iunii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 3 iunii 1625, pontif. an. II.

1 Edit. Main. legit *obtinuerit* (R. T.).

CXLII.

Beatificatio venerabilis servi Dei Andreae de Avellino clericorum Congregationis regularium Theatinorum, cum concessione clericis dictae Congregationis, ubique existentibus, quotannis in die illius obitus missam et officium de communi Confessoris non Pontificis celebrandi[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In Sede Principis apostolorum, nullis licet nostris suffragantibus meritis, a Deo constituti, piis fidelium votis, quibus virtutum Dominus in servis suis honorificatur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis.

§ 1. Cum itaque, sicut pro parte dilectorum filiorum praepositi generalis,

1 Huismodi indultum celebrandi missam et officium istis clericis concessum sacra rituum congregatio extendit ad civitatem Neapolim, quae in novum patronum dictum Beatum recepit, eiusque reliquiis ac statuae locum in cappellâ thesauri ecclesiae dictae civitatis, prout in ipsius congregationis decretis videri poterit.

et clericorum regularium congregationis Theatinorum nuncupatorum nobis nuper expositum fuit, venerabiles fratres S. R. E. cardinales sacris ritibus praepositi causam servi Dei Andreae Avellini eorumdem clericorum regularium (a tribus Rotae auditoribus, ac deinde de mandato nostro ab eisdem cardinalibus, referente dilecto filio nostro Carolo Emanuele S. Mariae in Viâ Latâ diacono cardinale Pio nuncupato, discussam), cum utrobique de validitate processuum, de sanctitate vitae ac de miraculis, tam in vitâ quam in morte sufficienter constare pronunciatum fuisset, in tali statu censuerint habendam, ut ad solemnem ipsius servi Dei canonizationem quandocumque deveniri possit; praepositus vero et clerici praedicti, pro eo, quem erga eumdem servum Dei Andream Avellinum gerunt, devotionis affectu[1], illum Beatum nuncupari, officiumque et missam de eo, donec ad illius canonizationem deveniatur, recitari posse summopere desiderent:

Urbanus cum Beatum nuncupari posse;

§ 2. Nos, piis praepositi et clericorum praedictorum votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, ut idem Dei servus Andreas Avellinus Beatus nuncupari, deque eo ab omnibus clericis regularibus huiusmodi ubique existentibus officium et missa de communi Confessoris non Pontificis ipsâ die eius obitus celebrari ac recitari libere et licite possit et valeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, licentiam et facultatem concedimus et impartimur.

Et indultum de quo in rubricâ concedit.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Obstantia tollit.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, et personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptisque fidem addit.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x iunii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 10 iunii 1625, pontif. an. II.

1 Edit. Main. legit *affectum* (R. T.).

CXLIII.

Iubilaeum pro omnibus utriusque sexus christifidelibus in civitate et dioecesi Parisiensi commorantibus, anno MDCXXVI[1].

Urbanus Papa VIII,

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Salvator noster[2] Dominus Iesus Christus Dei Filius, cuius licet immeriti vices in terris gerimus, ad hoc nobis ligandi et solvendi potestatem tradere voluit, ut saluti eius gregis nostrae curae divinitus commissi paterno affectu ac sollicito studio incumbamus.

Prooemium.

§ 1. Hinc est quod nos, attendentes quamplures civitatis Parisiensis in regno Franciae[3], atque terrarum, villarum et locorum dioecesis Parisiensis personas, ob diversa impedimenta, praesertim continuorum bellorum, quae hactenus in dicto regno gesta sunt, seu aliàs detentas, ad hanc almam Urbem nostram pro caele-

Grassante bello, cum Parisienses Romam accedere nequiverint.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Similem constitutionem, similiter mendis refertam, cf. sup. p. 292 (R. T.).

3 Edit. Main. legit *Aranciae* (R. T.).

stibus indulgentiarum praesentis anni iubilaei donis ac spiritualibus thesauris consequendis non accessisse nec minus accedere potuisse neque posse;

Pontifex iuncta hic peragentibus anno 1626 iubilaei indulgentias elargitur.

§ 2. Et propterea ipsarum et aliorum quorumcumque etiam fidelium animarum saluti prospicere volentes, precibus charissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis christianissimi nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus praedictae civitatis Parisiensis et illius dioecesis terrarum, villarum et locorum conviciniorum huiusmodi incolis et habitatoribus, ac eo pro tempore accedentibus, vere poenitentibus et confessis, ac sanctissimo Eucharistiae sacramento refectis, ut[1] anno proxime futuro MDCXXVI unam seu plures ecclesias seu ecclesiam, per venerabilem fratrem archiepiscopum Parisiensem deputandam seu deputandas, per quindecim dies continuos vel interpolatos (quos pro dioecesanis pauperibus, infirmis, senibus, praegnantibus, virginibus, viduis, et aliis quovis alio legitimo impedimento detentis, ac capitulis, congregationibus, tam secularium quam regularium, sodalitatibus, universitatibus, confraternitatibus ecclesiam seu ecclesias huiusmodi visitantibus, atque etiam ob alias causas, prout dicto archiepiscopo videbitur, ad minorem numerum arbitrio suo reduci, et alibi etiam, tam in dictâ civitate quam in quibusvis eiusdem dioecesis terris, castris, villis et locis, unam vel plures ecclesias visitando[2], prout animarum saluti noverit expedire, dicto arbitrio deputari posse volumus) devote et reverenter visitando, et ibi quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam pro peccatorum suorum remissione[1], ac pro pace inter principes christianos conservandâ, et haeresum extirpatione, sanctaeque Romanae Ecclesiae exaltatione pie ad Deum orando, plenariam eiusdem anni iubilaei omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem consequantur, perinde ac si dicto iubilaei anno quatuor ecclesias dictae almae Urbis pro consequendo iubilaeo huiusmodi deputatas statutis ad id diebus personaliter visitassent, et alia ad hoc requisita adimplevissent;

Huiusmodi iubilaeum ad eos etiam extendit qui Romam anno sancto venerunt.

§ 3. Et ad effectum huiusmodi, illis, ut confessores, quos idem archiepiscopus iubilaei huiusmodi causâ in statutis ecclesiis nominatim delegerit, sibi eligere valeant presbyteros seculares vel cuiusvis Ordinis regulares, qui confessionibus eorum diligenter auditis eos et eorum quemlibet a quibusvis peccatis, criminibus, excessibus et delictis, et quantumcumque gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis, ac litteris, quae in die Coenae Domini legi consueverunt, contentis, ac censuris et poenis ecclesiasticis, ad effectum ipsius iubilaei consequendum tantum, iniunctâ eis poenitentiâ salutari, absolvere[2] possint;

Dat confessariis facultatem absolvendi a casibus Sedi Apostolicae reservatis.

§ 4. Necnon ut illi, qui Romam venerunt, et alibi etiam iubilaeum ipsum quovis modo consequuti sunt, denuo etiam illud iuxta tenorem praesentium consequi valeant, auctoritate apostolicâ, harum serie, concedimus et indulgemus.

Archiepiscopo facultatem dat monialibus, aliisque consulendi.

§ 5. Praeterea ipsi archiepiscopo, ut cuiusvis Ordinis monialibus et orphanis, aliarumque mulierum in communi viventium congregationibus, ad iubilaeum intra monasteria, domosve suas consequendum conditiones, modum et tempus praescribere[3], et denique in praemissis omnibus et singulis arbitrio suo facere, ordinare et providere, ac quaecumque sibi visa re-

1 Particulam *ut* nos addimus (R. T.).

2 Potius lege *visitandas;* ceterum confer loc. parall. pag. 293 (R. T.).

1 Supple *recitando*, aut simile (R. T.).

2 Edit. Main. legit *absolvi* (R. T.).

3 Inepte ed. Main. legit *praescribendum* (R.T).

media opportuna adhibere possit, prout animarum saluti expedire iudicaverit, facultatem tribuimus. Praesentibus ad tres menses a die publicationis praesentium inchoandos[1] dumtaxat valituris.

Contraria tollit. § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII iunii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 13 iunii 1625, pontif. anno II.

CXLIV.

Irritatio decretorum per nonnullos iudices regni Portugalliae contra libertatem et immunitatem ecclesiasticam, ac collectoris eiusque officialium iurisdictionem, latorum.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Facti series. § 1. Ad audientiam apostolatus nostri, non sine iusto et gravi cordis nostri dolore, pervenit, quod, procedente nuper in diversis causis ecclesiasticis in civitate Ulixbonensi, pro sui muneris auctoritate, dilecto filio magistro Ioanne Baptista Pallotto in utrâque signaturâ nostrâ referendario, iurium et spoliorum camerae apostolicae debitorum in Portugalliae et Algarbiorum regnis collectori generali, seu eius auditore et iudice delegato, cùm pars altera ad iudices seculares temere recursum habuisset, iudices huiusmodi et postmodum alii pariter seculares non solum contra auditorem praedictum, sed etiam contra eumdem Ioannem Baptistam collectorem, occasione dictarum causarum, suis iniustis et invalidis decretis ac mandatis, contra immunitatem et libertatem ecclesiasticam attentatis, iurisdictionem pariter ecclesiasticam, et sanctae Sedis Apostolicae officialium violando, impediendo et perturbando, procedere praesumpserunt, et ad quaedam eidem ecclesiasticae libertati et immunitati ac ipsius Ioannis Baptistae collectoris auctoritati maxime adversantia devenerunt, per quae, inter alia, decreverunt, ut dictus auditor caperetur, e regnis praedictis expelleretur, ipsiusque bona, etiam temporalitates, sequestrarentur; unde, in vim eorumdem decretorum, seu alicuius eorum, satellites domum ipsius Ioannis Baptistae collectoris, illius salutaribus monitis temere contemptis, ingressi sunt, sententias excommunicationis et alias ecclesiasticas censuras et poenas, gravi cum scandalo totius civitatis ac divinae maiestatis offensâ graviori, incurrendo.

Irritatio decretorum, de quibus in rubrica. § 2. Quamobrem nos, qui in Sede beati Petri quamquam immeriti a Domino positi sumus, ne excessus huiusmodi ac ecclesiasticae libertatis et immunitatis tam enormis violatio dissimuletur et transeat in exemplum, pro nostro pastoralis officii debito, providere, et malorum graviorum segetem et radicem, quantum a Deo permittitur, nostrâ auctoritate apostolicâ evellere volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ ac merâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula praemissa a praedictis dictorum regnorum iudicibus secularibus, etiam supremis, quocumque nomine, titulo et praerogativâ et gradu insignibus, in causis praedictis et earum occasione contra dictum Ioannem Baptistam collectorem, eiusque auditorem seu delegatum, officiales, ministros, familiares et bona, quocumque praetextu vel quaesito colore, quomodolibet decreta, mandata, acta, facta, ordinata, et sive scriptis, sive verbis quomodolibet attentata, quae omnia et singula praesentibus haberi volumus pro expressis, nulla, invalida, irrita et inania, ac nulliter, invalide, inaniter, et de facto contra sacros canones,

1 Edit. Main. legit *inchoandum* (R. T.).

conciliorum decreta, et apostolicas constitutiones attentata et praescripta;

Clausulae pro praesentium litterarum firmitate.

§ 3. Praesentesque litteras et in eis contenta quaecumque de intentionis nostrae vel alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, rescindi, infringi, in ius vel controversiam vocari nullatenus posse, sed semper valida, firma et efficacia fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, tenore praesentium decernimus et declaramus.

Prohibitio sub poenâ excommunicationis, ne quid imposterum contra immunitatem ecclesiasticam attentetur.

§ 4. Et nihilominus, ne imposterum similia praesumantur, omnibus et singulis iudicibus secularibus, etiam supremis, dictorum regnorum, quocumque nomine nuncupentur, cuiuscumque gradus, conditionis et praerogativae existant, ne talia huiusmodi, aut similia adversus immunitatem et libertatem ecclesiasticam, etiam quocumque praetextu, contra ecclesias, praelatos, iudices et personas, res et bona, ac eorum iurisdictionem et auctoritatem, eiusque liberum exercitium, quomodolibet committere aut attentare praesumant, sub excommunicationis maioris, a qua nonnisi a nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo, absolvi possint, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, ac privationis quorumcumque beneficiorum, pensionum, officiorum, et dignitatum ecclesiasticarum, ac militiarum, et ordinum quorumcumque, perpetuaeque inhabilitatis, tam quoad ipsos delinquentes seu contumaces, quam quoad eorum descendentes usque ad eorum quartam generationem, ad illa imposterum quomodolibet obtinenda, necnon amissionis quorumcumque iurium patronatus, privilegiorum, indultorum, concessionum et investiturarum, tam emphiteuticarum, quoad feudalium, eisdem delinquentibus, et seu contumacibus, suisque, ut praefertur, usque ad quartum gradum descendentibus, quocumque titulo apostolico aut alio ecclesiastico quomodolibet nunc et pro tempore competentium et acquirendorum, poenis ipso facto absque ullâ declaratione incurrendis, interdicimus et prohibemus.

Obstantium derogatio.

§ 5. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque (quorum omnium et singulorum tenores [1], etiamsi de illis specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis haberi volumus), aut si praedictis vel quibusvis aliis personis ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Fides danda transumptis.

§ 6. Volumus autem, quod praesentes litterae, seu illarum exempla, manu notarii publici subscripta, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae et munita, ad valvas ecclesiae Ulyxbonensis affixa, ita omnes arctent et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX iunii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20 iunii 1625, pontif. anno II.

1 Edit. Main. legit *tenorem* (R. T.).

CXLV.

Decreta S. Congregationis Concilii de celebratione missarum, ac de prohibitione illas moderandi seu reducendi absque Sedis Apostolicae licentiâ. Nec non de earumdem oneribus perpetuis suscipiendis; et de religiosorum numero ultra redditus et consuetas eleemosynas locorum regularium non habendo[1].

Causae edendi haec decreta.

Cum saepe contingat in quibusdam ecclesiis tam magnum missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis aut piorum eleemosynis impositum esse, ut illis pro singulis diebus praescriptis nequeat satisfieri; et tamen nova onera missarum in dies suscipiantur; indeque fiat, ut depereant piae testantium voluntates, obstricta benefactoribus fides violetur, defunctorum animae suffragiis priventur, ecclesiis debitus subtrahatur cultus, ac christifideles gravi scandalo affecti, plerumque a similibus charitatis operibus retrahantur; cumque his malis maximum inter cetera fomentum praebeat, aut[2] quod ii, qui missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent, illas brevi ad pauciorem numerum a superioribus reductum[3] iri, aut quod ecclesiis, sorte pecuniarum absumptâ, plerumque nuda remaneant onera missarum absque ullo emolumento, aut quod eleemosyna pro illis celebrandis sit adeo tenuis, ut non facile inveniantur, qui velint huic se muneri subiicere, et redditus ecclesiae aut monasterii adeo exigui, ut sacerdos pro necessariâ suâ sustentatione novis se oneribus obstringere compellatur: sacra Congregatio cardinalium Concilii Tridentini interpretum, animadvertens, facturam se rem Deo gratissimam, charitatique ac iustitiae maxime consentaneam, si pro viribus satagat hunc deterrimum abusum e christianâ republicâ convellere atque eradicare, SS. D. N. Urbani divinâ providentiâ Papae VIII auctoritate sibi specialiter attributâ, infrascripta decreta edidit.

Pro reductione missarum recurrendum omnino ad Sanctam Sedem.

§ 1. Ac primo districte prohibet, atque interdicit, ne episcopi in dioecesanâ synodo, aut generales in capitulis generalibus, vel aliàs quoquomodo, reducant onera ulla missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apostolicam Sedem recurratur, quae, re diligenter perspectâ, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur: alioquin reductiones, moderationes et commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decernit.

Missae celebrandae ad rationem attributae eleemosynae.

§ 2. Deinde, ubi, pro pluribus missis etiam eiusdem qualitatis celebrandis, stipendia, quantumcumque incongrua et exigua, sive ab unâ sive a pluribus personis collata fuerint aut conferentur in futurum, sacerdotibus, ecclesiis, capitulis, collegiis, hospitalibus, societatibus, monasteriis, conventibus, congregationibus, domibus, ac locis piis quibuscumque, tam secularibus quam regularibus, sacra Congregatio sub obtestatione divini iudicii mandat ac praecipit, ut absolute tot missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suae obligationi non satisfaciant, quinimo graviter peccent et ad restitutionem teneantur.

Revocatio indultorum satisfaciendi oneri plurimarum missarum aliquibus collectis, sive orationibus.

§ 3. Id vero ut deinceps observetur exactius, sacra Congregatio eâdem auctoritate revocat privilegia et indulta omnia quibusvis personis, ecclesiis, ac locis piis,

1 Super his decretis multae postea sunt ortae dubitationes, quibus eadem sacra Congregatio respondit, et SS. D. N. responsa confirmavit et approbavit, quae omnia mox tibi subiiciam.

2 Vocem *aut* puto heic abundare (R. T.).

3 Aptius legeretur *reductas* (R. T.).

tam secularibus quam regularibus, cuiuscumque ordinis, congregationis et instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum missarum vel anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis seu orationibus, plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

Certa eleemosina pro missae celebratione suscepta integra celebranti tradi debet.

§ 4. Ac similiter, omne damnabile lucrum ab ecclesiâ removere volens, prohibet sacerdoti, qui missam suscepit celebrandam cum certâ eleemosynâ, ne eamdem missam alteri, parte eiusdem eleemosynae sibi retentâ, celebrandam committat.

Pecuniae vel bona pro missis celebrandis relicta deponi debent,

§ 5. Praeterea, ne in ecclesiis, in quibus onera missarum in perpetuum imposita sunt, sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eo tepidiores ac segniores reddantur, quod onera huiusmodi cum nullâ aut parvâ sint utilitate coniuncta, statuit atque decernit, ut pecuniae ac bona mobilia ecclesiis, capitulis, collegiis, hospitalibus, societatibus, congregationibus, monasteriis, conventibus, ac locis omnibus, tam secularibus quam regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo missarum celebrandarum, ab iis, ad quos pertinet, sub poenâ interdicti ab ingressu ecclesiae ipso facto incurrendâ, a die realis acquisitionis statim debeant penes aedem sacram, vel personam fide et facultatibus idoneam, deponi, ad effectum illa seu illorum pretium quamprimum investiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expressâ et individuâ mentione oneris, quod illis annexum reperitur.

Et cum eodem onere investiri.

§ 6. Ac si eadem bona immobilia auctoritate apostolicâ deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium, sub eâdem poenâ, ut supra, deponi, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis cum eiusdem oneris repetitione atque annexione converti debeat.

Onera perpetua missarum non recipienda sine legitimi superioris licentiâ.

§ 7. Ad haec sacra Congregatio quibusvis capitulis, collegiis, societatibus et congregationibus, necnon omnibus et singulis ecclesiarum ac piorum locorum, tam secularium quam regularium, superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, districte prohibet, ne imposterum onera perpetua suscipiant missarum celebrandarum, seculares quidem sine episcopi, vel eius generalis vicarii, regulares vero sine generalis vel provincialis consensu et licentiâ in scriptis et gratis concedendâ: alioquin secularis, qui huius prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu ecclesiae interdictus sit eo ipso; regularis vero poenam privationis omnium officiorum, quae tunc obtinebit, ac perpetuae inhabilitatis ad alia de cetero obtinenda, vocisque activae ac passivae, absque aliâ declaratione, incurrat.

Manuales vero elemosinae non accipiendae, nisi nova onera possint adimpleri.

§ 8. Eleemosynas vero manuales et quotidianas pro missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis, et capsulas auferant ab ecclesiis cum inscriptione illâ, *Eleemosyna pro missis*, vel aliâ simili, sub iisdem poenis ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur.

Quando licentia a superioribus sit danda nova onera suscipiendi.

§ 9. Episcopus vero, seu eius vicarius, aut generalis, vel provincialis, ubi de licentiâ pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis missarum celebrandarum obligationibus cuique ecclesiae, monasterio, aut loco pio incumbentibus; nec antea assensum huiusmodi aut licentiam praebeant, quam eis legitime constiterit, illius sacerdotes tam novo oneri suscipiendo, quam antiquis iam susceptis satisfacere posse, praecipuamque rationem habeant, ut redditus, qui ecclesiis et locis piis relinquuntur, omnino respondeant

oneribus adiunctis, secundum morem cuiusque civitatis vel provinciae, intelligantque, si in re tanti momenti desides aut negligentes fuerint, in novissimo die se huius praetermissi muneris rationem esse reddituros.

Mandatum superioribus regularibus de recognoscendis redditibus et obventionibus singulorum monasteriorum, etc.

§ 10. Postremo illustrissimi patres non sine gravi animi dolore intelligentes, mala fere omnia, quae regularem disciplinam evertunt, ac praecipue nimiam hanc facilitatem fovent in oneribus missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infectâ radice pullulare ex maiori regularium numero, quam ferant redditus et eleemosynae cuiusque monasterii, inhaerentes summorum Pontificum, ac sacri Tridentini Concilii decretis hac de re editis, SS. D. N. auctoritate praecipiunt ac mandant omnibus et singulis generalibus, provincialibus, commissariis, ministris, praesidentibus, abbatibus, prioribus, praepositis, guardianis, vicariis et quibuscumque aliis superioribus monasteriorum, conventuum, ac domorum regularium bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cuiuscumque Ordinis, congregationis et instituti existentium, intra fines Italiae et insularum adiacentium, ut singuli, ad quos pertinet, in qualibet provinciâ, adhibitis duobus aut tribus regularibus sui Ordinis vel congregationis probatioribus et rerum usu peritioribus, bona immobilia, census, redditus et proventus omnes, consuetas item eleemosynas et obventiones, tam communes monasteriorum, conventuum et domorum eiusdem provinciae, quam etiam singularibus personis religiosis assignatas, seu permissas, in communem usum deinceps conferendas, decem annorum immediate praecedentium habitâ ratione, diligenter et mature recognoscant, iis omnibus detractis, quae reparationes, praestationes, grandines, sterilitates, aliave cuiuslibet generis onera consueverunt absorbere;

Et praefigendo religiosorum in unaquaque provincia numero.

§ 11. Eaque omnia scripto fideliter exarata, idem superior, cuius interest, in proximo capitulo seu congregatione generali vel provinciali coram tribus iudicibus ab ipsomet capitulo seu congregatione deligendis proponat, qui, computatis huiusmodi redditibus, eleemosynis et obventionibus universis, et oneribus ut supra detractis, sedulo examinent, quot religiosi homines, connumeratis etiam laicis, aliisque necessariis servientibus, in unoquoque monasterio, conventu et domo regulari iuxta regionis et proprii instituti morem, victum et vestitum et medicinalia in communi habentes, competenter valeant sustentari. Tum eorumdem bonorum, reddituum, eleemosynarum et onerum praecisam notam ipsimet capitulo seu congregationi exhibeant, ut in illo diligenter omnibus discussis, cuiusque familiae, monasterii, conventus, ac domus regularis in singulâ quaque provinciâ certus earum tantum personarum numerus, patrum capitularium voto, praefigatur, quae redditibus, eleemosynis et obventionibus, ut superius, sufficienter ali possint.

Notulaque sacrae Congregationi exhibenda.

§ 12. Ne vero superiores, qui id praestare debent, serius, aut remissius, quam par est, suo muneri satisfaciant, mandat sacra Congregatio, ut infra annum, post proximum capitulum generale vel provinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter gesta, in authenticam formam redacta, ad sacram ipsam Congregationem Concilii singuli mittant.

Qui numerus religiosorum sine Congregationis licentiâ augeri non potest.

§ 13. Numerumque familiae, singulorumque conventuum, monasteriorum et domorum huiusmodi regularium, capituli seu congregationis generalis vel provincialis sententiâ et auctoritate praefinitum, iidem superiores, tam generales et provinciales omnes, quam locales, perpetuo servare omnino teneantur, nec possint illum quoquomodo augere, etiam praetextu augmenti reddituum, absque sacrae ipsius

Congregationis licentiâ. Superiores autem huiusmodi, qui praedicta omnia in praefixo termino non praestiterint, vel numerum, ut supra praescriptum, quovis modo augere praesumpserint, privationis omnium officiorum, quae tunc temporis obtinebunt, vocisque activae ac passivae, et ad omnia suae religionis officia et gradus inhabilitatis perpetuam poenam eo ipso incurrere, atque aliis etiam gravioribus a Sede apostolicâ infligendis sacra Congregatio subiacere voluit et declaravit.

Quibus conditionibus novi conventus recipi queant.

§ 14. Deinceps vero monasterium, conventus, domus, congregatio, vel societas religiosorum seu regularium, nullibi recipiatur, nisi, praeter alia ad id requisita, in singulis eiusmodi locis duodecim saltem fratres, aut monachi, seu religiosi degere et ex redditibus et consuetis eleemosynis, detractis omnibus ut supra detrahendis, competenter sustentari valeant, ad praescriptum decreti a felicis recordationis Gregorio XV hac de re editi. Alioquin monasteria et loca huiusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim religiosi, ut supra, sustentari, atque inhabitare non poterunt, et actu non inhabitaverint, Ordinarii loci visitationi, correctioni, atque omnimodae iurisdictioni subiecta esse intelligantur.

Haec decreta singulis sex mensibus in mensâ legenda.

§ 15. Porro, ne ullo unquam tempore haec in oblivionem seu desuetudinem habeant, superiores locales cuiusque monasterii, conventus, ac domus regularis curare atque efficere teneantur, sub poenâ privationis officii, vocisque activae et passivae ipso facto incurrendâ, ut in perpetuum, sexto quoque mense, idest feriâ secundâ post primam dominicam adventus et feriâ sextâ post octavam Corporis Christi, praesentes ordinationes in publicâ mensâ perlegantur.

Eaque interpretari nemini liceat.

§ 16. Omnibus, tam ecclesiasticis personis, cuiuscumque sint ordinis, conditionis et gradus, quam laicis, quocumque honore ac potestate praeditis, praesentia decreta declarandi vel interpretandi facultate penitus interdictâ.

Derogatio contrariorum.

§ 17. Non obstantibus, quod[1] suprascripta omnia et singula in praesentibus decretis contenta, constitutionibus et ordinationibus apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium quam non Mendicantium, militiarum, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, congregationum, societatum, ac cuiuslibet alterius instituti, etiam necessario et in individuo exprimendi, ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, collegiorum, capitulorum, hospitalium, confraternitatum, et aliorum quorumcumque tam secularium quam regularium locorum; necnon illorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis) statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam *mari magno*, seu *bulla aurea*, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis seu extensionis concessis et iteratis vicibus approbatis et innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus et formis, specialis et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro expressis habens, quibus quoad ea quae praesentibus adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, sacra Congregatio, Sanctitatis

1 Aut legendum *quoad*, aut *quod valeant* (R.T).

Suae auctoritate, specialiter et expresse derogat, ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentium decretorum publicatio.

§ 18. Et, ne praemissorum ignorantia a quoquam praetendi possit, voluit eadem sacra Congregatio, ut praesentes ordinationes in valvis basilicarum S. Ioannis Lateranensis et Principis apostolorum de Urbe et in acie Campi Florae, ut moris est, affixae, omnes, ad quos pertinet, ita arctent et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent;

Et fides transumptorum.

§ 19. Utque earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, die XXI iunii MDCXXV.

COSMUS card. DE TORRES.

PROSPER FAGNANUS S. C. Secr.

Anno D. N. Iesu Christi MDCXXV, *indictione* VIII, *pontificatus autem in Christo Patris et D. N. D. Urbani divinâ providentiâ Papae VIII, anno eius* III, *die vero* XXII *mensis septembris, suprascripta decreta affixa et publicata fuerunt ad valvas basilicarum S. Ioannis Lateranensis et Principis apostolorum, ac in acie Campi Florae, ut moris est, per nos Camillum Fundatum et Fabium Æmilianum, SS. D. N. Papae cursores.*

BRANDIMANTES LATINUS, praelibati SS. D. N. Papae ac S. Rom. et univ. inquis. pro mag. DD. cursorum.

Sequuntur dubia ac declarationes aliquot sacrae Congregationis Concilii SS.D.N. Urbani Papae VIII auctoritate editae super decretis eiusdem Congregationis de celebratione missarum.

I. Super primo sacrae Congregationis decreto de celebratione missarum, quo prohibetur, ne episcopi in dioecesanâ synodo, aut generales in capitulis generalibus, vel aliàs quoquomodo reducant onera ulla missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis;

Quaeritur: quid[1] si legatum sit ita tenue, ut non sit qui velit onus illi iunctum subire, et, si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis?

Et quid, si permittatur episcopo in fundatione, ut possit huiusmodi onera moderari?

II. Super secundo eiusdem congregationis decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot missae, quot ad rationem tributae eleemosynae praescriptae fuerint;

Quaeritur: an verba illa *praescriptae fuerint* intelligenda sint de praescriptione factâ ab offerente, vel ab Ordinario?

III. An, cum Ordinarius praescripserit eleemosynam congruam iuxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, sacerdotes accipientes stipendium minus congruo teneantur missas illis ab offerente praescriptas celebrare?

IV. An sacerdotes, qui tenentur missas celebrare ratione beneficii, seu cappellaniae[2] legati, aut salarii, possint etiam manualem eleemosynam pro missis votivis, aut defunctorum, recipere et unico missae sacrificio utrique oneri satisfacere.

V. Posito, quod testator relinquat, ut celebrentur pro eius animâ centum missae, absque ullâ praescriptione eleemosynae;

Quaeritur: an liberum sit haeredibus eleemosynam sibi bene visam praescribere, an vero eadem eleemosyna praescribenda sit ab Ordinario?

VI. Super tertio Congregationis decreto, in quo eadem Congregatio revocat privi-

1 Perperam edit. Main. legit *quod* (R. T.).

2 Sic infra pag. 342 *a*. Perperam edit. Main. legit *cappellani*; ed. Cher. h. cappellae (R. T.).

legia, quibus indulgetur, ut certarum missarum vel anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis seu orationibus, plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat;

Quaeritur, an verba *in futurum suscipiendis* intelligenda sint de oneribus suscipiendis post privilegium?

VII. Super quarto eiusdem Congregationis decreto, quo prohibetur sacerdoti, qui suscepit missam celebrandam cum certâ eleemosynâ, ne eamdem missam alteri, parte eiusdem eleemosynae sibi retentâ, celebrandam committat;

Quaeritur, an permittendum sit administratoribus ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis ecclesiae, altarium, inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiae et similium?

VIII. An hoc decretum habeat locum in beneficiis, quae conferuntur in titulum; idest, an rector beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem reddituum beneficii?

X[1]. An sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna maior solitâ pro celebratione missae, debeant dare eamdem integram eleemosynam iis, quibus missas celebrandas committunt: an vero satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam.

XI. Super quinto eiusdem Congregationis decreto, quo inter cetera statuitur in haec verba *eleemosynas vero manuales et quotidianas pro missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant; alioquin omnino abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futuram recipiendis, et capsulas auferant,* etc.

1 Numerum retinemus, etsi praeter ordinem, quia in aliis quoque editionibus idem legitur (R.T)

Quaeritur, an hoc decretum prohibeat absolute, quominus accipiant novas eleemosynas ii, qui acceptis non satisfecerunt; et quid si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

XII. Quid si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, ut sacerdos missam celebret cum primum poterit?

XIII. An poena interdicti et aliae appositae in eodem decreto afficiant tam eos qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi praescriptam, quam eos qui non auferunt capsulas ab ecclesiis, ut ibidem praecipitur?

XIV. An in hoc decreto comprehendantur illae capsulae, quae apponi solent in ecclesiis in die commemorationis Omnium Sanctorum[1] et vulgo dicuntur *(Casse de' morti)?*

XV. An administratores ecclesiae magnae devotionis et concursus possint eleemosynas pro missis celebrandis accipere, si iisdem missis nonnisi post longum tempus satisfacere valeant, ne aliàs cultus ecclesiae et devotio ac concursus fidelium, ut aiunt, minuantur?

XVI. Quia prohibitio dicti decreti videtur aliquibus directa solis capitulis, collegiis, societatibus, congregationibus, necnon omnibus et singulis ecclesiarum et piorum locorum tam secularium quam regularium superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem privatis sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausulâ generali *et aliis ad quos pertinet,* supplicatur pro opportunâ declaratione?

XVII. Super septimo eiusdem sacrae Congregationis decreto, quo cavetur, ut in singulis monasteriis religiosorum praefigatur numerus, qui ex consuetis redditibus aut eleemosynis commode possit sustentari;

Quaeritur; an ubi haec praefixio facta

1 Sic oēs edit. Nescio an legere foret *Fidelium defunctorum* (R. T.).

iam fuit in vim similis decreti sanctae memoriae Pauli V absque tamen computatione reddituum cuiusque religiosi, sit denuo facienda, necne?

XVIII. An novitii ad habitum regularem admissi possint admitti ad professionem in monasteriis, in quibus, habitâ ut supra praefixione numeri, commode ali non possunt?

XIX. Super ultimo, quo cavetur, ut nullibi recipiantur conventus regularium, nisi, praeter alia ad id requisita, duodecim saltem fratres in eis degere et competenter sustentari valeant, ita ut alioquin subsint iurisdictioni Ordinariae;

Quaeritur: an hoc decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem missarum, comprehendat eas religiones, quae non consueverunt onera missarum recipere, ut sunt religiones Cappuccinorum, ac Societatis Iesu?

Ultimo: an idem decretum, ubi disponit, ut *nullibi recipiantur monasteria, nisi,* etc., habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum decretum proxime antecedens, an vero etiam extra Italiam?

Subsequuntur declarationes seu responsiones ad supradicta dubia.

Sacra Congregatio cardinalium Concilii Tridentini interpretum, auctoritate sibi a SS. D. N. attributâ, ad singula dubia superius proposita in hunc modum respondit, videlicet:

Ad I. Etsi legatum sit adeo tenue, nihilominus, pro reductione oneris, ut supra impositi, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quae absque ullâ impensâ id statuet, quod magis in Domino e re esse iudicaverit. Verumtamen, si in ipsâ beneficii erectione expresse cautum fuerit, ut liceat episcopo iniunctum onus reducere ac moderari, legem hanc fundationis, quam decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam et observandam.

Ad II. Esse intelligenda de praescriptione factâ ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod si tribuens eleemosynam numerum missarum celebrandarum non praescripserit, tunc tot missas celebrari debere, quot praescripserit Ordinarius secundum morem civitatis vel provinciae.

Ad III. Teneri.

Ad IV. Sacerdotes quibus diebus tenentur missas celebrare ratione beneficii, seu capellaniae, legati, aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam missis celebrandis susceperint, non posse eâdem missâ utrique obligationi satisfacere.

Ad V. Censuit, ubi nullam certam eleemosynam testator reliquit, esse ab episcopo praescribendam eleemosynam congruam, quae respondeat oneribus missarum celebrandarum, secundum morem civitatis, vel provinciae.

Ad VI. Ita esse intelligenda.

Ad VII. Respondit, permittendum non esse, ut ecclesiae, ac loca pia, seu illorum administratores, ex eleemosynis missarum celebrandarum ullam, utcumque minimam, portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in missarum celebratione, nisi cum ecclesiae et loca ipsa alios non habent redditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licite possint; et tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet tantum missae sacrificio necessario sunt subeundae, et nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quae supersunt, expensis ut supra deductis, absolute tot missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Ad VIII. Non habere locum, sed satis esse, ut rector beneficii, qui potest missam per alium celebrare, tribuat sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundum morem civitatis, vel provinciae,

nisi in fundatione ipsius beneficii aliud cautum fuerit.

Ad X. Debere absolute integram eleemosynam tribuere sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.

Ad XI. Respondit, non prohibere absolute; ac propterea, etsi oneribus iam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad XII. Quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum missarum celebratione sciat et consentiat, ut illae tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, decretum non prohibere, quominus eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem missis iuxta benefactoris consensum celebrandis.

Ad XIII. Has poenas non habere locum, nisi in suscepturis onera perpetua missarum celebrandarum sine licentiâ episcopi, vel eius generalis vicarii, aut generalis vel provincialis.

Ad XIV. Comprehendi.

Ad XV. Non posse, nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt, ut supra in responsione ad XII.

Ad XVI. Comprehendi etiam privatos sacerdotes.

Ad XVII. Numeri praefixionem esse iterûm faciendam, servatâ formâ ultimi decreti hac de re editi.

Ad XVIII. Esse admittendos ad professionem, si alias habiles existant; ac deinde in aliquo alio monasterio eiusdem religionis esse collocandos, ubi commode ali possint.

Ad XIX. Censuit comprehendere.

Ad ultimum. Habere locum extra Italiam.

COSMUS card. DE TORRE.

PROSPER FAGNANUS, S. C. Secr.

CLVI.

Confirmatur concordia inita inter capitula aliosque ecclesiasticos regnorum Castellae et Legionis super solutione decimae a nonnullis Pontificibus Philippo IV Hispaniarum regi concessae, ac prorogatae[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Pro nostro munere[2] in his partes nostras libenter interponimus, quae ad concordiam et pacem inter catholicos reges et ecclesiasticas personas, super exactionibus, apostolicâ auctoritate, faciendis, pertinere dignoscuntur. Exordium.

§ 1. Nuper siquidem, sicut nobis nuper exponi fecerunt charissimus in Christo filius noster Philippus IV Hispaniarum rex catholicus, ac dilecti filii singularum Toletanae, Ispalensis, Compostellanae, Granatensis, Burgensis, Legionensis, Palentinae, Ovetensis, Seguntinae, Conchensis, Pampilonensis, Giennensis, Zamorensis, Astoricensis, Malacitanae, Cauriensis, Pacensis, Auriensis, Canariensis, Gaudixensis, Segobiensis, Civitanensis, Calaguritanae, Calciatensis, Salamitanae, Oxomensis, Vallisoletanae, Lucensis, Mindoniensis, Almeriensis, Tudensis, Abulensis, Oriolensis, Palentinae, Carthaginensis et Guadicensis ecclesiarum capitula, quae universum clerum regnorum Castellae et Legionis repraesentant, considerantes dictus Philippus rex et capitula praedicta gratiam et constitutionem[3] primae decimae quarumlibet dictarum ecclesiarum et parochialium in omnibus Hispaniarum regnis et insulis illis adiacentibus dudum per felicis recordationis Pium Papam V praedecessorem nostrum clarae memoriae Philppo II Hi- Causae ineundi concordiam

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Similem Pauli V Const. vid. tom. XII, pagina 280 (R. T.).

3 In loco parallelo legitur *concessionem* (R.T.).

spaniarum regi catholico praedicti Philippi IV regis avo ad quinquennium concessam, et postea pluries a recolendae memoriae Gregorio XIII, et deinde a Sixto V, et postmodum a Gregorio XIV, a Clemente VIII, ac denique a Paulo V, Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris[1], eidem Philippo II, ac clarae similiter memoriae Philippo III ipsius Philippi II nato, et dicti Philippi IV genitori, pluries, et in ultimâ vice ad aliud quinquennium, a principio anni MDCXXII inchoatum, et in fine anni MDCXXVI finiendum, respective prorogatam et extensam[2] (prout in singulis eorumdem praedecessorum desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur), si eisdem modo et formâ, quibus concessa est, exequutioni demandaretur, id non sine eiusdem cleri incommodo exequi posset, cupientesque praemissis eâ, qua fieri posset, ratione occurri, quo facilius illa, ad quae tenentur, ab ipsis adimpleri valeant, ipsaeque personae ecclesiasticae onus illis eam ob causam incumbens supportare facilius possint, ad infrascriptam concordiam per earum procuratores ad hoc specialiter deputatos devenerunt:

Concordiae tenor.

§ 2. In primis, quod praedictus status ecclesiasticus coronae Castellae et Legionis darent et solverent dicto Philippo IV regi, seu personae ab eo deputatae, ducentos et quinquaginta mille ducatos, qui ascenderent ad numerum nonaginta trium millionum et septingentorum quinquaginta millium morapetinorum, quolibet anno, durantibus quinque annis prorogationis, pro iis, quae ad huiusmodi effectum dicto regi debentur, et ad eum spectant, ratione dictorum regnorum Castellae et Legionis (non comprehensis in praesenti concordiâ et repartitione dictorum ducentorum et quinquaginta millium ducatorum regnis[1] Aragoniae, Cathaloniae et Valentiae ac insulis adiacentibus, ita ut dictus Philippus IV rex ab ipsis possit exigere illud, quod sibi ex prorogatione huiusmodi provenit, exceptâ ecclesiâ Oriolensi, cuius dispositio et pars ingreditur et computatur unâ cum statu ecclesiastico coronae Castellae et Legionis); et quia transactionis et concordiae huiusmodi instrumentum, antequam gratiae praedictae prorogatio currere inciperet, stipulari debebat, id autem factum minime fuit, quia ecclesiae distulerunt, insimul se congregare ad eum effectum, ideo hac dilatione durante datae fuerunt cedulae, vulgo *libranzas*, summae ducentorum et quinquaginta mille ducatorum ab eis solvenda in fine iunii et novembris anni MDCXXIII pro medietate in argenteâ et alterâ medietate in aeneâ monetâ, quam vulgo de *Vellon* nuncupant, pro fructibus anni MDCXXII, qui fuit primus huius quinquennii eidem Philippo III regi, ut praefertur, ultimo prorogati, et solverunt, non obstantibus protestationibus factis, quod non tenebantur, et aliis causis, est pactum et conditio huius transactionis et concordiae, quod pro solutione factâ de dicto mense pro medietate in monetâ argenteâ quidquam deduci vel detrahi minime debeat, et quod, ratione solutionis factae de mense novembris sequentis pariter in monetâ argenteâ, solutio mensis iunii anni MDCXXIV ab ipsis in monetâ aeneâ de Vellon nuncupatâ recipi debeat: et quod quarta pars septem solutionum successivarum, quae complebuntur in fine anni MDCXXVII, debeat fieri in monetâ argenteâ, et aliae tres partes in monetâ aeneâ de Vellon nuncupatâ, pro huiusmodi quinquennio, absque eo quod deinceps trahatur in consequentiam; quas

1 Cfr. Pauli V Constit. CCLVII, tom. XII, pag. 280 seqq. (R. T.).

2 Male ed. Main. legit *prorogatum et extensum* (R. T.).

1 Male ed. Main. legit *regni* (R. T.).

solutiones dabunt et facient suis sumptibus in capitulis cuiusvis dioecesis reddituum decimalium et primitialium, quas habebunt, quia super istis, et non super ullis aliis redditibus ecclesiasticis, debent repartiri et recuperari quomodolibet dictorum quinque annorum dicti ducenti et quinquaginta mille ducati; et ex nunc remaneant obligatae, prout obligant capitula generaliter, et debeant se obligare in particulari pro solutionibus, quarum remanent debitores pro quinquennio ipsi Philippo regi III, ut praefertur, prorogato, iuxta repartitionem, quae est ut sequitur:

Distributio summarum a capitulis solvendarum.

Capitulum ecclesiae Toletanae pro se et suâ dioecesi solvet summam quatuordecim millionum, ac septingentorum et decem millium nongentorum et triginta morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Hispalensis, pro se et suâ dioecesi, novem millionum, sexcentorum et sexaginta quinque millium, et trecentorum et triginta octo morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Salamantinae, pro se et suâ dioecesi, duorum millionum, ducentorum et nonaginta sex millium, duodecim morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Zamorensis, pro se et suâ dioecesi, duorum millionum, septuaginta et novem millium ducentorum, et quinquaginta septem morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Seguntinae, pro se et suâ dioecesi, duorum millionum, sexcentorum et quadraginta trium millium, centum et quadraginta septem morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Conchensis, pro se et suâ dioecesi, quatuor millionum, sexaginta et duorum mille, quingentorum et octuaginta et unius morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Cartaginensis, pro se et suâ dioecesi, unius millionis, quingentorum et octuaginta et quatuor mille, ducentorum et quadraginta septem morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Oriolensis, pro se et suâ dioecesi, quadringentorum ac quadraginta millium, trecentorum et nonaginta septem morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Cordubensis, pro se et suâ dioecesi, trium millionum, quadringentorum et quinquaginta duorum mille, centum et octuaginta ac quinque morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Pacensis, pro se et suâ dioecesi, unius millionis, sexcentorum et novem millium, nongentorum et decem morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Cauriensis, pro se et suâ dioecesi, unius millionis, quingentorum ac nonaginta novem mille, ducentorum et quatuordecim morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Placentinae, pro se et suâ dioecesi, duorum millionum, trecentorum et novem millium, septingentorum ac viginti et unius morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Giennensis, pro se et suâ dioecesi, duorum millionum, ducentorum et nonaginta quatuor millium, quadringentorum et sexaginta octo morapetinorum;

Capitulum ecclesiae sancti Iacobi, pro se et suâ dioecesi, duorum millionum, septingentorum et undecim millium, ducentorum et quingaginta octo morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Burgensis, pro se et suâ dioecesi, quinque millionum, centum et triginta duo millium, quingentorum et sex morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Legionensis, pro se et suâ dioecesi, duorum millionum, nuncupatorum[1], ducentorum et octuaginta sex millium, et quinquaginta novem morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Ovetensis, pro se et suâ dioecesi, unius millionis, quadraginta duorum millium, octingentorum et viginti sex morapetinorum;

1 Vide an praeter rem sit vox *nuncupatorum* (R. T.).

Capitulum ecclesiarum Calaguritanae et Calciatensis, pro se suisque dioecesibus, duorum millionum, octingentorum et trium millium, centum et sexaginta quatuor morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Astoricensis, pro se et suâ dioecesi, unius millionis, ducentorum et sexaginta millium, et sexaginta et octo morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Abulensis, pro se ac suâ dioecesi, trium millionum, quinquaginta duorum millium, et quadraginta sex morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Segobiensis, pro se et suâ dioecesi, duorum millionum, ducentorum et quadraginta septem millium, trecentorum nonaginta et unius morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Oxomensis, pro se ac suâ dioecesi, duorum millionum, ducentorum et duorum millium, ducentorum et nonaginta novem morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Auriensis, pro se et suâ dioecesi, unius millionis, centum ac quinquaginta quatuor millium, centum decem et octo morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Lucensis, pro se et suâ dioecesi, quadringentorum decem et sex millium, et septuaginta duorum morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Mindoniensis, pro se et suâ dioecesi, ducentorum et nonaginta trium millium, septingentorum et quadraginta morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Tudensis, pro se ac suâ dioecesi, quingentorum millium, nongentorum et quinque morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Palentinae, pro se et suâ dioecesi, trium millionum, sexcentorum et quinquaginta millium, sexcentorum et nonaginta et unius morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Vallisoletanae, pro se ac suâ dioecesi, unius millionis, sexcentorum et tredecim millium, et nonaginta duorum morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Civitatensis, pro se ac suâ dioecesi, septingentorum et quatuordecim millium, et quadraginta sex morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Guadicensis, pro se et suâ dioecesi, sexcentorum et sexaginta septem millium, et quinquaginta novem morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Granatensis, pro se et suâ dioecesi, unius millionis, quadringentorum nonaginta et octo millium, nongentorum ac quinquaginta septem morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Malacitanae, pro se ac suâ dioecesi, unius millionis, trecentorum et nonaginta septem millium, trecentorum et quinquaginta sex morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Guadixensis, pro se ac suâ dioecesi, trecentorum et viginti quatuor millium, centum et otcuaginta octo morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Almeriensis, pro se ac suâ dioecesi, trecentorum et viginti sex millium, septingentorum et quinquaginta et unius morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Pampilonensis, pro se ac suâ dioecesi, unius millionis, quadringentorum et septuaginta duorum millium, centum ac quinquaginta ac quinque morapetinorum;

Capitulum ecclesiae Canariensis, pro se et eius dioecesi, quingentorum decem et octo millium, sexcentorum et duorum morapetinorum;

Abbatia de Alfaro, octuaginta novem millium, quingentorum et octuaginta septem morapetinorum;

Abbatia de Agreda, centum et quinquaginta sex millium, septingentorum et octuaginta morapetinorum;

Vicaria de Alva de Liste, centum et septuaginta novem millium, centum et septuaginta septem morapetinorum;

Vicaria de Huescar, centum et triginta

trium millium, octingentorum, quadraginta unius morapetinorum;

Abbatia de Baza, centum et quinquaginta octo millium, centum viginti et unius morapetinorum;

Milites militiae S. Iacobi, duorum millionum, noningentorum et undecim millium, sexcentorum ac triginta quatuor morapentinorum;

Milites militiae de Calatrava, duorum millionum, centum et octuaginta trium millium, septingentorum et vigintiquatuor morapetinorum;

Milites militiae de Alcantara, unius millionis, noningentorum et trium millium, septingentorum et septuaginta morapetinorum:

Alii concordiae articuli.

Insuper, quod aliquis de comprehensis, in praedictâ concessione et prorogatione, cuiusvis dignitatis et praeeminentiae, ordinis et religionis existat, non eximeretur[1], neque exemptus fuisse censebitur a solutione ratae illum tangentis dictorum ducentorum et quinquaginta millium ducatorum quolibet anno dictis quinque annis durantibus; et quod, si per nos aut dictum Philippum regem aliquis exemptus esset aut eximeretur, ex dictis personis vel militiis, ordinibus, aut quavis aliâ dignitate fulgentibus, sic comprehensus in dictâ concessione et prorogatione, idem Philippus rex fieri mandet desuper iustam refectionem, recipiendo ab ipsis ecclesiis ad suum computum, defalcando ex dictis ducentis et quinquaginta mille ducatis ratam tales personas vel milites tangentem:

Rursus, quod quaelibet personae cuiuscumque dignitatis et qualitatis existant, quae percipiunt et percipient pensiones, comprehendi debeant, ad effectum contribuendi ad instar aliorum reddituum decimalium, in divisione huiusmodi ducentorum et quinquaginta millium ducatorum, non obstante quacumque clausulâ, exemptione, praerogativâ, aut donatione et obligatione, etiam in formâ camerae et in sui favorem factis:

Quodque decimae et tertiae, quas idem Philippus rex habet, etiam quocumque modo possidet, vel aliàs vendidit aut impignoravit cum evictione et immunitate ac declaratione quod sint et esse debeant liberae a divisione et subsidio et qualibet aliâ impositione apostolicâ, remanere debeant liberae et salvae a repartitione dictorum ducentorum et quinquaginta millium ducatorum, absque eo quod hac de causâ vel aliquâ aliâ, nisi ex contentis in praesenti concordiâ, aliquid minuatur in summâ ducentorum et quinquaginta millium ducatorum huiusmodi;

Reliquae vero tertiae, decimae et aliae[1] primitiae per quascumque ecclesias, collegia, universitates, monasteria et quascumque personas possessae et perceptae, quocumque titulo, iure, consuetudine seu privilegio fuerint, remaneant comprehensae, et contribuere debeant in dictâ divisione ducentorum et quinquaginta millium ducatorum huiusmodi:

Insuper, quod dictus Philippus rex recipere debeat et recipiat ad computum omne id quod tanget et fuerit iuste distributum mensis archiepiscopalibus et episcopalibus dictorum regnorum Castellae et Legionis, eâdem sede vacante, intuitu dictorum ducentorum et quinquaginta millium ducatorum:

Quodque idem Philippus rex debeat mandare, dari quascumque cedulas ac mandata solita et necessaria ad effectum, ut brachium seculare det et praestet favorem et auxilium ad exequutionem et exactionem dictae divisionis praedictorum ducentorum et quinquaginta millium ducatorum et expensarum desuper faciendarum, et ut negotia praesentem concordiam tangentia non ducantur seu trahantur in

1 Aptius in loc. parall. cit. leg. *eximetur* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *alia* (R. T.).

audientias regias per vim, neque in illis se intromittant:

Quodque lites competentiarum, quae causabuntur super solutione subsidii, ut praefertur, prorogati, non possint trahi, neque trahantur ad aulam competentiarum, neque ad concilium, neque ad aliud tribunal, nisi ad infrascriptos exequutores et commissarios, et quod ab eis videantur et determinentur, alioquin praesens concordia nulla sit:

Quodque pro iudicibus, commissariis apostolicis et exequutoribus generalibus dictae concessionis et prorogationis dentur et debeant dari provisiones et subdelegationes iudicum, et omnia recapita necessaria pro solutione subsidii prorogati huiusmodi, et expensarum: quodque ea, quae debentur capitulo seu dignitati vel canonico, possint recuperari per iudices subdelegatos, etiamsi aliquam in hoc experiantur difficultatem, dummodo tamen huiusmodi debitum sit de fructibus seu redditibus[1], quod debet et solvit subsidium, neque excedat quantitatem, quae unicuique fuerit repartita, et aliàs, prout continetur in institutionibus, ac provisionibus et scripturis circa illud datis:

Quodque per pragmaticam a dicto Philippo rege de anno MDCXXII publicatam, inter alia prohibentem, ne in scripturis concessionum, sive arrendamentorum, reddituum et debitorum summissiones iustitiis, neque salaria personis, quae illas exequuntur, poni possint, non intelligatur prohibitas fuisse dictas summissiones et salaria in redditibus ecclesiasticis, de quibus solvitur subsidium et excusatum, sed in scripturis dictorum reddituum ecclesiasticorum, super quibus impositae sunt gratiae huiusmodi, possint poni summissiones et salaria iisdem prorsus modo et formâ, quibus fieri consueverat, antequam pragmatica huiusmodi promulgaretur, alioquin praesens concordia similiter nulla sit eo ipso:

Praeterea, ut pro parte dictorum Philippi regis et status ecclesiastici praedictorum regnorum supplicetur nobis, quod concederemus Breve, quo confirmaremus et approbaremus dictam concordiam, quam teneantur adimplere omnes ecclesiae dictorum regnorum, tam illae quarum procuratores ibi aderant, quae maximam partem constituunt, quam illae quae procuratores non habebant, si quae non se subscripserunt:

Rursus, quod iudices commissarii apostolici exequutores generales dictae concessionis et prorogationis dent et dare debeant provisiones et subdelegationes iudicum subdelegatorum, et quod dicti subdelegati sint de capitulis, dignitatibus et canonicis, et non alii, ut moris est pro dictâ recuperatione; et quoties ad dictum commissarium generalem fuerit appellatum per viam gravaminis quo aliquis se laesum praetendat ex dictâ divisione et repartitione, si desuper aliquid ordinaverit, nihilominus iterum non suspendet solutionem, neque impediet subdelegans[1], exequutionem exactionis et desuper omnibus iustitiam administrent: et aliàs prout in publico desuper a dilecto filio Ioanne de Talavera, scriba regio et publico notario, sub die XXII mensis iunii anni proxime praeteriti confecto instrumento plenius dicitur contineri.

Rex et capitula eam petunt confirmari.

§ 2. Cum autem tam Philippus rex quam capitula et status ecclesiasticus regnorum Castellae et Legionis huiusmodi cupiant concordiam praedictam pro illius maiori validitate apostolicae confirmationis robore communiri, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

1 Forsan deest *illius* (R. T.).

1 Potius: *neque impediet quominus subdelegati* (R. T.).

Confirmat Urbanus.

§ 3. Nos, qui honestis regis et capitulorum praedictorum votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, eumdem Philippum regem et singulares personas capitulorum huiusmodi a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praemissorum dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, necnon concordiae et instrumenti praedictorum veriores tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concordiam huiusmodi, et inde sequuta quaecumque, etiamsi ad exactionem pecuniarum in eâdem concordiâ contentarum, etiam ante huiusmodi nostram confirmationem, in totum vel in partem sit processum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus; illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; supplentes omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem; eaque, ac tam quoad capitula, quae nullo modo praesenti concordiae et distributioni interfuerint, nec illis consenserunt, etiamsi S. R. E. cardinales fuerint ecclesias et alia beneficia possidentes, necnon decimas, primitias et alios fructus in dictâ concordiâ expressos exigentes, valida et efficacia esse, ac per eos omnes inviolabiliter observari debere, illosque ad illorum omnium observationem et solutionem omnibus viis ac iuris et facti remediis cogi et compelli posse et debere decernimus.

Contrahentes censuras, quatenus opus sit, absolvit.

§ 4. Absolventes etiam, si opus fuerit, tam ipsum Philippum regem quam quoscumque eius ministros, necnon quascumque ecclesiasticas tam seculares quam regulares personas, a quibusvis censuris et poenis, si quas propter praemissa quomodolibet incurrerint, etiam si in irregularitatem aliquam inciderint, ac missas et alia divina officia interim, non tamen in contemptum clavium, celebraverint, super qua irregularitate huiusmodi per eos forsan quomodolibet incursâ harum serie dispensamus, nec propterea fructus ecclesiarum et bonorum obtentorum suos non fecisse dici aut censeri posse declaramus, ac ab eis omnem[1] inhabilitatis maculam, sive notam, si quam propter praemissa quomodolibet incurrerint, abolemus, eosque in pristinum et eum, in quo ante praemissa quomodolibet erant, statum, in omnibus et per omnia, restituimus, reponimus et plenarie reintegramus, ac restitutos, repositos et plenarie reintegratos per praesentes nunciamus.

Ad solutionem quaecumque pia loca teneri declarat.

§ 5. Ceterum ad obviandum litibus et controversiis, quae inter personas ecclesiasticas oriri possent, harum serie declaramus, ad contributionem solutionum, huiusmodi concordiae vigore faciendarum, monasteria et alia loca pia quocumque respectu etiam eorumdem bonorum, quae vulgo dicuntur *de labranza et crianza*, quae vix pro usu et victu personarum eorumdem monasteriorum et praedictorum locorum inserviunt, teneri et obligatos fore.

Clausulae.

§ 6. Sicque in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam sacri palatii apostolici auditores et eiusdem S. R. E. cardinales, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Exequutorum designatio.

§ 7. Et nihilominus venerabili fratri moderno, et dilectis filiis[2] nostro et apostolicae Sedis apud eumdem Philippum regem nunc et pro tempore existenti nuncio et commissario generali cruciatae in regnis praedictis, per praesentes committimus et man-

1 Edit. Main. legit *omnes* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *filii* (R. T.).

damus, quatenus ipsi, vel alter eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dicti Philippi regis et singularum personarum praedictarum fuerint requisiti, solemniter publicantes, ad executionem eorum omnium, quae in dictâ concordiâ continentur, procedant, etiam per eos, ad quos spectat, eadem observari curent et faciant, necnon eisdem nuntio et commissario generali iniungimus, quod, ubi et quoties super repartitione et aliis in dictâ concordiâ contentis aliquas differentias exortas fuisse compererint, illas absque retardatione solutionis iuxta repartitionem iam factam et faciendam iudicio eorum aequabiliter componant compositione, et terminent iustitiam partibus ministrando. Nos enim eisdem tam praemissa peragendi, quam quidquid super praemissis statuerint omni et quacumque appellatione remotâ exequutioni debitae demandandi, necnon contradictores quoslibet et rebelles per opportuna iuris et facti remedia, ac demum per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, appellatione postpositâ compescendi[1], legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravandi, auxiliumque brachii secularis invocandi, plenam et liberam facultatem concedimus.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ et in concilio generali editâ de duabus dietis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, legibus etiam municipalibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ac aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; necnon omnibus illis, quae in dictâ concessione primae decimae huiusmodi expressum est non obstare, seu si aliquibus communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Cardinales a conventâ solutione eximuntur.

§ 9. Ceterum eosdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales tantum, quibus pensiones annuae super fructibus ecclesiarum cathedralium aut metropolitanarum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum reservatae[1], seu ipsi fructus, vel eorum pars loco pensionum reservati reperiuntur, a praemissâ contributione, quoad ipsas pensiones et reservationes fructuum, volumus exemptos esse;

Fides danda transumptis.

§ 10. Quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius publici notarii subscriptis, sigilloque personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maio-

1 Male ed Main. legit *compescendo* et postea *aggravando... invocando* (R. T.).

1 Ed. Main. legit *reservata* (R. T.).

rem, sub annulo Piscatoris, die XXIII iunii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 23 iunii 1625, pontif. an. II.

CXLVII.

Indultum pro fratribus S. Francisci de Observantiâ in partibus Indiarum Occidentalium existentibus, quod de suorum superiorum licentiâ a quocumque catholico antistite, de consensu Dioecesani, ad omnes etiam presbyteratus ordines extra tempora et non servatis interstitiis promoveri possint[1].

Urbanus Papa VIII.
ad perpetuam rei memoriam.

Causae concedendi indulti.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius commissarius in Romanâ curiâ generalis fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum nobis exponi fecit, eiusdem Ordinis S. Francisci professores, in Indiarum occidentalium partibus commorantes, assiduâ in sacramentorum ecclesiasticorum administratione, continuisque verbi Dei praedicationibus et aliis spiritualibus exercitiis, uberes in vineâ Domini fructus inibi afferant; et propterea, quo ipsi fratres dicti Ordinis S. Francisci in dictis partibus commorantes in piorum operum huiusmodi exercitio utilius et melius continuare valeant, eisdem fratribus per nos desuper indulgeri summopere desideret:

Indultum de quo in rubricâ.

§ 2. Nos, eiusdem commissarii generalis votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, ipsumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac domorum seu conventuum Ordinis fratrum S. Francisci in eisdem partibus existentium singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eiusdem commissarii generalis nomine super hoc nobis humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis eiusdem Ordinis S. Francisci in partibus Indiarum occidentalium huiusmodi tantum existentibus expresse professis, ut de superiorum suorum licentiâ a quocumque, quem maluerint, catholico antistite gratiam et concessionem[1] Apostolicae Sedis habente in propriâ dioecesis residente, vel in alienâ de Dioecesani loci consensu pontificalia exercente, per eos eligendo, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines extra tempora ad id a iure statuta, ac interstitiis a sacro Concilio Tridentino designatis minime servatis, annique circulo non expectato, etiamsi in unoquoque ex dictis sacris ordinibus susceptis, antequam ad alium promoveantur, se minime exercuerint, dummodo tamen ad id idonei reperiantur, et servatis aliàs servandis, promoveri, et promoti in in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus ac facultatem impartimur.

Derogatio obstantium.

§ 3. Non obstantibus felicis recordationis Gregorii XIII et Gregorii XIV Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 4. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

1 De his fratribus vide Const. XXVI (in n. ed. XXVII) Leonis X, *Ite et vos*, tom. V, pag. 692.

1 Forsan legendum *communionem* (R. T.).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX iunii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 30 iunii 1625, pontif. anno II.

CXLVIII.

Confirmatio decreti capituli generalis fratrum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis captivorum, quo statuitur, ad solum deffinitorium spectare nominationem religiosorum ad faciendam redemptionem; cavetur autem, ne bona ad hunc effectum donata, aliis religiosis, quam ut praefertur nominatis, tradantur[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Dominici gregis cura, humilitati nostrae, meritis licet insufficientibus, per ineffabilem divinae sapientiae providentiam commissa, ac paterna erga omnes christifideles charitas et continua de illorum salute sollicitudo iugiter postulat, ut, inter gravissimas, multiplicesque apostolicae servitutis curas, eam peculiari sollicitudine amplectamur, qua, non solum eorumdem christifidelium in miserâ servitute et captivitate per impium turcarum tyramnum et alios catholicae fidei hostes detentorum redemptioni, sed etiam salubri piarum hominum congregationum ad hunc effectum provide, sancteque institutarum gubernio atque directioni opportunioribus in dies rationibus consulitur: unde ea, quae propterea praesertim in generalibus earumdem congregationum capitulis facta fuisse dicuntur, ut firma et illibata perpetuo remaneant, libenter, cum a nobis petitur, apostolicae confirmationis robore communimus, aliàsque statuimus et ordinamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Decretum capituli generalis, quo statuit nominationem religiosorum pro redemptione faciendâ ad solum definitorium generale pertinere. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis congregationis fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis captivorum in regnis Hispaniarum, quod, licet regularibus eiusdem congregationis institutis apostolicâ auctoritate confirmatis, sive constitutionibus apostolicis desuper emanatis, inter alia caveatur expresse, ut pro redimendis captivis huiusmodi tertia pars omnium bonorum, regularibus dictae congregationis domibus et locis pro eleemosynâ seu quocumque alio modo concessorum et assignatorum, ac de cetero concedendorum et assignandorum, ac aliâs ad domos et loca huiusmodi licite spectantium et pertinentium, a domibus et locis separetur, illaque in redemptionem eorumdem captivorum totaliter convertatur; nihilominus eiusdem congregationis fratres, ut redemptio ipsa maiori cum fructu fiat, et ad pium opus huiusmodi dictae congregationis professores eâ prudentiâ, integritate et doctrinâ eligantur, qui non solum eosdem captivos redimant, sed cum eis permanendo velint et possint illos in unitate fidei confovere, illisque sacramenta ecclesiastica administrare, in generali eiusdem congregationis capitulo decreverunt, ut de cetero diffinitorium generale dictae congregationis, et non alius praelatus, religiosos ad pium redemptionis huiusmodi opus exequendum, et bona separata, ut praefertur, ad effectum praedictum administranda, nominare debeat, prout in decreto desuper facto plenius dicitur contineri.

Quod confirmari petitur. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, procurator praedictus plurimum cupiat, decretum huiusmodi, quo firmius observetur, nunnullisque inconvenientibus obvietur, apostolicae confirmationis patrocinio communiri, aliàsque desuper opportune provideri:

Confirmat Urbanus. § 3. Nos, dictum procuratorem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus ipsius procuratoris totius congregationis praedictae nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, decretum praedictum apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Qui etiam cavet, ne aliis bona redemptioni assignata tradantur.

§ 4. Ac insuper, sub suspensionis officii ac vocis activae et passivae[1] ad sexennium duraturis poenis, interdicimus et prohibemus, ne aliquis, quacumque superioritate fulgeat, bona separata ac segregata a domibus et locis regularibus dictae congregationis iuxta formam dictorum statutorum, seu constitutionum apostolicarum, ut praefertur, ac pro pio redemptionis huiusmodi opere concessa, seu eleemosynas ab aliis personis ad redemptionem huiusmodi donata et assignata, ac donanda et assignanda, aliis religiosis, praeterquam per praedictum deffinitorium generale ad pium opus redemptionis huiusmodi exequendum nominandis, qui per se ipsos, absque consortio alterius cuiuscumque, pio huiusmodi operi incumbant, tradat seu tradi faciat.

Clausulae.

§ 5. Decernentes decretum praedictum, necnon praesentes litteras, omniaque et singula in illis contenta semper et perpetuo valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac in praedictâ congregatione a modernis et pro tempore existentibus illius ministro generali, ac aliis superioribus, quocumque nomine nuncupatis, ceterisque, ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, firmiter et inviolabiliter observari et adimpleri, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Nuncio Hispaniarum huiusmodi decretorum exequutionem committit.

§ 6. Et nihilominus venerabili fratri Iulio episcopo Gravinensi moderno et pro tempore existenti nostro et Apostolicae Sedis in dictis regnis nuntio per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictae Congregationis fuerit requisitus, solemniter publicans, eisque[1] in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat, auctoritate nostrâ, praemissa omnia et singula, ab omnibus supradictis inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria tollit.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, praedictis et quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficarioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet conces-

1 Forsan addendum *privationis* (R. T.).

1 Aptius legeretur *eique* (R. T.).

sis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 8. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v iulii MDCXXV pontificatus nostri anno II.

Dat. die 5 iulii 1625, pontif. anno II.

CXLIX.

Confirmatio nonnullorum decretorum pro reformatione fratrum Ordinis Minorum Conventualium in regno Poloniae[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Quae ad restituendos in pristinum decorem et dignitatem Ordines regulares in Ecclesiâ Dei a sanctis patribus institutos, et, ubi collapsa est, in eis disciplinae regularis observantiam modis congruis instaurandam, per eorumdem Ordinum regularium superiores pie ac provide sancita sunt, ut firma perpetuo et illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolicae confirmationis patrocinio roboramus, prout pia catholicorum regum vota id exposcunt, et, nos, rerum ac temporum qualitatibus debite pensatis, conspicimus salubriter in Domino expedire.

Pro reformatione fratrum conventualium in Polonia sequentia decreta fuerunt edita;

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Sigismundus Poloniae et Sveciae rex illustris, ac dilecti filii Felix a Cascia fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum minister generalis, necnon Adrianus Brakowiz eorumdem fratrum in regno Poloniae commissarius generalis destinatus, quod pro reformatione fratrum dicti Ordinis in praedicto regno existentium infrascripta capitula, sive decreta edita fuerunt, tenoris subsequentis, videlicet:

I. Constituatur commissarius provinciae Poloniae magister Adrianus cum omnimodâ facultate immediate a patre reverendissimo dependens, qui possessione adeptâ in provinciâ, quamprimum reformetur eâdem reformatione, ut possit verbo et exemplo alios fratres ad reformationem inducere.

II. Curet, ut reformati in custodiâ Gnesnensi manu teneantur et propagentur, et observent constitutiones sibi concessas a Gregorio XV prout in Brevi, quod incipit *Gregorius Papa XV, ad perpetuam rei memoriam. Militantis Ecclesiae regimen*[1]; dimissis tamen sandalis, et ampliato aliquantisper caputio, et amoto commissario particulari: cum haec ad divisionem religionis tendant.

III. Curet et teneatur commissarius, ut quamprimum reformetur conventus Cracoviensis, ibique constituat guardianum et familiam reformatam. Deinde reliqui conventus custodiae Cracoviensis eâdem supradictâ reformatione reformentur.

IV. Diligenter suadeat aliis fratribus illius provinciae hanc vitam exactam reformatam assumere: qui voluerint, benedicti sint a Domino; qui vero noluerint, non sint adstricti: teneantur tamen ad observationem constitutionum religionis, et collocentur in conventibus commissario sibi benevisis: contradictores vero et huic vitae reformatae adversantes e provinciâ expellantur.

V. Commissarius quamprimum congregationem provinciae celebrabit pro ele-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Huiusmodi in *Bullario* non est (R. T.).

ctione Clianorum[1] et aliorum officialium provinciae; qui, quoad fieri poterit, sint omnes ex reformatis.

VI. Celebretur capitulum provinciale pro electione provincialis et officialium provinciae loco et tempore commissario benevisis: in quo reformati vocem habeant activam et passivam ad provincialatum, etiamsi non sint magistri et baccalaurei in theologiâ, dummodo impedimentum canonicum non habeant.

VII. Novitii, qui recipiendi sunt in eâdem provinciâ, recipiantur a fratribus reformatis et in conventibus reformatis, et non in aliis, neque ab aliis.

VIII. Secretarius commissarii sit unus ex reformatis, de cuius consilio peraget ea quae sunt peragenda, alioquin actiones irritae sint.

IX. Pro exequutione supradictorum illustrissimus episcopus Cracoviensis facultatem habeat supra capita et membra, ita ut possit, adhibitis iuris et facti remediis, fratres compellere pro dictorum et singulorum omnium exequutione et observatione; et pro observantiâ procuretur Breve a Sanctissimo, ut, non obstantibus quibuscumque constitutionibus apostolicis vel religionis in contrarium facientibus, praefata locum habeant in perpetuum. Fr. Felix de Cassia, minister generalis approbat. Ego M. Adrianus Brakowicz, Polonus, accepto. Ego Fr. Adamus Sicchowiz, diffinitor provinciae Poloniae, accepto. Ego Fr. Thomas Rostinshi, guardianus Oremensis, accepto.

Quae confirmari petitur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, tam Felix minister quam Adrianus commissarius generalis praedicti plurimum cupiant capitula seu decreta praedicta pro firmiori illorum validitate et subsistentiâ apostolicae nostrae confirmationis robore communiri:

Confirmat Pontifex.

§ 3. Nos, pio Felicis et Adriani praedictorum desiderio in praemissis annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus etiam dictorum Sigismundi regis illorum[1] nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, capitula seu decreta huiusmodi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus: illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; ac omnes et singulos tam iuris quam facti et quosvis alios quantumvis substantiales defectus, si qui in eis quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes capitula seu decreta huiusmodi a fratribus Ordinis et regni praedictorum perpetuo observari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII iulii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 18 iulii 1625, pontif. anno II.

1 Ita ed. Main., nec aliud succurrit. (R. T.).

CL.

Mandatum praesidi Romandiolae de capiendâ possessione ducatus Urbini eveniente ducis obitu, cum facultatibus necessariis et opportunis[2].

1 Forsan corrigendum *dicti... et illorum* (R.T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Dilecto filio moderno et pro tempore existenti provinciae nostrae Romandiolae et exarcatus Ravennae praesidi,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Creditum humilitati nostrae, nullo licet meritorum suffragio, per abundantiam divinae gratiae apostolatus officium continuâ sollicitudine nos admonet, ut in iis praecipuas pastoralis vigilantiae partes intendamus, per quae nostrae et huius Sanctae Sedis Apostolicae ditionis temporalis iura conserventur, ne, quae muneris villicationis nostrae sunt, praetermisisse a districto iudice argui possimus.

Mandatum de quo in rubricâ. § 1. Hinc est quod nos, de tuâ singulari fide, doctrinâ, necnon diu spectatâ in gravissimis rebus gerendis prudentiâ atque integritate plurimum in Domino confisi, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi, ut casu aperitionis et devolutionis ad nos et Romanam Ecclesiam, Sedemque et Cameram Apostolicam feudi ducatus Urbini, nec non civitatum Senogalliensis et Pisaurensis ac Status Montis Feretrani, aliorumque dominiorum, civitatum, oppidorum, terrarum, fortalitiorum et locorum quorumcumque, etiam speciali notâ et expressione dignorum, ac sub Statu dicti ducatus Urbini ad praesens quomodolibet comprehensorum, seu per ipsum ducem quomodolibet possessorum, quandocumque et quomodocumque eveniente sive succedente, ipse per te, vel alium, seu alios, secundum rei et casus exigentiam, et aliàs, prout occasio, rerumque, et temporum qualitas exegerit, corporalem, realem et actualem possessionem civitatis Pisaurensis praedictae, necnon oppidi civitatis forsan nuncupati S. Lei, seu S. Leonis, eorumque territoriorum, districtuum, iurisdictionum, fortalitiorum, sive propugnaculorum, membrorum, pertinentiarum, et iurium quorumcumque, nostro, Ecclesiae, Sedis, et camerae praedictarum nomine, amotis et expulsis exinde quibusvis detentoribus, sive occupatoribus, apprehendere et apprehensam retinere; necnon a communitate et universitatibus, gubernatoribus, praetoribus, locumtenentibus, magistratibus, capitaneis, colonnellis, castellanis, et aliis quocumque nomine et quacumque dignitate fungentibus officialibus civitatis et oppidi praedictorum, eorumque territoriorum, districtuum, iurisdictionum et aliorum, homagia et fidelitatis iuramenta recipere; et alios quoscumque actus possessorios exercere, ac in civitate, districtibus, territorio, et aliis praedictis quamcumque iurisdictionem civilem et mixtam exercere; modum et statum officiorum, magistratuum, tam optimatuum, quam populi, et gubernii temporalis, nec non custodiae, et militiarum, praesidiorumque civitatis, oppidi, aliorumque praedictorum, prout tibi videbitur, immutare, renovare, ac de novo deputare; nec non signa et contrasigna propugnaculorum seu fortalitiorum huiusmodi tibi tradi facere et mutare, vel alia nova tradere vel consignare, ad formamque et methodum regiminis et gubernii aliarum provinciarum, terrarum et locorum Status nostri Ecclesiastici redigere; quaecumque statuta, ordinationes et constitutiones circa praemissa, et alia quaecumque, quae magis expedire iudicaveris, condere, publicare et observari facere; necnon, si opus fuerit, quoscumque milites conscribere, et, quae pro commeatu et apparatu necessaria fuerint, undique perquirere et comparare; quaecumque armorum, et belli negocia tractare; congressus militum generales vel particulares, prout res et occasio similiter postulaverit, ordinare et imperare; quascumque expensas, quae in praemissis,

et eorum occasione necessariae erunt, nostris et camerae apostolicae praedictae sumptibus facere; et ut huiusmodi expensas facilius facere possis, quascumque pecuniarum summas ad nos et eamdem cameram spectantes a quibuscumque thesaurariis, datiariis, exactoribus, collectoribus, appaltatoribus, officialibus et ministris quibuscumque debitas, necnon etiam a gubernatoribus, praetoribus et locumtenentibus provinciarum, civitatum et locorum quorumcumque Status nostri Ecclesiastici, ac depositariis et exactoribus poenarum et maleficiorum, nostro et dictae camerae apostolicae nomine exigere et recipere, ac ipsos solventes de exactis quietare, ac etiam redditus communitatum et universitatum, ac civitatum, terrarum et locorum eiusdem Status recipere, et ex ipsis camerae, communitatumque et universitatum redditibus, sumptus huiusmodi facere.

Cum facultatibus ad id necessariis et opportunis.

§ 2. Ut vero omnia et singula, quae ad praemissa pertinent, summâ ut decet auctoritate praecipiantur, et pari celeritate debitae exequutioni demandentur[1], omnibus et singulis archiepiscopis, episcopis, et aliis locorum Ordinariis, necnon praesidentibus, gubernatoribus, praefectis, eorum locumtenentibus, praetoribus, et aliis quocumque nomine nuncupatis officialibus et ministris, quavis potestate, auctoritate, et privilegio suffultis, et quibuscumque, etiam a nobis et Apostolicâ Sede seu camerâ apostolicâ immediate deputationem habentibus, seu dependentibus, nec non baronibus, domicellis, comitibus, aliisque, etiam ducali, marchionali, vel aliâ dignitate insignitis, communitatibusque, universitatibus et hominibus quarumvis provinciarum, civitatum, terrarum et locorum nobis et S. R. E. mediate vel immediate subiectorum, omnia et quaecumque occasione praemissorum, quae tibi necessaria et opportuna visa fuerint, ac toties, quoties volueris, iniungendi[1], mandandi, iubendi et imperandi; omnes vero et singulos barones, domicellos, comites, aliosque ducali, marchionali, vel aliâ dignitate praeditos, et quaslibet alias singulares personas, etiam ecclesiasticas, tam seculares quam quorumvis ordinum, seu militiarum, etiam sancti Ioannis Hierosolymitani, regulares, si quae tuis mandatis, iussis et monitionibus obtemperare recusaverint, aut illis quoquo modo contradixerint, vel se se opposuerint, tamquam nostris, et apostolicis mandatis, iussis, et monitionibus parere recusantes, illisque contradicentes, ac se opponentes, nostros et S. R.E. ac Sedis Apostolicae rebelles declarare et publicare; ac contra illos summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, manu regiâ, nullo iuris ordine servato, nec aliquo formato processu, more militari, ac iure belli, ad privationem officiorum, feudorum, et bonorum quorumcumque, etiam allodialium, per eos in quibuscumque locis possessorum, seu quovis modo obtentorum respective, omni et quacumque appellatione et recursu postpositis, procedere; et, ubi iustitia exegerit, et ordo dictaverit rationis, seu cum ita expedire iudicaveris, eosdem contradictores et rebelles quacumque pecuniariâ, vel corporali, ac etiam ultimi supplicii poenâ affici facere; ac generaliter omnia et singula ad statum, gubernium, regimen, et administrationem civitatis, oppidi, territoriorum, districtuum, aliorumque praedictorum, necnon arcium, fortalitiorum custodiam, populorumque pacem et quietem, ac annonae abundantiam spectantia, et tam gratiam quam iustitiam concernentia, etsi talia sint vel fuerint, quae sub generali verborum significatione non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis, et speciali notâ digna essent, specialemque, specificam et expressam re-

1 Heic lege *ut omnibus* (R. T.).

1 Lege: *iniungas, mandes, iubeas et imperes* (R.T).

quirerent mentionem, dicere; gerere et exequi libere et licite possis et valeas, plenam, liberam, absolutam et omnimodam facultatem, potestatem et auctoritatem, tenore praesentium, tribuimus et impartimur, et cum hoc, ut de per te vigore praesentium faciendis, dicendis, gerendis, exercendis et exequendis nemini, praeterquam soli Deo, rationem reddere tenearis.

Cumulativa facultas aliis etiam concessa.

§ 3. Quia vero venerabili fratri Paulo Æmilio archiepiscopo Urbinatensi, necnon dilectis filiis magistris Fabritio Verospio cappellano nostro, et causarum palatii apostolici auditori civitatis Perusinae, eiusque comitatus et districtus, provinciaeque nostrarum Umbriae, ac Diomedi Varesio in utraque signaturâ nostrâ referendario provinciae etiam nostrae Marchiae Anconitanae gubernatoribus respective similem facultatem per nostras in huiusmodi formâ Brevis nuper expeditas litteras concessimus; volumus, et earumdem tenore praecipimus, ut, qui prius ex vobis possessionem ingressus fuerit, iurisdictionem et alia civilia praedicta exercere et exequi possit et debeat, et si quid unus ex vobis incoeperit, nec ob impedimenta, seu aliàs absolverit, aut perficere non potuerit, alter prosequi, et debitae exequutioni demandare valeat.

Mandatum de parendo.

§ 4. Mandantes propterea eisdem archiepiscopis, episcopis, et aliis locorum Ordinariis sub interdicto ingressus ecclesiae, ac suspensionis a divinis, et tam iis, quam quibuscumque gubernatoribus, locumtenentibus, praetoribus, necnon thesaurariis, datariis, exactoribus, collectoribus, appaltatoribus, ac aliis officialibus, et ministris quibuscumque Sedis et camerae praedictae in Statu nostro Ecclesiastico existentibus, baronibus quoque, domicellis, ducibus, marchionibus, necnon communitatibus, universitatibus, et hominibus quibuscumque, ac etiam ecclesiasticis secularibus et regularibus personis praedictis, demumque universis et singulis subditis nostris immediatis et mediatis, in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae, necnon rebellionis, ac excommunicationis latae sententiae, poenis, ut tibi in omnibus et per omnia, quacumque excusatione, tergiversatione, et impedimento remotis, prompte pareant, obediant et assistant, tuaque monita, iussa et mandata, eâ, qua decet, obedientiâ et fide exequantur et adimpleant; alioquin sententiam, sive poenam, quam tuleris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Obstantium derogatio.

§ 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac ducatus, civitatum et aliorum locorum praedictorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI iulii MDCXXV pontificatus nostri anno II.

Dat. die 26 iulii 1625, pontif. anno II.

CLI.

Erectio collegii nationis Maronitarum in Monte Libano.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In supereminenti Sedis Apostolicae speculâ, meritis licet imparibus, disponente

Domino, constituti, et intra mentis nostrae arcana revolventes, quantum ex litterarum studiis catholica fides augeatur, et iustitia colatur, ad ea, per quae litterarum studia huiusmodi ubilibet, praesertim vero in regionibus, ubi maior necessitas urget, excitentur, libenter intendimus, atque in his sollicitudinis nostrae partes propensius impartimur, prout, locorum et temporum qualitate debite pensatâ, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Institutio collegii Maronitarum in Monte Libano.

§ 1. Hinc est quod nos, piae puerorum et adolescentium nationis Maronitarum in christianâ pietate et fide sincerâ institutioni pro nostri pastoralis officii debito, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotio propagandae in universum mundum fidei praepositorum consilio, in Monte Libano, ac aedibus ad id congruis et decentibus, unum collegium cum cappellâ, seu oratorio, ac refectorio communi, sigillo, bibliothecâ, archivio, ceterisque collegialibus insignibus, ac membris et officinis necessariis et opportunis pro perpetuis receptione, usu et habitatione unius rectoris, et competentis numeri alumnorum, seu scholarium dictae nationis, qui inibi, et christianis moribus, bonisque litteris, et ecclesiasticâ disciplinâ imbui debeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, sine tamen alicuius praeiudicio, perpetuo erigimus et instituimus.

Dos ei assignata.

§ 2. Illique sic erecto et instituto, pro eius dote, ac rectoris et ministrorum alumnorumque sive scholarium sustentatione, ac onerum eis incumbentium supportatione, tam trecenta scuta annua, aliàs, iuxta decretum ab eisdem cardinalibus sub die XVII decembris proxime praeteriti emanatum, pro scholis in certis Syriae civitatibus erigendis destinata, quam alia omnia, et singula bona per quoscumque christifideles eidem collegio donanda et assignanda, ex nunc, prout postquam donata et assignata fuerint (ita quod liceat rectori et ministris, necnon alumnis, seu scholaribus praedictis ipsorum bonorum omnium corporalem, realem et actualem possessionem suo et dicti collegii nominibus, propriâ auctoritate, libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque ex eis provenientia percipere, exigere, levare, recuperare, locare, arrendare, ac in communes dicti collegii usus, et utilitatem convertere, cuiusvis licentiâ desuper minime requisitâ auctoritate) et tenore praedictis perpetuo applicamus et appropriamus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV iulii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 24 iulii 1625, pontif. anno II.

CLII.

Confirmatio constitutionum collegii Maronitarum in monte Libano erecti[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Recenset erectum a se collegium in Monte Libano.

§ 1. Cum nos nuper in monte Libano unum collegium, in quo pueri et adole-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

scentes nationis Maronitarum in christianâ pietate et fide sincerâ instruantur, per alias nostras in simili formâ Brevis expeditas litteras, sub certis modo et formâ tunc expressis, apostolicâ auctoritate erexerimus et instituerimus;

Editasque pro eius regimine regulas.

§ 2. Et, sicut accepimus, pro felici, prosperoque collegii huiusmodi, illiusque alumnorum seu scholarium regimine et gubernio nonnullae regulae seu constitutiones editae fuerint, tenoris subsequentis, videlicet:

Regulae observandae ab alumnis collegii Montis Libani.

Quinam recipiantur.

I. Intraturi in collegium ad hunc finem ex variis Orientis partibus, scilicet e Monte Libano, Palaestinâ, Syriâ et Cypro, aliisque partibus vocabuntur, ut virtutibus et pietati ac litterarum studiis operam dent, ut non solum Maronitas, sed omnis Orientis nationes fide catholicâ ac pietate Deo cooperante erudire possint.

Qui educabuntur in hoc collegio, pauperes bonâ indole ac ingenio esse debent, et ea omnia, quae sunt necessaria ad victum, vestitum et studium, illis ministrabuntur gratis et Dei amore; nobiles vero et divites recipi possint in dicto collegio, sed debent solvere, quae sunt necessaria ad victum et vestitum tantum.

De pietate.

II. Statim ut recipitur alumnus in collegio, tradendus est viro optimo et timoratae conscientiae, ut illum res ad conscientiam pertinentes edoceat, ut quamprimum omnium suorum peccatorum confessionem integram, perfectamque alicui a rectore collegii designato sacerdoti faciat.

III. Teneantur omnes quolibet mense ac diebus festis celebrioribus confessionem ac communionem facere secundum laudabilem Maronitarum usum, idque summâ reverentiâ atque modestiâ, quae ad tantum sacramentum requiritur.

IV. Singulis diebus omnes simul missam audiant, et in celebrioribus solemnitatibus secundum laudabilem Maronitarum consuetudinem missae cum pietate ac devotione inservient, prout superiori placuerit. Singulis diebus, qui apti fuerint, recitent officium simul cum sacerdotibus: qui vero non fuerint idonei, eas orationes recitent, quas superior vel magister illis assignaverit.

V. Ante cubitum omnes recitent vel litanias vel alias preces, prout superiori placuerit, facto tamen brevi conscientiae examine.

VI. Singulis diebus festivis habeant simul piam congregationem, in qua se exerceant in concionando, in actibus humilitatis exhibendis, et Christi crucem in corpore gerendo.

VII. Si qui vero a superiore iudicabuntur apti esse ad concionandum et verbum divinum disseminandum, teneantur, quo voluerit superior, ire ad praedicandum vel cathechizandum.

VIII. Si vero illis tempus supererit, diebus festivis legant pios ac sacros libros, et in illis pietatis operibus se exerceant.

IX. Semel in hebdomadâ sacerdotes missam et officium pro SS. D. N. Urbano VIII, et sacrâ Congregatione de Propaganda Fide celebrent: alii vero singulis diebus aliquas preces pro praedictis fundatoribus ac benefactoribus recitent.

De studiis.

X. Omnes tenentur grammaticam chaldaeam discere, necnon arabicam: qui vero aptiores vel optimo ingenio reperti fuerint, grammaticam latinam ediscant, nam, si superiori dicti collegii videbitur, qui hanc grammaticam latinam edocti fuerint, Romam usque mittentur ad philosophiae et theologiae studia discendum tantum.

XI. Qui vero poterunt, et superior iudicaverit, tam graecam et turcam, quam persicam et alias Orientis linguas ediscant,

quae ad illas gentes convertendas necessariae sunt.

XII. Nemo discipulorum ea studia arripiat, quae sibi videbuntur, sed ea tantummodo, quae a superioribus illi assignabuntur.

XIII. Bis in die lectiones a praeceptoribus audiant in scholis, quibus assidui et intenti erunt, et domi forisque modestiae sint memores, ac pietatis.

XIV. Tenentur omnes, qui a superioribus idonei iudicabuntur, tribus annis tirones docere.

XV. Omnes, qui idonei iudicabuntur, vel per se vel per parentes promittant ad nutum superiorum Romam se conferre, ut in collegio Maronitarum reliquum studiorum philosophiae ac theologiae cursum perficiant.

XVI. Caveant superiores et praeceptores ut nihil doceant, praeter ea, quae ad pietatem, vel ad salutares scientias conferunt.

XVII. Praeceptores promittant, se nihil contra fidem catholicam, et veram religionem, et Romani Pontificis primatum, ac bonos mores docturos.

XVIII. Si qui parentes suos filios tradiderint, ut in dicto collegio erudiantur, promittant cum iuramento, quod filios inde absque patriarchae veniâ non possint educere, nisi completo studiorum cursu, qui a superiore iudicabitur esse necessarius.

XIX. Statim ut recipientur alumni in collegio, superior et praeceptores probent eorum ingenium et capacitatem ad studia capessenda, trium aut quatuor mensium spatio; si apti reperti fuerint, retineantur in dicto collegio, sin minus, dimittantur a dicto collegio, ut alii melioris ingenii ac capaciores in eorum locum recipiantur.

XX. Alumni collegii Maronitarum in Urbe studiorum cursu in Urbe completo, ac Deo iuvante in patriam reversi, teneantur tribus vel duobus saltem annis grammaticam latinam et syriacam docere, vel etiam casus conscientiae, si patriarcha atque superiores id iudicaverint.

XXI. Superiores demum singulis annis rationem studiorum profectus, atque progressus, qui fit ab alumnis, sacrae Congregationi de Propagandâ Fide reddere teneantur, cum attestatione patriarchae.

XXII. Libri utiles ac necessarii ad alumnorum studia, latini praesertim a sacrâ Congregatione de Propagandâ Fide providendi erunt.

Haec omnia patriarcha et superiores dicti collegii de eiusdem facultate moderari ac dispensare possint, prout necessitas postulaverit.

Alias quoque regulas, si necessariae atque utiles tum ad studium tum ad bonum regimen dicti collegii et alumnorum, patriarcha et superiores collegii de eiusdem patriarchae facultate condere poterunt:

Confirmatio praedictarum regularum.

§ 3. Nos, perpetuae et inviolabili regularum seu constitutionum huiusmodi observationi, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negocio propagandae in universum mundum fidei praepositorum consilio, regulas seu constitutiones praeinsertas huiusmodi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Quas ab omnibus observari mandatur.

§ 4. Decernentes easdem regulas seu constitutiones in dicto collegio ab illius alumnis, seu scholaribus, ac ministris et personis pro tempore existentibus, perpetuo et inviolabiliter observari et adimpleri debere, necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit

attentari. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX iulii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 30 iulii 1625, pontif. anno II.

CLIII.

Commissio cardinalibus de la Rochefaucault et de la Vallette in causâ monialium Carmelitarum Discalceatarum regni Franciae vertente inter subdelegatum apostolicum et episcopum Leonensem [1].

Dilectis filiis nostris Francisco tituli S. Calisti presbytero de la Rochefoucault, ac Ludovico S. Hadriani diacono cardinalibus de la Vallete nuncupatis,

Urbanus Papa VIII.

Dilecti filii nostri, salutem et apostolicam benedictionem.

Litterarum, quas retulimus supra pag. 85 hos cardinales Urbanus deputaverat exequutores.

§ 1. Aliàs per nostras in simili formâ Brevis, sub die XX decembris MDCXXIII, expeditas litteras, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, litteras felicis recordationis Gregorii Papae XV praedecessoris nostri, etiam in in simili formâ Brevis, sub die XII septembris MDCXXII, super statu dilectarum in Christo filiarum monialium Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo Discalceatarum nuncupatarum regni Franciae, expeditas, cum omnibus et singulis in eis contentis, approbavimus et confirmavimus, vosque in nostrarum litterarum huiusmodi exequutores, cum certis tunc expressis facultatibus, constituimus et deputavimus, et aliàs, prout in nostris huiusmodi litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur [1].

Contra eas vero attentante Leonensi episcopo;

§ 2. Cum autem, sicut non sine gravi animi nostri molestiâ accepimus, postquam dilectus filius Stephanus Lovytre, decanus ecclesiae Nannetensis, uti a vobis in totum ad praemissa subdelegatus, venerabili fratri episcopo Leonensi, nonnulla contra litterarum praedicti Gregorii praedecessoris et nostrarum huiusmodi tenorem, ad quarumdam eiusdem Ordinis monialium favorem, attentanti, monitisque et mandatis ipsius Stephani subdelegati parere recusanti, sub censuris ecclesiasticis praeceperat, et successive eisdem censuris ecclesiasticis innodatum forsan declaraverat, ecclesiamque cathedralem Leonensem ecclesiastico interdicto supposuerat, non solum praecepta et censuras huiusmodi contempserit, sed eo audaciae devenerit, ut per nonnullos archiepiscopos et episcopos ac abbates, aliosque forsan ecclesiasticos in civitate Parisiensi aliorum negotiorum occasione congregatos, sententias et censuras huiusmodi nequaquam iuste latas fuisse declarari, nulliter et de facto, non per modum iudicii, sed per archiepiscoporum, episcoporum ac abbatum et ecclesiasticorum praedictorum sententiae declarationem, non sine gravissimo christifidelium scandalo fecerit:

Eisdem exequutoribus mandat, ut huiusmodi causam cognoscant.

§ 3. Nos, praemissis, quantum cum Domino possumus, opportune providere volentes, ac de singulari vestrâ fide, prudentiâ, integritate, doctrinâ et catholicae religionis zelo plurimum in Domino confisi, vobis per praesentes iniungimus et mandamus, ut causam et causas appellationis et appellationum a licentiâ seu decreto dicti Stephani, ad effectum devolutivum tantum quam excessivum praedictorum, cum omnibus et singulis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, totoque negotio principali, auctoritate nostrâ, per vos, vel alium, seu alios, cognoscatis, ac fine debito, prout visum fuerit, terminetis, cum facultate et potestate quoscumque, etiam per edictum publicum, constito etiam summarie

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Quas vide supra pag. 85 (R. T.).

et extraiudicialiter de non tuto accessu, citandi, ac etiam sub censuris et poenis ecclesiasticis inhibendi, auxiliumque brachii secularis, si opus fuerit, invocandi,

Cum facultate ipsum episcopum a censuris absolvendi.

§ 4. Praeterea eumdem episcopum Leonensem, si hoc a vobis humiliter petierit, a quibuscumque excommunicationis, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis per eum, ut praefertur, incursis, impositâ ei arbitrio vestro aliquâ poenitentiâ salutari, absolvendi et liberandi, ac cum eo super irregularitate per eum (quia censuris huiusmodi sic legatus missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, forsan celebraverit) contractâ[1] dispensandi, aliaque omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna faciendi, dicendi, gerendi et exequendi.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI iulii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 31 iulii 1625, pontif. anno II.

CLIV.

Confirmatio decreti Congregationis Concilii, quo declaratur, eligi non potuisse a capitulo duos vicarios ecclesiae Limanae, illius sede archiepiscopali vacante[2].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Decretum Congregationis Concilii.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit venerabilis frater modernus episcopus de Arequippa, ecclesiae Limanae suffraganeus, quod nuper a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus sacri Concilii Tridentini interpretibus emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet:

Illustrissimi et reverendissimi domini. Cum in Indiis occidentalibus vacasset sedes archiepiscopalis de Lima, capitulum elegit unum vicarium, seu officialem, quoad causas et negotia dioecesis; sed quoad causas appellationum, quae ad ipsam sedem metropolitanam devolverentur, elegit in iudicem particularem Ioannem Velasquez sacrae theologiae doctorem, cum tamen in capitulo adessent plures alii doctores in iure canonico: de cuius electionis validitate cum, in quibusdam causis quae ipsum concernunt, dubitet episcopus de Arequippa suffraganeus dictae sedis metropolitanae, recurrit ad sacram Congregationem petendo declarationem duorum dubiorum:

I. An sit satisfactum dispositioni Concilii sess. XXIV, cap. XVI, ita ut licuerit capitulo dividere cognitionem causarum, eligendo duos vicarios, unum scilicet quoad causas dioecesis, alium vero quoad causas provinciae.

II. An potuerit capitulum eligere dictum Ioannem Velasquez graduatum in theologiâ, cum tamen adessent alii doctores in iure canonico.

Sacra Congregatio cardinalium Concilii Tridentini interpretum:

Ad I. Censuit, circumscriptâ contrariâ consuetudine legitime praescriptâ, nequaquam licuisse capitulo, sede vecante, duos vicarios ut supra constituere.

Ad II. Debuisse necessario eligi unum ex graduatis in iure canonico.

S. card. S. Susannae, PROSPER FAGNANUS.

Loco ✝ Sigilli.

Quod confirmari petitur;

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus modernus episcopus plurimum cupiat, decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri; ideo nobis humiliter supplicari fecit, ut

1 Male ed. Main. legit *contractis* (R. T.).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.

eius votis huiusmodi annuere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Et confirmatur.

§ 3. Nos igitur, dictum modernum episcopum specialis gratiae favore prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum praeinsertum huiusmodi apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, decretum huiusmodi necnon praesentes litteras valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae ecclesiae Limanae (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmatate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII augusti MDCXXV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 8 augusti 1625, pontif. anno III.

CLV.

Absolutio regis catholici eiusque ministrorum a censuris, in quas incurrerant ob exactum quoddam vectigal ab ecclesiasticis ultra sexennium a Paulo V concessum[1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi catholico, Urbanus Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Concesserat Paulus V facultatem ecclesiasticis solvendi regi quoddam vectigal per sexennium.

§ 1. Aliàs, per felicis recordationis Paulum Papa V praedecessorem nostrum accepto, quod subditi regnorum coronae Castellae in comitiis sive curiis tunc habitis (animadvertentes clarae memoriae Philippum III Hispaniarum regem catholicum, genitorem tuum, pro catholicae religionis defensione et obedientiae erga sanctam Romanam Ecclesiam conservatione, in suis et exteris ditionibus ac regnis, gravissimis assidue sumptibus urgeri, eiusque aeraria pene exhausta esse) quaedam superadditionalia nuncupata servitia sive subsidia (quae in totum summam decem et octo millionum nummorum aureorum conficere deberent, ex gabellâ *sisâ* nuncupatâ super vino, musto, aceto, aquato, oleo et carnibus in dictis regnis colligendis et consumendis imponendâ non solum per ementes et vendentes solvendâ, sed etiam per eos, qui percipiebant oleum et vinum ex propriis terrenis, aut affictibus, aut emebant in uvis, aut olivis, seu colligebant pro decimis, aut etiam dono accipiebant, seu aliàs ex quovis alio redditu et introitu habebant, et consumebant) praestare prompte obtulerant; omnesque laici cuiuscumque gradus, status, conditionis et praeeminentiae eadem subsidia contribuere et gabellam solvere debebant, neque ullus immunis fu-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

turus erat aut exemptus; quodque, si tantummodo laici subsidia huiusmodi contribuerent et gabellam seu sisam praedictam solverent, nimis longo tempore summa praedicta conficeretur, et laicorum facultates ad summam huiusmodi decem ac octo millionum, ut praefertur, aliter conficiendam minime suppetebant; idem Paulus praedecessor, eadem subsidia per ecclesiasticas personas adiuvandam existimans, omnes et singulas ecclesiasticas personas tam seculares, quam cuiuscumque Ordinis etiam exempti et Apostolicae Sedi immediate subiecti regulares, necnon monasteria utriusque sexus, conventus et collegia, ac ecclesiarum capitula regnorum Castellae praedictorum, ac in eisdem regnis commorantes et consistentes, ad conferendum et contribuendum proportionabiliter, et non aliàs, prout laici, in dictis subsidiis, mediante solutione gabellae, seu sisae, eorumdem subsidiorum, etiam super vino, musto, aceto, aquato, oleo et carnibus in praedictis regnis colligendis et consumendis imponendae, seu forsan impositae, et durante tamen sexennio tunc proximo dumtaxat et non ultra, teneri et obligatos[1] esse, non tamen quoad praedictas rerum species, quas ex propriis terrenis, seu decimis, aut aliis quibuscumque redditibus propriis, per se, vel alios, etiam affictuarios suos, vel etiam ex eleemosynis, percipiebant et pro divino cultu, ac propriis et familiarum suarum usibus consumebant, pro quibus omnino immunes et exempti essent, decrevit et declaravit: ita tamen, quod si ante sexennii huiusmodi finem praedicta summa decem et octo millionum nummorum aureorum confecta fuisset, ecclesiastici praedicti amplius contribuere, et dictam gabellam, seu sisam, ut praefertur, solvere non deberent, et aliàs, prout in dicti Pauli praedecessoris in simili formâ Brevis sub die VIII augusti MDCXVIII desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur[1].

1 Aptius legeretur *obligatas* aut *obligata* (R. T.).

Quod tamen cum exactum quoque sit ultra sexennium,

§ 2. Cum autem, sicut eiusdem maiestatis tuae nomine nobis nuper expositum fuit, tu, sexennio praedicto elapso, gabellam seu sisam huiusmodi a personis ecclesiasticicis praedictis per ministros seu officiales tuos exegeris contra sacrorum canonum et generalium conciliorum, necnon Bullae in die Coenae Domini legi et publicari consuetae, dispositionem:

Urbanus regem, eiusque ministros a censuris absolvit.

§ 3. Nos, maiestatis tuae et ministrorum seu officialium tuorum praedictorum conscientiae securitati consulere, teque ac illos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, supplicationibus maiestatis tuae nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, te ac ministros seu officiales tuos praedictos a quibusvis excommunicationis, censuris et poenis, per te ac ministros seu officiales tuos praedictos praemissorum occasione quomodolibet incursis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, absolvimus et liberamus, dictasque poenas, ac pecunias ad quamcumque summam ascendentes, ex gabellâ seu sisâ huiusmodi per eosdem ministros seu officiales tuos ab ecclesiasticis, ut praefertur, exactas, tibi et illis respective gratiose remittimus et condonamus.

Obstantia tollit.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Ac poenitentiam a confessario iniungendam ab eis praecipit adimpleri.

§ 5. Volumus autem, ut poenitentiam, quam confessarius idoneus tibi et ministris seu officialibus tuis praedictis propter praemissa duxerit iniungendam, adimplere omnino teneamini, alioquin praesentes nullae sint.

Datum Romae, apud S. Mariam Maio-

1 Quas vide in tom. XII, pag. 423 (R. T.).

rem, sub annulo Piscatoris, die IX augusti MDCXXV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 9 augusti 1625, pontif. anno III.

CLVI.

Quod capitulum generale Ordinis Praedicatorum imposterum quolibet sexennio celebrari debeat[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Apostolici muneris sollicitudo divinâ dispositione, nullo licet meritorum suffragio, nobis imposita postulat, ut, circa statum religiosorum Ordinum in Ecclesiâ Dei militantium proprie dirigendum sedulo invigilantes, in his, per quae felici eorum profectui, salubrique directioni consulitur, eiusdem muneris partes propensius impendamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Grave erat hisce fratribus capitulum generale singulis trienniis celebrare.

§ 1. Cum itaque, sicut dilecti filii quamplures priores provinciales et fratres diversarum provinciarum Ordinis fratrum Praedicatorum nobis nuper exponi fecerunt, iuxta regularia eiusdem Ordinis instituta apostolicâ auctoritate confirmata capitulum generale de triennio in triennium, pro uno videlicet citra[2], pro altero vero ultra montes celebrari debeat; ex hoc autem provincias ipsas in fratribus ad huiusmodi capitulum mittendis gravia incommoda et dispendia cum non modico regularis disciplinae observantiae detrimento pati compertum sit, et propterea per nos, ut infra, opportune provideri summopere desiderent:

Urbanus statuit, ut quolibet sexennio celebretur.

§ 2. Nos, prospero felicique ipsius Ordinis statui et directioni, quantum cum Domino possumus, consulere, ac priores provinciales et fratres praedictos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; quod de cetero perpetuis futuris temporibus capitulum generale huiusmodi de sexennio in sexennium celebretur, sive a magistro generali eiusdem Ordinis pro tempore existente ad sexennium huiusmodi prorogari, prout sibi videbitur, possit et valeat, dictoque sexennio elapso, et non antea, dictum capitulum generale celebretur et celebrari debeat, ordine tamen in celebratione huiusmodi servari solito servato, in eoque, quae de more fieri solent, fiant et observentur, dictâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus et ordinamus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes praesentes litteras et in eis contenta quaecumque semper et perpetuo valida, firma et efficacia existere et fore, ac ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem Ordini, illiusque superioribus et fratribus, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Perperam edit. Main. legit *extra* (R. T.).

Fides danda transumptis.

§ 5. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX augusti MDCXXV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 9 augusti 1625, pontif. anno III.

CLVIII.

Confirmatio erectionis collegii S. Bonaventurae fratrum Minorum Conventualium Pragensis per Gregorium XV factae, mutato tamen nomine S. Bonaventurae in nomen S. Antonii de Padua[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Referuntur Gregorii XV litterae.

§ 1. Aliàs a felicis recordationis Gregorio Papa XV praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: *Gregorius Papa XV ad perpetuam rei memoriam.* In supereminenti Sedis Apostolicae specula, etc.[2].

Ferdinandus imperator easdem Gregorii litteras confirmari petit.

§ 2. Cum autem, sicut praedictus Ferdinandus rex in imperatorem electus nobis nuper exponi fecit, ipse collegium praedictum competenter dotaverit; pro firmiori vero illius erectionis subsistentiâ plurimum cupiat, erectionem ipsam nostrae quoque confirmationis patrocinio communiri, aliaque, ut infra, fieri:

Confirmat Urbanus.

§ 3. Nos, eiusdem Ferdinandi regis in imperatorem electi votis in praemissis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, eius hac in parte supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotio Propagandae Fidei praepositorum consilio, erectionem et institutionem dicti collegii, ac desuper confectas praeinsertas litteras huiusmodi, cum omnibus et singulis privilegiis, indultis et praerogativis eidem collegio, tam per ipsum Ferdinandum regem in imperatorem electum, quam per eumdem Gregorium praedecessorem per praeinsertas litteras huiusmodi concessis, cum hoc tamen, ut collegium ipsum sub nomine S. Antonii de Padua, non autem S. Bonaventurae huiusmodi deinceps appellari debeat, perinde ac si idem collegium a primaevâ illius erectione sub eiusdem S. Antonii de Padua, non autem ipsius S. Bonaventurae invocatione institutum fuisset, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Collegium vero S. Antonii praecipit nuncupari.

§ 4. Decernentes erectionem et institutionem huiusmodi, necnon praedictas et praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae.

§ 5. Non obstantibus praemissis, nec non omnibus illis, quae in dictis litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Obstantium derogatio.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II septembris MDCXXV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 2 septembris 1625, pontif. anno III.

CLVIII.

Indultum, quod servus Dei Franciscus Borgia, olim dux Gandiae et deinde

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Reliquum omittimus, quia iam editum in tom. XII, pag. 682 (R. T.).

religiosus professus, ac tertius praepositus generalis Societatis Iesu, Beatus nuncupari, et in die eius obitus missa celebrari et officium de communi Confessorum non Pontificum in ecclesiis et domibus regularibus dictae Societatis recitari possit [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Recensentur Urbani litterae.

Aliàs a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis videlicet:

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

In Sede Principis Apostolorum [2].

Idem indultum ad omnes presbyteros missam in Societatis Iesu ecclesiis celebrantes extenditur.

§ 6. Nunc autem, eosdem Gasparem cardinalem ac praepositum et presbyteros amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, et singulares praepositi et clericorum praedictorum personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem fratrum consilio, concessionem et indultum, desuperque confectas litteras huiusmodi, ad quoscumque sacerdotes seculares, seu cuiusvis ordinis, congregationis, seu instituti regulares, ad ecclesias seu domos regulares dictae Societatis Iesu accedentes (ita ut sacerdotes huiusmodi, in dictis ecclesiis seu domibus dumtaxat, missam et officium huiusmodi, servatâ praedictarum litterarum formâ, respective celebrare et recitare possint et valeant) eâdem auctoritate, tenore praesentium, extendimus, ac concedimus pariter et indulgemus.

Derogatur contrariis et fides transumptis additur.

§ 7. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis nostris litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 8. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, secretarii ipsius Societatis vel notarii publici manu subscriptis, et personae alicuius in dignitate ecclesiasticâ constitutae sigillo munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique locorum adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI septembris MDCXXV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 11 septembris 1625, pontif. anno III.

CLIX.

Declaratur Bullam cruciatae et facultatem eligendi confessarium non suffragari canonicis regularibus Congregationis sanctae Crucis regni Portugalliae, qui in hac re subiecti esse debent dispositioni suorum praelatorum, etc. [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romani Pontificis circumspecta benignitas honesta petentium vota, quae personarum sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium prosperum statum ac salubrem directionem respiciunt, ad exauditionis gratiam libenter admittit, et favoribus prosequitur opportunis.

Declaratio de qua in rubricâ.

§ 1. Supplicationibus itaque dilectorum filiorum prioris generalis et aliorum prae-

1 Quamplura de hac societate vide in Constitutione XXXIII Pauli III, *Regimini*, tom. VI, pag. 303; et Const. CCCXXII Pauli V, *In Sede*, tom. XII, pag. 454; et XXXVI Greg. XV, ibid. pag. 603.

2 Reliquum omittimus, quia iam editum est supra, pag. 255 (R. T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

latorum Congregationis sanctae Crucis Colimbriensis canonicorum regularium Ordinis S. Augustini regni Portugalliae nobis humiliter porrectis inclinati, ac specialem illis gratiam facere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum consilio, Bullam cruciatae sanctae et alia privilegia, quae ab Apostolicâ Sede concedi solent circa facultatem eligendi confessorem idoneum ab Ordinario approbatum, qui possit christifideles absolvere a casibus Ordinario reservatis, et a quibusdam etiam qui dictae Sedi reservati[1] sunt, cum dictis priore, praelatis, reliquisque dictae Congregationis canonicis et personis locum minime habere, nec censeri; sed nostrae intentionis existere, quod iidem canonici et personae, quantum ad sacramenti poenitentiae seu confessionis administrationem, dispositioni suorum praelatorum subiecti sint, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo declaramus, eisdem tamen praelatis, ut in usu huius potestatis se cum subditis benignos et faciles exhibeant, praecipientes et mandantes.

Praelatis huius Congregationis conceduntur facultates absolvendi in foro conscientiae quae a Concilio Tridentino episcopis sunt concessae.

§ 2. Et quia sacrum œcumenicum generale Tridentinum Concilium concessit episcopis, ut absolvere possint in foro animae seu conscientiae ab omnibus peccatis, et dispensare in irregularitatibus, idcirco, ne prior et praelati dictae Congregationis in hac parte deterioris conditionis quam clerici aut seculares existant, eisdem priori et praelatis, ut ipsi per se ipsos idem omnino possint in canonicos et personas sibi subditas, quod possunt episcopi in clericos et laicos sibi subiectos, tam quoad absolvendi et dispensandi huiusmodi, quam alias quascumque facultates, eisdem auctoritate et tenore, etiam perpetuo concedimus et indulgemus, ac etiam declaramus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes praesentes litteras perpetuo durare et valere, neque sub quibusvis similium vel dissimilium concessionum et gratiarum revocationibus, suspensionibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes quomodolibet faciendis, ullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas et de novo concessas esse et fore; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem Congregationi, illiusque canonicis et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; seu si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi,

1 Ed. Main. legit *reservata* (R. T.).

vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ab verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x septembris MDCXXV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 10 septembris 1625, pontif. anno III.

CLX.

Indultum pro Ordine fratrum Minorum officium de sancto Conrado, tertii Ordinis sancti Francisci professore, in die suae festivitatis recitandi sub ritu semiduplici, et de communi unius Confessoris non Pontificis [1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Domini nostri Iesu Christi, qui servos suos aeternae gloriae praemio donat in caelis, vices quamquam immeriti gerentes, ex iniuncto nobis pastoralis officii debito procurare tenemur, ut eorumdem servorum Christi debita veneratio in dies magis promoveatur, et laudetur Dominus in sanctis suis: quamobrem fidelium quorumlibet, praesertim vero sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium, votis, quae peculiarem sanctorum huiusmodi cultum respiciunt, libenter annuimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Ad preces Ordinis fratrum Cappuccinorum; § 1. Sane nomine dilectorum filiorum ministri generalis ac fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum nobis nuper expositum fuit, quod ipsi, ex peculiari, quem erga sanctum Conradum tertii Ordinis eiusdem sancti Francisci, dum vixit, professorem gerunt, devotionis affectu, et ut alios christifideles ad eiusdem devotionis studium accendant, officium de eodem S. Conrado die eius festo sub ritu semiduplici recitare posse summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut de opportunâ in praemissis licentiâ eis providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concedit ut in rubrica. § 2. Nos igitur, ministri generalis ac [1] fratrum praedictorum laudabile eiusmodi desiderium plurimum in Domino commendantes, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, ut de eodem S. Conrado die eius festo ab omnibus et singulis Ordinis Minorum S. Francisci religiosis ubique existentibus officium sub ritu semiduplici de communi unius Confessoris non Pontificis, iuxta rubricas breviarii romani, recitari libere et licite possit et valeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, licentiam et facultatem perpetuo concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis. § 4. Volumus autem quod praesentium

1 Tres Ordines instituit S. Franciscus, quorum tertium pro secularibus Tertiariis nuncupatis instituit, et illius professor fuit iste Conradus, non autem congregationis fratrum regularium, qui etiam Tertiarii vocantur.

1 Edit. Main. legit α (R. T.).

transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII septembris MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 12 septembris 1625, pontif. anno III.

CLXI.

Prohibitio ne degentes in Statu Ecclesiastico, mediate vel immediate Sedi Apostolicae subiecto, libros, ab eis ubicumque compositos, de quacumque materiâ tractantes, absque cardinalis vicarii et magistri sacri palatii in Urbe, et extra eam absque Ordinarii et inquisitoris loci licentiâ, alio deferant aut imprimendos transmittant.

Feria V, die XVIII septembris MDCXXV, in generali congregatione S. Romanae et universalis inquisitionis habitâ in palatio apostolico montis Quirinalis coram SS. D. N. D. Urbano divinâ providentiâ Papa VIII, ac illustrissimis et reverendissimis dominis S. R. E. cardinalibus adversus haereticam pravitatem inquisitoribus generalibus a sanctâ Sede Apostolicâ specialiter deputatis.

Decretum, de quo in rubricâ.

Sanctissimus Dominus noster pro debito sui pastoralis officii corrigere volens abusus nonnullorum in Statu Sedi Apostolicae mediate vel immediate subiecto existentium, qui libros a se compositos extra praefatum Statum, absque ullâ Ordinariorum et inquisitorum loci, ubi degunt, approbatione, imprimendos transmittunt; statuit et decrevit, ut imposterum nemo in Statu praedicto degens, cuiusvis conditionis, gradus, ordinis et dignitatis existat, libros de quavis materiâ tractantes, et ubicumque compositos, audeat alio deferre vel mittere imprimendos sine expressâ in scriptis approbatione illustrissimi et reverendissimi domini cardinalis SS. D. N. vicarii et magistri sacri palatii, si in Urbe, si vero extra Urbem existat, sine Ordinarii et inquisitoris loci illius, sive ab iis deputatorum, facultate et licentiâ operi praefigendâ.

Libri, contra huius decreti tenorem impressi, tamquam prohibiti sunt habendi.

§ 2. Libros autem, quos contra praesentis decreti tenorem imprimi contigerit, praeter alias poenas arbitrio Suae Sanctitatis infligendas, absque aliâ declaratione ex nunc prohibet, et pro expresse prohibitis haberi vult et mandat. Contrariis quibuscumque non obstantibus, etc.

IOANNIS ANTONIUS THOMASIUS
S. Romanae et univers. inquisitionis notar.

Anno MDCXXV, *indictione octava, pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Urbani divinâ providentiâ Papae VIII, anno eius* III, *die vero* III *mensis octobris, supradictae litterae apostolicae sive decretum affixum et publicatum fuit in acie Campi Florae, et aliis locis solitis Urbis, per me Brandimartem Latinum prelibati SS. D. N. Papae et sacrae Romanae inquisitionis cursorem.*

CLXII.

Beatificatio servi Dei Felicis de Cantalicio Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Cappuccinorum, ac indultum, quod de eo missa celebrari ac officium recitari possit a fratribus dicti Ordinis in Nancei, Romaricomontis et Cantalicii oppidis existentibus, et Romae ab omnibus ad ecclesiam ipsius Ordinis, ubi corpus eiusdem requiescit, confluentibus [1].

1 Hoc indultum ad omnes fratres dicti Ordinis ubique existentes extendit postea hic idem Pontifex ut in Const. *Nuper*, datâ die IX aprilis anni

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. In speculâ militantis Ecclesiae et apostolicae potestatis plenitudine, nullis licet nostris suffragantibus meritis, divinâ providentiâ constituti, piis fidelium votis, quibus virtutum Dominus in servis suis honorificatur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis.

Petitio. § 1. Sane, pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum Maximiliani Bavariae sacri Romani Imperii principis electoris ac Caroli Lotharingiae ducum respective, necnon Francisci a Lotharingia comitis Vademontani, dilectarumque in Christo filiarum nobilis mulieris Elisabethae Bavariae ducissae et Catharinae etiam a Lotharingia, monasterii Sedi Apostolicae immediate subiecti sancti Petri de Romaricomonte Ordinis sancti Benedicti, nullius seu Tullensis dioecesis, abbatissae, necnon etiam ministri generalis et fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, nobis nuper expositum fuit, quod bonae memoriae Felix de Cantalicio, eiusdem Ordinis, dum vixit, professor, multis et eximiis virtutum, gratiarum et miraculorum donis a Domino illustratus fuit. Quapropter Maximilianus et Carolus duces, ac Franciscus comes, necnon Elisabetha ducissa et Catharina abbatissa, ac minister et fratres praedicti nobis humiliter supplicari fecerunt, ut, donec canonizationis honor dicto Felici de Cantalicio ob eius eximiam charitatem et excellentia merita, divinâ aspirante gratiâ, ab Apostolicâ Sede decernatur, idem Felix de Cantalicio Beatus nuncupari, atque officium et missa de eo, ut infra, recitari et celebrari possit.

§ 2. Quare nos, re prius per venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales sacris ritibus praepositos, quibus eam examinandam demandavimus, mature discussâ, de eorumdem cardinalium consilio, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut ipse bonae memoriae Felix de Cantalicio Beatus nuncupari, officiumque et missa de eo tanquam de communi Confessoris non Pontificis, iuxta rubricas missalis et breviarii romani, hoc anno videlicet post praesentes litteras emanatas, ab omnibus dicti Ordinis fratribus ubique existentibus, hîc autem Romae etiam a confluentibus ad ecclesias eorumdem fratrum, die eorum superioribus bene visâ, in posterum vero die dumtaxat sui obitus in ecclesiis fratrum praedictorum, videlicet in Nanceii, ac praedicto Romaricomontis, necnon Cantalicii oppidis, ab eiusdem fratribus tantum, Romae vero, ubi corpus eiusdem requiescit, etiam ad ecclesiam dictorum fratrum confluentibus, recitari et celebrari respective libere et licite possit et valeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, licentiam et facultatem concedimus et impartimur. Indultum, de quo in rubrica.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Obstantium derogatio.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Fides danda transumptis.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I octobris MDCXXV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 1 octobris 1625, pontif. anno III.

---

sequentis MDCXXVI, quam in ordine referemus, et deinde ad omnes sacerdotes confluentes ad ecclesias huius Ordinis extendit, ut infra Const. *Aliàs nomine*, sub datum XV martii MDCXXVIII, quam etiam suo ordine dabimus.

CLXIII.

Abrogatio omnium indultorum, gratiarum, seu declarationum, quae observantiae regulae S. Francisci quomodolibet contrariae sunt[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Sacrosanctum apostolatus ministerium humilitati nostrae, nullo licet meritorum suffragio, divinâ dispositione commissum postulat, ut inter gravissimas, multiplicesque apostolicae sollicitudinis curas, illam peculiari studio amplectamur, per quam personae sub suavi religionis iugo Salvatoris et Domini nostri obsequiis famulantes felicioribus in dies proficiant incrementis.

Prohibet, quominus fratres alio pedum operimento praeter calepodia et sandalia utantur.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, dilecti filii fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia assiduis verbi Dei praedicationibus, continuâque sacramentorum ecclesiasticorum administratione, necnon aliis spiritualibus exercitiis, uberes in vineâ Domini fructus iugiter afferre noscantur; nos, ut fratres praedicti in tam laudabilium operum exercitio eo alacrius perseverent quo amplioribus fuerint ab hac sanctâ Sede favoribus muniti, providere, necnon felici illorum statui, quantum nobis ex alto conceditur, consulere volentes, necnon statutis et per eos in capitulo generali proxime praeterito decretis inhaerentes, ac supplicationibus etiam dilecti filii Bernardini de Senis, eiusdem Ordinis ministri generalis, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: Quod de cetero perpetuis futuris temporibus omnes et singuli eiusdem Ordinis professores, iuxta dicti Ordinis regulam nec non declarationes a recolendae memoriae Nicolao III et Clemente V Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris desuper emanatas, calepodiis seu sandaliis apertis dumtaxat incedere teneantur, neque alio pedum operimento panneo, seu alterius cuiuscumque materiae existat, absque expressâ licentiâ uti possint;

Aliaque veste praeter duas tunicas.

§ 2. Quodque integrum eorumdem professorum vestimentum duabus tantum tunicis constet et costare debeat; unâ scilicet cum caputio, et aliâ sine caputio, ut eadem regula praescribit, neque eiusdem Ordinis professores tertiâ tunicâ, seu camisiâ stamineâ, aut interulâ, seu sudariis, vel aliâ quacumque re contra eiusdem regulae tenorem, etiam in vim concessionis felicis recordationis Iulii Papae II etiam praedecessoris nostri, sive alio quovis praetextu et ex quacumque causâ, ullo modo uti valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium perpetuo, statuimus atque declaramus.

Derogatio quorumque indultorum.

§ 3. Praedictamque Iulii praedecessoris et quascumque alias concessiones, seu indulta, tam per litteras apostolicas, etiam motu proprio, quam vivae vocis oraculo et aliàs quomodolibet concessa, eidem regulae quomodolibet contraria, abrogamus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ab omnibusque dicti Ordinis fratribus inviolabiliter observari;

§ 5. Sicque et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici audito-

[1] Hanc regulam, olim ab ipso sancto Francisco editam, confirmatam habes ad Honor. III Const. LXVII, *Solet*, tom. III, pag. 394; quae postea declarata fuit a Nicol. III in cap. *Exiit, De verb. signif.* in 6, necnon a Clem. V in Clem. I eod. tit. De istis autem fratribus de Observantiâ vide Const. XXVII Leonin. X, *Ite et vos*, tom. V, pag. 692-698; quibus addo quod Paul. V eisdem ambitum omnino prohibuit, ut in Const. CCCXVIII, *Admonemur*, tom. XII, pag. 450 et Greg. XV deinde revocavit quascumque praecedentias et paternitates, praeter Ordinis constitutiones auctoritate apostolicâ confirmatas, concessas, ut in Const. XCVIII, *Pastoralis*, tom. XII, pag. 785. Vide etiam supra pag. 351 huius tomi.

res, ubique iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praedictâ Iulii praedecessoris, ac quibusvis aliis concessionibus, sive indultis huiusmodi, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die 1 octobris MDCXXV, pontificatus nostri anno III [1].

Dat. die 1 octobris 1625, pontif. anno III.

CLXIV.

Confirmatio nonnullorum statutorum pro studii generalis civitatis Perusinae directione [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

In supereminenti Apostolicae Sedis speculâ, meritis licet imparibus, disponente Domino constituti, et intra mentis nostrae arcana revolventes, quantum ex litterarum studiis catholica fides, tenebrosâ ignorantiae caligine ac haeresum peste expulsâ, augeatur, divini numinis cultus protendatur, veritas agnoscatur, iustitia colatur, reliquae virtutes illustrentur, ac bene beateque vivendi via paretur, ad ea, per quae studia ipsa ubilibet et praesertim in Statu nostro Ecclesiastico excitata feliciter et prospere dirigantur, libenter intendimus, et in his nostrae sollicitudinis partes propensius impartimur, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Pro regimine universitatis Perusinae sequentia edita sunt statuta.

§ 1. Cum itaque nuper, pro felici et prosperâ universitatis studii generalis civitatis Perusinae directione et gubernio, nonnulla statuta, de ordine et mandato nostris, edita fuerint tenoris subsequentis, videlicet:

Episcopus Perusinus universitatis praeses.

§ 2. — I. Episcopus pro tempore sit praeses studii, sicuti est cancellarius, et sedulo invigilet pro bono illius regimine, atque observantiâ praesentium ordinationum; possitque propterea nova etiam statuta condere, quae tamen non prius exequutioni demandentur, quam fuerint a Sede Apostolicâ recognita atque approbata.

Quae sint eius munia.

II. Curet idem praeses, ut in unum redigantur constitutiones apostolicae, statuta et scripturae omnes ad studium pertinentes, et in certum locum tamquam in archivium deferantur; et interea, donec construatur eiusmodi locus, penes archivistam studii custodiantur. Scribae autem, seu notarii studii sua non consequantur emolumenta, nisi per fidem, revisoris et archivistae manu subsignatam, docuerint, scripturas ab ipsis rogatas a revisoribus recognitas et ab archivista receptas fuisse.

De lectoribus.

III. In lectorum conductis hoc anno servetur omnino rotulus SS. D. N. auctoritate confectus, qui nunc transmittitur: de cetero autem lectores conducantur iuxta formam interius praescriptam, videlicet: Singulis annis die primâ Iulii, vel aliâ commodiori, praesidis arbitrio congregetur in aulâ episcopali collegium utriusque iuris doctorum coram episcopo, seu illius generali vicario, et secretis omnium et singulorum doctorum praesentium suffragiis eligantur octo doctores ex corpore ipsius collegii, hac ratione: singuli collegiales, ut supra congregati, scribant nomen et cognomen doctoris eligendi in schedulâ, eamque mox complicatam iniiciant in urnam ad hoc paratam. Deinde per notarium studii [1], a civitate, ut moris est, electum, schedulae omnes sigillatim ab urnâ extrahantur, atque altâ voce perlegantur, et factâ omnium collatione, octo illi doctores, qui maiorem partem suffragiorum tulerint, etiam infra dimidiam totius collegii, electi censeantur. Quod si qui ex iis parem numerum habuerint suffra-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Perperam edit. Main. legit *studiis* (R. T.).

giorum, adeo ut propterea non appareat, quinam intra numerum censeantur inclusi, ex his electi intelligantur, qui primo in albo collegiatorum reperiuntur descripti.

Qui quidem sic electi similiter coram episcopo, seu eius generali vicario, infra triduum iterum congregentur, ac praestito prius iuramento in manibus episcopi seu vicarii de eligendis lectoribus, quos magis dignos, atque habiles iudicaverint, per secreta suffragia unâ cum episcopo, seu eius vicario, ut supra, et priore collegii, qui fuerit pro tempore, eligant lectores iuristas pro sequenti anno: et qui maiorem partem habuerint suffragiorum, hi pro eodem anno tantum, cum salario, materiâ et horâ eodem contextu praescribendis, sint et censeantur conducti. Quod si quis ex electoribus suprascriptis noluerit, aut non potuerit electioni interesse, ius eligendi remaneat penes alios praesentes.

Die autem immediate sequenti, post collegium, ut supra, habitum ab utriusque iuris doctoribus, congregetur ibidem collegium philosophiae et medicinae doctorum coram episcopo, seu eius vicario, et iuxta formam superius praescriptam eligantur sex doctores ex corpore ipsius collegii, qui quidem electi, praestito, ut supra, iuramento, unâ cum episcopo, seu vicario, et priore collegii, eodem modo eligant et conducant lectores pro artibus.

De lectorum stipendio.

IV. In salariis vero assignandis ac distribuendis hoc anno, idem rotulus, ut supra confectus, servetur, etiam usque ad complementum assignationis in eodem expressae: salaria ex futuris vacationibus distribuantur aequaliter inter omnes lectores in rotulo descriptos, si tunc temporis secundum formam superius praescriptam conducti reperiantur, detractâ tamen prius portione lectoribus assignandâ, si qui de novo erunt conducendi, vel in alterius locum subrogandi; et qui primo ad dictum complementum pervenerint, cessare debeant in augmentis percipiendis, usquequo aliorum omnium et singulorum assignatio in eodem rotulo expressa itidem completa fuerit.

Postea vero in perpetuum servetur forma infrascripta. Si qua pars pecuniae post omnium lectorum conductiones distribuenda supererit, coram episcopo, seu eius vicario, in eâdem aulâ episcopali congregetur collegium iuris, vel philosophiae ac medicinae doctorum, prout vacatio contigerit, die primâ septembris, vel aliâ commodiori praesidentis arbitrio praescribendâ, in eoque eligantur quatuor ex corpore ipsius collegii, servatâ in omnibus formâ, quae in electione personarum pro conducendis lectoribus superius praescripta est. Et hi quatuor, infra triduum, ut supra, iterum congregati, praestito in manibus episcopi, seu vicarii, iuramento de iuste ac fideliter distribuendo, unâ cum eodem episcopo, seu vicario, et priore collegii pro tempore, decernant, quae pars salarii ex vacationibus illius anni, et quibus lectoribus pro eo anno fuerit assignanda: et quod quatuor saltem ex praedictis sex placuerit, id ratum habeatur et exequutioni demandetur: ac, si qui noluerint aut nequiverint interesse, ius distribuendi penes alios remaneat. In distributionibus vero praecipuam rationem habeant qualitatis, ac meritorum cuiusque, numeri itidem lectionum illius anni, scholarium frequentiae, tenuitatis salarii, atque aliorum, quae pro eorum prudentiâ duxerint advertenda. Hospitali autem, syndico, notario, computistae, ac reliquis studii ministris assignetur portio consueta.

De tempore conductae.

V. Conductae lectorum, ut constitutione bonae memorie Antonii de Monte cardinalis Papiensis tunc temporis in Umbria de latere legati provide sancitum fuit, et in hanc usque diem observatum, durent pro uno tantum anno, et non ultra: ita ut lectoribus non liceat materiae, loci, tem-

poris, aut salarii continuationem quocumque titulo praetendere, nisi fiat nova eorumdem reductio, iuxta formam superius praescriptam; cui quidem conductioni lectores per omnia acquiescere teneantur.

De rotulis. VI. Rotuli, hoc primo anno excepto, subscribantur ab episcopo, seu eius vicario, et prioribus utriusque collegii, et affigantur more solito: idemque observetur in subscribendis mandatis pro salariis solvendis.

De numero lectionum et redditum distributione. VII. Ex redditibus studii[2] universis detrahatur quotannis portio scutorum octuaginta, ex quibus assignari debeant quindecim institutistae, viginti extraordinario iuris civilis, vigintiquinque ordinario, qui eo anno maiorem numerum lectionum, quam aliquis alius ex iuristis, etiam non sui ordinis, re ipsâ legerit, et viginti tribuantur artistae, qui pariter ad maiorem numerum lectionum, quam quisque alius artista, realiter et cum effectu ascenderit: adeo ut ad huiusmodi portionem consequendam minime sufficiat per doctorem non stetisse, quominus legerit. Porro in collegio, ut supra congregando pro lectoribus conducendis, singulis annis coram omnibus publicetur numerus lectionum quas unusquisque legerit eo anno, et palam declaretur quibus supradicta portio debeatur.

Quibus scholis dandi sint lectores. VIII. Ad omnes et singulas materias inferius descriptas de cetero semper aliquis lector conduci debeat, videlicet:

Legistae.
Ad ordinarium iuris canonici.
Ad ordinarium iuris civilis.
Ad extraordinarium iuris civilis.
Ad institutam.
Artistae in gymnasio.
Ad sacram theologiam.
Ad ordinarium philosophiae.
Ad ordinarium medicinae theoricae.
Ad ordinarium medicinae practicae.
Ad extraordinarium philosophiae.
Ad extraordinarium medicinae.
Ad anotomiam legendam et incidendum.
Ad logicam.
Ad humanitatem.
Extra gymnasium vero.
Ad lecturam sacrae scripturae.
Ad theoricam simplicium.
Ad practicam simplicium.
Ad practicam chirurgiae.

Ad alias autem materias, quam suprascriptas, nemo deinceps conduci possit, praeterquam ad lecturas decreti, sexti Clementinarum et Pandectarum, ad quas collegium possit conducere doctores idoneos.

Materiae exponendae. IX. Extraordinarii legistae explicare debeant leges cum glossis et bartulo absque apparatu quaestionum quas ponunt moderni, nec possit leges illas interpretari quae ad ordinarios pertinent.

Artistae vero extraordinarii necessario explicent, unus methaphysicam, alius mathematicas, alius philosophiam moralem: reliqui vero partem aliquam philosophiae seu medicinae, quae tamen ab ordinariis explicari non consueverit; mathematicus percurrat integrum tractatum de spherâ, aut integrum librum ex quindecim Euclidis, aut alium consimilem tractatum.

Quinam eligendi. X. Ad extraordinariam lecturam iuris civilis vel artium admitti non possit, qui saltem biennio non legerit institutam vel logicam respective; nec ad ordinariam, qui saltem per idem tempus non legerit extraordinariam. Hoc autem biennii spatium debeat esse continuum integro anno, vel maiori parte, ita ut lectura[4] sive in studio Perusino, sive in aliâ publicâ universitate non fuerit intermissa; nemini quoad hoc impedimento etiam legitimo suffragante. Ad lecturas tamen extra gymnasium ob[2] temporis spatium minime requiratur, nisi de consensu duarum partium collegii aliud fuerit iudicatum.

1 Perperam edit. Main. legit *studiis* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *lecturae* (R. T.).

2 Videtur legendum *hoc* potius quam *ob* (R.T.).

Stipendia singulorum.

XI. Institutistae et logici deinceps conducendi habeant saltem stipendium scutorum vigintiquatuor; extraordinarii tam iuris quam artium triginta; ordinarii artium sexaginta; iuris vero non minus quam nonaginta, sed non propterea prohibitum censeatur, quominus quilibet doctor, si quando locus in scholis fuerit, admitti possit ad legendum gratis, si forte salarium vacans non extet ad summam viginti quatuor scutorum ascendens; dummodo tamen sic admittendus absque salario eligatur iuxta formam, quae in aliis lectoribus conducendis superius praescripta est.

Lectorum onera.

XII. Lectores omnes teneantur ad gymnasium accedere, ac legere singulis diebus in quibus sonat campana, ut infra; et post lectionem immediate immorentur in scholis disserendo cum scholaribus de rebus ad lectionem spectantibus, ita ut tempus lectionis et conferentiae ad integram horam perveniat. Et in diebus et horis, in quibus legitur, ne cuiquam praebeatur occasio post mediam horam obstrependi, tollatur omnino campanula, quae horae indicat medietatem. Campanae autem incipiant die v novembris, et perducantur usque ad festum divi Thomae; deinde rursus assumantur die immediate sequenti post Epiphaniam Domini, et perdurent usque ad dominicam ante septuagesimam; tum primâ die lunae quadragesimae usque ad dominicam Palmarum; ac demum die post octavam Paschatis Resurrectionis usque ad festum S. Ioannis; itaut, exceptis diebus festis, in tabellâ studii exaratis, ac decem diebus potionum arbitrio collegii medicorum praescribendis, numquam cessare debeant, sed functiones omnes, in quibus hactenus campana cessare consuevit, in alium diem reiiciantur, vel ad summum cesset eâ tantum horâ, in qua erit lectorum occupatio in funeribus solemnibus et superiorum visitationibus. Per haec tamen quoad vacationem in die iovis cuiuscumque hebdomadae nihil innovatum censeatur.

De punctationibus.

XIII. Lectores, qui in aliquo ex suprascriptis diebus defecerint, fideliter punctentur a punctatore, ab episcopo, seu eius vicario, et priore utriusque collegii eligendo, qui propterea duos habeat libros; in quorum altero signet lectores, qui ad studium non accesserunt, in altero qui accesserunt quidem sed non legerunt, vel propriâ culpâ, vel scholarium impedimento, vel aliam ob causam. Primus liber consignetur computistae studii, ad hoc ut lectoribus deficientibus retineri queat pars pro ratâ dierum in quibus defecerint, et deficientium puncta reliquis lectoribus aequaliter accrescant, ita tamen ut liceat praesidi cognoscere de causis ob quas cessaverint, atque etiam condonare illis punctaturas, si aliquam rationabilem causam subesse arbitrabitur, oneratâ per hoc[1] ipsius conscientiâ. Secundus vero consignetur eidem praesidi, ut inde constare possit, quinam ex lectoribus illius anni ad maiorem lectionum numerum ascenderint, ut propterea illis debeatur portio superius proposita.

De horâ lectionum.

XIV. Tollatur omnino horae diversitas inter lectores ordinarios, sive iuristas, sive artistas et doctores. Ludovicus Schottus et Dionysius Crispoltus legant eâdem horâ in rotulo praescriptâ. Ceterum ex decreto huiusmodi, quod solum editur publicâ studii utilitate vel necessitate cogente, nulli eorum censeatur illatum praeiudicium, quinimo uterque cum paritate conductus intelligatur, ita ut etiam aequaliter eligi possit in promotorem; idemque per omnia cautum censeatur, atque observetur, quoad doctores Ludovicum Cencium et Septimium Eugenium.

XV. Quoad lectores, qui hactenus immunitatem vel privilegium legendi ad libitum sunt consequuti, nihil innovatum

1 Forsan legendum *super hoc* (R. T.).

censeatur. Verumtamen sit in optione doctorum Rubini, Montemellini et Ludovici Cencii, vel suo privilegio frui, vel, si augmentum salarii in rotulo expressum consequi voluerint, re ipsâ legere.

De exemptionibus.

XVI. Exemptio tamen seu immunitas a lectionibus, vel aliud aequipollens indultum, de cetero nemini prorsus concedatur, nisi his, qui legitime probaverint, se actu legisse spatio annorum saltem triginta: et tunc nonnisi per litteras in formâ Brevis, et privilegia seu indulta quaecumque aliter concedenda per subreptionem obtenta intelligantur.

De lectionibus privatis.

XVII. Domi legere[1] liceat iuristis quidem institutam dumtaxat, idemque iis tantum horis, in quibus publice non legunt institutistae; artistis vero, nisi aliud praeses e re esse iudicaverit, illas solum materias, etiam ordinarias, quae publice eo anno non exponuntur, in quibus legunt ordinarii: ceterum in diebus vacationum tam iuristis quam artistis licebit privatim quamcumque materiam ad libitum explicare.

De loco.

XVIII. Sacram scripturam per se vel per alium leget inquisitor haereticae pravitatis in cathedrali ecclesiâ iuxta solitum; mathematicae domi explicari possint; practica chirurgia exponatur ubicumque se occasio tulerit; simplicium natura legatur in horto publico per spatium unius mensis infra Pascha Resurrectionis et festum S. Ioannis, sed metaphysica in scholis publicis tantum legenda erit; ita tamen, ut liceat doctori Ioanni Thomae Gigliolo domi quoque illam explicare, quandocumque ad ordinarium philosophiae fuerit conductus.

De tollendis lectionibus vacationum.

XIX. Tollantur prorsus lectiones, quae hactenus haberi consueverunt tempore vacationum, nec de cetero amplius habeantur, ita ut lectura practicae theologiae, feudorum, practicae medicinae.... omnino cessare debeant; medicinae vero moralis et mathematicarum transferantur in extraordinarios lectores superius expressos. Salarium tamen assignatum lectori aphorismorum restituatur doctori Hieronymo M. Lambardo.

De iuramento.

XX. Doctores omnes de collegio tam praesentes quam futuri, necnon lectores iam conducti vel imposterum conducendi, saltem semel praestent in manibus episcopi seu eius generalis vicarii iuramentum de his capitulis et ordinationibus observandis in articulis ad eos pertinentibus.

XXI. Non obstantibus, quoad suprascripta omnia et singula, SS. D. N. regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, seu aliàs quomodolibet, concessis ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etc., ceterisque contrariis quibuscumque.

Huiusmodi statuta confirmat Urbanus.

§ 3. Nos, inviolabili statutorum praedictorum observationi, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, statuta praeinserta, ac omnia et singula in eis contenta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore,

1 Edit. Main. habet *legi* (R. T.).

suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illasque, ac statuta praedicta ab omnibus, ad quos spectat, et in futurum quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari et adimpleri debere; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac universitatis studii generalis, civitatisque huiusmodi, quatenus opus sit, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris, die XV octobris MDCXXV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 15 octobris 1625, pontif. anno III.

CLXV.

De bonis iurisdictionalibus ad ecclesias et loca pia spectantibus in feudum vel emphyteusim non dandis, neque ultra triennium locandis, aut concessionibus huiusmodi renovandis sive prorogandis [1].

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Humanae salutis auctor Christus Dominus Romanam Ecclesiam amplissimâ temporalis ditionis praerogativâ decoravit, quam voluit inferioribus etiam ecclesiis aliquâ ex parte communicari, ut filiarum decor matris augeret in Summis Pontificibus maiestatem, quibus cum ecclesiarum omnium regimen incumbat, illarum quoque omnium tutelam ad apostolicam eorum providentiam necesse est pertinere.

Causae faciendae prohibitionis.

§ 1. Olim equidem quamplurimi inferiorum ecclesiarum praelati, ut strenuos ac praestantes virtute viros haberent, qui debitum sibi et ecclesiis suis impenderent famulatum, temporales ditiones ad easdem ecclesias pertinentes eximiorum virorum fidei atque administrationi commiserunt; tempore vero praecedente [1], dilabentibus in deterius bonis institutis, factum est, ut nonnulli ecclesiarum praesules, humanis potius affectibus quam meritorum intuitu moti, ditiones temporales huiusmodi variis personis et universitatibus in feudum vel emphyteusim dare, vel ultra triennium locare, et rursus occurrente earum ditionum temporalium devolutione, ad novam infeudationem seu investituram vel locationem ultra triennium, sub specie quod illae in feudum vel emphyteusim dari, vel, ut praefertur, locari sint solitae, seu alias causas praetendentes, devenire consueverunt, quod in non modicum ecclesiarum ipsarum damnum et praeiudicium tendere usu compertum est.

Prohibitio, de qua in rubrica

§ 2. Nos itaque, nostri muneris partes adimplendo, praemissis obviam ire, necnon ecclesiarum, monasteriorum et locorum piorum quorumcumque indemnitati, ac iu-

1 De non alienandis vero bonis ecclesiae, vel ultra triennium locandis, generales extant nonnullae Pontificiae prohibitiones aliàs per me indicatae; ac praesertim Const. IX Leonis I, *Occasio*, tom. I, pag. 65; et Const. VI Pauli II, *Ambitiosae*, tom. V, pag. 194; de non alienandis autem et infeudandis terris sanctae Romanae Ecclesiae specialis extat prohibitio, vide Constit. LIII Pii V, *Admonet*, tom. VII, pag. 560.

1 Videretur potius legend. *procedente* (R. T.).

rium eis quomodolibet competentium conservationi, quantum nobis ex alto conceditur, providere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ nostrâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione, omnibus et singulis patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis, abbatibus et generalibus, ceterisque ecclesiarum et locorum piorum utriusque sexus praesulibus, praelatis, praesidentibus, rectoribus, praeceptoribus, commendatariis et administratoribus, cuiuscumque status, gradus, dignitatis et praeeminentiae existant, etiamsi cardinalatus honore praefulgeant, necnon capitulis, etiam generalibus et provincialibus, conventibus, collegiis, sodalitatibus, etiam laicorum, et quibuscumque aliis superioribus cuiusvis ordinis, societatis vel instituti, etiam de necessitate exprimendi, aut militiarum etiam S. Ioannis Hierosolymitani in universâ Italia, etiam in quorumvis principum secularium quomodolibet qualificatorum, etiam ducali, regiâ, imperiali vel quavis aliâ dignitate, honore vel excellentiâ praestantium, ditione temporali existentibus, si pontificali vel abbatiali emineant dignitate, sub interdicti ingressus ecclesiae, ac, si per sex menses immediate subsequentes sub interdicto huiusmodi permanserint, lapsis mensibus eisdem, sub regiminis et administrationis ecclesiarum vel monasteriorum, quibus praesident, in spiritualibus et temporalibus suspensionis; capitulis vero, conventibus, collegiis, sodalitatibus et universitatibus praedictis, sub interdicti a divinis, eorumque singularibus personis ac inferioribus praelatis, commendatariis et aliis praefatis, sub excommunicationis latae sententiae, ac omnium dignitatum, beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum, de quorum rebus et bonis contra praesentis constitutionis tenorem eos disponere contigerit, vocisque activae et passivae privationis, et perpetuae inhabilitatis ad illa seu quaelibet alia imposterum obtinenda, ipso facto, etiam absque iudicis ministerio vel sententiâ, incurrendis poenis, ne de cetero civitates, terras, castra, oppida, villas, arces, fortalitia, munitiones, territoria, districtus, iurisdictiones aut quaevis alia loca vel bona iurisdictionalia, seu quovis modo iurisdictionem temporalem, etiam cum alio vel aliis, coniunctim seu divisim, aut aliàs quomodolibet annexam habentia, aut eorum seu iurisdictionis partem etiam minimam, ad patriarchales, primatiales, metropolitanas, episcopales et alias ecclesias, monasteria, collegia vel loca pia supradicta hunc et pro tempore quovis modo spectantia et pertinentia, tam quae ad praesens per ecclesias, monasteria et loca huiusmodi pleno iure possidentur, quam ea, quae in feudum vel emphyteusim concessa vel ultra triennium locata per quoscumque quomodolibet et sub quibusvis praetextibus occupata seu usurpata reperiuntur, aut ad ecclesias, monasteria et loca praedicta iam de praesenti forsan de iure vel de facto reversa seu devoluta sunt, etiamsi ecclesiis, monasteriis, locisque piis huiusmodi adhuc incorporata et de eorum mensâ effecta non sint, aut quandocumque perpetuis futuris temporibus per lineam finitam, canonem non solutum, delictum perpetratum, vel alio quocumque modo revertentur seu devolventur in futurum, etiamsi ex antiquâ seu immemorabili consuetudine, aut etiam privilegio apostolico, quamcumque ob causam concesso, et iteratis vicibus approbato, in feudum vel emphyteusim concedi vel ultra triennium locari, aut, finitâ concessione vel locatione huiusmodi, feuda, investiturae vel aliae concessiones renovari consueverint, quibusvis personis, quavis ecclesiasticâ seu mundanâ dignitate vel excellentiâ fulgentibus, ac speciali notâ dignis, capitulis, collegiis, ecclesiis, congregationibus,

monasteriis, conventibus, hospitalibus et quibusvis universitatibus, tam secularibus quam ecclesiasticis, aut quibuscumque aliis, quocumque nomine ac titulo nuncupatis, et quomodolibet qualificatis, in feudum vel emphyteusim concedere, aut ultra triennium locare, aut concessiones, investituras et locationes huiusmodi post finitum illarum tempus vel aliàs quandocumque renovare, prorogare vel de novo facere, etiam ad favorem descendentium, haeredum vel consanguineorum illorum, qui civitates, terras et bona iurisdictionalia praedicta obtinuerint, possederint vel occupata detinuerint, etiam intuitu meritorum, etiamsi concessiones et alia praemissa in evidentem, immo evidentissimam utilitatem ecclesiae, monasterii vel loci pii cedant, aut concessionibus, investituris, locationibus, vel illarum renovationibus aut prorogationibus consentire, aut aliud scripto, verbo vel alio quovis modo, per quem dictae civitates, terrae et bona iurisdictionalia huiusmodi ad ecclesias, monasteria et loca pia praedicta, sive eorum praelatos, superiores, rectores seu administratores non revertantur, etiamsi in praedictis concessionibus, investituris, renovationibus, prorogationibus et aliis praemissis nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, etiam cum clausulâ *et non aliàs aliter nec alio modo,* reservetur, et nisi illo in scriptis tantum prius obtento, facere audeant vel praesumant, ultra alias poenas per canonicas sanctiones desuper quomodolibet inflictas, districte interdicimus et prohibemus.

Poena nullitatis actus.

§ 3. Et insuper quascumque concessiones, investituras, locationes, vel illarum prorogationes et revocationes, quas contra praesentium tenorem quocumque modo et quovis tempore fieri contigerit, prorsus nullas et effectu omnino carere debere;

Clausulae.

§ 4. Sicque in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et eiusdem camerae apostolicae thesaurarium et clericos, necnon sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, et quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus et declaramus.

Obstantium derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in corpore iuris insertis, ac etiam in favorem quarumcumque ecclesiarum, provinciarum, civitatum, universitatum, collegiorum, capitulorum et locorum piorum, eorumque personarum, atque ordinum, tam mendicantium, quam non mendicantium, militiarum etiam S. Ioannis Hierosolymitani, necnon congregationum et societatum et cuiusvis alterius instituti, etiam necessario, ut praefertur, et individuo exprimendi, eorumque monasteriorum, conventuum et domorum regularium, necnon illorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, indultis quoque et privilegiis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, etiam irritantibus decretis, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet concessis et iteratis vicibus approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, ac individua, et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma

servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum et formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, quoad ea, quae iisdem praesentibus adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, harum serie specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Iuramentum de observanda praesenti Constitutione.

§ 6. Volumus autem, quod de cetero patriarchae, primates, archiepiscopi et episcopi, necnon abbates, praesules, praelati, aliique praefati in aliis iuramentis ab iis praestandis, de praesenti etiam Constitutione servandâ omnino iurare teneantur;

§ 7. Ipsaque constitutio in quinterno cancellariae apostolicae describatur;

Eiusdem publicatio.

§ 8. Quodque praesentes ad valvas Lateranensis et Principis Apostolorum de Urbe basilicarum et dictae cancellariae, et in acie Campi Florae publicèntur, et sic publicatae omnes et singulos, quos concernunt et concernent in futurum, perinde arctent et afficiant, ac si eis et eorum cuilibet personaliter intimatae forent;

Transumptorumque fides.

§ 9. Earumdemque transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo praelati seu personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, in iudicio et extra illud eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Clausulae poenales.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri interdicti, prohibitionis, decreti, declarationis, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXV, VI kalendas novembris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 27 octobris 1625, pontif. anno III.

Anno a Nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCXXVI, *inditione* IX, *die vero* XXVII *mensis ianuarii, pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri D. Urbani divinâ providentiâ Papae VIII, anno eius* III, *retroscriptae litterae apostolicae lectae, affixae et publicatae fuerunt ad valvas basilicarum S. Ioannis Lateranensis, Principis apostolorum de Urbe, cancellariae apostolicae, et in acie Campi Florae, dimissis ibidem praesentibus litteris per aliquantulum temporis spatium, ut moris est, affixis, et deinde amotis, per nos Pompeium Girancortes et Brandimartem Latinum, praelibati Sanctissimi Domini Papae cursores, etc.*

OCTAVIUS SPADA, mag. cursorum.

Retroscriptae litterae apostolicae registratae fuerunt in quinterno cancellariae apostolicae anno Incarnationis Dominicae MDCXXVI [1], die vero IV mensis februarii, pontificatus SS. D. N. Urbani, divinâ providentiâ Papae VIII, anno III.

MARCUS ANTONIUS ASCENSUS,
Cancellariae apostolicae procustos.

CLVI.

Indultum, quod fratres Discalceati B. Mariae de Mercede Redemptionis captivorum officium et missam de communi Confessoris non Pontificis recitare possint de S. Raymundo, dicti Ordinis, dum vixit, professore et procuratore generali, ac S. R. E. cardinali, in die suae festivitatis [2].

**Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Salvatoris et Domini nostri Iesu Christi, qui servos suos aeternae gloriae praemio

1 Erronee ed. Main. habet MDCXXV (R. T.).

2 De hoc Ordine vide ad Const. XLII Greg. IX, *Devotionis*, tom. III, pag. 485, et eiusdem privilegia confirmavit postea hic idem Urbanus VIII, ut inf. *Ex clementi*.

donat in caelis, vices quamquam immeriti gerentes in terris, ex iniuncto nobis desuper pastoralis officii debito procurare tenemur, ut eorumdem servorum Christi debita veneratio in dies magis promoveatur, laudeturque Dominus in sanctis suis. Quamobrem fidelium quorumlibet, praesertim vero sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium, votis, quae peculiarem sanctorum huiusmodi cultum respiciunt, libenter annuimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Procuratoris generalis Ordinis preces.

§ 1. Sane dilectus filius Didacus de sancto Raymundo, procurator generalis Ordinis fratrum Discalceatorum nuncupatorum B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum, nobis nuper exponi fecit, quod fratres praedicti, pro eo, quem erga sanctum Raymundum Nonnatum, eiusdem Ordinis, dum vixit, professorem, ac S. R. E. cardinalem, gerunt, devotionis affectu, et ad augendam Christi fidelium erga illum devotionem, officium et missam de eodem sancto Raymundo, ut infra, recitari et celebrari posse summopere desiderant; nobis propterea idem Didacus totius Ordinis huiusmodi nomine humiliter supplicari fecit, ut de opportunâ ad hoc licentiâ providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Indultum, de quo in rubrica.

§ 2. Nos igitur, piis Didaci et fratrum praedictorum votis in praemissis annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio; ut de eodem sancto Raymundo die eius festo officium et missa de communi Confessoris non Pontificis iuxta rubricas missalis et breviarii romani ab omnibus praedicti Ordinis utriusque sexus regularibus personis tantum recitari et celebrari respective libere et licite possit et valeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, licentiam et facultatem concedimus et impartimur.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 4. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v novembris MDCXXV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 5 novembris 1625, pontif. anno III.

CLXVII.

Quod in principatu Cathaloniae ac comitatu Rossilionis et Ceritaniae servetur constitutio Gregorii XIV super immunitate ecclesiarum[1].

Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, in principatu Cathaloniae et comitatu Rossilionis et Ceritaniae pro tempore constitutis,

Urbanus Papa VIII.

Venerabiles fratres,
salutem et apostolicam benedictionem.

Immunitate ecclesiasticâ his in locis facinorosi homines abutebantur.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, quod in principatu Cathaloniae ac comitatu Rossilionis

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

et Ceritaniae, ex antiquâ illorum consuetudine, seu potius abusu, delinquentes, qui ob excessus ab eis perpetratis ad ecclesias et loca pia confugiunt, et inde extracti, si privilegio immunitatis gaudere debere declarantur, non solum a delictis et excessibus, ob quos confugiunt, ut praefertur, et super quibus controvertitur, an dicto privilegio gaudere debeant, sed etiam a criminibus, excessibus et delictis per eos aliàs commissis absolvuntur; necnon in principatu et comitatu praedictis multi laici facinorosi reperiuntur, qui post perpetrata ab eis, cum maximo christifidelium scandalo, damno et confusione, gravissima et atrocissima delicta, ut ministrorum iustitiae manus, debitasque suorum scelerum poenas effugiant, ad ecclesias et loca pia confugiunt, eorumque immunitate securitatis spe freti perniciose abutentes, ecclesias et loca pia huiusmodi tamquam domos proprias inhabitant, illorumque bona et redditus interdum usu nefario consumunt, quo fit etiam, ut in plerisque locis mulieres, perditorum hominum huiusmodi timore perterritae, ad easdem ecclesias pro sacrosancto missae sacrificio audiendo minime accedant. Quare idem Philippus rex, ut tam enormibus malis aliquâ ratione obviam eatur, sublatisque abusibus huiusmodi, christifideles ibi existentes in pacis amoenitate reddant Domino abundanter fructus suos, nobis humiliter supplicari fecit, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Urbanus iubet Gregorii XV Constitutionem servari.

§ 2. Nos igitur, piis eiusdem Philippi regis votis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis et vestrum cuilibet, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, districte praecipimus, ut in vestris civitatibus et dioecesibus, abusibus huiusmodi sublatis, constitutionem felicis recordationis Gregorii Papae XIV praedecessoris nostri super immunitate ecclesiarum exacte observetis[1]; eamque ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum, observari curetis. Delinquentes vero ad ecclesias et loca pia, quae iuxta sacrorum canonum dispositionem immunitate huiusmodi gaudere debent, confugientes, ac immunitate ecclesiasticâ iuxta constitutionis praedictae dispositionem gaudentes, quod in ecclesiis et locis piis praedictis ultra octo dies permanere seu degere non valeant, auctoritate et tenore praedictis declaramus. Quare vobis et vestrum cuilibet districte mandamus, ut laicos, quibus dicta immunitas vigore constitutionis huiusmodi concedetur, ad ecclesias et loca pia ob delicta per eos commissa pro tempore confugientes, moneatis, ut durante octo dierum huiusmodi spatio ab ecclesiis et locis piis huiusmodi omnino recedant: sin minus vobis et vestrum cuilibet, ut illos, lapsis eisdem octo diebus, curiae seculari consignare possitis et valeatis, concedimus et indulgemus, ita ut inde ad mortem non damnentur, sed in consignatione huiusmodi membrum et vitam obtinere debeatis.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, praesentes litteras de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, aut intentionis nostrae seu quovis alio defectu notari vel impugnari ullo unquam tempore nullatenus posse; sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate ac auctoritate) iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 Quam habes in *Bullario* tom. IX, pag. 424 (R. T.).

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac generalis concilii et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et exemptionibus apostolicis, etiam secularibus et regularibus personis, ordinibus, monasteriis, ecclesiis et aliis locis sacris, necnon congregationibus et superioribus eorumdem, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis etiam irritantibus, et aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus innovatis, concessis et approbatis. Quibus omnibus, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat ad effectum praesentium specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus, quoad indultum huiusmodi, ad quinquennium tantum valituris.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII novembris MDCXXV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 12 novembris 1625, pontif. anno III.

CLXVIII.

Indultum ac decretum, ut festum S. Bernardi servetur de praecepto in dominiis Reipublicae Genuensis, ac in regno Corsicae[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Apostolatus officium, nullo licet meritorum suffragio, nobis ex alto commissum postulat, ut in his, per quae sanctorum Christi confessorum cultus et veneratio in dies magis augeatur, eiusdem officii partes propensis studiis impendamus, piisque christifidelium in id tendentibus votis benignum praebeamus assensum, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Genuensium preces.

§ 1. Sane nomine dilectorum filiorum nobilium virorum ducis et Reipublicae Ianuensis nobis nuper expositum fuit, quod, cum ipsi in novissimis bellorum tumultibus sancti Bernardi opem saepius imploraverint, eumdemque in patronum et protectorem solemnibus votis elegerint, pro eo quem erga ipsum gerunt devotionis affectu, atque ut[1] grati animi erga illum imposterum extet monumentum, eiusdem sancti Bernardi festum diem de cetero tamquam de praecepto, ut infra, servari, et propterea sibi per nos desuper opportune provideri, summopere desiderant.

Indultum, de quo in rubricâ.

§ 2. Nos, piis eorumdem ducis et Reipublicae desideriis in praemissis annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, eisdem duci et Reipublicae, quod de cetero perpetuis futuris temporibus in universâ eiusdem Reipublicae ditione temporali, quam continentem appellant, necnon in regno Corsicae, aliisque subiectis insulis, ipsius sancti Bernardi natalitius dies tamquam festum de praecepto ab omnibus utriusque sexus christifidelibus ditionis, regni et insularum huiusmodi servetur, ac servari omnino debeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus, ac decernimus et declaramus.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Edit. Main. legit *aut* (R. T.).

Ordinarii locorum decreti huius designantur exequutores.

§ 3. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ceterisque locorum Ordinariis in ditione, regno et insulis praedictis constitutis, per praesentes praecipimus et mandamus, quatenus easdem praesentes in suis quisque ecclesiis et dioecesibus publicari faciant, ac omnes et quoscumque sibi subiectos ad praedicti festi celebrationem omnibus iuris remediis cogant atque compellant, super quo plenam et amplam illis per praesentes concedimus facultatem.

Contraria quaeque tolluntur.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 5. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XII novembris MDCXXV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 12 novembris 1625, pontif. anno III.

CLXIX.

Exemptio ab Ordinariorum iurisdictione, hospitali S. Antonii de sancto Antonio Viennensi a nonnullis Romanis Pontificibus concessa, confirmatur, iis exceptis, quae respiciunt curam animarum et sacramentorum administrationem[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Nonnulli Pontifices hunc Ordinem ab episcoporum iurisdictione liberum esse voluerunt.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii abbas et religiosi hospitalis S. Antonii de S. Antonio Viennensi Ordinis sancti Augustini, quod aliàs felicis recordationis Bonifacius VIII, Sixtus IV, Leo X, Clemens VII et Paulus III Romani Pontifices praedecessores nostri abbatem pro tempore, nec non praeceptores, priores et religiosos, ac monasteria, ecclesias, praeceptorias, ceteraque beneficia hospitalis et ordinis praedictorum, etiam curam animarum habentia, ab omni iurisdictione, potestate, subiectione, dominio et visitatione patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum et Ordinariorum quorumcumque, necnon quarumvis gabellarum, datiorum, impositionum, onerum, gravaminum, iucundorum et aliorum similium solutione exemerunt et liberarunt, illosque ac illas et illa sibi ac Sedi Apostolicae immediate subiecerunt.

Sed cum dubium exortum sit an haec exemptio sit per Concilium Tridentinum sublata,

§ 2. Cumque exemptio et liberatio ac subiectio huiusmodi, per dictos praedecessores facta, per subinde subsequutum sacrum Concilium Tridentinum revocatae et annullatae ab aliquibus praetenderentur, abbasque ac religiosi praedicti plurimum cupiant exemptionem et liberationem, subiectionemque praedictas, ne de illarum validitate ullo unquam tempore dubitari possit, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri:

Urbanus eam confirmat, iis tamen exceptis, quae curam animarum respiciunt.

§ 3. Nos, eosdem abbatem et religiosos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sen-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

tentiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium Concilii praedicti similiter interpretum consilio, exemptionem, liberationem et subiectionem per praedecessores nostros praedictos factas, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, praeterquam tamen in his, quae curam animarum et sacramentorum administrationem concernunt, ac his quae in litteris piae memoriae Gregorii XV [1] desuper editis continentur, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et quoscumque iuris et facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus: ac de cetero, quatenus opus sit, abbatem, praeceptores, priores et religiosos, nec non ecclesias, monasteria, praeceptorias, et alia quaecumque beneficia hospitalis et Ordinis praedictorum, nobis et Sedi praedictae immediate subiicimus, ac illos et illas illaque respective, dummodo et quandiu hospitalitatem huiusmodi retinuerint et exercuerint, minime sub revocatione, sed sub exceptione praedictis comprehendi declaramus.

Clausulae. § 4. Decernentes, praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, dictisque hospitali et ordini, necnon illorum abbatibus, praeceptoribus, prioribus et religiosis plenissime suffragari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV novembris MDCXXV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 14 novembris 1625, pontif. anno III.

1 Quasdam de hoc Ordine litteras Greg. XV vide in tom. XII, pag. 519 (R. T.).

CLXX.

Institutio archivii generalis in Urbe [1].

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Pastoralis officii nobis, meritis licet imparibus, divinâ dispositione iniuncti sollicitudo assidue cor nostrum pulsat et commovet, ut non solum ad ea, quae animarum salutem respiciunt, verum etiam quae ad populorum, praesertim almae Urbis nostrae, ac nobis, et Sedis Apostolicae temporali ditioni subditorum utilitatem, pacem, tranquillitatem, perpetuamque securitatem pertinere noscuntur, vigilantiae nostrae aciem dirigamus, et praesertim noxis illis, quae, ob non adhibitam satis exactam diligentiam in conservandis tam publicis quam privatis scripturis, inter subditos nostros, gravi cum nostrâ, eorum-

1 Plura de archiviis invenies praecipue in Constit. XIX (in n. ed. XVIII) Iulii II, *Sicut*, tom. V, pag. 458.

que molestiâ, fortunarumque suarum iacturâ, frequenter exoriri et vigere intelligimus, commodâ aliquâ ratione provideamus, et, pro felici progressu eorum, quae propterea a nobis ordinantur, illorum curam egregiorum virorum prudentiae demandemus, quorum operâ et studio feliciter gubernentur, ac lites facilius terminentur, prout pro iustitiae complemento et subditorum eorumdem quiete[1] conspicimus in Dominos alubriter expedire.

Causae instituendi generale archivium in Urbe.

§ 1. Cum itaque (ex multiplicitate et diversitate notariorum Urbis, et aliquorum etiam ex eis imperitiâ et negligentiâ, ac instrumentorum et aliarum scripturarum confusione, ac incuriosâ custodiâ, plurima damna et incommoda subditis nostris et aliis irrogari, maximum etiam detrimentum fidei publicae in dies inferri, eamdemque non parvo in discrimine falsitatum et fraudum versari, vicissim vero ex diligenti eorumdem instrumentorum et scripturarum curâ falsitates et fraudes omnes evitari, dominia rerum ac iura unicuique conservari, aliaque non modica pervenire bona satis exploratum et abunde perspectum habentes; et in plerisque dominiis et regionibus exteris, ac etiam Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum auctoritate fere in omnibus civitatibus et locis Status nostri Ecclesiastici publica et generalia, et in ipsâmet Urbe nostrâ quaedam particularia, Capitolinum videlicet et Romanae Curiae, et forsan alia, archivia erecta et instituta fuisse, ex eis tamen alia in desuetudinem abiisse, alia in multis deficere, neque per illa huiusmodi incommodis, damnis et fraudibus, illarumque periculis sufficienter provideri animadvertentes; et ex annalibus sacrae historiae Romanam Ecclesiam olim archivium publicum sub nomine cartophylacii habuisse, et cartophylacii officium magnae dignitatis et auctoritatis apud eamdem Romanam Ecclesiam et Sedem Apostolicam extitisse, memoriâ repetentes; et praemissis, quantum in nobis est, occurrere cupientes) nullâ aliâ ratione satius praedictis nostris subditis et aliis omnibus quam per erectionem archivii publici et generalis in dictâ Urbe, ad quod instrumenta publica et aliae scripturae per eiusdem Urbis notarios et alios infrascriptos rogata pro tempore deferri et in eo asservari debeant, consultum iri censeamus; pro earumdem Urbis et Romanae Curiae ornamento, et instrumentorum ac scripturarum tutâ et perpetuâ conservatione, nostrorum subditorum et aliorum securitate, ac publicâ et privatâ omnium utilitate, ad erectionem huiusmodi devenire decrevimus.

Archivium Urbanum instituit;

§ 2. Motu igitur proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ et merâ deliberatione nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, archivium generale, Urbanum nuncupandum, sub protectione et supremâ superintendentiâ dilecti filii Francisci S. Agathae diaconi cardinalis Barberini nuncupati, nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, eius vitâ durante, et, post illius obitum, unius ex eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus per pro tempore existentem Romanum Pontificem ad id specialiter deputandi[1], in dictâ Urbe, in loco prope plateam Principis Apostolorum de Urbe nuncupatam per nos designato; et, pro eiusdem archivii generalis bono regimine et administratione, unum conservatoriae eiusdem archivii generalis officium pro uno clerico vel laico utriusque iuris doctore, vitae ac morum probitate et experientiâ praedito, ac aliàs sufficienti et idoneo, conservatore archivii generalis Urbani nuncupando, ad nostrum et pro tempore existentis Romani Pontificis nutum ponendo

Eique cardinalem praeficit,

Ac conservatorem.

1 Edit. Main. legit *quieti* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *deputandum* (R. T.).

et amovendo, cum infrascriptis et aliis omnibus et singulis privilegiis, facultatibus, honoribus, praeeminentiis et oneribus, in capitulis per dilectum filium nostrum Antonium dictae sanctae Romanae Ecclesiae presbyterum cardinalem sancti Honuphrii nuncupatum de mandato nostro subscriptis expressis, et aliis etiam per pro tempore existentem archivii generalis huiusmodi superintendentem cardinalem quandocumque ampliandis, moderandis et declarandis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus; illique sic erecto et instituto, pro eius dote ac illud pro tempore obtinentis sustentatione, salario et emolumento, summam in particulari chirographo, etiam hodie manu nostrâ subscripto, ex taxis ac omnibus iuribus, obventionibus, emolumentis et aliis regalibus in dictis capitulis contentis et specificatis designandam, dictâ auctoritate etiam perpetuo applicamus et appropriamus, ac ex nunc applicatam et appropriatam fore et esse volumus et declaramus.

Cui salarium assignat.

§ 3. Ita ut liceat eidem conservatori pro tempore existenti, per se, vel alium ad id ab eo deputandum, summam sic applicatam et appropriatam ab iis, ad quos pro tempore spectabit, exigere, recipere et retinere, ac in suos usus et utilitatem convertere, nostrâ vel Romani Pontificis pro tempore existentis licentiâ desuper minime requisitâ.

Et privilegia hic recensita decernit.

§ 4. Ac (ut praedictum officium sic erectum et institutum, illudque pro tempore obtinens amplioribus per nos favoribus et gratiis decoretur) quod pro tempore existens conservator dicti archivii noster ac pro tempore existentis Romani Pontificis verus, indubitatus et non fictus familiaris continuus commensalis, aliorumque familiarium et continuorum commensalium numero et consortio adscriptus et aggregatus eo ipso existat; et vestes violacei coloris ad instar nostrorum cubiculariorum honoris nuncupatorum gestet, illisque arbitrio suo utatur; ac, in signum verae et indubitatae ac non fictae familiaritatis huiusmodi, singulis diebus ex palatio apostolico panem eiusdem quantitatis et qualitatis, prout dilectis filiis in utrâque signaturâ nostrâ referendariis dari consuevit, habeat, decernimus, et panem huiusmodi dietim sibi ex dicto palatio dari mandamus.

Omnia omnino publica instrumenta ad hoc archivium iubet deferri.

§ 5. Ad archivium autem generale praedictum omnia testamenta, fideicommissa, legata, codicillos, donationes causâ mortis et alias ultimas voluntates, a quibusvis notariis publicis Urbis, etiam eorum officia titulo oneroso a nobis et Sede praedictâ ac camerâ apostolicâ habentibus, necnon parochis eiusdem Urbis, tam in ipsâ Urbe quam extra eam, quomodolibet recepta et rogata, ac super venditionibus, et venditionum resolutionibus et rescissionibus, cessionibus, renunciationibus, transactionibus, divisionibus, in solutum dationibus, permutationibus de et super bonis et rebus immobilibus factis, necnon censibus et eorum extinctionibus, feudis, subfeudis, ac in emphyteusim, livellum, aut sub annuo censu, canone, vel aliâ responsione concessionibus, inter vivos donationibus, insinuationibus, dotibus et pactis dotalibus, haereditatum aditionibus, repudiationibus, et inventariis, emancipationibus, adoptionibus, arrogationibus, iurispatronatibus irrevocabilibus, et ad vendendum et donandum procurationum mandatis, fideiussionibus perpetuis ac alia instrumenta in capitulis praedictis latius descripta et adnotata, et per quosvis notarios Urbis praedictos, tam in Urbe quam extra eam, quomodolibet, ut praefertur, recepta et rogata, sub modo et formâ in eisdem capitulis praescriptis et ordinatis, deferri, et in eo respective recipi, annotari ac diligenter et perpetuo conservari et cu-

stodiri debere volumus, praecipimus et similiter mandamus.

Conservatorem deputat;

§ 6. Postremo, dilectum filium Camillum Perinum clericum Florentinum utriusque iuris doctorem, apud nos de litterarum scientiâ, vitae ac morum honestate, aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu specialis gratiae favore prosequi volentes, eumdem Camillum, de cuius fide, doctrinâ, prudentiâ, et in similibus experientiâ plurimum in Domino confidimus, in conservatorem dicti archivii generalis ad nostrum et dictae Sedis beneplacitum motu et auctoritate paribus constituimus et deputamus. Francisco vero cardinali, ac aliis dicti archivii generalis, ut praefertur, deputandis superintendentibus et gubernatoribus, edicta, bannimenta et proclamationes, praedictum archivium generale vel illius negotia pro tempore quomodolibet concernentia, sub suo nomine, ac sub poenis etiam corporalibus sibi benevisis, quoties opus fuerit, publicandi, ac pro tempore emanata declarandi, interpretandi, ampliandi et innovandi, ac exequutioni demandari faciendi, prout eidem magis expedire visum fuerit; necnon omnes causas civiles, criminales et mixtas super praemissis et illorum occasione pro tempore motas, ac appellationum, reclamationum, recursuum, ac in integrum restitutionum a sententiis, decretis et gravaminibus per praedictum Camillum et pro tempore existentem conservatorem dicti archivii generalis latis, promulgatis, seu quomodolibet illatis, cum omnibus et singulis incidentibus, dependentibus, annexis et connexis, totisque negotiis principalibus, etiam privative quoad omnes alios, manu regiâ, simpliciter et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, ac telâ iudiciariâ minime observatâ, ac omni et quacumque appellatione, recursu, vel restitutione in integrum remotis, per se, vel alium, aut alios, a Francisco cardinales et pro tempore existente superintendente [1] et gubernatore dicti archivii generalis deputandos, audiendi, cognoscendi, fineque debito terminandi et decidendi; aliaque omnia et singula, quae ad ipsius archivii generalis directionem ac rectam et facilem administrationem et gubernationem pertinent, et aliàs circa praemissa necessaria fuerint seu quomodolibet opportuna, ordinandi, mandandi, faciendi, gerendi, exercendi, disponendi et exequendi plenam et omnimodam potestatem, auctoritatem et facultatem concedimus et impartimur.

Eique, aliisque superintendentibus facultates hic enunciatas tribuit.

§ 7. Decernentes easdem praesentes, etiam ex eo quod notarii et eorum collegia, quibus officia et scripturae titulo oneroso vel aliàs per nos et Romanos Pontifices praedecessores nostros dictamque cameram apostolicam concessa reperiuntur, vocati et auditi non fuerint, vel ex eo quod praemissa nullâ causâ subsistente et etiam de facto processerint, aut ex aliâ quantumvis iuridicâ et legitimâ etiam necessario exprimendâ causâ, vel quocumque praetextu, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quovis alio defectu, notari, impugnari, invalidari, retractari, et ad terminos iuris reduci, aut in ius vel controversiam revocari, seu adversus illas quodcumque iuris, gratiae, vel facti remedium impetrari, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concedi, vel sub quibusvis constitutionibus, et cancellariae apostolicae regulis editis et edendis, ac litteris apostolicis in contrarium, etiam pari motu, ac consistorialiter emanatis, aut quibusvis aliis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, comprehendi nullo unquam tempore posse,

Clausulae pro praesentium litterarum firmitate.

1 Edit. Main. habet *superintendentes* (R. T.).

sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et eum, in quo erant, validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ per pro tempore existentes cardinalem superintendentem et conservatorem dicti archivii generalis quandocumque eligendâ concessas, validasque et efficaces, etiam quod in dictâ camerâ apostolicâ nullo unquam tempore praesentarentur aut registrarentur, fore et esse;

§ 8. Sicque, et non aliàs, per quoscumque iudices, etiam causarum palatii apostolici auditores, et camerae apostolicae praesidentes clericos, ac etiam eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae camerarium, et alios cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Designatio equutorum.

§ 9. Quocirca dilectis filiis Urbis nostrae gubernatori, et causarum curiae dictae camerae generali auditori, et dilecti filii nostri in eâdem Urbe, eiusque districtu vicarii in spiritualibus generalis in civilibus causis locumtenenti motu pari per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Francisci cardinalis et Camilli praedictorum, ac pro tempore existentium dicti archivii protectoris et conservatoris, fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant easdem praesentes, et in eis contenta huiusmodi, ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, firmiter et inviolabiliter observari; ac Franciscum cardinalem et Camillum, ac pro tempore existentes protectorem et conservatorem huiusmodi, illis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac sententias, censuras et poenas ipsas, servatâ formâ Concilii Tridentini, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Obstantium derogatio.

§ 10. Non obstantibus praemissis, et, quatenus opus sit, nostrâ de non tollendo iure quaesito, ac felicis recordationis Pii Papae IV, etiam praedecessoris nostri, sub datum videlicet VIII idus augusti, pontificatus sui anno VI editâ [1], inter alia disponente, quod omnes gratiae qualecumque interesse camerae concernentes infra certum inibi expressum tempus in eâdem camerâ praesentari et registrari debeant, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Urbis et aliarum quarumcumque civitatum, locorum, oppidorum, districtuum, necnon collegiorum, monasteriorum, ecclesiarum et aliorum piorum et non piorum locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, reformationibus, decretis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, exemptionibus, immunitatibus et concessionibus officiorum et notariatuum, etiam titulo oneroso, tam a nobis, quam a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris et camerâ praedictâ, etiam per viam contractus, seu aliàs quomodolibet, tam praedictis omnibus et singulis, quam etiam iudicibus, officialibus, scriptoribus, notariis, eorumque collegiis et superioribus, dictaequae camerae, eiusque causa-

1 Haec pluries citata constitutio legitur in tom. VII, pag. 375 (R. T.).

rum auditori generali et procuratori fiscali, aliisque etiam personis, sub quibuscumque [illegible] ac cum quibusvis [illegible] simili, [illegible] in contrarium [illegible] concessis, approbatis ac innovatis, et in futurum concedendis, approbandis, confirmandis et innovandis: quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad id servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat etiam motu huiusmodi specialiter et expresse derogamus, [illegible]

[illegible] § 11. [illegible]

[illegible] § 12. Quodque earumdem praesentium [illegible] impressis, ac manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in [illegible] iudicio quam extra, quae eisdem praesentibus [illegible] ostensae.

§ 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, praecepti, constitutionis, deputationis, impartitionis, decretorum, derogationis, mandatorum et voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum. Clausulae poenales.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXV, XVI kalendas decembris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 16 novembris 1625, pontif. anno III.

Anno a Nativitate Domini nostri Iesu *Christi* MDCXXVI, *indictione* IX, *die vero* XVII *mensis iulii, pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. divinâ providentiâ Urbani VIII, anno eius* III, *supradictae litterae unâ cum capitulis lectae, affixae et publicatae fuerunt ad valvas basilicae S. Petri Principis apostolorum de Urbe, cancellariae apostolicae, et in acie Campi Florae, dimissis ibidem praesentibus litteris et capitulis per aliquantulum temporis spatium, ut moris est, affixis, et deinde amotis, postea affixis copiis earumdem litterarum cum eisdem capitulis in eisdem locis per nos Tarquinium Maionum Romanum et Ioannem Baptistam Spadam de Cesis apostolicos cursores.*

AUGUSTINUS DE BOLIS
pro mag. DD. cursorum.

CLXXI.

Confirmatio litterarum Pii Papae V pro sacrâ domo Lauretanâ super notificandis legatis in favorem ipsius domus factis [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Ex iniuncti nobis desuper apostolici muneris debito iurium almae Domus Lauretanae conservationi sedulo incumbentes, ea, quae propterea a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris provide facta fuisse comperimus, quo firma perpetuo et illibata remaneant, inviolateque observentur, apostolicae firmitatis munimine roboramus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Recensentur Pii Papae V litterae. § 1. Dudum siquidem a felicis recordationis Pio Papa V praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Ad perpetuam rei memoriam. Ad Romani Pontificis spectat officium, etc. [1].

Easque confirmavit Clemens Papa VIII. § 2. Subinde vero piae memoriae Clemens Papa VIII, etiam praedecessor noster, praeinsertas litteras huiusmodi approbavit et confirmavit, prout in illius litteris desuper in simili formâ Brevis expeditis [2], quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Iterum approbat Urbanus. § 3. Cum autem firmiora sint ea, quae saepius fuerint apostolicae auctoritatis praesidio communita: nos, iurium eorumdem conservationi, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, easdem praeinsertas litteras, et in eis contenta quaecumque, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, ac etiam innovamus; eaque omnia et singula per eos, ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, sub poenis in ipsis praeinsertis litteris contentis, inviolate observari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Obstantium derogatio. § 4. Non obstantibus omnibus illis, quae in eisdem praeinsertis litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII novembris MDCXXV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 17 novembris 1625, pontif. anno III.

1 Reliquum omittimus quia iam legitur in Constit. LXXXIX Pii V, tom. VII, pag. 659 seq. Nisi quod ibid. pag. 660 *a*, linea 7, legitur *illius dioecesis*, et legendum *nullius dioecesis* (R. T.).

2 Quas non puto esse in *Bullario* (R. T.).

CLXXII.

Approbatio statutorum pro Ordine fratrum Minorum de Observantia editorum in capitulo generali Romae die XVII *maii* MDCXXV *celebrato* [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. In supremo apostolatus solio, meritis licet imparibus, divinâ dispensatione praesidentes, ex incumbenti nobis pastoralis officii debito religiosorum Ordinum in Ecclesiâ Dei militantium prosperum statum, felicemque directionem sinceris desiderantes affectibus, iis, quae propterea pie et provide praesertim in eorum capitulis generalibus facta fuisse comperimus, ut firma perpetuo et illibata remaneant, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis adiicimus firmitatem, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Procurator generalis petit statuta confirmari. § 1. Cum itaque, sicut dilectus filius procurator generalis Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum nobis nuper exponi fecit, in capitulo generali eiusdem Ordinis in domo B. Mariae de Aracaeli nuncupatae de Urbe praedicti Ordinis ultimo loco cele-

1 Huiusmodi statuta sunt inserta in istâ Constitutione, ut videre poteris, et quia multum interest et sunt generalia, ea posui ad verbum (ex Cherub.). Aliorum porro statutorum Barchinonensium pro ultramontanâ familiâ eiusdem Ordinis confirmationem infra dabimus sub XVIII decembris huius anni (R. T.).

brato, pro felici fratrum ipsius Ordinis utriusque familiae gubernio et directione nonnulla statuta edita fuerint, tenoris subsequentis, videlicet:

Statuta pro utrâque familiâ.

Qua licentiâ possint fratres Romam venire.

Pro publicis totam provinciam concernentibus negotiis, accedente etiam definitorii consensu, fratribus suis ad Curiam Romanam eundi facultatem provinciales ministri concedere possint: privatis[1] autem auctoritatem hanc sibi noverint esse negatam. Qui secus fecerit, poenis a sanctae memoriae Clemente VIII positis subiaceat[2].

De habitu oblatorum et tertiariorum.

Oblati omnes, donati, tertiarii, ad conventus famulatum assumpti, caparonem seu caputium ferre deinceps non praesumant, sed, ut ab omnibus dignoscantur fratres non esse, calceatis incedant pedibus: habitum genua non excedentem et galerum seu biretum in capite portent.

De auctoritate congregationis circa guardianis.

Statutum generale, quo decernitur, capitulum intermedium seu congregationem habere plenam auctoritatem non continuandi guardianos, sed, prioribus amotis[3], alios instituendi etiam nullâ interveniente causâ, innovatur et roboratur; ideo guardiani omnes renuntiationem suorum officiorum spontaneam et ex animo in scriptis mittere tenentur.

De provincia Anglicanâ.

Provincia Anglicana, quae ob persequutiones haereticorum defecerat, pristino suo honori et loco restituitur: ita tamen ut, quia pauci adhuc in eâ sunt conventus et fratres, donec augeatur numerus, separatae custodiae nomen retineat, cuius custos generali capitulo intersit, habeatque votum in eo.

Marchio de Canette benefactor agnoscendus.

Utraque familia, pro acceptis beneficiis et munificentissimâ liberalitate excellentissimi domini marchionis de Canette, eum benefactorem agnoscit, sicut iam antea in congregatione Segoviensi proxime praeteritâ, communi omnium suffragio, sancitum fuerat.

Provinciae tertii Ordinis ius habent suffragii.

Provinciarum tertii Ordinis, quae nunc temporis in Hispania et Gallia erectae sunt, ministri comitiis generalibus deinceps interesse et in electionibus ministri et commissarii generalis respective votum activum habere poterunt. Fratres enim nostri sunt.

Provinciae Baeticae locus.

Provincia S. Didaci in Baetica recipitur, et catalogo provinciarum Ordinis adscribitur et antiquitatis suae locum a suae erectionis die, qui XX mensis decembris anno MDCXX fuit, in posterum obtinebit.

Provincia Saxoniae restituta

Provincia Saxoniae S. Crucis antiquo suo iuri et ordini restituitur; ad eamque non solum Abastudensis conventus, aliique qui antiquitus eius erant, sed etiam Heldesimensis, Bibeldensis et Fuldensis, qui hactenus ministro Coloniensi paruerunt, item conventus Egar et monialium eiusdem loci, qui ad tempus Argentinensi provinciae subditi fuerant, deinceps et imposterum pertinebunt.

Pro cismontanâ familiâ.

Onera missarum suscipienda ad formam decretorum Congregationis Concilii.

Ut conscientiis fratrum circa missarum celebrationem efficaci remedio provideatur, strictissime patribus guardianis et quibuscumque aliis conventuum superioribus praecipitur, ut in oneribus missarum suscipiendis omnino observent formam praescriptam in decretis a sacrâ Congregatione Concilii Sanctissimi Domini nostri auctoritate nuper editis de celebratione missarum[1].

Quae praxis servanda sit inter observantes et reformatos circa eleemosynas.

Ne pax mutua detrimentum patiatur, noverint patres Reformati sibi interdictam divini verbi praedicationem, necnon eleemosynarum petitionem, intra limites conventuum fratrum Observantium de familiâ, nisi prius ministri provincialis in scriptis obtentâ facultate; cui interdictioni reci-

1 Videtur legendum *pro privatis* (R. T.).

2 Decretum Clementis VIII habes supra pagina 211 (R. T.).

3 Perperam edit. Main. legit *amoris* (R. T.).

1 Quas vide supra pag. 336 (R. T.).

proce fratres regularis Observantiae subiacebunt, nisi patris custodis Reformatorum voluntas accesserit, atque consensus.

In obedientialibus dies discessus et reditus adnotandus.

Pro evitandis fratrum evagationibus, ordinatur et praecipitur, ut, quotiescumque eorum aliquis a suo superiore extra provinciam, vel etiam[4] conventum intra provinciam, exeundi facultatem impetraverit, in illius obedientiâ dies determinati assignentur suae peregrinationis, suique reditus[2]; nec possit accingere se itineri et obtentâ facultate gaudere, nisi obedientiales litterae prius registratae, et a patre ministro sive guardiano subscriptae fuerint: in quibus dies discessus adnotetur.

Apostatae non retinendi.

Apostatae nec recipiantur nec retineantur in alienis provinciis, ad quas quomodocumque confugerint: sed, ubi primum fuerint absoluti iuxta consuetudinem et Ordinis constitutiones, ad proprias remittantur sub poenâ privationis officiorum provincialis, sive guardiani, aut cuiuscumque alterius superioris ipso facto incurrendâ.

In unaquaque provinciâ cathedrae philosophiae et theologiae instituendae.

Cum Ordo noster seraphicus ad totius Ecclesiae obsequium sit institutus, toto conatu innitendum[3] est, ut non solum in eo scientia non pereat, sed in dies augeatur. Ideo decernitur, atque statuitur, ut in qualibet provinciâ, ubi hactenus desiderantur et non sunt, philosophiae et theologiae studia erigantur et instituantur: quibus ex eâdem provinciâ patres lectores ex doctioribus praeficiantur: caveaturque ne deinceps in alienas provincias studentes mittantur, aut praedicatores, nisi in casu aliquo urgenti, de quo tam minister generalis, quam commissarius iudex esto. Hac lege provinciae ultramarinae non tenentur, quâ studentium et lectorum penuriam patiuntur.

De transeuntibus ab unâ ad aliam provinciam.

Transitus ab unâ ad aliam provinciam plurimorum est causa malorum, quibus provisum fore iudicamus, si quod nunc statuitur, in posterum observetur, ut scilicet, qui suâ sponte, licet obtentâ prius licentiâ, ad alienam provinciam transierunt fratres, tam incorporati, quam incorporandi, in eâ locum, ordinem et praecedentiam a die tantum incorporationis suae, non autem a die receptionis habitus vel emissae professionis, teneant et habeant.

De privilegiis praeter Ordinis statuta concessis.

Ad tollendam ambitionem et eliminandam relaxationem decernitur, ut, iuxta Gregorii XV Breve, nullus aliquo gaudeat privilegio ex quacumque causâ, quod per leges et Ordinis statuta a Sede Apostolicâ confirmata concessum non fuerit.

Communitates erigendae ad subministrandum fratribus necessaria.

Sicut statutum de erigendis communitatibus in unoquoque conventu ad maiorem paupertatis observantiam et fratrum consolationem innovatur, ita guardianis sub poenâ suorum officiorum privationis praecipitur, ut, infra duorum mensium a suo ingresso spatium, communitates erigant, in quibus, quae necessaria sunt fratribus, asserventur, suo tempore illis distribuenda et subministranda; huiusmodi autem communitates de eleemosynis conventuum et superfluis fratrum erigantur; quibus unicum habere habitum, et tunicam unam conceditur; alteram vero tunicam, nonnisi ex necessitate et superioris condescensione et licentiâ.

Quid de vineis et pratis sit faciendum.

Omnibus et singulis patribus guardianis sub poenâ privationis officii praecipitur, ut si in suis conventibus vineae, seu prata fuerint, ex quibus vinum ad bibendum et foenum ad vendendum colligitur, antequam a suo ingressu duo menses compleantur, omni posthabitâ excusatione, tollant, et aliis usibus permissis terram applicent.

De visitandi fratrum cellis.

Iterato statuitur, ut guardiani sub poenâ suspensionis a suis officiis cellas fratrum singulis mensibus visitent, indeque auferant quidquid perfectae et Franciscanae repugnant paupertati.

De insultantibus superioribus.

Renovatur statutum contra illos fratres, qui suis superioribus insultant, verba in-

1 Videretur hîc addendum *ad alium* (R. T.).
2 Perperam ed. Main. habet *redditus* (R. T.).
3 Potius lege *enitendum* (R. T.).

iuriosa et contumeliosa in eos proferunt, in recognoscendis culpis sine licentiâ loquuntur, protestationes in scriptis afferre ausu temerario praesumunt.

Statuta pro cismontanâ familiâ colligenda.

Sicut in congregatione Segoviensi proxime praeteritâ in unum collecta fuere statuta, quae in ultramontanâ familiâ in posterum observari debeant, ita in hac cismontanâ fiat: huiusmodi autem collectio duobus patribus doctrinâ et pietate pollentibus a cismontano definitorio eligendis committatur.

De clavi communi.

Servetur apostolica constitutio, qua ministro provinciali in suâ provinciâ, et guardiano in suo conventu praecipitur, ut eorum quilibet clavem communem, quae magistra vocatur, apud se habeat et custodiat: qua suorum subditorum cellas ad libitum, saltem cum duobus discretis conventus, aperire, ingredi et visitare possit.

Pro Hispanis.

In provinciis unus semper definitor ex recollectis esse debet.

Si contingat, patrem definitorem recollectum ad meliorem transire vitam, soluto mortis tributo, eius locum, munus et officium antiquior eiusdem recollectionis definitor obtineat; quod si nullus definitoris officio functus superstes inveniatur, qui erit guardianus antiquior, aut secundum tabulae ordinem dignior extiterit, defuncto definitori substituatur: ita ut sine definitore recollecto nunquam definitorium congregetur.

A qua distantiâ definitor sit vocandus pro actuum validitate.

Ad electiones non vocetur definitor extra nationem existens: si vero intra nationem, extra provinciam tamen, fuerit, dummodo non plus, quam per duas aut tres dietas distare dignoscatur, vocandus erit, alioquin omnes definitorii actiones nullius sint valoris et auctoritatis.

Mortuo definitori quis sit subrogandus.

Mortuo aliquo definitore, antiquior provinciae pater defuncti locum accipiat: quod si nullus talis extiterit, antiquior in definitoris officio subrogetur. Idem aliis in nationibus observandum erit.

De bibliothecis comparandis.

Ne bibliothecae, lectores, praedicatores et confessores, libris necessariis careant, singulis provincialibus ministris conceditur, ut quilibet in suâ provinciâ eleemosynas procuret pro missis diebus dominicis celebrandis ad praescriptum eorumdem decretorum sacrae Congregationis Concilii de celebratione missarum, dummodo ducentorum ducatorum quantitas valorem non excedat quolibet anno. Huiusmodi autem eleemosynis emantur libri, et pro uniuscuiusque necessitate, iudicio ministri, distribuantur; quod ut sine dolo et fraude fiat, visitator solerter inquirat, specialem rationem in singulis conventibus exigat, et in capitulo provinciali, an libri iuxta quantitatem assignatam procurati et distributi fuerint, vel non, publice et in conscientiâ declaret. Quae supererunt die dominico missae supra numerum, ex statutorum nostrorum praescripto benefactoribus in communi applicentur.

Pro Gallis.

Domus recollectae qualibe in provincia assignandae.

Quod unanimes in suo discretorio novem provinciae Galliarum a definitorio generali obnixe postularunt, eis libenter ad maiorem Dei gloriam conceditur: ut videlicet in qualibet dictarum provinciarum tres eligantur et assignentur conventus, in quibus regulae observantia adeo districte servetur, ut recollectorum seu reformatorum vivendi modum fratres imitentur: ideo capitulum generale, tam ministris, quam visitatoribus, in virtute sanctae obedientiae praecipit, ut hoc diligentissime exequantur; ita tamen, ut praedicti conventus ministris in omnibus subiiciantur, iis casibus exceptis, qui in statutis pro reformatis iam factis declarantur.

Quo ordine suum habere debeant definitorem.

Eodem iure ac privilegio gaudeant recollectorum provinciae in Gallia existentes, quo duae aliae eiusdem nationis familiae, ut videlicet suo ordine et tempore successivo definitorem habeant generalem.

Pauca haec statuta fieri debuerunt, quia quaecumque alia ad bonum publicum necessaria, in statutis Segoviensibus auctoritate totius congregationis ibidem confectis cumulatissime reperientur.

Pro Indis.

Soli custodes ad capitulum generale accedere debent.

Caveant ex Indianis provinciis ministri provinciales, ne ad capitulum generale, vel aut ipsi veniant, vel commissarios suo nomine mittant: solis custodibus veniendi facultas conceditur.

A quibus sint visitandae provinciae.

Indiarum commissarii generales ipsimet provincias omnes visitent: impediti necessitate urgenti, ex vicinioribus provinciis, non autem remotis, visitatores assumere teneantur.

Ordo in puniendis reis servandus.

Nulli liceat commissario generali, vel etiam visitatori, ante ministri provincialis electionem, neque eâ peractâ, aliquem voce activâ et passivâ privare seu aliâ graviori afficere poenâ, nisi confecto processu et praecedente rei auditione in sui defensionem. Qui secus fecerit, suo privetur officio.

Quoto tempore visitatores in visitata provincia possint commorari.

Visitatores, peracto provinciali capitulo, in provincia visitatâ ultra viginti dies non remaneant: quibus elapsis, omnino auctoritate careant.

Tam commissarius generalis seu visitator ab electoribus subscriptionem petens hunc vel illum eligendi, quam ipsi subscribentes, privationi actuum legitimorum ipso facto incurrendae subiaceant.

Iuramentum ab electoribus praestandum.

Electores in provinciali capitulo congregati, antequam ad electionem ministri, definitorum, custodum et guardianorum procedant, nominatim iuramentum praestent coram venerabilis crucifixi imagine, se eum electuros, quem in conscientiâ et omnibus aequâ lance libratis digniorem iudicabunt, ita iubente Clemente VIII sanctione a SS. D. N. Urbano VIII renovatâ.

Pro Belgis.

De statutis quoad provincias Belgicas.

Permittit capitulum generale provinciis belgicis et annexis, in iis tantum, quae sacris canonibus, Tridentini Concilii decretis, et constitutionibus apostolicis non adversantur, iuxta statuta Barchinonensia[1], nuper Segoviae recognita et auctoritate reverendissimi patris ministri generalis eisdem accomodata, deinceps vivere, sua statuta provincialia servare, reformationis modos a visitatoribus apostolicis introductos retinere; ita ut neque praesentes, neque futurae constitutiones aliae praedictarum provinciarum patres ac fratres ullo modo obligent, nisi ex parte illâ, qua dictis statutis conformes erunt, vel primo in capitulo provinciali seu congregatione lectae et promulgatae fuerint.

De commissario nationali.

Commissarius nationalis in dictis provinciis nemo esse aut institui possit, nisi qui antea, aut definitor, aut iubilatus lector, aut maiori officio functus fuerit, et per se ipsum provincias visitare valeat. Dispensatio in statutis provincialibus sine definitorii assensu omnino ei interdicitur; sicut et causarum commissio in instantiâ primâ, quae penes praelatos ordinarios esse et remanere debet.

Eiusque auctoritate.

Receptionem novitiorum necnon fratrum incorporationem non esse sui iuris noverit; capitulis provincialibus ipsemet praesideat.

De praecedentia procuratorum et commissariorum Romanae Curiae.

Instante definitorio totius capituli generalis statuimus, ad evitanda dubia, ut procuratores et commissarii Romanae Curiae suo officio functi (etiam si ministri provinciales aliàs non fuerint) intra suam provinciam, et extra, omnes alios praecedant; licet ministri provinciales aut definitores generales extitissent.

Praedicta statuta confirmat Pontifex.

§ 2. Nos, inviolabilis statutorum huiusmodi observationi, perpetuaeque firmitati, quantum nobis ex alto conceditur, opportune providere, ipsumque procuratorem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicatio-

1 De hisce vide infra, sub XVIII dec. h. a. (R.T.).

nis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus eiusdem procuratoris totius Ordinis huiusmodi nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, statuta praeinserta huiusmodi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, eadem statuta in praedicto Ordine ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter perpetuo observari et adimpleri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, dicti Ordinis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX novembris MDCXXV, pontificatus nostri anno III [1].

Dat. die 20 novembris 1625, pontif. anno III.

CLXXIII.

Super subsidio duodecim millionum ab incolis regni Castellae regi catholico persolvendo [2].

1 Hic subditur alia constitutio quam infra dabimus suo loco (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi catholico, Urbanus Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Philippi IV regis erga Apostolicam Sedem merita.

Orthodoxae fidei conservandae zelus, ac singularis in nos et Apostolicam Sedem devotio, aliaque catholici cognomine optimo iure insigniti regis praeclara merita, quae in maiestate tuâ caelesti gratiâ resplendent, plane exigunt, ut subsidia pro eiusdem fidei defensione a tuis subditis prompte tibi oblata, quantum cum Domino possumus, adiuvemus.

Incolae regni Castellae subsidium duodecim millionum aureorum ei sponte offerunt.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, subditi regnorum tuae coronae Castellae in novissimis comitiis sive curiis habitis, animadvertentes, maiestatem tuam, pro eiusdem religionis defensione et obedientiae erga sanctam Romanam Ecclesiam conservatione in tuis et exteris ditionibus ac regnis, gravissimis assidue sumptibus urgeri, tuaque aeraria pene exhausta esse, ita ut, nisi aliquo eorumdem subditorum extraordinario subsidio subleveris, eosdem sumptus in tam laudabilem, Deo gratam et reipublicae christianae utilem causam convertendos diutius ferre difficile possis, quaedam superadditionalia nuncupata servitia, sive subsidia, quae in totum summam duodecim millionum nummorum [1] aureorum, sex annorum spatio, duorum scilicet pro quolibet anno, persolvendam conficere debeant, ex gabellâ sisâ nuncupatâ [2], super sale, chartâ, tam impressâ, quam non impressâ, cuiuslibet generis, necnon anchoraggio et aliis forsan rebus mobilibus, ac etiam stabilibus, in dictis regnis vendendis et respective consumendis imponendâ, per ementes et vendentes solvendâ, praestare prompte obtulerint, omnesque laici cuiuscumque gradus, status, condi-

1 Edit. Main. legit *nummum* (R. T.).

2 Confer supra aliam similem constitutionem pag. 364 (R. T.).

tionis et praeeminentiae eadem subsidia contribuere et gabellam solvere debeant, neque ullus immunis sit aut exemptus, tuaque maiestas nobis haec significaverit:

Quod ut cetera ille consequatur,

§ 2. Nos, promptam et devotam eorumdem regnorum et subditorum tuorum in te voluntatem, qui facultates suas pro catholicae fidei defensione conferre intendunt, commendantes (quia, sicut etiam accepimus, si tantummodo laici subsidia huiusmodi contribuerent, et gabellam seu sisam praedictam solverent, nimis longo tempore summa praedicta conficeretur, et laicorum facultates ad summam huiusmodi duodecim millionum, ut praefertur, conficiendam minime suppetunt, difficileque admodum est ecclesiasticos a laicis in gabellae huiusmodi solutione secernere), eadem subsidia per ecclesiasticas personas adiuvanda, gabellasque seu sisas aequaliter persolvendas, ut infra sequitur, existimavimus.

Indulget Urbanus ut ab ecclesiasticis quoque praestetur.

§ 3. Motu itaque proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas ecclesiasticas personas, tam seculares, quam cuiusvis Ordinis etiam exempti et Apostolicae Sedi immediate subiecti regulares, nec non monasteria utriusque sexus, conventus et collegia, ac capitula ecclesiarum regnorum Castellae praedictorum, et in eisdem regnis commorantes et consistentes ad conferendum et contribuendum proportionaliter, et non aliàs, prout laici in dictis subsidiis mediante solutione gabellae seu sisae, eorumdem subsidiorum causâ super sale, cartâ cuiusvis generis, tam impressâ, quam non impressâ, in regnis praedictis introducendis, seu confectis vel productis, et vendendis, nec non unius pro centenario aliarum rerum mobilium et se moventium, ac stabilium, patrimonialium tantum, non autem ecclesiarum, neque super aliis rerum speciebus, super quibus olim gabella seu sisa decem et octo millionum nummorum similiter aureorum aliàs[1] imposita, et per felicis recordationis Paulum Papa V praedecessorem nostrum ad ecclesiasticos ad certum tempus extensa, et per nos nuper prorogata reperitur sub certis modo et formâ tunc expressis, imponendae, seu forsan impositae, et durante tamen sexennio proximo dumtaxat, et non ultra, teneri et obligatos esse: ita tamen quod, si ante sexennii huiusmodi finem praedicta summa duodecim millionum nummorum confecta fuerit, ecclesiastici praedicti amplius contribuere, et dictam gabellam, seu sisam, ut praefertur, solvere non debeant, ac praesens gratia nulla sit eo ipso, decernimus et declaramus.

Eosque ad id per Ordinarios locorum posse compelli.

§ 4. Decernentes etiam, quod omnes et singuli ecclesiastici praedicti solvere recusantes opportunis iuris et facti remediis per Ordinarios locorum tantum ad solutionem huiusmodi cogantur; non autem coram iudicibus laicis, sive exactoribus eiusdem gabellae seu sisae, neque quibuslibet aliis iudicibus aut ministris secularibus, sub poenâ excommunicationis maioris, necnon aliis poenis a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis inflictis et comminatis, ipso facto incurrendis; a quibus praeterquam a Romanis Pontificibus pro tempore existentibus, etiam vigore quorumcumque privilegiorum, etiam cruciatae sanctae, nullatenus absolvi queant, conveniri nullo[2] modo possint seu debeant, sed a praedictis Ordinariis ecclesiasticis tantum ad solutionem huiusmodi compelli valeant.

Qui tamen curare debent ne nimis ii graventur,

§ 5. Quibus Ordinariis districte praecipiendo mandamus, ut divini iudicii memores, ne ecclesiastici indebite et plusquam laici, nec ultra continentiam nostrarum litterarum graventur, super quo

1 Edit. Main. legit *aliasque* (R. T.).

2 Potius lege *ullo*, nam praecessit *non* (R. T.).

eorumdem Ordinariorum conscientiam oneramus, omnino provideant.

Cum obstantium derogatione.

§ 6. Et contra eosdem ecclesiasticos recusantes ac regulares et exemptos, nobisque et Apostolicae Sedi immediate subiectos, ad quamcumque simplicem eorumdem exactorum requisitionem, exequutive, quacumque appellatione remotâ, auctoritate nostrâ procedant. Volumus autem ut pecuniae ex praedictis subsidiis et gabellâ seu sisâ, ut praefertur, a dictis ecclesiasticis percipiendae in alios usus quam catholicae religionis defensionis, ac bellorum contra haereticos, aliosque catholicae fidei hostes, et obedientiae erga S. R. E. conservationis, pro quibus, ut praefertur, contribuuntur, nullatenus convertantur, super quo maiestatis tuae conscientiam oneramus.

Recusantes vero debent ad solutionem compelli.

§ 7. Non obstantibus regnorum praedictorum statutis et consuetudinibus, ac ordinibus apostolicis, etiam in quibusvis generalibus conciliis editis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, regnis, personis, monasteriis, conventibus, collegiis et aliis praedictis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs, in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda esset, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 8. Ut autem praesentes nostrae litterae, cum opus fuerit, ad omnium notitiam facilius devenire possint, decernimus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si fuerint exhibitae vel ostensae: quodque gabella seu sisa unius pro centenario, bona tam stabilia quam mobilia et se moventia, quae ab ecclesiasticis, seu aliis personis, nomine et ad favorem et commodum ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium vel aliorum piorum locorum, seu etiam, praeviâ super hoc opportunâ licentiâ, in evidentem ipsarum ecclesiarum utilitatem, vel aliàs quovis modo permutari et respective acquiri contigerit, nullatenus ex quavis causâ comprehendat, seu ad illa se extendat, neque exigatur, aliàs praesentes nullae sint eo ipso.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII novembris MDCXXV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 23 novembris 1625, pontif. an. III.

CLXXIV.

Confirmatio reformationis canonicorum regularium congregationis S. Salvatoris in Lotharingia[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In supremo apostolatus solio, meritis licet imparibus, divinâ dispositione praesidentes, inter multiplices pastoralis officii curas, ad ea, per quae divinus cultus et devotio, regularisque disciplinae observantia in quibuslibet monasteriis conserventur, maioraque in dies suscipiant incrementa, sollicitis studiis intendimus, atque his, quae propterea pie et provide facta fuisse dicuntur, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis adiicimus fir-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

mitatem, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Introducta in Lotharingiae monasteriis reformatio

§ 1. Cum itaque, sicut dilecti filii prior ac canonici regulares congregationis S. Salvatoris in ducatu Lotharingiae nobis nuper exponi fecerunt, in S. Remigii oppidi de Lunevilla, Tullensis dioecesis, aliisque eiusdem congregationis monasteriis in dicto ducatu existentibus, ad omnipotentis Dei laudem, ac illarum partium populorum aedificationem, felicioremque monasteriorum huiusmodi progressum, reformatio, iuxta illorum primitiva instituta a Sede Apostolicâ approbata, introducta sit, et propterea illam, quo firmius subsistat, exactiusque observetur, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, aliàsque sibi, ut infra, indulgeri summopere desiderent:

Comprobatur.

§ 2. Nos, pium prioris et canonicorum praedictorum desiderium huiusmodi plurimum Domino commendantes, eorumque votis, quantum cum Domino possumus, annuere, ac illos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, reformationem in monasteriis huiusmodi, ut praefertur, introductam, cum omnibus inde sequutis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Cum indulto-

§ 3. Ac insuper priori et canonicis praedictis, quod divinâ officia iuxta ritum Romanae Ecclesiae celebrare, necnon secundum regulam et instituta Ordinis sancti Augustini, et praesertim quoad trium votorum substantialium, paupertatis scilicet ac castitatis et obedientiae emissionem et observantiam (ita ut quidquid proprii et particularis habere nullatenus possint) vivere, divinisque laudibus insistere, qui vero ad christifidelium confessiones audiendas ab Ordinariis locorum idonei reperti et approbati fuerint, quod confessiones huiusmodi audire, sacramenta ecclesiastica ministrare, necnon verbum Dei de eorumdem Ordinariorum licentiâ, ac cum illorum respective benedictione, praedicare, iuventutem in doctrinâ christianâ ac bonis moribus instruere, aliaque omnia et singula, quae pro spirituali eorumdem populorum fructu atque progressu, animarumque salute, ac reformationis huiusmodi incremento et conservatione magis necessaria et opportuna videbuntur, facere, statuere et ordinare libere et licite possint et valeant, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus.

rum concessione.

§ 4. Decernentes reformationem huiusmodi in dictis monasteriis a modernis et pro tempore existentibus illorum canonicis et personis firmiter et inviolabiliter observari debere, praesentesque litteras et in eis contenta quaecumque valida, firma et efficacia existere et fore, ac priori et canonicis praedictis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contraria tolluntur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIX novembris MDCXXV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 29 novembris 1625, pontif. anno III.

CLXXV.

Institutio archivii sacri collegii sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium in palatio Vaticano, in quo conservari debeant scripturae et alia acta ad ipsum collegium quomodolibet pertinentia, necnon processus, super qualitatibus promovendorum ad cathedrales ecclesias et monasteria consistorialia, coram dictis cardinalibus formati. Ac unio officii secretariatus congregationis cardinalium super provisionibus consistorialibus deputatorum officio clerici Itali dicti sacri collegii secretarii [1].

Urbanus Episcopus
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Admonet nos cura pastoralis officii nobis, meritis licet imparibus, divinâ dispositione commissi, ut ad ea libenter intendamus, per quae gratiae apostolicae, quae a nobis et pro tempore existentibus Romanis Pontificibus, praesertim in consistorio secreto de sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio pro tempore emanare dignoscuntur, ut eveniente casu personae, in cuius favorem fiunt, sciant quo tendere pro illarum consequutione, sub bonâ et fideli custodiâ perpetuo praeserventur, et ut id facilius subsequi possit, quandoque nova loca et officia, quae pro gratiarum huiusmodi conservatione necessaria esse conspicimus, de novo erigimus et instituimus, ac illorum curam viris fide, doctrinâ, ac morum integritate conspicuis, qui circa hoc exactam diligentiam adhibituri sperantur, committimus et mandamus, ac aliâs desuper disponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Tempore Leonis X cardinales Constitutiones efformarunt.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, dudum tunc existentes sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, tempore videlicet pontificatus felicis recordationis Leonis Papae X praedecessoris nostri, officio duorum clericorum sacri illorum collegii, quod per multos annos antea magno ipsius collegii incommodo fuerat venale, communi ab eis redempto impensâ et in pristinum suum statum redacto, veteres eiusdem collegii constitutiones novâ quadam formâ et modo instaurari fecerint primo;

Sub Paulo III duos clericos deputandos esse decreverunt pro scripturis custodiendis.

§ 2. Et successive, sedente piae memoriae Paulo III etiam praedecessore nostro, cum constitutionum, ut praefertur, instauratarum partem raro observatam, partem vero antiquatam et neglectam animadvertissent, de communi omnium consensu ac deliberatione, praedicto Paulo praedecessore id etiam approbante, ex dictis constitutionibus nonnullis reiectis, aliquibus retentis, aliisque adiunctis, ac aliquâ ex parte aliis immutatis, inter alia voluerint et constituerint, inter ceteros ipsius collegii ministros debere duos clericos per fabarum suffragia creari, quorum alter ex Italia et alter exterus esset, et hic quidem ad annum dumtaxat, ille vero ad beneplacitum, cuius etiam curâ libri omnes et scripturae ad praefatum collegium pertinentes conficerentur et duplicarentur, et, originalibus in archivio, quod in palatio apostolico designandum erat, ad perpetuam rei memoriam repositis, duplicati

1 Adverte quod Greg. XV erexerat et instituerat officium notarii ad formandum processus, privative quoad omnes alios, coram sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, super qualitatibus promovendorum ad ecclesias cathedrales et monasteria consistorialia, ut videre potes in Const. XX *Consuevit*, tom. XII, pag. 555; cui postea demandavit conservationem dictorum processuum cum assignatione duorum ducatorum auri de camerâ pro unoquoque processu, ut in Constitut. XLV, *Pridem*, ibid. pag. 643, quam Constitutionem iste Pontif. quoad hanc partem revocat. Archivium Romanae Curiae instituit Iulius II, ut Const. XIX (in n. ed. XVIII) *Sicut prudens*, tom. V, pag. 458. Archivia vero in toto Statu Ecclesiastico erexit Sixt. V, Const. *Sollicitudo*, tom. IX, pag. 23.

ad usum quotidianum penes ipsum clericum Italum remanerent; ac recolendae memoriae Pius Papa IV similiter praedecessor sub die VI septembris anni Domini MDLXIV[1] libros propositionum et actorum consistorialium, aliasque scripturas praedictas, in eodem archivio, quod tunc iam erat designatum, deponi decreverit;

Gregorius XV officium notariatus processum super qualitatibus promovendorum ad ecclesias et monasteriorum consistorialium instituit.

§ 3. Et similis memoriae Gregorius Papa XV pariter praedecessor noster (cum informandis et instruendis processibus, qui super qualitatibus promovendorum per Romanum Pontificem pro tempore existentem ad ecclesiarum cathedralium pastorum solatio destitutarum ac monasteriorum consistorialium pro tempore vacantium regimina ac ecclesiarum et monasteriorum huiusmodi statu in Romanâ curiâ coram eisdem cardinalibus formari et institui consueverunt, nullus certus eatenus destinatus seu deputatus fuisset notarius, sed ad id muneris notarii plerumque parum periti adhiberentur) unum perpetuum notariatus officium ad instar aliorum Romanae Curiae officiorum vacabile, cuius concessio et omnimoda alia dispositio, quoties illud per obitum, resignationem, privationem, aut aliàs quovis modo vacare contingeret, ad Romanum Pontificem pro tempore existentem spectaret, pro uno notario, qui, privative quoad alios quoscumque, in formandis et instruendis processibus praedictis, quos coram dictis cardinalibus sive eorum auditoribus formari et instrui deinceps perpetuis futuris temporibus contingeret, ipsis cardinalibus seu auditoribus assistere, ac testium dicta et depositiones in scriptis, per se, vel substitutum idoneum, redigere teneretur et deberet, erexerit et instituerit;

Constituitque notario salarium.

§ 4. Illique sic erecto et instituto pro eius congruâ dote omnia et singula emolumenta, regalia et iura per alios notarios, qui antea in formandis huiusmodi processibus eisdem cardinalibus seu auditoribus astiterant ac dicta et depositiones praedicta in scriptis redegerant, percipi solita et consueta, eisque propterea debita, perpetuo applicaverit et appropriaverit;

§ 5. Ac officium sic erectum dilecto filio Odoardo Tibaldesco clerico Spoletanae dioecesis concesserit et assignaverit per quasdam, etc.[1];

Illique processus omnes extra curiam factos tradi iussit, ut custodirentur.

§ 6. Ac deinde statuerit, quod de cetero similiter perpetuis futuris temporibus omnes et singuli processus, quos extra dictam curiam, in Germania, Gallia, Hispania, ceterisque christiani orbis regnis provinciis et regionibus, super qualitatibus promovendorum ad quarumcumque cathedralium ecclesiarum tunc et pro tempore pastorum solatio etiam destitutarum et monasteriorum consistorialium ubivis consistentium et quovis modo vacantium et vacaturorum regimina ac ecclesiarum et monasteriorum huiusmodi statu formari et ad dictam curiam transmitti contingeret, postquam a cardinalibus ipsarum nationum protectoribus, comprotectoribus, seu proprotectoribus, vel iis qui ecclesias et monasteria huiusmodi in nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis consistorio, ut moris est, proponerent, et a cardinalibus in ordine prioribus, visi, recogniti, approbati et subscripti forent, ab ipsis cardinalibus, seu eorum auditoribus, et iis ad quos spectaret ante cedulae consistorialis subscriptionem, seu saltem illius partibus consignationem, praedicto Odoardo, quamdiu officium praedictum obtineret, eiusque in illo successoribus, ad effectum illos conservandi, tradi et consignari, iidem vero Odoardus et successores illos sic eis consignatos tamquam praedicti officii processus et scripturas bene et fideliter conservare, et, quoad fieri posset

1 Quam Pii IV constit. non puto esse in *Bullario* (R. T.).

1 Hanc vide in tom. XII, pag. 555 (R. T.).

ac humana pateretur conditio, perpetuitati providere, bonamque, fidelem et diligentem illorum curam gerere, et, ad effectum illorum, dum opus foret, facilioris perquisitionis et reperitionis, notam, seu, ut vocant, rubricellam in libro ad hunc particularem effectum retinendo facere deberent, et ad id obligati existerent, et hoc conservationis processuum onus, curam et munus praedicto officio notariatus sic erecto imposuerit et annexuerit;

Constituta pariter simili mercede.

§ 7. Ac eidem Odoardo, eiusque in dicto officio successoribus, ratione laboris eis ex dictâ conservatione processuum accrescentis, et pro illius salario et mercede, iuribus et regalibus, duos ducatos auri de camerâ pro singulo processu ad dictam curiam pro expeditione transmittendo et eis in conservationem tradendo et consignando, ipsi a quolibet ex promovendis ad ecclesias et monasteria huiusmodi, seu sollicitatoribus in dictâ curiâ tales expeditiones prosequentibus, realiter et cum effectu et absque morâ seu dilatione aliquâ persolvendos, per alias suas in formâ Brevis desuper confectas litteras etiam assignaverit[1];

Necessariasque apposuit clausulas.

§ 8. Et ipsas secundo dictas litteras, etiam ex eo quod interesse forsan habentes seu habere praetendentes ad id vocati non fuissent, seu quibusvis ex causis, de subreptionis vel obreptionis vitio notari, impugnari, aut invalidari, seu ad viam et terminos iuris reduci, aut adversus illas quodcumque iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, vel sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, aut aliis contrariis dispositionibus, editis et edendis, comprehendi non posse, sed semper, uti ex titulo oneroso concessas, ab illis excipi, et quoties illas revocari, seu annullari, aut alias contrarias dispositiones emanari contingeret, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ per Odoardum et successores praedictos quandocumque eligendâ concessas esse et fore; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et cardinales praedictos, sublatâ eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritumque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attentari, decreverit, prout in singulis litteris praedictis plenius dicitur contineri;

Cardinales vero processus huiusmodi ac alias scripturas ab Italo clerico conservandas statuunt.

§ 9. Novissime vero venerabiles fratres nostri Franciscus Maria a Monte, Dominicus Gymnasius, necnon Carolus Emmanuel Pius in ordine priores, ac Marcellus dicti collegii camerarius Lantes nuncupati, sanctae Romanae Ecclesiae praedictae cardinales, inhaerentes decreto aliàs per dictum Pium praedecessorem, ut praefertur, facto, et illud, quatenus opus sit, innovantes, de mandato nostro libros propositionum et actorum consistorialium, aliasque scripturas ad praedictum collegium quomodolibet spectantes, ac processus omnes ecclesiarum et monasteriorum in archivio deponi debere, eosque a nemine, praeterquam ab eiusdem collegii clerico Italo detineri, nec pro recognitione seu admissione eorumdem processuum quicquam recipi posse, etiam statuerint:

Urbanus officium clerici Itali officio secretarii sacri collegii unit, assignationemque duorum ducatorum, etc. revocat.

§ 10. Nos, quibus inter alia praecipue cordi est, ne aliqui novis absque necessariâ vel utili causâ impositionibus praegraventur, et quorum intentio est, ut gravati subleventur, dictorum processuum conservationi non satis consultum iri, si illi penes particularem aliquam personam, qualis dictum notariatus officium pro tempore obtinens existit, conservari debeant, et, si in archivio cum libris, actis et aliis

1 Quas vide in tom. XII, loc. cit. pag. 643 (R. T.)

scripturis praedictis deponantur, longe tutius illorum conservationi prospectum fore, et consequenter solutionem dictorum duorum ducatorum, quam, ut etiam accepimus, plures interesse in praemissis habentes, licet ad unum dumtaxat ducatum postmodum redactam, facere recusant, necessariam aut utilem non esse, et in congregatione dilectorum filiorum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium super provisionibus consistorialibus deputatorum plurima tractari, quae vere ad officium dicti clerici Itali, qui etiam dicti collegii secretarius existit, pertinere dignoscuntur, ob idque officium secretarii dictae congregationis officio clerici Itali et secretarii praedicti annectendum[1] operae pretium esse attendentes, ac in praemissis opportune consulere volentes, et nihilominus quod dictum archivium erectum reperiatur notitiam non habentes, ac singularum dicti Gregorii praedecessoris litterarum praedictarum, aliorumque omnium et singulorum praemissorum veriores tenores praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ ac merâ deliberatione nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, secundodictas Gregorii praedecessoris praedicti litteras (quoad eam partem, quae assignationem et solutionem dictorum duorum ducatorum concernit dumtaxat) apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, revocamus, cassamus et annullamus, ac viribus et effectu carere debere, nec aliquem ad illorum solutionem imposterum teneri decernimus et declaramus; ac officium secretarii dictae congregationis (cum primum illud per cessum, aut decessum, seu quamcumque aliam dimissionem moderni secretarii congregationis huiusmodi, aut aliàs quovis modo vacare contigerit) officio clerici Itali et secretarii dicti collegii, cum omnibus illius oneribus et honoribus, perpetuo eisdem auctoritate et tenore unimus, annectimus et incorporamus.

1 Aptius forsan legeretur *annectere* (R. T.).

Primumque clericum et secretarium designat.

§ 11. Volentes, et eâdem auctoritate statuentes, quod, cum primum officium secretarii dictae congregationis, ut praefertur, vacaverit, dilectus filius Ioannes Baptista Laurus clericus Perusinus, familiaris et continuus commensalis noster, modernus seu tunc existens clericus Italus et secretarius dicti collegii, officium dicti secretarii dictae congregationis exerceat, decreta et acta in illâ pro tempore facta describat, et in infrascripto archivio custodienda reponat.

Archivium sacri collegii in palatio vaticano erigit.

§ 12. Necnon archivium sacri cardinalium collegii nuncupandum in palatio nostro Vaticano, sub protectione et supremâ superintendentiâ trium sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium in ordine priorum et dicti sacri collegii camerarii pro tempore existentium, sub curâ tamen et administratione etiam moderni et pro tempore existentis eiusdem collegii clerici Itali et secretarii, ad quod auditores cardinalium proponentium, seu qui ipsorum cardinalium iussu in conficiendis vel recognoscendis processibus assistunt, statim factâ in consistorio secreto propositione, processus huiusmodi transmittere teneantur, et in quo processus ipsi, et dicti libri propositionum, necnon actorum et decretorum etiam super erectionibus, suppressionibus, unionibus, reparationibus, dismembrationibus, cessionibus, permutationibus, translationibus, pensionum super illorum redditibus assignationibus, praesentationibus, nominationibus, electionum seu postulationum confirmationibus ecclesiarum cathedralium et metropolitanarum ac patriarchalium, necnon monasteriorum quorumcumque, in congregatione praedictâ, et aliàs quomodolibet, et ubicumque emanatorum, interesse consistorii aposto-

lici aliquo modo concernentium, aliaeque scripturae quomodolibet ad idem collegium spectantes, in perpetuum conservari, nec inde, absque cardinalium in ordine priorum et camerarii praedictorum pro tempore existentium licentiâ, aliquo modo extrahi debeant, eisdem auctoritate et tenore, etiam perpetuo erigimus et instituimus.

Secretarium sacri collegii Papae familiarem creat.

§ 13. Utque imposterum clericus Italus et secretarius praedictus pro tempore existens amplioribus favoribus et gratiis decoretur, quod pro tempore existens clericus Italus et secretarius huiusmodi, ratione curae et administrationis dicti archivii, Romani Pontificis verus et indubitatus et non fictus familiaris et continuus commensalis, aliorumque familiarium et continuorum commensalium numero et consortio adscriptus et aggregatus eo ipso existat;

Aliaque ei privilegia concedit.

§ 14. Et vestes violacei coloris ad instar nostrorum cubiculariorum honoris nuncupatorum gestet, illisque arbitrio suo utatur;

§ 15. Et in signum verae et indubitatae ac non fictae familiaritatis huiusmodi singulis diebus ex palatio apostolico, ultra panem sibi ratione officii clerici Itali et secretarii dari solitum, etiam panem eiusdem quantitatis et qualitatis, prout dilectis filiis in utrâque signaturâ nostrâ referendariis dari consuevit, habeat, etiam decernimus, et panem huiusmodi dietim sibi ex dicto palatio dari mandamus.

§ 16. Inhibentes, sub indignationis nostrae, ac mille ducatorum camerae nostrae applicandorum, aliisque trium cardinalium in ordine priorum et camerarii praedictorum arbitrio imponendis poenis, Odoardo, eiusque in officio notariatus successoribus, ne in conservatione tam extra Urbem quam in Urbe super praemissis fabricatorum processuum ulterius se ingerere praesumant.

Processus omnes ei praecipit consignari.

§ 17. Et sub eisdem poenis praecipientes tam Odoardo, quam auditoribus praedictis nunc et pro tempore existentibus, ceterisque omnibus et singulis, quatenus omnes et singulos tam in Urbe quam extra eam fabricatos processus huiusmodi, ac decreta et acta praedicta, quae penes eos et eorum singulos ad praesens reperiuntur, intra triduum a publicatione praesentium computandum, processus vero, qui pro tempore penes eos erunt, ante, ut praefertur, cedularum consistorialium subscriptionem, seu saltem illarum partibus consignationem, actaque et decreta praedicta, quae ad eorum et cuiuslibet manus quoquo modo devenerint, intra octo dies tunc immediate sequentes, ad archivium praedictum transmittant, et moderno ac pro tempore existenti clerico Italo et secretario praedicto consignent, ac transmitti et consignari faciant realiter et cum effectu.

Clausulae.

§ 18. Ac similiter decernentes, easdem praesentes, etiam ex eo quod dictus Odoardus et auditores praedicti ac alii interesse habentes ad hoc vocati et auditi non fuerint, vel ex eo quod illae nullâ subsistente causâ vel etiam de facto processisse dici possent, sive etiam processerint, aut ex aliâ quavis iuridicâ et legitimâ etiam necessario exprimendâ causâ, vel quocumque praetextu, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut quovis alio defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, et ad terminos iuris reduci, aut in ius vel controversiam revocari, seu adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, aut etiam motu et potestatis plenitudine similibus concedi, vel sub quibusvis constitutionibus et cancellariae apostolicae regulis, editis et edendis, ac litteris apostolicis in contrarium etiam pari motu et consistorialiter emanatis, aut quibusvis aliis similium vel dissimilium

gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, comprehendi nullo umquam tempore posse, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et eum, in quo ante praemissa erant, validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quâcumque posteriori datâ per modernos et pro tempore existentes tres cardinales in ordine priores et camerarium ac clericum Italum et secretarium praedictos quandocumque eligendâ concessas, validasque et efficaces, etiam quod in camerâ nostrâ apostolicâ nullo umquam tempore registrarentur aut praesentarentur, fore et esse;

Exequutores huius Constitutionis designati.

§ 19. Sicque, et non aliàs, per quoscumque iudices, etiam causarum palatii apostolici auditores, et camerae praedictae praesidentes et clericos, necnon eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae camerarium, et alios cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 20. Quocirca dilectis filiis Urbis nostrae gubernatori, et causarum curiae dictae camerae apostolicae generali auditori, et dilecti filii nostri in eâdem Urbe, eiusque districtu vicarii in spiritualibus generalis in civilibus causis locumtenenti, motu simili per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte moderni et pro tempore existentis clerici Itali et secretarii huiusmodi fuerint requisiti, solemniter publicantes, illique efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant easdem praesentes et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, firmiter et inviolabiliter observari, ac modernum et pro tempore existentem clericum Italum et secretarium huiusmodi illis pacifice frui et gaudere, non permittentes eum desuper per Odoardum et auditores cardinalium huiusmodi, seu quoscumque alios, quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac sententias, censuras et poenas ipsas, servatâ formâ Concilii Tridentini, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Obstantium derogatio.

§ 21. Non obstantibus Gregorii secundo dictis litteris, aliisque praemissis, ac nostrâ de non tollendo iure quaesito, aliisque cancellariae praedictae regulis, nec non Pii praedecessorum praedictorum sub datum videlicet VIII idus augusti, pontificatus sui anno VI editâ, inter alia disponente quod omnes gratiae, qualecumque camerae praedictae interesse concernentes, infra certum inibi expressum tempus in eâdem camerâ praesentari et registrari debeant, et, quatenus in aliquo obstet, similis memoriae Sixti V etiam praedecessoris super institutione praedictae et aliarum quatuordecim congregationum editâ [1], aliisque apostolicis constitutionibus et ordinationibus, et dicti collegii [2] (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu huiusmodi, etiam consistorialiter, ac aliàs, in contra-

1 Quam vide in tom. VIII, pag. 985 (R. T.).

2 Perturbate edit. Main. habet *aliisque apostolicis et dicti collegii constitutionibus et ordinationibus* (R. T.).

rium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, ac in futurum concedendis, approbandis et innovandis: quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad id servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, etiam pari motu specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus et mandamus, contrariis quibuscumque aut si quibusvis communiter: aut divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Praesentium facienda publicatio.

§ 22. Volumus autem, quod eaedem praesentes litterae, ut omnibus innotescant, ad valvas basilicae Principis apostolorum de Urbe, et cancellariae apostolicae, ac in acie campi Florae publicentur et affigantur, dimissis inibi etiam copiis, quae perinde omnes arctent, ac si personaliter unicuique intimatae fuissent;

Transumptis danda fides.

§ 23. Quodque earumdem transumptis et exemplaribus, etiam impressis, ac manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur tam in iudicio quam extra, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Clausulae poenales.

§ 24. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae revocationis, cassationis, annullationis, declarationis, unionis, annexionis, incorporationis, statuti, erectionis, institutionis, inhibitionis, praecepti, decretorum, derogationis, mandatorum et voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae, MDCXXV, XVIII kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 15 decembris 1625, pontif. anno III.

Anno a Nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCXXVI, *indictione* IX, *die vero* XXX *mensis martii, pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Urbani divinâ providentiâ Papae VIII, anno eius* III, *retroscriptae litterae apostolicae affixae, et publicatae fuerunt ad valvas basilicae Principis apostolorum de Urbe et in acie Campi Florae, dimissis ibidem praesentibus litteris per aliquantulum temporis spatium, ut moris est, affixis, et deinde amotis per nos Camillum Fundatum et Brandimartem Latinum praelibati sanctissimi D. Papae cursores*, etc.

OCTAVIUS SPADA mag. cursorum.

Sequitur decretum Romae in palatio apostolico Quirinali feria II, *die* XXII *iunii* MDCXXVI *in consistorio secreto editum de clavibus aerarii sanctioris, eiusque scriniorum ac portarum fidelius posthac custodiendis* [1].

Exquisitis et auditis reverendissimorum DD. S. R. E. cardinalium sententiis, de unanimi eorum consilio pariter et assensu, quo fidelius ac diligentius imposterum claves aerarii sanctioris in arce S. Angeli a felicis recordationis Sixto V insti-

1 Hoc decretum ideo hîc posui, quia versatur circa archivium sacri cardinalium collegii, prout in eo legitur. Institutionem vero huius aerarii in Arce S. Angeli factam habes a Sixt. V, Constitut. XLIII, *Ad clavum*, tom. VIII, pag. 693.

tuti custodirentur, SS. D. N. infrascriptas ordinationes declaravit, ac decrevit esse perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observandas, nimirum ut:

Conficiatur liber perpetuo asservandus in archivio sacri collegii, in quo secretarius fidem faciat de consignatione clavium pro tempore factâ singulis cardinalibus, aliisque ius ad ea[1] habentibus, et horum unusquisque a se conscriptum iuramentum coram secretario emittat, se subscribat, suumque signum apponat:

Cardinales, transitum facturi ad altiorem ordinem, promoveri aut optare in consistorio non possint, nisi prius de suarum clavium consignatione secretario factâ constiterit, qui succedentibus episcopis, presbyteris et diacono praedicto modo tradet:

In casu absentiae a curiâ, quae excedat quadraginta milliaria, cardinales antequam ab Urbe discedant, evocent secretarium, qui claves acceptas statim deferat aliis in ordine succedentibus:

Decanus camerae apostolicae consignet clerico succedenti coram duobus clericis et secretario:

Thesaurarius tam generalis, quam secretus, eidem secretario, qui teneatur subito id Suae Sanctitati significare:

Si contingat obitus asservantium claves, idem secretarius instet pro recuperatione apud haeredes: et, si sint in morâ, addat protestationem cum censuris coram notario et testibus:

Praefectus castri S. Angeli, ultra iuramentum Summo Pontifici praestari solitum pro fideli arcis custodiâ, iuret etiam de aerario fideliter custodiendo in manibus eiusdem SS. D. vel S. R. E. camerarii, iuxta formam Bullae, cuius iuramenti in libro fiat mentio:

Idem vero liber quotannis in primâ congregatione generali a secretario in medium afferatur, ut penes quos praedictae extent claves, facile omnibus constare possit.

Ita est.

Octavius episcopus Portuensis sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis Bandinus.

Carolus cardinalis Madrutius.

Ioannes Baptista cardinalis Lenius, sacri collegii camerarius.

Ludovicus cardinalis Ludovisius, S. Romanae Ecclesiae vicecancellarius.

Mauritius S. R. E. diaconus cardinalis de Sabaudia.

Ioannes B. Laurus, secretarius.

1 Videretur legendum *ad eas* (R. T.).

CLXXXVI.

Confirmatio statutorum Barchinosensium Ordinis fratrum Minorum de Observantiâ pro ultramontanâ familiâ, novissime Segobiae recognitorum et approbatorum, dummodo sacris canonibus, Concilio Tridentino, constitutionibus apostolicis, ac regularibus ipsius Ordinis institutis non adversentur[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Iniuncti nobis apostolici muneris ratio postulat, ut, religiosorum Ordinum in Ecclesiâ Dei militantium prospero statui, felicique directioni invigilantes, his, quae propterea provide facta fuisse dicuntur, ut firma perpetuo et illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolicae nostrae confirmationis munimine roboremus[2], prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Procemium.

1 Vide alia decreta supra pag. 393. Adduntur etiam ordinationes factae in congregatione generali eiusdem Ordinis an. MDCXXVIII, et decreta sacrae Congregationis a SS. D. N. praepositae consultationibus pro cismontana familia eorumdem fratrum (R. T.).

2 Syntaxis postulat *munimen adiiciamus* (R.T).

In congregatione Segobiensi statuta Barchinonensia examinantur.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod in congregatione generali ipsius Ordinis in illius domo regulari Segobiensi novissime celebratâ statuta generalia pro fratribus eiusdem Ordinis ultramontanae familiae, aliàs, in civitate Barchinonensi edita, recognita et approbata fuerunt.

Eaque petitur confirmari.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, procurator praedictus plurimum cupiat statuta huiusmodi, pro firmiori illorum validitate et subsistentiâ, apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri, nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat Urbanus.

§ 3. Nos igitur, procuratorem praedictum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, statuta praedicta, sic, ut praefertur, recognita et approbata, quatenus tamen licita sint et honesta, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis et constitutionibus apostolicis, regularibusque ipsius Ordinis institutis non adversentur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulas addit.

§ 4. Decernentes, eadem statuta ac praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac a fratribus familiae praedictae nunc et pro tempore existentibus in omnibus et per omnia inviolabiliter observari debere, necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatque contrariis.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII decembris MDCXXV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 18 decembris 1625, pontif. anno III.

Sequuntur ordinationes factae in generali congregatione.

De observantiâ regulae.

Primo declarat generalis congregatio, nullam dispensationem contra praecepta nostrae regulae esse admittendam; sed omnes et singulos fratres teneri ad regulae observantiam secundum suam puritatem iuxta declarationes Nicolai III et Clementis V, sicut in multis aliis generalibus constitutionibus declaratum est, cum omnia privilegia, seu concessiones, cuiuscumque conditionis existant, vel quomodolibet impetrata vel concessa per Brevia apostolica, per indulta, per vivae vocis oracula contra regulae puritatem, si qua[1] forent, penitus abrogata fuerint per Breve SS. Domini nostri Urbani VIII. Qui vero contrafecerint, tamquam regulae transgressores severe puniantur.

De oneribus missarum celebrandarum.

Et quoniam in quibusdam ecclesiis tam magnus numerus missarum celebranda-

1 Edit. Main. habet *si quae* (R. T.).

rum ex variis defunctorum legatis impositus reperitur, ut illis pro singulis diebus a testatoribus praescriptis nequeat satisfieri, et consequenter nec aliis pro quibus eleemosynae in dies offeruntur; idcirco, ne detur occasio fratribus eorum conscientias onerandi, determinatum est, ut superiores locorum illorum ac etiam provinciales declarare et protestari debeant coram iis, ad quos spectat, se nolle amplius legata perpetua ipsis a testatoribus relicta exigere, et de facto amplius non exigant, immo ea, quantum in ipsis est, eo modo quo possunt, resignent et respuant. Ac in illis conventibus is numerus fratrum collocetur, qui ex eleemosynis quotidianis honeste sustentari potest. Si qua[1] vero legata quoad capitale fuerint extincta, remanente apud fratres obligatione celebrandi missas in perpetuum, fiat recursus ad summum Pontificem, ut ipse pro suâ benignitate super hoc de opportuno remedio provideat.

Eleemosynae missarum nullo modo intra claustra recipiendae.

Capsae vel trunci ad recipiendas eleemosynas pecuniarias etiam pro missis oblatas, non solum ab ecclesiâ, sed etiam a sacristiâ et a quacumque parte, quae sit intra clausuram conventus, omnino prohibentur sub poenâ inobedientiae et excommunicationis maioris; oblatae autem eleemosynae pro missis nullo modo intra clausuram conventus, aut intra ecclesiam, vel sacristiam, ab aliquo recipi permittantur: sed ad syndicum apostolicum offerens remittatur: quod si id grave illi fuerit, et voluerit tertiario vel servitori conventus tamquam syndici substituto illas tradere, ut ad syndicum ipsum eius nomine deferantur, id fieri poterit, eâ tamen lege, ut intra claustra conventus aut ecclesiae nec tertiarius nec servus illas recipiat, et guardianus, qui contrarium permiserit, privetur officio suo.

1 Edit. Main. legit *Si quae* (R. T.).

De apostatis et delinquentibus.

Circa apostatas, aliosque delinquentes observetur omnino Breve felicis recordationis SS. D. N. Pauli V contra superiores nostri Ordinis promulgatum, quod incipit, *Admonemur*; in quo ordinatur, ut ad instantiam personarum quarumcumque extra Ordinem constitutarum nullo modo remittantur poenae eis impositae.

Fratres ad missas extra proprias ecclesias celebrandas non mittendi.

Ad evitandas evagationes fratrum et alia gravia inconvenientia, praecipitur, ut sacerdotes nostri Ordinis nullo modo mittantur extra conventum ad missas in aliorum ecclesiis celebrandas, sed unusquisque in propriâ teneatur ecclesiâ celebrare. Guardianus autem, qui contrafecerit, vel id permiserit, per mensem a suo suspendatur officio pro primâ vice, pro secundâ autem gravius puniatur superioris arbitratu.

Parochiae non suscipiendae.

Cum parochiarum curam habere in illis civitatibus et locis, in quibus christiana religio propagata est, et in quibus copia sacerdotum secularium adest, maximum detrimentum afferat nostrae professioni et regulae observantiae, determinat generalis congregatio, ut in praefatis locis omnino relinquantur, et si aliquae sint, quae de mandato Sedis Apostolicae detineantur, ad ipsam Sedem Apostolicam fiat recursus, ut super hoc opportune provideat, fratrumque conscientiae consulat.

De commissario regni Poloniae.

Commissarius in regnum Poloniae mittendus ad provincias illas visitandas, in unaquaque illarum provinciarum patres definitorii et alios patres principaliores congreget, atque simul cum eis de negotio divisionis illarum provinciarum discurrat, illudque exacte discutiat: et quicquid circa hoc de communi consensu, paceque conservandâ determinatum fuerit esse melius, reverendissimo patri superiori generali significet, ut ipse pro suâ prudentiâ et zelo, quidquid opportunum fuerit ad sedandam controversiam circa hoc exortam, decernat et statuat, etiam Sedem Aposto-

licam consulendo, si opus fuerit. Quidquid vero ab ipso statutum fuerit in illis provinciis exquutioni mandetur.

De custodiis reformatorum Poloniae, Austriae, etc.

Declaratur, duas custodias reformatorum Poloniae fuisse bene institutas; easque, et ad idem institutum servandum teneri, et eisdem privilegiis et praerogativis gaudere, quod servant, et quibus gaudent custodiae reformatorum Italiae: et praesertim quod votum habeant in capitulis provincialibus illarum provinciarum, quibus sunt annexae. Insuper declarat totum definitorium, reformam seu custodiam Austriae veram esse custodiam ad formam aliarum reformationum Italiae institutam, eisdemque privilegiis et gratiis, quibus ceterae Italiae custodiae gaudent, potiri et gaudere debere. Idem dicimus etiam de conventu Pragensi, provinciâ Boëmiae et Tyrnaviensi, provinciâ S. Mariae Hungariae reformatis iam assignatis et traditis, etc.

De monasterio monialium maioris Glogoviae.

Monasterium monialium clausarum maioris Glogoviae provinciae Boëmiae, suppositâ ipsarum inobedientiâ et contumaciâ, omnino relinquatur, et resignetur loci Ordinario; itaut imposterum nulli provincialium successive futurorum aut aliorum quorumcumque fratrum liceat in contrarium aliquid attentare, sub poenâ privationis actuum legitimorum contrafacientibus.

Et conventu Glivicensi.

Conventus Glivicensis, olim ad provinciae Boëmiae fratres spectans, ac deinde reformatis provinciae Poloniae assignatus, declaratur incorporatus reformationi provinciae Poloniae, praecipiturque, ut imposterum non liceat provinciali Boëmiae, vel alteri patri eiusdem provinciae, aliquid in contrarium attentare, sub poenâ privationis officiorum, actuumque legitimorum iis qui contrafecerint.

De statutis fratrum reformatorum.

Ad confusiones et varietates statutorum reformatos concernentium tollendas, et ad certam insuper stabilemque inter ipsos constitutionum observationem praefigendam, statuendamque, consulto statuitur, strictiusque praecipitur, sub poenis in eisdem constitutionibus taxatis, et irremissibiliter infligendis, ut imposterum fratres reformati iis dumtaxat statutis generalibus utantur, ac ea inviolabiliter observent, quae pro bono ac strictiori ipsorum vivendi modo in praesenti congregatione generali, etiam ipsis reformatis assentientibus et acceptantibus, mature decreta et sancita fuere, eaque quolibet bimestri legere teneantur tempore communis refectionis.

Decreta sacrae Congregationis a SS. D. N. pro cismontana familia consultationibus praepositae, quae lecta fuere in generali Ordinis congregatione:

Quibus provinciis Observantiae cismontanae familiae danda sit facultas novitios recipiendi.

Sacra Congregatio a Sanctissimo D. N. fratrum Minorum de Observantiâ sancti Francisci cismontanae familiae consultationibus praeposita, volens, quantum potest in Domino, ipsorum postulato satisfacere circa novitios ad habitum et professionem admittendos, Sanctitate Suâ approbante, censuit, tunc demum esse illis permittendum, ut novitios, ut supra, recipiant, cum constiterit, ex ipsorum conventibus eos sustulisse abusus omnes, qui regulae sancti Francisci observantiae adversantur. Quod ubi praestiterint, designanda erunt loca pro iisdem novitiis recipiendis, et praescribendus recipiendorum numerus et qualitas, et alia ad eorum institutionem pertinentia, et prout unaquaeque provincia id exequetur, eidem receptionem huiusmodi fore permittendam.

Et qui tollendi abusus.

Abusus vero, quibus eos propterea mederi oportebit, sunt potissimum infrascripti.

De bonis immobilibus, censibus, ac legatis annuis abdicandis.

Ac[1] primum abdicent a se et eorum conventibus non solum pristina ac bona omnia immobilia, quae alicubi contra regulae puritatem et declarationes felicis recordationis Nicolai III et Clementis VIII extra vel intra septa monasteriorum de-

1 Ita Cherub.; ed. Main. habet *Ad* (R. T.).

tinent, sed etiam census perpetuos et legata annua, super quibus sacra Congregatio praecipit observari decretum congregationis generalis Romae habitae die XVII maii MDCIII, cuius tenor talis est:

«Cum annuos redditus, sicut cetera bona immobilia, nobis habere non liceat, ideo renovantes alia generalia statuta decernimus, quod nullus frater inducat personam aliquam ad eleemosynam perpetuam Ordini nostro exhibendam, nec exhibitam a quopiam vivente suscipiat, et si aliqua talis nobis fuerit relicta, nullo modo in iudicio exigatur; declarantes, quod ad perpetua legata petenda non possunt fratres recurrere nisi humiliter et per modum eleemosynae absque allegatione alicuius debiti. Decernitur praeterea ac praecipitur per sanctam obedientiam, quod, quoties relinqui contingat aliqua legata perpetua aliquibus personis et hospitalibus, vel alicui reipublicae et aliis domibus, eâ lege, quod teneantur fratribus praestare singulis annis certam eleemosynam, sive omnino gratis, sive ut ipsi fratres dicant certa officia et missas, quod guardianus faciat protestationem ei, qui testatoris voluntatem adimplere tenetur, quod ad illas eleemosynas nullum ius habent ex vi legati, nec possunt obligari ad illa officia et missas; si tamen, factâ istâ protestatione, haeres ex suâ liberâ voluntate voluerit dare eleemosynas illas, et committere fratribus dicta officia et missas, tunc fratres tutâ conscientiâ possunt eleemosynas huiusmodi recipere. Quod totum, et multo fortius, in relictis legatis singularibus fratribus simili modo faciendum esse decernimus. Inhibemus autem, ne syndicus in suâ personâ huiusmodi annuos redditus recipiat distribuendos ipsis fratribus. Protestatio autem sic fiat sub sigillo conventus, videlicet: *Nos frater N. guardianus et fratres discreti huius conventus N. dicimus ad nostram notitiam pervenisse quondam N. certam eleemosynae quantitatem conventui huic distribuendam perpetuo gratis, vel forsan pro aliquibus officiis et missis dicendis, legasse. Cumque legata huiusmodi nisi per viam simplicis eleemosynae, acceptare ex instituto sancto nostro et iure nobis non liceat; ideo per praesentes libere protestamur in Domino, quod legatum praedictum tamquam illius incapaces ex vi legati recipere nolumus, nec intendimus. Si tamen haeres, commissarius aut legatarius ipsius testatoris, dictam quantitatem per viam simplicis elemosynae, omni obligatione, dominio et proprietate penitus cessantibus, nobis libere conferri voluerit, illam simpliciter accipiemus, et piae testatoris voluntati, quantum in nobis fuerit, plene ac fideliter satisfaciemus.* Haec autem protestatio subscripta per guardianum et discretos conventus dabitur illi, qui tenetur testatoris voluntatem implere, et eadem protestatio scribetur in libro conventus, ut constare possit succedentibus guardianis, hanc constitutionem fuisse ad plenum adimpletam. Est autem haec protestatio necessaria, ut optime decernit dictus Bonaventura hanc disputans quaestionem, et ex apostolicis declarationibus regulae nostrae colligitur. Et ut omnibus sit compertum id quod tantopere est nobis necessarium, ipsam dicti Bonaventurae quaestiunculam ex suo *Apologetico* desumptam, hîc apponere de industriâ non gravabimur, quae talis est, ut sequitur:

Verba S. Bonaventurae.

«Cum asseratis, vos, secundum regulam et professionem vestram, nullos debere recipere proventus reddituum, seu possesiones, exceptis domibus in quibus habitatis, videmini transgressores regulae vestrae in eo quod recipitis domos vel areas non contiguas vestris areis in quibus habitatis; eodem enim modo, si hoc licet, poteritis etiam vineas recipere, et agros, et mansos, et similia quaeque recipere, imo gran-

gias, et villas, et castra, et terras, et oppida, et quaecumque fuerint vobis data; et sic pristina paupertas et mendicitas, quam professi estis, paulatim evanescet, et non eritis discipuli sancti Francisci, cum non sequamini vestigia eius, nec eius regulam teneatis. De domibus enim nobis[1] contiguis potest esse excusabile, quod, pro dilatandâ areâ vestrâ, illas quandoque recipiatis; sed de aliis non ita, in quibus homines alios pro censu locatis, quem procurator vester loco vestri exigit et in usus vestros convertit de voluntate vestrâ.

« ℣. Si qui in talibus incaute agunt, dolemus, et contradicimus, et prohibemus; qualiter autem in hoc licite agere possimus adverte, et tunc non iudicabis nos (si sane intelligis) transgressores. Protestamur, nos, secundum regulam nostram, nil debere seu velle possessionis vel certorum reddituum recipere vel habere; quia vero mendici sumus et pauperes, ea, quibus pro praesenti necessitate indigemus, ideo recipimus, prout licet, sive pro solvendis debitis vel necessariis procurandis. Cum ergo aliquis ex devotione vult nobis legare domum suam vel aream non contiguam nostrae mansioni, non recipimus eam, per nos nec per interpositam personam, ut nostram; sed si ille eam disponit per alium quemcumque, ut, eâ venditâ de pretio eius provideatur nobis ex parte sui, in his quibus tunc indigemus procurandis, vel solvendis debitis, acceptamus. Si autem ille, timens, ne forte eius talis dispositio per haeredes suos vel alios imposterum impediatur, et propter hoc, praeoccupat roborare illam sigillo alicuius iudicis, vel civium, vel alterius, etc., et sic committit eam alicui amico suo, vel fratrum, qui conservat quod ipse disponit de domo tali vel areâ, nil ad nos, cum de rebus suis possit ordinare quod vult, nec locum talem vel domum dicimus esse nostram, cum nihil iuris nos in eâ protestemur habere. Similiter si aliquis disponeret per amicum vel alium, quod de pretio, vel de proventibus illis, vel illis, darentur fratribus tot panes quotidie, vel tantum eleemosynae singulis septimanis aut annis, non essemus propter hoc praedii vel reddituum possessores: nam si, me petente eleemosynam, aliquis dives promittat quod singulis annis velit dare fratribus duas tunicas, vel tantum unam, vel singulis hebdomadibus tot panes, et hoc committat officialibus suis, ut vice sui ista dent, etiam eo absente, et hoc prò fratribus recipiam, vel etiam, si illi negligant dare, admonendo exigam, nunquid propterea certos redditus habere dicendi sumus? cum non ex iure, sed ex gratiâ solum talem eleemosynam recipiamus vel exigamus. Et si post obitum illius uxor eius vel alii amici pro animâ illius adhuc velint aliquo tempore talem nobis eleemosynam per se vel ex dispositione illius largiri, possumus similiter accipere ex tali gratiâ, ita quod quandocumque nollent amplius ista dare, nihil peteremus ab eis, quasi ex debito, sed more mendicorum recurreremus ad domum clementis domini pro quotidianâ eleemosynâ, quamdiu illi placeret: sed quando plus nollet, discedimus vacui gratias agentes de dato, non murmurantes de negato. Haec est vera et pura vita mendicorum, quod datur, ex gratiâ recipere non ex iure. De censibus vero domorum fratribus legatarum nihil quaerimus, sicut nec de aliis redditibus. Si autem antequam vendantur, aliquem inde censum dare volunt hi, in quorum tunc potestate sunt illae domus, nihil iuris habere in eo protestamur, sed eleemosynam nobis sponte oblatam simpliciter recipimus, sicut aliunde donatam. Quia vero Dominus docet nos cavere ab hominibus (*Matth.* x) et Apostolus ab omni specie malâ abstinere (1 *Thess.* v),

1 Aptius ed. Cherub. legit *vobis* (R. T.).

ne putemur ab ignorantibus transgressores regulae nostrae, debemus aperte protestari, nihil nobis iuris in talibus donationibus velle habere, sicut tenetur suspectus de fornicatione omnia illa cavere, ex quibus posset ista suspicio probabilis iudicari ».

« Haec omnia D. Bonaventura.

« Sed quia in his casus solet aliquando evenire, quod annuus redditus ob temporis antiquitatem non comperiatur habere aliquem patronum, cui fieri debeat talis, ut supra, protestatio, decernimus, quod in tali casu servetur statutum Ordinis Minorum sub Paulo II contentum in constitutionibus super cap. VI, *regulae* et § *Inhibemus:* Quod nimirum huiusmodi redditus assignetur rectoribus spiritualibus aut temporalibus collegiorum aut communitatum, terrarum aut civitatum, qui tales eleemosynas, sive fructus vel redditus annuos, nomine Ecclesiae Romanae, vel donantium, sine fratribus, exigant et recipiant, et fratribus, sive aliis sacerdotibus quando fratres noluerint, tales missas vel suffragia iuxta piam intentionem benefactorum in toto vel in parte secundum quantitatem talium obventionum dicere faciant ».

De dominio per instrumenta publica in alios non transferendo.

Item statuitur, ut deinceps nulla instrumenta publica fiant a fratribus capitulariter congregatis, nec quocumque alio modo se habentibus, in quibus transferatur dominium et proprietas alicuius cappellae sive sepulturae: cum hoc omnino sit contra regulam et nostro repugnet instituto. Nam quomodo aliquis dat, quod non habet? Si tamen occasio se obtulerit, in quo oporteat satisfacere devotae fidelium voluntati, id fiat per modos nostrae regulae et instituto congruentes. Est autem protestatio praedicta necessaria, ne, ut ait D. Bonaventura, ab ignorantibus nostrum institutum, regulae nostrae transgressores iudicemur, cuius seraphici doctoris sententiam hîc inserendam iudicavimus, quatenus e medio tollatur abusus ignorantissimorum aliquorum, qui, existimantes charibdim fugere, in scyllam inciderunt, in favorem Ordinariorum, vel alicuius tertii, vel haeredis renuntiantes praedicta legata, quasi non esset opus proprietatis et dominii donare, sicuti accipere, et summa dementia alienum renuntiare.

De huiusmodi autem bonis, seu illorum pretio, generalis vel commissarius generalis unâ cum consilio guardiani et discretorum conventus in usum sacristiae, fabricae ecclesiae, et conventuum provideat, prout, illorum necessitate perspectâ, salubriter in Domino expedire arbitrabitur. Et de hac provisione quamprimum sacram hanc Congregationem fideliter certiorem faciat. Hanc vero bonorum abdicationem et legatorum renuntiationem fuisse exequutioni demandatam constare debebit huic sacrae Congregationi ex generalis, vel commissarii generalis, et Ordinariorum attestationibus gratis et absque ullo fratrum dispendio concedendis.

Proprietas fratrum particularium omnino tollenda.

Deinde a fratribus particularibus auferatur cuiuscumque rei proprietas, si qua sit, et omnia in communi redigantur, ad regulae, sacrorum canonum, apostolicarum constitutionum et sancti Concilii Tridentini dispositionem. Potissimum vero tollantur pecuniae, et quamprimum insumantur in veras et communes ipsorum conventuum necessitates: idque fiat a syndicis apostolicis tantum, ita ut nihil pecuniae mediate vel immediate supersit in manibus vel potestate fratrum etiam superiorum.

Quomodo retineri queant aromatariae.

Ad haec tollantur abusus aromatariarum, ita ut de cetero illae non retineantur, nisi ad usum monasteriorum dumtaxat, nec liceat res illarum cuique vendere.

Capsulae ad eleemosynas recipiendas ab ecclesiis tollendae.

Praeterea nullo modo habeant in eorum ecclesiis, vel sacristiis, aut alibi, cippos aut truncos ordinatos ad offerentium seu donantium pecunias, nec capsulas pro eleemosynis missarum.

De regulae observantia.

Ac demum superiores regulares invigilent, ut fratres communi mensâ utantur, divina officia temporibus debitis recitent, vacent orationi mentali, et divinum cultum diligenter exerceant, ac cetera impleant, ad quae pro regulae observatione tenentur.

Certior reddenda S. Congregatio de adimplemento.

Haec autem superius expressa, fuisse ad effectum perducta constare debebit eidem sacrae Congregationi ex attestationibus, medio iuramento generalis aut visitatorum, praeviâ diligenti informatione captâ in visitatione singulorum conventuum cuiusque provinciae. Romae, XIV iunii MDCXXVIII.

F. A. Card. S. HONUPHRII.
P. FAGNANUS Secr.

Publicatio huiusmodi decretorum.

Lecta et publicata fuere praefata decreta die XV iunii MDCXXVIII in congregatione generali fratrum Minorum de Observantiâ in praesentiâ illustrissimi et reverendissimi cardinalis Gipsii praesidentis eiusdem Congregationis.

Subsequuntur alia decreta sacrae Congregationis a SS. D. N. pro cismontanâ familiâ consultationibus praepositae, quae pariter in generali Ordinis congregatione lecta fuere.

De transitu fratrum de Familiâ ad Reformatos.

In primis statutum est, ut fratres de Familiâ libere ad Reformationem transire valeant in quocumque tempore, etiam extra capitulum et congregationem; cum hoc tamen, ut e conventu, in quo de familiâ manent, recedere nequeant, nisi prius habitâ obedientiâ a custode, vel alio superiore reformatorum, qui eam nullatenus denegare possit. Et in casu, quo eam denegaverit, fiat recursus ad superiorem generalem, qui teneatur fratres pro hac re ad ipsum recurrentes ad reformationem recipere, necnon et superiores dictam licentiam negantes poenâ sibi arbitrariâ punire, nisi sibi constiterit reformari volentes id facere, ut iudicium vel poenas sibi iniunctas subterfugiant, aut esse omnino ad reformationem inhabiles.

De illorum probatione et acceptione.

Secundo. Ut, qui ad reformationem transierit, annum unum a die suae receptionis computandum ad deliberandum habeat, an in illo statu velit remanere: quo anno expleto, superior reformatorum, custos videlicet, vel provincialis, ad conventum, in quo dictus frater de familia commoratur, se transferat, ibique simplicem informatioenm a guardiano, vel alio superiori locali, a discretis conventus, et ab aliquo patre principaliori vel antiquiori, qui ibi reperiatur, fideliter capiat de vitâ et moribus supradicti fratris; et si cognoverit, eum bene vixisse, ac statui et professioni reformatorum se conformasse, ipsum ad reformationem incorporatum declaret, et huiusmodi incorporationem in libro custodiae diligenter notet. Quod si id per se ipsum personaliter facere nequeat, alium substituat, qui id exequatur, dummodo non sit de familiâ illius conventus, in quo frater in reformatione incorporandus reperitur. Quo autem ad faciendam assignationem aliquorum conventuum observantium de familiâ fratribus reformatis, in singulis casibus recurratur ad sacram Congregationem, quae, habitâ ratione numeri fratrum ad reformationem transeuntium, et omnibus accurate perpensis, deliberabit pro ut in Domino expedire arbitrabitur.

De novitiis inter reformatos recipiendis.

Tertio. Determinatum est, ut de cetero novitii inter reformatos non recipiantur extra capitula vel congregationes capitulares, non obstante sanctae memoriae Clementis VIII hac de re edicto; aliàs receptiones et professiones inde sequutae nullae sint et invalidae.

De ministro provinciali,

Quarto. Determinatum est, ut minister provincialis eligi possit ex familiâ vel ex reformatione iuxta antiquam consuetudinem religionis et iuxta constitutiones sanctae memoriae Clementis VIII et Pauli V: et quando minister provincialis eligetur ex fratribus reformatis, tunc, ad tollendas

discordias et lites, custos reformationis non eligatur, sed ipsemet minister ipsam re-
Commissario, formationem regat et moderetur. Ceterum, ut necessitatibus dictae reformationis opportunius provideatur, dictus pater minister, statim ac fuerit electus, teneatur unum ex iis, qui aliàs custodes fuerunt, vel ex discretis custodialibus actualibus, commissarium instituere, cui suam auctoritatem tribuat ad dictam reformationem visitandam, quandocumque ipse per se id facere non potuerit, necnon et ad capiendas informationes in casibus occurrentibus: quibus captis, teneatur de omnibus certiorem facere dictum provincialem, ut ipse, quod opportunum sibi videbitur, determinare ac ordinare valeat. In casu autem, quo dictus commissarius non recte functus fuerit officio suo, tunc provincialis per se solum possit ipsum ab officio removere, et alium ut supra de novo instituere.

Et custode eligendis. Insuper determinatum est, ut quandocumque minister provincialis fuerit reformatus, tunc custos mittendus ad comitia generalia eligatur ex patribus de familiâ; et viceversâ quando provincialis fuerit ex fratribus de familiâ, tunc custos supradictus sit reformatus, ut utraque pars unum vocalem habeat in dictis comitiis generalibus.

Ulterius determinatum est, ut nominetur a generali procurator in curiâ patrum reformatorum. Romae, die XIV iunii MDCXXVIII.

F. A. Card. S. Honuphrii.
P. Fagnanus Secr.

Lecta et publicata fuere praefata decreta die XV iunii MDCXXVIII in congregatione generali fratri Minorum de Observantiâ in praesentiâ illustrissimi et reverendissimi cardinalis Gipsii praesidentis eiusdem Congregationis.

CLXXXVII

Confirmatio constitutionis Pauli V circa eleemosynam, quam rectores ecclesiarum parochialium Indiarum occidentalium et orientalium habere possunt ab his, qui in ecclesiis domorum utriusque sexus praefati Ordinis S. Francisci de Observantiâ sepeliuntur, aut pro eorum animâ missas celebrandas reliquerint, cum deputatione haereticae pravitatis inquisitorum pro eiusmodi constitutionis executione[1].

**Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,**

Dilectis filiis haereticae pravitatis inquisitoribus in Limanis et Mexicanis aliisque orientalium et occidentalium Indiarum civitatibus et dioecesibus commorantibus, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Aliàs (felicis recordationis Paulo Papa V praedecessori nostro, pro parte tunc in humanis agentis Matthaei de Recalde, etiam tunc vicecommissarii generalis Indiarum occidentalium Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, exposito, quod rectores parochialium ecclesiarum Indiarum occidentalium et orientalium, ne christifidelium, qui pro tempore ab humanis decedebant, cadavera ita commode in ecclesiis fratrum et monialium dicti Ordinis ecclesiasticae sepulturae tradi valerent, de consilio forsan superiorum suorum, abusum introduxerunt, ut maiorem scilicet eleemosynam exigerent ab illis, qui in ecclesiis dicti Ordinis sepeliebantur, quam si in propriis ecclesiis sepelirentur, ita ut christifideles, qui in ecclesiis huiusmodi sepeliri desiderabant,

Paulus V edidit constitutionem quae est supra tom. XI, pag. 508, cuius summa hic refertur.

1 Hanc Urbani VIII constitutionem sero deprehendimus omissam oscitanter fuisse ab editore Mainardi, ideoque eam hîc ponimus ex edit. Cherubinii, sed referenda foret supra ad pag. 124. Porro constitutio Pauli V quae hîc confirmatur, legitur in tom. XI, pag. 508 (R. T.).

parem ad minus parochialibus ecclesiis eleemosynam relinquere debebant, ratione eorum sepolturae, ei[1] quam ecclesiis Ordinis huiusmodi relinquebant, et, quod peius erat, si quis pro animae suae refrigerio nonnullas missas a fratribus praedicti Ordinis celebrandas reliquisset, praetendebant parochi eleemosynam, ratione missarum huiusmodi relictam, inter ipsos et fratres praedictos dividendam esse, et ulterius iidem rectores, de mandato forsan Ordinariorum suorum, filios (quorum patres in ecclesiis dictorum fratrum et monialium sepulti erant, aut sepulturam particularem pro se et suis habebant), nullâ consuetudine legitimâ suffulti, in eorum parochialibus ecclesiis sepeliri, et dictos patres ad hoc ut in dictis parochialibus ecclesiis sepelirentur cogere et compellere contendebant, et quotquot fratres regulares ad sepulturam ecclesiasticam in suas regulares ecclesias comitabantur, tot sacerdotes seculares aut clericos assumi volebant, in maximum domorum monasteriorum dicti Ordinis praeiudicium, eo quod multi, duplicis huiusmodi funerum impensae difficultate deterriti, in dictis regularibus ecclesiis sepulturam eligere non poterant; unde fiebat, ut dicti Ordinis ecclesias mortuorum sepulturis et consequenter eleemosynis, quae in suffragium animarum fieri consueverant, paulatim destitutas iri verendum erat) idem praedecessor, supplicationibus sibi desuper tunc porrectis inclinatus, et abusus huiusmodi e medio tollere, ac praedicti Ordinis eiusque religiosorum, ut maiores in vineâ Domini fructus afferre studerent, commoditatibus prospicere cupiens, de consilio venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, S. R. E. cardinalium consultationibus et negotiis episcoporum et regularium praepositorum, omnibus et singulis parochialium ecclesiarum in partibus Indiarum tam occidentalium quam orientalium rectoribus tunc et pro tempore existentibus interdixit; prohibuitque, ne, sub excommunicationis maioris latae sententiae poenâ, a qua nonnisi ab ipso Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo, absolvi possent, ex tunc deinceps perpetuis futuris temporibus maiorem eleemosynam ab iis, qui in dictarum domorum utriusque sexus Ordinis S. Francisci ecclesiis sepulturam eligebant et sepeliebantur, eâ, quam illis praescribit Concilium Tridentinum, sess. XXV, cap. XIII (iuxta explicationem a piae memoriae Pio Papa V praedecessore nostro, sub datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDLXVII, VII[1] kalendas iunii, pontificatus sui anno II), quovis praetextu aut occasione, etiam de consilio, consensu et mandato suorum Ordinariorum, exigere, nec filios, quorum patres in ecclesiis dictorum fratrum et monialium sepulti erant, aut sepulturam particularem pro se et suis habebant, in eorum parochialibus ecclesiis sepeliri, et dictos patres ad hoc ut in dictis parochialibus ecclesiis sepelirentur cogere valerent seu praesumerent: mandans propterea dilectis filiis causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, ac earumdem Indiarum Societatis Iesu provincialibus pro tempore existentibus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, ubi et quando opus foret, et quoties pro parte superiorum et fratrum cuiuscumque domus et monasterii dicti Ordinis fuissent requisiti, vel eorum aliquis fuisset requisitus, praedictas litteras et in eis contenta quaecumque solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, facerent apostolicâ auctoritate illorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper a quoquam, quavis

1 Erronee ut puto edit. Cherub. legit *ea* (R. T.).

1 Forsan legend. XVII, ut t. VII, p. 584 *a* (R. T.).

auctoritate, quomodolibet indebite molestari; contradictores quoscumque, et praemissis non parentes, eisque auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, dantes, per censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo; invocato etiam ad hoc, si opus foret, brachii secularis auxilio, et aliàs, prout in dictis litteris plenius continetur [1].

Nunc Urbanus ex causâ hic expressâ,

§ 2. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii fratris Ioannes Baptistae Sanchez moderni custodis provinciae Carthaginensis ac secretarii et in Romanâ Curiâ procuratoris dicti Ordinis petitio continebat, rerum usu compertum fuerit, quod praedicti provinciales (qui adeo pauci et propter negotiorum multitudinem detenti existunt, ac etiam propter locorum, in quibus pro tempore commorantur, distantiam, tum etiam ex eo quod provinciales prefati, nullos notarios, quorum operâ praedictae litterae et in eis contenta praemissis contrafacientibus intimari, illaque adimpleri facere possint, habentes, notariorum Ordinariorum locorum parochis potius quam praedictis religiosis adhaerentium operâ uti cogantur, quo fit ut dictarum litterarum executio non ita facile reportari possit) praemissis difficile intendere possint, id vero in grave maximumque dictorum religiosorum incommodum cedat; et, si praedictae litterae ac in eis contenta nobis committentur [2], multo facilius et citius dictarum litterarum executionem reportare possent; quare pro parte dicti Ioannis Baptistae nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus praedictorum religiosorum indemnitati, ac aliàs, in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

1 Quas vide loco citato in notâ ad rubricam (R. T.).

2 Forsan legendum *committerentur* (R. T.).

§ 3. Nos igitur, eumdem Ioannem Baptistam ac Ordinis huiusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon dictarum litterarum et inde legitime secutorum quorumcumque tenores ac datum praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, si et postquam dictae litterae vobis praesentatae fuerint, ad illarum executionem, servatâ aliàs earum formâ, auctoritate nostrâ procedatis, illasque exequamini et in eis contenta quaecumque adimpleri faciatis in omnibus et per omnia, perinde ac si illae vobis et non praedictis provincialibus a principio directae fuissent.

Praedictam Constitutionem comprobat, novosque exequutores deputat.

§ 4. Non obstantibus omnibus iis, quae dictus Paulus praedecessor in dictis litteris voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrariisque derogat.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXIV, XII kalendas aprilis, pontificatus nostri anno II [1].

Dat. die 21 martii 1624, pontif. anno I.

CLXXXVIII.

Confirmatio decreti Congregationis Concilii, quo statuitur, ut archidiacono ecclesiae Vilnensis, visitanti dioecesim nomine episcopi, non debeantur nec condonentur distributiones quotidianae [2].

1 Sed vel legend. anno I vel MDCXXV (R. T.).

2 Ex regest. in Secret. Brev.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Decretum Congregationis Concilii de quo in rubrica.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulum ecclesiae Vilnensis, quod nuper a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus sacri Concilii Tridentini interpretibus emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet:

Illustrissimi et Reverendissimi domini.

Capitulum Vilnense supplicat sacrae Congregationi, ut dignetur declarare: an archidiaconus visitans dioecesim lucretur distributiones quotidianas pro tempore quo ob eamdem visitationem abest a servitio eius ecclesiae cathedralis; an vero fructus tantum praebendae, quae est satis pinguis?

Item, an capitulum possit eidem archidiacono, ut proponitur, absenti condonare dictas distributiones, nec ne?

Sacra congregatio cardinalium Concilii Tridentini interpretum ad primum respondit, lucrari fructus praebendae, non autem distributiones quotidianas. Ad secundum: Non posse.

Cosmus cardinalis De Torre.
Prosper Fagnanus.

Loco ✝ sigilli.

Quod confirmari petitur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, capitulum praedicti[1] plurimum cupiant decretum praeinsertum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ, inviolabilique observantiâ, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri:

Confirmatur.

§ 3. Nos, capitulum huiusmodi specialis gratiae favore prosequi volentes, et eius singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus capituli huiusmodi nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum huiusmodi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, praedictum decretum necnon praesentes litteras valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dictae ecclesiae, eiusque capitulo huiusmodi in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 5. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibuscumque (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet et quandocumque emanatis, ac respective concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si de illis specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda esset, illorum

1 Sic habet edit. Main. (R. T.).

omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes; illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialitar et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII decembris MDCXXV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 28 decembris 1625, pontif. an. III.

CLXXXIX.

Erectio montis non vacabilis salis cum annuo redditu scutorum sex pro quolibet loco et amplissimis privilegiis[1].

Urbanus Papa VIII,
Motu proprio, etc.

Urbanus salis vectigal in Statu Ecclesiastico auxerat.

Quamvis ab initio nostri pontificatus, inter multiplices nostri pastoralis officii curas, ea praecipue nobis cordi esset, per quam camera nostra apostolica ab aere alieno, quo gravata reperitur, et populi nostrae temporali ditioni subiecti ab eis, quae sufferunt, oneribus aliquando sublevarentur et liberarentur: nihilominus huiusmodi nostrum propositum, ob christianorum principum discordias et bellorum motus nunc vigentes, non solum non potuimus exequutioni demandare, verum etiam pro Status nostri Ecclesiastici, et populorum praedictorum tutelâ et defensione ab exercituum incursione, et aliis imminentibus periculis, novum subsidium duorum quatrenorum pro qualibet librâ salis ordinarii et extraordinarii, quod in alma Urbe nostrâ, ac civitatibus Bononiae et Ferrariae, aliisque civitatibus et locis eidem ditioni nostrae mediate et immediate subiectis, venditur, per chirographum manu nostrâ sub die VIII mensis ianuarii proxime praeteriti subsignatum, magnâ cum animi nostri displicentiâ, imponere coacti fuimus, et modo dictum aes alienum augere cogimur et docemur, quanti referat in quae tempora quisquis incidat.

Modo, ad augendam pecuniam,

§ 1. Ad congerendam itaque pro ingentibus sumptibus per nos hisce temporibus fieri necessariis aliquam notabilem pecuniarum summam, super subsidio huiusmodi sic per nos imposito, ac aliis dictae camerae infra dicendis introitibus, novum montem quatuor millium septingentorum locorum non vacabilium et resignabilium annui redditus scutorum sex monetae pro quolibet loco, ut infra, erigere deliberavimus.

Montem non vacabilem super huiusmodi vectigalis redditibus erigit.

§ 2. Motu itaque simili ac ex certâ scientiâ nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, montem non vacabilem salis nuncupandum quatuor millium septingentorum locorum seu portionum resignabilium, ad instar aliorum locorum montium, et nunquam vacabilium, ad rationem scutorum centum similium pro quolibet loco, cum annuo redditu seu fructu dictorum scutorum sex monetae pro quolibet loco futuris montistis et creditoribus pro tempore existentibus praedicti montis salis quolibet bimestri in fine pro ratâ hîc Romae libere et absque ullâ prorsus exceptione persolvendorum, incipiendo a kalendis praesentis mensis iulii anni MDCXXV, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, erigimus et instituimus.

Dotem constituit.

§ 3. Et pro huiusmodi montis sic erecti et instituti congruâ dote et fructibus annuam summam scutorum viginti octo millium et ducentorum similium, videlicet scutorum decem et septem millium trecentorum septuagintaquatuor ex dicto subsidio per nos, ut praefertur, imposito (quod, quatenus opus sit, confirmamus),

1 De sale habes Const. XIX Pii V, *Dum ad uberes*, tom. VII, pag. 468; et Const. LXXV Gregorii XIII, *Ex incumbenti*, tom. VIII, pag. 193, quas confirmavit et ampliavit Clemens VIII in Const. CLVIII, *Frumenti*, tom. X, pag. 373.

reliquorum vero decem millium octingentorum vigintisex scutorum ex annuis censibus et responsionibus dohanarum et thesaurariae Patrimonii, thesaurariae Marchiae, postarum Status nostri Ecclesiastici, cancellariarum et secretariarum dicti Status, datii vini Bononiae, gabellae quatreni ad libram carnis dicti Patrimonii et provinciae Campaniae, ac carnis suinae et subsidii Umbriae, pro illis respective ratis quae pro alicuius debiti solutione nondum applicatae sunt, per dilectum filium magistrum Hieronymum Vidonum thesaurarium nostrum generalem depositario dicti montis salis assignandam, et respective per salariae almae Urbis et aliorum supra expressorum praedictae camerae introituum conductores pro tempore existentes libere et absque ullâ prorsus exceptione et diminutione de bimestri in bimestre anticipate pro ratâ, iuxta mandata per dictum thesaurarium eis facienda, persolvendam, ab ipsâ camerâ pari motu dismembramus et separamus; eamdemque summam praedictorum annuorum scutorum vigintiocto millium et ducentorum sic dismembratam et separatam, liberam, immunem et exemptam ab omni et quocumque ordinario et extraordinario onere, ex quavis causâ hactenus imposito vel pro tempore imponendo, praedicto monti salis applicamus, appropriamus, concedimus et assignamus, ac ut supra persolvi mandamus; venditionemque dictorum quatuor millium septigentorum locorum dicti montis per eumdem Hieronymum thesaurarium de mandato nostro sub die III praesentis mensis iulii, per acta pariter dilecti filii Dominici Fonthiae eiusdem camerae notarii, pro pretio scutorum quatuor centum septuagintaquatuor millium ducentorum quinquaginta monetae, dilecto filio Marcello Sacchetto factam, cum omnibus pactis et conventionibus in illius instrumento contentis, cuius instrumenti tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, confirmamus et approbamus; mandamusque secretario eiusdem montis, ut resignationes eorumdem locorum, per dictum thesaurarium seu praedictum Marcellum respective faciendas, libere recipiat et admittat, litterasque patentes ad favorem tam dicti Marcelli, quam eorum, qui ab eo dicta loca ement, pro primâ vice gratis ubique et absque ipsius secretarii et computistae dicti montis Mercedis, pietatisque carceratorum, abundantiae et collegii gabellâ seu emolumentorum solutione, quibuscumque eorum concessionibus et privilegiis non obstantibus, expediat.

Privilegia et exemptiones montistis concedit.

§ 4. Insuper praedictum montem salis et illius montistas pro tempore existentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, statuimus, decernimus et ordinamus. Quod loca eiusdem montis et eorum pretium et fructus pro quibusvis excessibus et delictis, etiam rebellionis, proditionis, assassinii, sacrilegii, laesae maiestatis et aliorum criminum, quantumvis gravium et enormium, non tamen in personam Romani Pontificis, aut alicuius ex sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus commissorum, minusque ex capite spoliorum confiscari, incamerari, aut fisco, seu dictae camerae applicari, seu incorporari, minusque eorumdem locorum fructus quoquo modo et ad instantiam cuiusvis personae, etiam dictae camerae, sequestrari possint, ad instar montis religionum, ac omnibus et singulis aliis privilegiis, exemptionibus, gratiis, facultatibus et indultis, quibus praedictus mons religionis, ac fidei, alumeriarum, subsidii triennalis, S. Bonaventurae, et alii montes camerales non vacabiles et illorum montistae utuntur, potiuntur et gaudent, ac quomodocumque in futurum utentur et gaudebunt, etiamsi notam magis specialem requirerent, quam praesentibus est ex-

pressum, praedictus mons salis sic erectus et illius montistae pariformiter uti, potiri et gaudere possint et debeant: Quodque mons ipse et illius loca redimi seu extingui non possint, nisi post lapsum quinque annorum a datâ praesentium proximiorum, et in casu extinctionis seu redemptionis dictorum locorum post dictum quinquennium, illorum extractio fieri debeat de more, et ad instar aliorum locorum montium; montistae vero extracti pretium locorum extractorum ad rationem scutorum centum monetae pro quolibet loco recipere teneantur, et, si neglexerint per quindecim dies post publicatam extractionem pretia dictorum locorum extractorum ad rationem praedictam recipere, eis pro dictis locis extractis fructus amplius non currant, et dicta pretia penes depositarium praedicti montis risico et periculo et fortunâ eorumdem montistarum sic extractorum remaneant iisdem ad eorum requisitionem consignanda:

Hunc montem ab omnibus omnino oneribus liberat,

§ 5. Quodque respectu fructuum et emolumentorum ad rationem praedictam dicto monti assignatorum praedictus mons et illius loca nullis omnino diminutionibus, reductionibus, retentionibus et quibusvis aliis contrariis dispositionibus, etiam praetextu urgentis necessitatis seu etiam evidentis utilitatis Sedis et Camerae Apostolicae, ex quavis causâ cogitatâ vel incogitatâ et de necessitate exprimendâ, durante dicto quinquennio subiaceant vel obnoxia sint, sed ab illis semper excepta intelligantur et cum effectu sint, nec aliquis ex ipsius montis creditoribus et montistis, illorumque haeredes et successores quicumque, seu ab eis quomodolibet causam habentes et habituri super locis et portionibus et illorum integris fructibus et emolumentis praedictis, quoquo modo turbari vel impediri, minusque ipsi ad pecunias in ipso monte positas et erogatas aut aliquam illarum partem in necessitatem seu utilitatem dictae camerae, aut alias quasvis causas conversas fuisse vel esse, aut aliqua alia etiam necessaria et requisita in iudicio vel extra illud probandum, deducendum, aut aliàs quomodolibet verificandum, ullo unquam tempore cogi possint, nec teneantur, minusque aliqua contraria probatio admitti vel obesse queat.

Cameram apostolicam pro evictione obligat.

§ 6. Et, pro praemissorum omnium et singulorum observatione et manutentione, ac quacumque dicti montis sic per nos erecti et illius locorum quorumcumque evictione et defensione generali et particulari, dictam cameram nostram apostolicam, illiusque introitus, redditus et bona, ac iura omnia generaliter, specialiter et expresse, ita tamen quod specialitas generalitati non deroget, nec e contra, in ampliori eiusdem camerae formâ obligamus et hypothecamus.

Thesaurarium eius camerae huius montis prout clerum deputat.

§ 7. Et, ut mons praedictus sic per nos erectus recte gubernetur et regatur, eumdem Hieronymum et alios pro tempore existentes thesaurarios generales protectores dicti montis, cum facultate deputandi ad vitam vel ad tempus, prout sibi magis benevisum fuerit, in secretarium et computistam dicti montis personas sibi benevisas, cum emolumentis per secretarium et computistam dicti montis religionum percipi solitis, et cum aliis facultatibus solitis et consuetis; depositarium vero eiusdem montis praedictum Marcellum Sacchettum, qui de solvendo fructus dicti montis cuilibet montistae eiusdem montis salis, modo et formâ, et prout eidem Hieronymo thesaurario visum fuerit, se obligare debeat, ad nostrum et successorum nostrorum Romanorum Pontificum beneplacitum, earumdem tenore praesentium, constituimus et deputamus.

Clausulae.

§ 8. Decernentes, praesentem nostri motus proprii cedulam, omniaque et singula praemissa, inviolabiliter, donec mons

ipse duraverit, observari, vimque et efficaciam habere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere; etiamsi nunquam in dictâ camerâ, et illius libris admittantur et registrentur; minusque contra illa de subreptionis vel obreptionis vitio, aut defectu nostrae intentionis, vel quovis alio vitio, defectu, aut nullitate dici vel opponi posse; sicque et non aliàs per quoscumque iudices etc., etiam congregationem montium, thesaurarium, praesidentes, clericos eiusdem camerae palatii apostolici et ipsius camerae auditores, necnon sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam camerarios et de latere legatos (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate), iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Symmachi, Pauli II, Pauli IV, Pii V et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae et camerae non alienandis, et de registrando, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac etiam iuramento et alio quovis robore vallatis statutis et reformationibus Urbis et camerae praedictae, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis concessis, approbatis et innovatis, decretis etiam consistorialibus, consuetudinibus, ceterisque contrariis dispositionibus: quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione etc., illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter ac de verbo ad verbum expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus.

Exemplis danda fides.

§ 10. Volumus insuper et decernimus, quod praesentis nostri motus proprii cedulae sola signatura nostra sufficiat, etiam absque aliâ datâ et registratâ, et ubique in iudicio et extra tam illa quam eius transumpta, etiam impressa, per aliquem ex camerae apostolicae notariis subscripta, sigilloque dicti thesaurarii munita, fidem faciant, ac si cedula originalis ipsa exhibita foret; et nihilominus litterae, tam in formâ Brevis quam sub plumbo, quandocumque expediri possint cum clausulis opportunis et extensionibus amplissimis, regulâ quacumque, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus.

URBANUS PAPA VIII.

CXC.

Deputatio Torquati de Comitibus in praefectum generalem armorum, necnon tormentorum bellicorum, et militum quos pro recuperatione fortalitiorum et aliorum locorum Vallis Tellinae comitatus Bormii conscribi contigerit, cum facultate recipiendi fortalitia, loca et arma in depositum nomine Sedis Apostolicae[1].

Dilecto filio nobili viro
Torquato de Comitibus duci Guadagnoli
Urbanus Papa VIII.
Dilecte fili nobilis vir,
salutem et apostolicam benedictionem.

Torquati virtus, reique militaris scientia.

§ 1. Singularibus tuae in nos et Apostolicam Sedem fidei et devotionis meritis, generis nobilitate coniunctis, et, quam in re militari hactenus ostendisti, virtute, solertiâ et fortitudine inducimur, ut praecipua tibi militaria munera committamus, sperantes in Domino, te in muneribus huiusmodi administrandis votis nostris cumulate responsurum.

Ei committitur, ut Vallem Tellinam nomine Sedis Apostolicae recipiat.

§ 2. Motu itaque proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, et dilecti filii nobilis viri Caroli Barberini nostri secundum carnem fratris ger-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

mani totius nostrae et sanctae Romanae Ecclesiae militiae gubernatoris generalis locumtenentem generalem militum et copiarum tam equestrium quam pedestrium, necnon tormentorum bellicorum, armorumque omnium, quae pro fortalitiorum, sive propugnaculorum Vallis Tellinae, comitatus Bormii, ac oppidi Chiavennae, aliorumque locorum, quae in felicis recordationis Gregorii Papae XV, praedecessoris nostri, sive nostris et Sedis Apostolicae manibus deposita fuerunt, recuperatione conscribi et moveri respective contigerit, cum omnibus et singulis praeeminentiis, auctoritatibus, iurisdictionibus, facultatibus, provisionibus, emolumentis, praerogativis, iuribus, honoribusque et oneribus solitis et consuetis ad prefecti generalis huiusmodi officium de iure vel consuetudine, aut ex speciali gratiâ, vel aliàs quomodolibet spectantibus et pertinentibus, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum facimus, constituimus et deputamus.

Cum facultatibus ad hoc necessariis.

§ 3. Tibique, ut propugnacula, sive fortalitia, oppida vel loca, quae recuperari contigerit, cum omnibus et singulis tormentis, armis, aliisque quibuscumque munitionibus et supellectilibus in illis existentibus, in depositum nostro et Sedis Apostolicae nomine, et titulo depositi, recipere, in iisdemque propugnaculis, sive fortalitiis, oppidis, vel locis recuperatis tot milites praesidiarios, necnon capitaneos et officiales (nobis et Apostolicae Sedi subditos dumtaxat, et non alteri), quot tibi pro illorum securitate et custodiâ necessarii esse videbuntur, collocare, necnon officialibus tuis et praesidio seu praesidiis ea ordinare, praecipere et mandare, quae pro fideli eorumdem propugnaculorum, sive fortalitiorum, oppidorum et locorum custodiâ necessaria erunt et opportuna, omni vigilantiâ et prudentiâ militari, et, si opus fuerit, alios milites ex Statu nostro Ecclesiastico pro praesidiorum supplemento, sive pro subsidio, conscribere et convocare, ceteraque omnia et singula, quae pro disciplinae militaris, ac propugnaculorum sive fortalitiorum, oppidorum vel locorum huiusmodi conservatione et custodiâ, ac aliàs in praemissis, et circa ea, necessaria et quomodolibet opportuna tibi esse videbuntur (etiamsi talia sint vel fuerint, quae magis specialem, specificam et expressam requirerent mentionem), et quae tu facere potes, similiter facere, dicere, gerere et exequi libere et licite valeas, auctoritate et tenore praedictis, plenam, liberam, amplam et absolutam facultatem, potestatem et auctoritatem concedimus et impartimur.

Mandatum de parendo.

§ 4. Mandantes propterea omnibus et singulis, tam particularibus capitaneis equitum et peditum militum et copiarum huiusmodi, quam ipsis equitibus et peditibus, ceterisque ad quos spectat, ut te in praefectum generalem huiusmodi debito cum honore iuxta tenorem praesentium recipiant et agnoscant, ac in omnibus illis, quae pro tempore mandanda duxeris, efficaciter pareant et obediant; dilectis vero filiis nostro et sanctae Romanae Ecclesiae camerario ac thesaurario et depositario generalibus, ut tibi de provisionibus, stipendiis et emolumentis praedictis suo tempore cum effectu respondeant, ac ab omnibus responderi curent et faciant. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Iuramentum ab eo praestandum.

§ 5. Volumus autem, ut, de hoc praefecti generalis officio fideliter exercendo in manibus nostris, aut nostri et Sedis Apostolicae in civitate Ferrariae de latere legati, debitum praestes in formâ solitâ iuramentum.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV ianuarii MDCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 14 ianuarii 1626, pontif. anno III.

CXCI.

Sequitur subrogatio Ioannis Baptistae Nari in locum Torquati de Comitibus locumtenentis generalis militiarum, armorum et propugnaculorum Vallis Tellinae in eventum recuperationis Comitatus Bormii [1].

Dilecto filio Ioanni Baptistae Naro, fratri hospitalis S. Ioannis Hierosoymitani,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Ioannes Baptistae Nari fides, aliaque merita.

§ 1. Singularibus tuae in nos et Apostolicam Sedem fidei et devotionis meritis, et, quam in re militari hactenus ostendisti, virtute, solertiâ et fortitudine inducimur, ut praecipuâ tibi militaria munera committamus, sperantes in Domino fore, ut in muneribus huiusmodi obeundis nostrae de te expectationi cumulate respondeas.

Recensetur Torquati de Comitibus facta deputatio.

§ 2. Cum itaque hodie dilectum filium Torquatum de Comitibus nobilem romanum militiarum et copiarum tam equestrium quam pedestrium, necnon tormentorum bellicorum, armorumque omnium, quae pro fortalitiorum sive propugnaculorum Vallis Tellinae comitatus Bormii ac oppidi Chiavennae, aliorumque locorum, quae in felicis recordationis Gregorii Papae XV praedecessoris nostri, sive nostris et Sedis Apostolicae manibus deposita fuerant, recuperatione conscribi et moveri respective contigerit, locumtenentem generalem cum facultatibus, ac sub certis modo et formâ tunc expressis, apostolicâ auctoritate ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum fecerimus, constituerimus et deputaverimus, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur:

Ei substituitur Ioannes Baptista Narius.

§ 3. Nos, si quid humanitus eidem Torquato eveniat, aut ipsum Torquatum, quominus muneri huiusmodi vacare queat, quomodolibet impediri, seu eum per nos ad alia munia obeunda designari contingat, felici militiarum et armorum huiusmodi regimini, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, te in omnes et singulos eventus praedictos, militum et copiarum, necnon tormentorum bellicorum, ac armorum omnium praedictorum locumtenentem generalem in locum dicti Torquati cum omnibus et singulis praeeminentiis, auctoritatibus, iurisdictionibus, facultatibus, provisionibus, emolumentis, praerogativis, iuribus, honoribusque et oneribus solitis et consuetis ad locumtenentis generalis huiusmodi officium de iure vel consuetudine, aut ex speciali gratiâ, vel aliàs quomodolibet spectantibus et pertinentibus, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, per modum provisionis, facimus, constituimus et deputamus.

Cum iisdem facultatibus.

§ 4. Tibique, ut propugnacula, sive fortalitia, oppida vel loca, quae recuperari contigerit, vel recuperata fuerint, cum omnibus et singulis tormentis, armis, aliisque quibuscumque munitionibus et suppellectilibus in illis existentibus, in depositum nostro et Sedis Apostolicae nomine, et titulo depositi, recipere, in iisdemque propugnaculis, sive fortalitiis, oppidis vel locis recuperatis tot milites praesidiarios, necnon capitaneos et officiales (nobis et Apostolicae Sedi [1] subditos dumtaxat, et non alteri), quot tibi pro illorum securitate et custodiâ necessaria esse videbuntur, collocare, necnon officialibus, quo-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Edit. Main. legit *Sedis* (R. T.).

cumque nomine nuncupatis, et praesidio ea ordinare, praecipere et mandare, quae pro fideli eorumdem propugnaculorum, sive fortalitiorum, oppidorum et locorum custodiâ necessaria erunt et opportuna, omni vigilantiâ et prudentiâ militari, et, si opus fuerit, alios milites ex Statu nostro Ecclesiastico pro praesidiorum supplemento, sive pro subsidio, conscribere et convocare, ceteraque omnia et singula, quae pro disciplinae militaris, ac propugnaculorum seu fortalitiorum, oppidorum vel locorum huiusmodi conservatione et custodiâ, ac aliàs in praemissis, et circa ea, necessaria et quomodolibet opportuna tibi videbuntur, etiamsi talia sint vel fuerint, quae magis specialem, specificam et expressam requirerent mentionem, et quae tu facere potes, similiter facere, gerere, et exequi libere et licite valeas, auctoritate et tenore praedictis, plenam, liberam, amplam et absolutam facultatem, potestatem et auctoritatem concedimus et impartimur.

Mandatum de parendo.

§ 4. Mandantes propterea omnibus et singulis, tam particularibus capitaneis equitum et peditum militum et copiarum huiusmodi, quam ipsis equitibus et peditibus, ceterisque ad quos spectat, ut te in eventus praedictos in locumtenentem generalem huiusmodi debito cum honore, iuxta tenorem praesentium, recipiant et agnoscant, ac in omnibus illis, quae pro tempore mandanda duxeris, efficaciter pareant et obediant; dilectis vero filiis nostro et sanctae Romanae Ecclesiae camerario ac thesaurario et depositario generalibus, ut tibi de provisionibus, stipendiis et emolumentis praedictis suo tempore cum effectu respondeant, ac ab omnibus responderi curent et faciant. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Iuramentum ab eo praestandum.

§ 5. Volumus autem, ut, de hoc locumtenentis generalis officio fideliter exercendo, in manibus nostris, aut nostri et Sedis Apostolicae in civitate nostrâ Ferrariensi de latere legati, debitum praestes in formâ solitâ iuramentum.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV ianuarii MDCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 14 ianuarii 1626, pontif. an. III.

CXCII.

Quod fratres Reformati Discalceati Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum Hispaniae, in Africa et aliis turcarum partibus possint celebrare super altare portatili, et antequam illucescat dies, ac etiam absolvere fideles a casibus reservatis, necnon eisdem indulgentias impartiri[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Causae huius constitutionis.

Cum, sicut dilectus filius procurator generalis fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum congregationis Hispaniarum nobis nuper exponi fecit, quod[2] congregatio praedicta, iuxta laudabile ipsius institutum, eius religiosos in Africam, ut christifideles inibi[3] sub miserâ turcarum servitute constitutos, quos possunt ab illâ eximere, quaerant, eosque in Domino consolentur, ecclesiastica sacramenta illi administrent, ac eorum denique animarum saluti, quibus possunt, rationibus incumbere valeant, mittere intendat[4]:

Concessio facultatum;

§ 1. Nos, ut iidem religiosi in commisso sibi munere huiusmodi ad eorumdem christifidelium spiritualem fructum utilius sese exercere valeant, supplicatio-

1 De his fratribus vide in Const. CCIII (in h. e. CCXIII) Clementis VIII, *Ad militantis*, tom. X, pag. 529.

2 Particula *quod* redundat (R. T.).

3 Edit. Main. habet *inhibi* (R. T.).

4 Edit. Main. legit *intendant* (R. T.).

nibus eiusdem procuratoris congregationis praedictae nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, religiosis mittendis huiusmodi, quod altare portatile cum debitâ reverentiâ et honore, super quo in locis Africae dumtaxat, honestis tamen et congruis, etiam non sacratis, et cum temporis qualitas id exegerit, etiam antequam illucescat dies, circa tamen diurnam lucem, in dictorum captivorum et aliorum fidelium in dictis locis degentium praesentiâ missas et alia divina officia celebrare;

Celebrandi super portatili;

§ 2. Omnesque et singulos eorumdem locorum utriusque sexus christifideles, ipsorum confessionibus diligenter auditis, a quibuscumque excessibus et delictis etiam in Bullâ in die Coenae Domini legi solitâ contentis, ac pro commissis per eos et eorum quemlibet poenitentiam iniungere salutarem;

Absolvendi a casibus reservatis;

§ 3. Necnon his, qui peccata sua confessi et de illis corde contriti fuerint, ac sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, quoties id fecerint, toties plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino elargiri, libere et licite valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facultatem impartimur.

Et expressas hîc elargiendi indulgentias.

§ 4. Necnon eosdem, qui durâ servitute illis in partibus oppressi pro tempore fuerint, quotiescumque ab Ecclesiâ Romanâ illius thesauros reserari et generales peccatorum remissiones per Romanos Pontifices, etiam praescriptâ fidelibus ad illas assequendas formâ et statuto tempore in eisdem adiecto, proponi contigerit, cum primum illarum ad eosdem captivos notitia pervenerit, aliqua agendo, quae naturali libertate privatum verisimile est facere, posse illas omnes consequi, quae alii fideles, tempus et formam exacte in illarum concessione tradita observantes, consequerentur, eisdem auctoritate apostolicâ et tenore volumus et declaramus.

§ 5. Decernentes, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque semper valida, firma et efficacia existere et fore, ac dictae congregationi, illiusque religiosis huiusmodi in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Clausulae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX ianuarii MDCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 20 ianuarii 1626, pontif. anno III.

CXCIII.

Confirmatio et approbatio Constitutionis Gregorii XV de electione Romanorum Pontificum, ac caeremonialis continentis illius ritus.

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Ad Romani Pontificis providentiam spectare dignoscitur, ut ea, quae salubriter a praedecessoribus suis, praesertim Sedis Apostolicae et universalis Ecclesiae decori et utilitati conducentia, statuta sunt, firma et inconcussa, quantum ex alto conceditur, perseverent.

Prooemium.

§ 1. Cum igitur formam in eiusdem Pontificis electione servandam sacrorum conciliorum decretis et variis apostolicis constitutionibus saepius praescriptam felicis recordationis Gregorius Papa XV praedecessor noster pastorali sollicitudine permotus, ut res tanti ponderis postulabat, perfectius dirigendam duxerit constitutione desuper editâ, cuius tenor est talis: *Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Æterni Patris filius, magister et legislator Christus Dominus*, etc. *(Omittitur residuum quod legitur*, tom. XII, pag. 619).

Gregorius XV Constitutionem edit de electione Pontificis.

Et deinde caeremoniale formal et approbat.

§ 2. Et successive idem Gregorius praedecessor caeremoniale ritus dictae electionis continens de eius mandato compositum confirmaverit, cuius tenor sequitur: *Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum Pontificem*, etc. *(Reliquum huius Constitutionis cum suo caeremoniali habes*, ibid., pag. 662):

Utrumque confirmat Urbanus.

§ 3. Nos, qui, ut rei tam arduae negotium rite et recte procederet et absolveretur, intentis studiis desideravimus, cum primum (nullis licet suffragantibus meritis) ad summi apostolatus apicem assumpti fuimus, animo revolventes, quantam in omnium animis constitutionis exequutio et caeremonialis praedictorum usus approbationem excitarit, ut constitutio et caeremoniale praedicta, nostrâ etiam confirmatione roborata, inviolabiliter semper observentur, providere cupientes, ex merâ animi nostri deliberatione, et de apostolicae potestatis plenitudine, ac de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio et assensu, constitutionem et caeremoniale praedicta cum omnibus et singulis in eis et eorum quolibet contentis clausulis et decretis hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione, apostolicâ auctoritate, perpetuo confirmamus et approbamus.

Servarique mandat.

§ 4. Eaque etiam perpetuo in omnibus futuris Romanorum Pontificum electionibus firmiter et inviolabiliter observari praecipimus et mandamus, ac derogationem in eâdem constitutione dicti Gregorii praedecessoris insertam semper vigere, suamque vim perpetuis futuris temporibus obtinere decernimus.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, eâ in parte, qua praesentibus adversentur, recolendae memoriae Alexandri Papae III similiter praedecessoris nostri in Lateranensi quae incipit: *Licet, de vitanda*, et quibuscumque aliis etiam in universalibus conciliis editis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac omnibus illis, quae dictus Gregorius praedecessor in constitutione et coeremonialis confirmatione praedictis voluit non obstare. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio ad hoc servanda foret, omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur et insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis quoad reliqua omnia, quae constitutioni dicti Gregorii et caeremoniali praedictis, et huic nostro praecepto, mandato et decreto non sunt repugnantia, in suo robore permansuris, harum serie de simili plenitudine potestatis derogamus et derogatum esse volumus, et hanc nostram derogationem suum pariter effectum perpetuo consequi iubemus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae confirmationis, approbationis, praecepti, mandati, decreti, derogationis, voluntatis et iussionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXV [1], quinto kalendas februarii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 28 ianuarii 1626, pontif. anno III.

Papae subscriptio.

✠ EGO URBANUS
CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

Et cardinalium subscriptiones.

† Ego Franciscus Maria episcopus Ostiensis, sanctae Romanae Ecclesiae car-

1 Ita etiam ed. Cherubin.; sed vel MDCXXVI legendum, vel pontif. anno II (R. T.).

dinalis a Monte, promitto, voveo et iuro.

†

† Ego Octavius episcopus Portuensis, sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis Bandinus, promitto, voveo et iuro.

† Ego Ioannes Baptista episcopus Albanensis, sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis Detus, promitto, voveo et iuro.

† Ego B. episcopus Sabinensis, cardinalis Bevilaqua, promitto, voveo et iuro.

† Ego A. episcopus Praenestinus, cardinalis Perettus, promitto, voveo et iuro.

†

†

†

† Ego Dominicus cardinalis Gymnasius tituli S. Laurentii in Lucina promitto, voveo et iuro.

†

† Ego Carolus cardinalis Madrutius tituli S. Caesarei promitto, voveo et iuro.

† Ego Scipio tituli S. Chrysogoni, presbyter cardinalis Burghesius, maior poenitentiarius, promitto, voveo et iuro.

† Ego Ioannes Garzia tituli Ss. Quatuor Coronatorum, presbyter cardinalis Millinus, promitto, voveo et iuro.

† Ego Marcellus tituli Ss. Quirici et Iulittae, presbyter cardinalis Lantes, promitto, voveo et iuro.

†

† Ego Ioannes Baptista tituli S. Caeciliae, presbyter cardinalis Lenius, promitto, voveo et iuro.

† Ego D. tituli S. Martini in Montibus cardinalis Rivarola promitto, voveo et iuro.

†

† Ego Fr. Aug. sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis tituli S. Mariae de Ara-coeli promitto, voveo et iuro.

† Ego Gaspar tituli S. Crucis in Hierusalem, presbyter cardinalis Borgia, promitto, voveo et iuro.

†

† Ego F. Felix tituli S. Anastasiae, presbyter cardinalis Asculanus, promitto, voveo et iuro.

†

† Ego Gabriel tituli S. Bartholomaei in Insula, presbyter cardinalis de Treio, promitto, voveo et iuro.

†

†

† Ego Iulius tituli S. Sabinae, presbyter cardinalis Sabellus, promitto, voveo et iuro.

† Ego Melchior tituli S. Mariae de Pace, presbyter cardinalis Kleselius, promitto, voveo et iuro.

† Ego S. presbyter cardinalis S. Susannae, sanctae Romanae Ecclesiae bibliothecarius, promitto, voveo et iuro.

†

† Ego Guido tituli S. Mariae de Populo, presbyter cardinalis Bentivolus, promitto, voveo et iuro.

†

†

† Ego Fr. Desiderius tituli Ss. Duodecim Apostolorum cardinalis de Cremona promitto, voveo et iuro.

† Ego Ludovicus tituli S. Laurentii in Damaso presbyter cardinalis Ludovisius, sanctae Romanae Ecclesiae vicecancellarius et SS. D. N. summator, promitto, voveo et iuro.

† Ego Cosmus tituli S. Pancratii, presbyter cardinalis de Torres, promitto, voveo et iuro.

†

†

† Ego F. A. cardinalis S. Honuphrii, sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis, promitto, voveo et iuro.

† Ego Laurentius tituli S. M. in Aquiro,

sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis Magalottus, promitto, voveo et iuro.

† Ego Aloysius tituli S. Pudentianae, presbyter sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis Caetanus, promitto, voveo et iuro.

† Ego Dionysius tituli SS. Trinitatis in Monte Pincio cardinalis de Marquemont promitto, voveo et iuro.

†

†

† Ego Laudivius cardinalis S. Sixti promitto, voveo et iuro.

†

†

†

† Ego Ioannes Dominicus Spinula cardinalis S. Clementis promitto, voveo et iuro.

† Ego Iacobus Cavalerius sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis S. Eusebii promitto, voveo et iuro.

†

†

†

†

†

†

† Ego C. S. Mariae in Vialatà diaconus cardinalis Pius promitto, voveo et iuro.

† Ego M. S. Eustachii diaconus cardinalis de Sabaudia promitto, voveo et iuro.

†

† Ego Alexander S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis Ursinus promitto, voveo et iuro.

†

†

†

†

† Ego Franciscus S. Angeli in Foro Piscium diaconus cardinalis Boncompagnus promitto, voveo et iuro.

† Ego Hyppolitus S. Mariae Novae diaconus cardinalis Aldrobandinus, sanctae Romanae Ecclesiae camerarius, promitto, voveo et iuro.

†

†

† Ego P. Maria Burghesius diaconus cardinalis tituli S. Gregorii, promitto, voveo et iuro.

† Ego L. Ss. Viti et Modesti diaconus cardinalis Biscia promitto, voveo et iuro.

†

Anno a nativitate D. N. Iesu Christi MDCXXVI, *indictione* VIII, *die vero* VI *mensis iulii, pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Urbani divinâ providentiâ Papae VIII, anno eius* III, *supradictae litterae lectae et publicatae fuerunt ad valvas basilicarum S. Ioannis Lateranensis et Principis apostolorum de Urbe, cancellariae apostolicae, et in acie Campi Florae per me Tarquinium Maionum cursorem, et per me Brandimartem Latinum praelibati Sanctissimi D. N. Papae ac R. E. et universalis inquisitionis cursorem, etc.*

AUGUSTINUS DE BOLIS Romanus
pro D. mag. DD. curs.

CXCIV.

Suppressio congregationis fratrum Reformatorum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium[1].

1 Fratres minores Conventuales Reformatos nihil proprium habere posse decrevit Pius V Constit. XCVI, *Ad extirpandos*, tom. VII, pagina 676. Eorumdem reformationem edidit idemmet Pontifex Const. CIV, *Illa*, ibidem pag. 691. Approbati fuerunt a Sixto V in eius Const. CVI, *Apostolici muneris*, tom. VIII, pag. 934. Quibus etiam praescripsit statuta ac ordinationes *ibidem*.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex, quem Salvator et Dominus noster omnium Ecclesiae suae ordinum patrem et pastorem constituit, ut iuxta verbum propheticum noxia evellat et destruat, utiliaque et salubria plantet et aedificet, ea interdum, quae certis etiam rationabilibus ex causis a Sede Apostolicâ sancita sunt, ipsâ subinde rerum experientiâ suadente, et ex maioribus causis, quibus praesertim felici religiosorum statui cum divini cultus incremento consulitur, revocat et immutat, in hisque sollicitudinis et providentiae suae studium interponit, prout rerum et temporum qualitatibus debite pensatis conspicit in Domino salubriter expedire.

Sixtus V statuta pro Conventualibus reformatis edita approbavit.

§ 1. Aliàs siquidem, felicis recordationis Sixto Papae V praedecessori nostro pro parte dilectorum filiorum fratrum Minorum Conventualium Reformatorum S. Francisci exposito, quod ipsi strictiorem vitam agere et se reformare coeperant, aliquosque conventus acquisiverant, et in iis sub obedientiâ protectoris et superiorum Ordinis huiusmodi vivebant, idem Sixtus praedecessor, ne ipsos fratres reformatos, eorumque congregationem super reformatione huiusmodi inquietari contingeret, supplicationibus eorumdem fratrum reformatorum nomine sibi humiliter porrectis inclinatus, reformationem praedictam ubicumque locorum coeptam et introductam, et ex tunc in dies introducendam, ac pro eâ et illius felici directione facta statuta et ordinationes, cum inde sequutis quibuscumque, apostolicâ auctoritate perpetuo approbavit et confirmavit, nonnullaque alia fecit, statuit et ordinavit sub certis modo et formâ tunc expressis, prout in dicti Sixti praedecessoris sub plumbo desuper, subdatum Romae, apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicae MDCLXXXVII, idibus octobris, pontificatus sui anno III, seu alio veriori tempore, expeditis litteris, quarum tenores, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur [1].

Ortis tamen postea dissidiis,

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, ex congregatione fratrum Conventualium reformatorum huiusmodi, non ii in Ecclesiâ Dei spirituales fructus, qui sperabantur, prodierint, sed quamplures differentiae inter eosdem fratres reformatos, ac fratres Conventuales non reformatos dicti Ordinis ortae sint et vigeant ad praesens: nos, praemissis, quantum cum Domino possumus, obviare, ac aliàs desuper opportune providere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ex praemissis, aliisque iustis et rationabilibus causis animum nostrum moventibus, congregationem fratrum Conventualium reformatorum huiusmodi, omniaque et quaecumque illius officia et ministeria, necnon domus ac loca regularia quaecumque et in quibusvis provinciis existentia, ac ad eos spectantia, et statuta, consuetudines et decreta, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roborata, ac pariter privilegia et indulta generalia et specialia, quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis haberi volumus, quibuscumque illa sint concepta formulis, necnon irritantibus et aliis decretis ac vinculis munita, tenore praesentium, perpetuo supprimimus et extinguimus, ac quaecumque congregationi sic suppressae officia, administrationes et dignitates tollimus et abrogamus, ab eisque domos, conventus et loca, ac bona immobilia, mobilia et semoventia, ubique gentium constituta, sacram quoque et communem suppellectilem, ipsorumque omnium usum, usumfructum, administrationem, ac pos-

Urbanus Congregationem reformatorum supprimit.

1 Quas vide loc. cit. in notâ ad rubricam (R. T.).

sessionem spiritualem et temporalem, necnon ius et actionem eis quomodolibet competentia, apostolicâ auctoritate, earumdem tenore praesentium, auferimus et ablata esse et censeri volumus: necnon domos, conventus, loca, supellectilem, bona, res, actiones et iura praedicta, eorumque proprietatem, Ordini fratrum Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum, auctoritate et tenore praedictis concedimus et assignamus.

Reformatis ad Cappuccinos transitum permittit.

§ 3. Insuper volumus, ut fratres reformati praedicti ad fratres dicti Ordinis S. Francisci Cappuccinos seu de Observantiâ nuncupatos, tam de familiâ quam reformatos, infra duos menses a die publicationis praesentium, si id eis videbitur et benevolos invenerint receptores, transeant, et quilibet eorum transeat, ibique per superiores domorum huiusmodi, quas ipsi elegerint, recipiantur, ac ad eorum habitum et professionem regulares, etiam absque alio novitiatu, admittantur: transire autem nolentes dilecto filio ministro generali dicti Ordinis fratrum Conventualium per conventus sui Ordinis, retentâ tamen reformatione, arbitrio suo iuxta providam per eum desuper faciendam assignationem distribuendi facultatem concedimus.

Domum Neapolitanam excipit.

§ 4. Sub hac tamen suppressione et extinctione, aliisque praemissis, domum regularem Neapolitanam suppressae congregationis huiusmodi pro nunc comprehendi nolumus; sed, qui in eâ ad praesens sunt fratres de familiâ, ibi remaneant sub obedientiâ dicti ministri generalis: ita tamen quod de cetero illius superiores nullum ad habitum regularem, neque etiam in locum eorum, quos decedere contigerit, minusve alios suppressae congregationis huiusmodi fratres admittere possint, sub poenis, quoad receptos vel admissos, apostasiae, quo vero ad recipientes vel admittentes, privationis officiorum, necnon vocis activae et passivae eo ipso incurrendis.

In qua tamen novos fratres recipi vetat.

§ 5. Insuper domum S. Antonii de Padua nuncupatam de Urbe in capite domorum existentem, ac eius ecclesiam, cellas, hortos, viridaria, aquarum derivationes, aliasque officinas, necnon reliqua bona immobilia tantum illi adiacentia, ac quae ipsi fratres per praesentes suppressi inibi possident, camerae nostrae apostolicae applicamus et incorporamus, ac nostrae et successorum nostrorum dispositioni reservamus.

Domus vero Romanae bona camerae apostolicae addicit.

§ 6. Decernentes, praesentes litteras, etiamsi dicti fratres conventuales reformati huiusmodi per praesentes suppressi ad hoc vocati et auditi, ac causae propter quas praesentes emanarunt verificatae non fuerint, seu aliis quibusvis de causis, quantumvis urgentibus, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, retardari, invalidari, aut ex quovis quaesito praetextu vel colore ad terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque iuris, gratiae vel facti remedium impetrari, aut quemquam impetrato seu etiam motu et potestatis plenitudine similibus concesso, nullatenus uti posse sed easdem praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; necnon camerae praedictae ac dicto Ordini fratrum minorum Conventualium respective plenissime suffragari; ab omnibus vero ad quos spectat inviolabiliter observari debere; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis, auctoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae.

Obstantium derogatio.

§ 7. Non obstantibus nostrâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae congregationis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis generalibus et specialibus huiusmodi, necnon praedictis Sixti praedecessoris et quibusvis aliis litteris apostolicis, dictae congregationi, eiusque superioribus et personis, eorumque singulis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos et Sedem Apostolicam, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis in genere et in specie concessis, confirmatis et innovatis, ac *Mare magnum, Bulla aurea,* et aliàs quomodolibet nuncupatis, quorumcumque illae tenorum existant, per quas praesentibus non expressas vel totaliter non insertas effectus earumdem praesentium impediri valeat quomodolibet, vel differri, et de quibus, earumque totis tenoribus habenda esset mentio specialis.

§ 9. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et dicti ministri generalis aut alicuius provincialis dicti Ordinis fratrum Conventualium sigillo munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI februarii MDCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 6 februarii 1626, pontif. anno III.

CXCV.

Confirmatio sententiae super rescissione contractus venditionis cuiusdam villae ad praeceptoriam seu commendam militiae de Calatrava spectantis[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Recenset suum praecedens Breve.

§ 1. Aliàs a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: *Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam. Aliàs felicis recordationis Paulo,* etc.

Seriemque facti.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Philippus rex nobis denuo exponi fecit, eo quod ex venditione et alienatione praedictis enormissima eidem militiae laesio illata fuerat, ut praefertur, venditio et alienatio villae et aliorum bonorum huiusmodi per praesentes litteras[1] rescissae et abrogatae; nulliusque roboris vel momenti esse; necnon Martinum de Alagon comitem et Henricum praedictos, uti praedicti Martini natos et haeredes, ad restituendum praedicto Philippo regi ac procuratori generali eiusdem militiae, necnon praeceptoriae seu commendae de Alcaniz praedictae, villam de Calanda, ac locum de Fox Calanda, Turrim de Algines, mas del Carmen et la Fox, unâ cum fortalitio ac palatio, necnon iuribus et iurisdictionibus civilibus et criminalibus, supremis et infimis, meroque et mixto imperio, aliaque omnia et singula in venditione et alienatione praedictis comprehensa, omnino teneri; ab eodem vero Martino, ac dilectâ in Christo filiâ Victoria Pimentel eius uxore, sive eorum natis et haeredibus, aliquam pecuniarum summam, respectu pretii venditionis et alienationis praedictarum, a Philippo rege seu procuratore generali aut militiâ sive praeceptoriâ vel commendâ praedictis, aut eorum nomine, peti vel recepi nullatenus posse; quinimmo, si quod ius illis ex oblatione dicti pretii competeret, illudque Martino comiti et Henrico praedictis, absque eo quod militia et praeceptoria seu commenda huiusmodi ad evictionem aliquam faciendam ulterius te-

1 Quomodo per *praesentes litteras* non intelligo; ceterum plures mendosas lectiones in seq. puto esse, quas difficile emendare (R. T.).

nerentur, retrocederent; ac quoscumque census, si qui per Martinum et Victoriam praedictos in solutionem pretii huiusmodi impositi fuissent, nullos declararunt; quo vero ad summam duodecim millium ac ducentorum ac quadraginta octo scutorum, ad rationem decem regalium monetae illarum partium pro quolibet scuto huiusmodi, quae occasione solutionis pretii venditionis huiusmodi clarae memoriae Philippo III Hispaniarum regi catholico pro totidem aliis, pro quibus ipse Philippus rex eidem Martino comiti eiusque fratri debitor existebat, remissa fuerunt, concessusque fuit recursus Martino comiti eiusque fratri praedictis ad praedictum Philippum regem pro illorum solutione ac manutentione tituli marchionis de Calanda huiusmodi; e contra vero respective praetensionum, quas militia ac praeceptoria seu commenda praedictae contra dictum Martinum comitem eiusque genitorem habebant, eumdem Martinum comitem ad solvendum respective summam quatuor quentos vulgo nuncupatos, ac centum septuaginta quinque millium et septingentorum nonaginta quatuor morapetinorum, ex fructibus decursis et decurrendis, statim ac solutio primae medietatis summae praedictae facta fuerit, ita ut mille ducati quotannis, donec dicta summa integre persoluta fuerit, solverentur, teneri, declaratum fuerit, prout in sententiâ huiusmodi plenius dicitur contineri; cupiat autem dictus Philippus rex, pro sententiae huiusmodi subsistentiâ et validitate, illam apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri:

Sententiamque rescissionis contractus venditionis ratam habet.

§ 3. Nos, eiusdem Philippi regis votis in praemissis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, eius hac in parte supplicationibus inclinati, sententiam in praemissis, ut praefertur, latam, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, quos illae concernunt, inviolabiliter observari debere; irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae militiae (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dâtum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX februarii MDCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 9 februarii 1626, pontif. anno III.

CXCVI.

Martiniani ac Furnenses Iprensis ecclesiae canonici aeque ac Morinenses nuncupati habiles redduntur ad dignitates in eâdem Iprensi ecclesiâ obtinendas [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Romanus Pontifex aequi bonique supremus assertor a Salvatore et Domino nostro, qui charitas est et Deus pacis, super universas orbis ecclesias constitutus, ut felici illarum regimini, gubernio, atque directioni, divinique cultus in eis augmento iuxta creditum sibi apostolicae servitutis officium iugiter invigilet, ea interdum, quae a Sede Apostolicâ sancita sunt, ipsâ subinde rerum experientiâ suadente, alterat et immutat, in hisque sollicitudinis et providentiae suae studium interponit, prout pia ecclesiarum praesulum et catholicorum principum vota id exposcunt, et ipse, omnibus rerum, temporumque qualitatibus debite pensatis, conspicit salubriter in Domino expedire.

Referuntur Pii Papae IV litterae super erectione episcopalis ecclesiae Iprensis.

§ 1. Aliàs siquidem a felicis recordationis Pio Papa IV praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

De statu ecclesiarum omnium, praesertim cathedralium insignium noviter erectarum, prospere et feliciter dirigendo attentius cogitantes, ad ea libenter intendimus, per quae illarum conservationi, decori et venustati, ac profectui, et illis praesidentium commoditati, ac aliarum in eis divinis obsequiis vacantium personarum opportunae subventioni consulatur: et interdum ea, quae a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus super his consulte gesta fuerunt, ex saniori consilio immutamus, ac desuper disponimus, prout, rerum et temporum ac personarum et regionum qualitatibus pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque, sicut accepimus, aliàs [postquam felicis recordationis Paulus Papa IV praedecessor noster (providi, vigilisque pastoris more considerans, quod ea pars inferioris Germaniae, quae charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico haereditario iure etiam tunc subiecta erat, pro tantâ oppidorum celeberrimorum frequentiâ, locorumque suorum multitudine, adeo paucas ecclesias cathedrales habebat, ut earum episcopi eâ, qua opus erat, diligentiâ tantam animarum multitudinem minime regere poterant; idque quibusdam hoc erat difficilius, quod ipsorum dioecesani linguae idiomate, institutisque differebant, et quidam eorum etiam huiusmodi privilegia habebant, ut ipsos ad sedem episcopalem non liceret evocare, ita ut nec fidei doctrinâ, et pie vivendi praeceptis commode instrui, nec, si quid deliquissent, facile corrigi ab episcopis suis possent; ad ipsos vero episcopos visitandos, admonendos, et in officio continendos nulla in totâ illâ regione ecclesia erat metropolitana; sed archiepiscopi extra fines ipsius ditionis existentes propter multa et varia impedimenta nulli suffraganeis suis usui iampridem erant, et propter assiduas insidias, dolos, pestiferasque doctrinas populorum haereticorum et schismaticorum, a quibus eadem regio omni fere ex parte cincta atque obsessa erat, catholica illic fides et animarum salus in maximo discrimine et periculo versabantur) his et aliis gravibus causis impulsus, volens etiam ipsius Philippi regis precibus annuere, ac tam pio eius desiderio satisfacere, habitâ, sicut rei magnitudo postulabat, cum fratribus suis,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

de quorum numero tunc eramus, deliberatione maturâ, de eorum consilio, et apostolicae potestatis plenitudine, Cameracensem, Traiectensem, Atrebatensem et Tornacensem ecclesias, civitates et dioeceses a Remensi et Coloniensi provinciis, quibus tunc erant metropolitico iure subiectae[1], ac Mechliniense, Iprense, Audomarense ac diversa alia tunc expressa oppida insignia dictae regionis a suâ quodque dioecesi et provinciâ, necnon ab ecclesiâ Morinensi eam partem dioecesis Morinensis, quae in Arthesiae et Flandriae comitatibus ditionis praefati Philippi regis erat, cum omnibus et singulis suis terminis, territoriis, cleris, populis, personis, monasteriis et piis locis, ac beneficiis ecclesiasticis, cum curâ et sine curâ, secularibus, et quorumvis Ordinum regularibus, perpetuo segregaverat, diviserat et separaverat; necnon Mechliniense, Iprense, Audomarense et reliqua oppida praefata, sic divisa, in civitates, Cameracensem vero et Traiectensem, tunc episcopales sedes, ac olim collegiatam sancti Rumoldi Mechliniensis ecclesias, in metropolitanas, ac olim monasterii sancti Martini Iprensis Ordinis S. Augustini canonicorum regularium, necnon S. Audomari Audomarensis, et certas alias aliorum oppidorum (in civitates erectorum) praefatorum ecclesias, in cathedrales pro totidem episcopis creandis, qui suae quisque ecclesiae praeessent, erexerat[2]; ac Iprensi et Audomarensi ecclesiis et civitatibus praefatis certos districtus, per nuncium suum postmodum ab eo illuc mittendum limitandos, pro suâ dioecesi perpetuo concesserat; necnon Iprensem, Mechliniensem, Audomarensem vero ecclesias, civitates et dioeceses antedictas, Atrebatensi ecclesiae[3] huiusmodi pro suâ provinciâ subiecerat; singulisque Iprensi et Audomarensi mensis episcopalibus annuum redditum trium millium ducatorum auri de camerâ ex certis decimis et bonis ac fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis, per dictum nuncium specificandis et repartiendis, ex tunc, prout ex a[1] die, et e contra, postquam specificati et repartiti, ac interim, donec specificatio et repartitio huiusmodi factae et effectum sortitae forent, et non ultra, cuilibet ex praedictis mensis pro earum dote alium redditum annuum mille et quingentorum ducatorum similium per ipsum Philippum regem ex redditibus et proventibus, quos ex dictâ regione percipiebat, Iprensi et Audomarensi episcopis pro tempore existentibus singulis annis (quousque specificatio et repartitio praefatae effectum sortitae non forent[2], ac pro eâ tantum parte, quae plenarium suum effectum minus sortita foret, nec ultra) integre et proportionaliter persolvendum, perpetuo applicaverat et appropriaverat; eidemque Philippo regi, suisque successoribus, qui pro tempore eiusdem regionis in temporalibus domini essent, ius nominandi Romano Pontifici personas idoneas, ac aliàs certis tunc expressis modo et formâ qualificatas, ad dictas Iprensem et Audomarensem ac alias cathedrales ecclesias sic erectas, tam a primaevâ erectione huiusmodi, quam quotiescumque illas pro tempore vacare contingeret, eidem praedecessori et Romano Pontifici, qui pro tempore foret, per eum in archiepiscopos et episcopos ad nominationem huiusmodi ordinandas, in perpetuum reservaverat per quasdam sub plumbo; et deinde per alias suas in formâ Brevis litteras venerabili fratri nostro, tunc suo, Salvatori episcopo Clusinensi, suo et Apostolicae Sedis nuncio in

1 Edit. Main. legit *subiecta* (R. T.).

2 Hanc vocem *erexerat* nos addimus (R. T.).

3 Ed. Main. legit *Atrebaten. ecclesiis* (R. T.).

1 Vel legendum *ex eâ*, vel simpliciter *ex*, aut simpliciter *a* (R. T.).

2 Ista verba *effectum sortitae non forent* addenda censuimus (R. T.).

partibus illis, dederat in mandatis, ut personas idoneas, qui dictas provincias et dioeceses distinguerent et limitarent, ac dotem dictarum ecclesiarum a monasteriis et praeposituris sub illis consistentibus dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi, vice suâ deputaret] dilectus filius noster Antonius S. R. E. presbyter cardinalis Atrebatensis nuncupatus, tunc episcopus Atrebatensis, ac quatuor alii scientiâ et probitate insignes, quos ipse Salvator episcopus et nuncius, dicto praedecessore interim de medio sublato, vigore seu praetextu mandati et posteriorum litterarum huiusmodi substituerat (licet forsan eorum aliqui de illis personis non essent quae ad id canonice subdelegari poterant), factâ nihilominus per eos diligenti rerum indagine, ac omnibus mature pensatis, animadvertentes, quod per dismembrationes bonorum in monasteriis et praeposituris praedictis, si fierent, cultus monasteriorum non mediocriter laederetur, ipsa monasteria et praeposituras mensis praedictis pro dote suarum ecclesiarum, ad hoc ut episcopi etiam illorum curam perinde atque suam propriâm perpetuo gererent, potius esse unienda, ac designationes et limitationes provinciarum, ac dioecesum, divisionesque et distributiones oppidorum et iurisdictionum, in nonnullis partibus ipsarum dioecesum, commodiores illis, quae per primodictas litteras statuuntur, necnon constitutiones et assignationes dotum, et denique numerum personarum ac dignitatum, praebendarum, beneficiorum et officiorum, statum quoque et formam in praefatis ecclesiis, etiam per huiusmodi dismembrationes, applicationes, suppressiones, translationes, novas institutiones et alias in universum accomodas rationes habendas, censuerint, et super maiori illorum parte processus, digestis rebus omnibus, formandos curaverint, et, inter alia, dictae ecclesiae Iprensi et pro tempore episcopo Iprensi districtus parochialium ecclesiarum, videlicet, in archipresbyteratu civitatensi S. Martini Iprensis, S. Mariae de Priela, S. Petri Iprensis, S. Iacobi Iprensis, S. Nicolai Iprensis, S. Ioannis apud Ipras; in decanatu Warnestensi, Varnestensis *(Sequuntur nomina locorum diversorum decanatuum* etc.)[1]:

Nos [qui dudum inter alia voluimus, quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, quique nuper cathedralem ecclesiam Morinensem, certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutam, ac sedem illius episcopalem, et in eis omnia et singula episcopalia iura, et cathedralis ecclesiae insignia (pro eo quod aliàs per conditiones pacis inter praefatum Philippum et clarae memoriae Henricum Francorum reges firmatae sub dictae Sedis beneplacito decretum fuerat, quod civitas Morinensis tunc solo aequata non restauraretur, sed illius ecclesia et dioecesis praefatae, ac beneficia, beneficiorum collationes et proventus in duas partes dividerentur, quarum altera Franciae, altera vero inferioris Germaniae esset) penitus suppressimus et extinximus, et dioecesim Morinensem, ac omnia et singula sub eâ et in decreto praedicto comprehensa, in duas partes, quarum una Franciae, altera vero inferioris Germaniae huiusmodi, iuxta dictum decretum, esset, et ulterius illam dioecesis Morinensis partem in inferiori Germania huiusmodi existentem, cum bonis, censibus, feudis, decimis, aliisque proventibus sub eâ comprehensis, qui valorem annuum duorum millium ducatorum auri de camerâ secundum communem aestimationem constituunt, in duas alias[2] aequales partes et duas alias dioe-

1 Heic aliquid deesse videtur, ex. g., *assignaverint* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *aliàs* (R. T.).

ceses divisimus et separavimus, ac Iprensi unam, Audomarensi vero ecclesiis ac mensis episcopalibus reliquam partes et dioeceses subdivisas huiusmodi pro suâ quaque dioecesi et parte dotis perpetuo applicavimus], attendentes quod, si priscis temporibus, dum dicti populi sensim accrescebant, de novis ecclesiis cathedralibus, optimisque praesulibus opportuno tempore prospectum fuisset, profecto tot perniciosa haeresum dogmata, quibus religio christiana passim laceratur et affligitur, haud ita violenter invaluissent; nunc autem, cum ad illa arcenda et extirpanda ac simul populos ipsos in sinceritate fidei continendos dictus praedecessor nulla alia aeque opportuna remedia potuerit adhibere quam supradicta, ut ea iuxta cordis sui atque nostri desiderium promptos et felices sortiantur effectus, etiam nostri ministerii partes praemissis adiicere, ac illa omnibus aliis, quibus possumus, rationibus iuvare et promovere volentes; necnon bonorum, dignitatibus ac canonicatibus et praebendis infrascriptis per praesentes applicandorum, fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores, necnon singularum litterarum, processuum et scripturarum praedictorum veriores tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes; continuis etiam hortationibus dicti Philippi regis, id pro salute dictorum enixe prosequentis, excitati: Motu proprio et ex certâ scientiâ, ac etiam de apostolicae potestatis plenitudine, divisionibus, limitationibus et distributionibus subdelegatorum huiusmodi in dictis processibus specificatis tamquam in melius reformatis inhaerendo, ac priores litteras huiusmodi quoad infrascripta immutando, omnia et singula supradicta oppida, castra, villas, loca, iurisdictiones, districtus et iura, in posteriore designatione subdelegatorum huiusmodi comprehensa, cum ecclesiis, monasteriis, collegiis et locis ecclesiasticis, ac secularibus et regularibus, aliisque personis et populis, ceterisque sub eis comprehensis, praefatae ecclesiae Iprensi iuxta posteriorem designationem huiusmodi, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo concedimus et assignamus: Necnon in monasterio S. Martini praefato, cuius ecclesia in cathedralem ecclesiam Iprensem erecta extitit, ut praefertur, etiamsi de illo consistorialiter disponi consueverit, seu debeat, nomen, titulum et denominationem abbatis, seu praepositi ad dignitatem abbatialem, seu praepositurae, statumque, essentiam et ordinem regulares, necnon cum primum illos, ac monasterium seu praeposituram S. Martini huiusmodi, per cessum vel decessum illa nunc obtinentium, etiam apud Sedem eamdem, aut aliàs quibusvis modis, et ex quorumcumque personis, etiam in aliquo ex mensibus, in quibus vacantium beneficiorum ecclesiasticorum dispositio nobis aut Romano Pontifici pro tempore existenti per constitutiones apostolicas vel cancellariae apostolicae regulas seu litteras alternativarum aut alia privilegia et indulta reservata existit seu fuerit, simul vel successive vacare contigerit, etiamsi actu nunc, ut praefertur, vacent, et tanto tempore vacaverint, quod illorum collatio et eiusdem monasterii S. Martini provisio iuxta Lateranensis statuta concilii aut alias canonicas sanctiones ad Sedem praefatam legitime devoluta, illique dispositioni apostolicae specialiter vel generaliter reservati existant, ac ipsius monasterii sancti Martini provisio ad eamdem specialiter vel generaliter pertineat, et ad illa consueverint qui per electionem assumi, eisque cura etiam iurisdictionalis immineat animarum, super eis quoque inter aliquos lis, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa) monasterium S. Martini, seu illius ac ec-

clesiae Furnensis olim Morinensis dioecesis praeposituras etiam principales, ac, qui pro parte dicti Philippi regis iuxta conditiones huiusmodi relicti sint, decanatum forsan maiorem, necnon poenitentiariam, cantoriam, scholastriam, thesaurariam, non maiores post pontificalem dignitates, necnon quinque canonicatus et quinque praebendas ex pluribus aliis suppressae Morinensis ecclesiae huiusmodi pro parte dicti Philippi regis per conditiones pacis huiusmodi inter alia etiam relictos, penitus supprimimus et extinguimus: Ac ex dictâ ecclesiâ Morinensi archidiaconatum Flandriae, dignitatem inibi non tamen post pontificalem maiorem, et ex quindecim cappellaniis[1] in ipsâ ecclesia Morinensi octo cappellanias per praedictos subdelegatos specificatas, ac decem eiusdem ecclesiae Morinensis pro parte dicti Philippi regis iuxta conditiones praefatas, relictas, et ex ipsâ Furnensi ecclesiâ, in qua triginta canonicatus et triginta praebendae cum decanatu existunt, decem alios canonicatus et decem praebendas similiter (quos primo per cessum vel decessum illos obtinentium, vel aliàs, simul vel successive vacare contigerit, aut etiamsi ad praesens vacent, et etiam tanto tempore vacaverint, quod similiter eorum collatio iuxta eadem Lateranensis statuta concilii ad Sedem eamdem legitime devoluta, ipsique archidiaconatus et capellaniae et canonicatus et praebendae eidem dispositioni apostolicae specialiter vel generaliter reservati existant, et ad illos consueverint qui per electionem assumi, eisque cura etiam iurisdictionalis immineat animarum, et super eis inter aliquos lis, cuius statum similiter praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa) ad dictam ecclesiam Iprensem pro uno archidiacono et totidem canonicis et cappellanis in dictâ ecclesiâ Iprensi transferimus: Ac in eâdem ecclesiâ Iprensi unum archipresbyteratum civitatensem (pro uno archipresbytero civitatensi, qui curam rectorum parochialium ecclesiarum, ac verbi Dei et sacramentorum per civitatensem[1] gerat[2]) et unam poenitentiariam dioecesanam nuncupandos, dignitates inibi non tamen post pontificalem maiores, pro uno poenitentiario dioecesano nuncupando, qui curam conscientiarum populi per dioecesim Iprensem habeat; et ulterius in ecclesiâ Iprensi huiusmodi unum decanatum, dignitatem inibi maiorem post pontificalem, ad suffragia omnium canonicorum eiusdem ecclesiae electivum, pro praeposito ipsius ecclesiae Iprensis, deinceps decano, loco suppressae praeposituraе huiusmodi, qui duplicem distributionem in choro percipiat; et unam cantoriam pro uno cantore, et unam scholastriam pro uno scholastico, et unam thesaurariam, etiam dignitates inibi non tamen post pontificalem maiores, pro uno thesaurario, ac duodecim alios canonicatus et duodecim alias praebendas pro duodecim aliis canonicis eiusdem ecclesiae Iprensis, etiam perpetuo erigimus et instituimus: Ac unum et unam ex decem canonicatibus et decem praebendis, ex ecclesiâ Morinensi, ut praefertur, translatis mensae Iprensi huiusmodi similiter perpetuo unimus, annectimus et incorporamus, ita quod episcopus Iprensis, illorum ratione, persona capitularis esse, ac vocem, auctoritatem et praeeminentiam, etiam in capitulo, supra decanum, et alias dignitates, ac canonicatus[3] et praebendas inibi obtinentes habere debeat, liceatque sibi illorum corporalem possessionem propriâ auctoritate libere apprehendere, et perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus et proventus in

1 Edit. Main. habet *cappellanis* (R. T.).

1 Videtur legendum *civitatem* (R. T.).

2 Vocem *gerat* nos addimus (R. T.).

3 Edit. Main habet *canonicatos;* forsan *canonicos* (R. T.).

suos et suae mensae huiusmodi usus et utilitatem convertere, cuiusvis licentiâ desuper minime requisitâ: Et ulterius eidem mensae Iprensi, pro suâ dote, huiusmodi bona et proventus trium ex quinque suppressis canonicatibus et praebendis ecclesiae Morinensis huiusmodi, ac ius praebendae Insulensis nuncupatae, ad episcopum Morinensem pro tempore existentem pertinens, sub dictis conditionibus comprehensa [1], quorum insimul septingentorum et quinquaginta, ac similiter omnia et singula bona suppressae praepositurae ecclesiae Furnensis, ac tot ex bonis et proventibus monasterii seu praepositurae S. Martini huiusmodi, quae unâ cum bonis suppressae praepositurae ecclesiae Furnensis huiusmodi valorem annuum mille constituant, et valorem annuum trium millium ducatorum similium pro dote mensae episcopalis Iprensis huiusmodi unâ cum praedictis complebunt; necnon archipresbyteratui, poenitentiariae, cantoriae, scholastriae et thesaurariae similiter medietatem aequis portionibus dividendam bonorum et proventuum cantoriae, scholastriae et thesaurariae suppressarum praedictarum, ac singulis duodecim praebendis, ut praefertur, erectis praedictis, tot ex reliquis monasterii seu praepositurae sancti Martini proventibus huiusmodi, quot pro competenti dote illorum ad aequivalentiam proventuum aliorum canonicatuum et praebendarum ecclesiae Iprensis huiusmodi opus fuerit, post obitum tamen religiosorum eiusdem, seu postquam illis aliunde provisum extiterit, eisdem interim sub curâ decani ecclesiae Iprensis huiusmodi remanentibus; praeterea decanatui medietatem proventuum decanatus ecclesiae Morinensis similiter pro parte dicti regis relictorum, ac praebendam et domum per decanum monasterii S. Martini praedicti haberi et possideri solitas, et tam illi quam archidiaconatui Flandriae huiusmodi unam, archipresbyteratui vero, poenitentiariae, cantoriae, scholastriae et thesaurariae praefatis sic erectis ac graduatis infrascriptis affectis novem canonicatibus et novem praebendis ecclesiae Iprensis huiusmodi reliquam medietatem bonorum et proventuum reliquorum duorum canonicatuum et praebendarum suppressorum praedictorum similiter ex nunc prout ex tunc, et e contra, pro dotis nomine, perpetuo applicamus et appropriamus: Necnon episcopo Iprensi domum monasterii seu praepositurae S. Martini huiusmodi, cum hortis et pertinentiis suis circumstantibus, pro suâ habitatione, ac illas ipsas quas [1] episcopus Morinensis pro tempore existens in eisdem Iprensibus ecclesiâ, civitate et dioecesi, prout sibi per divisiones huiusmodi contingit, et insuper quas abbas seu praepositus S. Martini monasterii, seu praepositurae, et praepositus ecclesiae Furnensis huiusmodi olim quomodolibet habebant, collationem, provisionem, praesentationem, electionem, institutionem, confirmationem, et quamcumque aliam dispositionem omnium et singulorum prioratuum, dignitatum, personatuum (exceptis infrascriptis affectis), canonicatuum et praebendarum, administrationum et officiorum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, secularium ac praedictorum et quorumvis aliorum Ordinum regularium, per eum et futuros praesules Iprenses, vel alium seu alios eorum nominibus, libere faciendas, etiam perpetuo reservamus, concedimus et assignamus: Et, ut ipse episcopus Iprensis suam ecclesiam personis eruditis, et ad iurisdictionem inibi exercendam, ceteraque munera ecclesiastica obeunda idoneis, debite instructam, iugiterque decoratam habeat; similiter per-

1 Edit. Main. h. *comprehensam*, f. *comprehensum*, (R. T.).

1 Vocem *quas* nos addimus (R. T.).

petuo statuimus et ordinamus, quod novem canonicatus et praebendae ex ecclesiâ Morinensi ad ecclesiam Iprensem translati huiusmodi, quos (suppressioni, applicationi et unioni aliorum trium canonicatuum et praebendarum mensae episcopali Iprensi huiusmodi loco facto) per cessum, etiam ex causâ permutationis, vel decessum, non tamen per obitum, apud Sedem praefatam, aut aliàs, vacare contigerit, vel etiamsi actu nunc quovis modo vacent, et dispositioni apostolicae specialiter vel generaliter reservati, ac sacerdotes[1] existant, et super eis inter aliquos lis, cuius statum praesentibus etiam haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, tribus magistris aut licentiatis in theologiâ, et tribus doctoribus decretorum, seu in eis licentiatis, et tribus nobilibus eius dioecesis etiam in iure vel theologiâ saltem gradu licentiaturae in famosâ quapiam universitate studii generalis, secundum tenorem primodictarum litterarum, promotis, ordine praemisso servato, in perpetuum concedi et assignari debeant; quodque ad sex priores, tam nobiles quam non nobiles, ut praefertur tamen qualificati, ad reliquos vero tres canonicatus et tres praebendas ex reliquis novem canonicatibus et totidem praebendis huiusmodi, nulli nisi nobiles et graduati, ut praefertur, assumi possint, ac omnes et singuli ratione suarum huiusmodi praebendarum consilium et operam in negocio ecclesiae et religionis, ceterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, quoties ab episcopo suo requisiti fuerint, tam coniunctim quam divisim, praestare teneantur; et archidiaconus, nisi praebenda archidiaconatui suo annexa sit, archipresbyter, poenitentiarius, cantor, scholasticus et thesaurarius praefati ex dictis novem graduatis ad nominationem episcopi Iprensis assumi, et, omnium primi post episcopum, vacaturos novem canonicatus et praebendas affectos huiusmodi, ordine in dictâ designatione expresso servato, consequi debeant; et, ut de viris spectatae doctrinae et probitatis ad aedificationem Ecclesiae Dei accuratius prospiciatur, quod ipsi novem canonicatus et novem praebendae, hac primâ vice dumtaxat per episcopum, et deinde, quoties illi futuris temporibus vacaverint, ut praefertur, ad electionem episcopi et aliorum graduatorum praedictorum superstitum per eos conferantur, et in huiusmodi electione suffragium episcopi non plus iuris seu momenti quam cuiusvis graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurrente, tuncque iteratum ad hoc episcopi suffragium paritatem vocum huiusmodi dirimat; quodque posthac ipsi novem canonicatus et novem praebendae sub nullis specialibus vel generalibus etiam mentalibus reservationibus, affectionibus, etiam in corpore iuris clausis, necnon expectativis, coadiutoriis, mandatis, facultatibus, indultis de providendo, commendando, et aliàs disponendo, primariis precibus nuncupatis, aut aliis gratiis praeventivis, per nos, aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, et dictam Sedem Apostolicam, vel eius legatos, etiam consideratione, contemplatione, intuitu, vel ad instantiam imperatoris, regum et aliorum principum, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, et ex quacumque causâ quantumlibet urgenti pro tempore factis et concessis, comprehendantur, nec etiam, tamquam vacantes apud Sedem Apostolicam praefatam, aut ullâ aliâ ratione, generaliter vel specialiter reservari, nec, illorum vacatione per resignationem etiam ex causâ permutationis apud Sedem eamdem pro tempore occurrente, per Romanum Pontificem aut Sedem eamdem de illis provideri, aut aliàs quoquo modo disponi possit, sed forma electionis praemissa omni tempore servari, nullâque

1 Videretur legendum *sacerdotales* (R. T.).

causâ infringi debeat; quodque unus ex novem canonicis praedictis magister seu licentiatus in theologiâ et alter decretorum doctor seu etiam licentiatus seniores, ratione suarum praebendarum, facultatem habeant visitandi per universam dioecesim Iprensem praedictam, quoties ab episcopo Iprensi, ceteri vero canonici graduati praedicti, quandocumque requisiti fuerint, illis assistere teneantur, ac ex reliquis senioribus canonicis praefatis duo in theologiâ et unus in iure canonico graduati, ut praefertur, unâ cum archidiacono curam habeant examinandi promovendos ad sacros ordines et admittendos ad curam animarum, quacumque auctoritate illi provisi fuerint, neminem, nisi idoneum, seque personaliter residentiam facturum medio iuramento promittentem, admittendo; et (quoniam nuper haereticorum studia, temporisque malitia, viros doctos ab ecclesiis suis diutius abesse non patitur) quod si canonici graduati praedicti ab ecclesiâ suâ, nisi ab episcopo vel capitulo missi, per duos menses abfuerint, integros suae praebendae fructus illius anni amittant et capitulo cedant; ac omnes proventus singularum praebendarum in duas aequales partes dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus, his solis, qui divinis officiis in choro deservierint, et inibi a principio usque ad finem, exceptâ necessitatis causâ, permanserint, ministrari debeat, nec quisquam ullâ dispensatione, vel alio privilegio apostolico quacumque causâ impetrato vel concesso, sese a residentiâ huiusmodi eximere possit (ceterum ecclesiae civitatis, sub curâ dicti archipresbyteri civitatensis, extra vero eam et in dioecesi Iprensi existentes, vel sub suis decanatibus seu archipresbyteratibus [1], aliisque iurisdictionibus, prout hactenus, remaneant, vel meliori modo arbitrio episcopi distribui, ipsorumque decanatuum decani, salvâ dicti episcopi moderatione, emolumenta hactenus percipi solita percipere possint); quodque archidiaconus Flandriae, in ipsâ ecclesiâ Iprensi institutus per cessum vel decessum praesentis possessoris, talem in dictâ ecclesiâ Iprensi iurisdictionem generalem, quae ibidem ab antiquis archidiaconis haberi et exerceri consuevit, obtinere et exercere debeat: Districtius inhibentes universis et singulis venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis abbatibus, ceterisque locorum Ordinariis, ac conventibus, superioribus et personis, necnon illi, vel illis, ad quem, vel ad quos suppressorum et translatorum praeposituarum, decanatus, archidiaconatus, cantoriae, poenitentiariae, scholastriae et thesaurariae, ac canonicatuum, praebendarum et cappellaniarum, aliorumque beneficiorum praedictorum collatio, provisio, seu quaevis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, et quibuscumque aliis, cuiuscumque dignitatis, status, ordinis et conditionis existentibus, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis maioris, aliisque sententiis, censuris et poenis, necnon privationis omnium dignitatum, officiorum et beneficiorum suorum, et inhabilitatis ad illa et alia imposterum obtinenda, ne de illis, si vacent, aut cum vacaverint, ut praefertur, cuique providere, aut aliàs disponere, seu praemissorum effectum et exequutionem in aliquo quantumcumque modico impedire, aut molestiam seu iniuriam quampiam irrogare quoquo modo praesumant: Ac decernentes, ex nunc plenum ius in praemissis omnino acquisitum esse, et super his beneficio regularum de non tollendo iure quaesito ac de annali et triennali possessore, necnon privilegiis omnibus, quibus diuturni possessores pacifici quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, plenarie

1 Edit. Main. legit *archipresbyteratus* (R. T.).

uti, potiri et gaudere debere; ac novem canonicatus et novem praebendas[1] eiusdem ecclesiae Iprensis sic affectos praedictos per quoscumque etiam praetextu mandatorum de providendo, nominationum, facultatum, etiam iuxta concordata nationis Germanicae, expectativarum et quarumcumque aliarum gratiarum quoquo modo minime acceptari[2] posse; et nihilominus quascumque acceptationes, collationes, provisiones, commendas, uniones, annexiones et incorporationes, ac alias dispositiones de eisdem et aliquibus eorum, etiam per nos et Sedem praefatam, quomodolibet factas et faciendas, nullius prorsus roboris vel momenti fore, nullumque per eas cuiquam ius acquiri, seu etiam coloratum titulum possidendi tribui posse; ac concessiones, assignationes, suppressionem, extinctionem, translationem, erectionem, institutionem, unionem, annexionem, incorporationem, applicationem, appropriationem, statutum, ordinationem, inhibitionem, decretum, ceteraque praemissa, ac praesentes litteras ex nunc omnimodum effectum sortita esse et censeri; nec sub quibusvis revocationibus, alterationibus, suspensionibus vel limitationibus similium vel dissimilium unionum, annexionum, suppressionum, extinctionum, etiam effectum non sortitarum, quae posthac per nos vel successores nostros tam in crastinum assumptionis cuiuslibet eorum ad summi apostolatus apicem, quam aliàs quomodolibet, ac cum quibusvis clausulis et decretis, quocumque tempore fient, includi; sed illis non obstantibus in suis vigore, robore et efficaciâ persistere, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restituta et de novo concessa; sicque incommutabilis voluntatis et intentionis nostrae fuisse, esse et fore; ac easdem praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, aut in ius vel controversiam quacumque ratione vel causâ vocari posse; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et eiusdem ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, in quavis causâ et instantiâ (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere; ac ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Mechliniensi et episcopo Amerinensi, ac dilecto filio decano ecclesiae S. Petri Cassetensis, Iprensis dioecesis, per apostolica scripta, motu simili, mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte moderni et pro tempore existentis episcopi Iprensis et aliorum, quorum interest et quomodolibet interierit in futurum, requisiti fuerint, seu eorum aliquis fuerit requisitus, solemniter publicantes, eisque et eorum cuilibet in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ episcopum Iprensem et alios praedictos concessionibus, assignationibus, suppressione, extinctione, incorporatione, applicatione, translatione, erectione, institutione, unione, annexione, appropriatione, statuto, ordinatione, decreto ac praesentibus litteris, et in eis contentis huiusmodi, pacifice frui et gaudere, ac alias litteras et in eis contenta huiusmodi firmiter observari; non permittentes illos seu eorum aliquem desuper per supradictos aut quoscumque alios quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per cen-

1 Erronee edit. Main. legit *praebendae* (R. T.).
2 Item eadem ed. habet *acceptare* (R. T.).

suras et poenas ecclesiasticas, appellatione postpositâ, compescendo, necnon, legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravandō, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstante voluntate nostrâ praedictâ, necnon Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII etiam praedecessoris nostri etiam de unâ, et concilii generalis de duabus, non tamen tribus dietis, aliisque apostolicis constitutionibus et ordinationibus, etiam in corpore iuris clausis, ac aliàs reservatoriis dictae cancellariae apostolicae regulis, etiam revocatoriis et revocatoriarum innovatoriis, ac in favorem Ordinariorum, et aliàs in contrarium quomodolibet editis et edendis, necnon singularum ecclesiarum ac monasterii et ordinis praedictorum (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, conservatoriis, exemptionibus et litteris apostolicis, ecclesiis, monasteriis, conventibus, ordinibus, superioribus ordinariis, aliisque collatoribus et personis praefatis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos et Sedem praefatam, etiam per viam generalis legis et statuti perpetui, necnon initi et stipulati contractus, seu quasi, et aliâs, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione vel ad instantiam supradictorum et quorumcumque aliorum, ac etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, necnon consistorialiter, ac aliàs quomodocumque et qualitercumque ac quotiescumque concessis, confirmatis ac etiam iteratis vicibus innovatis ac concedendis, necnon quibusvis specialibus vel generalibus reservationibus, etiam mentalibus, expectativis et aliis gratiis, unionibus, annexionibus et incorporationibus perpetuis vel temporalibus absque consensu coadiutorum, deputationibus, nominationibus, citra accessus et regressus, facultatibus, litteris, mandatis, concessionibus et indultis quibuscumque, etiam cum provisionibus et aliis dispositionibus, etiam cardinalibus, ac etiam nostris antiquis et descriptis familiaribus, et imperatoris, regum, ducum aut aliorum principum contemplatione vel intuitu, seu in eorum, aut ecclesiarum, monasteriorum ac aliorum ecclesiasticorum beneficiorum, vel etiam in nullius favorem, aut ob remunerationem laborum nobis et Sedi praefatae impensorum, aut in recompensam iurium cessorum vel ablatorum, aut aliàs quomodolibet, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ ac de apostolicae potestatis plenitudine, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, etiam attestativis mentis nostrae de illis non revocandis aut suspendendis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, de monasteriis, praeposituris, decanatibus, archidiaconatibus, cantoriâ, poenitentiariâ, scholastriâ, thesauriariâ, ac canonicatibus et praebendis etiam translatis, unitis et suppressis, ac cappellaniis et aliis beneficiis huiusmodi, concessis hactenus et imposterum concedendis: quas et quae, illorumque omnium vim et effectum, quoad hoc, omnino suspendimus, et in monasterio, praeposituris, decanatu, archidiaconatu, cantoriâ, poenitentiariâ, scholastriâ, thesauriariâ, ac canonicatibus et praebendis, cappellaniis et aliis beneficiis huiusmodi effectum sortiri aut locum sibi vendicare non posse neque debere decernimus; illisque, ac statutis, privilegiis, indultis et litteris supradictis,

etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliqui in Morinensi et Furnensi ecclesiis praefatis in canonicos sint recepti, vel, ut recipiantur, insistant, seu si, super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et praebendis ac dignitatibus ipsarum ecclesiarum ac huiusmodi, speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictae Sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum (quas quidem litteras, et processus habitos per easdem, et inde sequuta quaecumque, ad monasterium, praeposituras, decanatum, archidiaconatum, poenitentiariam, cantoriam, scholastriam, thesaurariam, ac canonicatus et praebendas, ac cappellanias et alia beneficia praedicta[1] volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem canonicatuum et praebendarum, ac dignitatum vel beneficiorum aliorum praeiudicium generari); et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri; et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis, assignationis, suppressionis, extinctionis, translationis, erectionis, institutionis, unionis, annexionis, incorporationis, applicationis, appropriationis, reservationis, statuti, ordinationis, inhibitionis, decreti, mandati, suspensionis, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDLX, v idus martii, pontificatus nostri anno II[1].

Episcopi Iprensis preces de habiles reddendo Martinianos, ac Furnenses ad dignitates suae cathedralis.

§ 2. Cum autem, sicut venerabilis frater Antonius episcopus Iprensis nobis nuper exponi fecit, inter Martinianos et Furnenses ecclesiae Iprensis canonicos praedictos non raro plures ad supradictas dignitates obtinendas aptiores ac magis habiles quam inter Morinenses canonicos huiusmodi inveniantur, et propterea, ut maiori ipsius ecclesiae, eiusque capituli decori atque ornamento opportunis rationibus peramplius consulatur, operae pretium futurum existimet, si Martiniani et Furnenses aeque ac Morinenses canonici praedicti ad supradictas dignitates de cetero obtinendas, si illi tamen doctores vel licentiati ac aliàs habiles existant, idonei apostolicâ auctoritate declarentur: nobis propterea tam dictus Antonius episcopus, quam dilecta in Christo filia nobilis mulier Isabella Clara Eugenia Infans Hispaniarum humiliter supplicari fecerunt, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Habiles declarat Pontifex.

§ 3. Nos igitur, piis Antonii episcopi et Isabellae Clarae Eugeniae Infantis praedictorum[2] desideriis, quantum cum Domino possumus, annuere, eosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et

1 Vocem *praedicta* nos addimus (R. T.).

1 Sed vel foret legendum anno I vel anno MDLXI (R. T.).

2 Edit. Main. legit *praedictarum* (R. T.).

quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum consilio: Quod de cetero perpetuis futuris temporibus canonici Martiniani et Furnenses praedictae ecclesiae Iprensis, si doctores vel licentiati ac aliàs habiles existant, ad supradictas dignitates aeque ac Morinenses canonici dictae ecclesiae Iprensis obtinendas idonei sint et esse censeantur, talesque ab omnibus et singulis, ad quos nunc quomodolibet spectat et pro tempore spectabit, habeantur et haberi debeant;

Clausulas necessaria apponit.

§ 4. Praesentes vero litteras, ac omnia et singula in eis contenta nullo unquam tempore, etiam ex eo, quod Morinenses canonici praedicti, seu quicumque alii in praemissis interesse habentes vel habere praetendentes ad hoc vocati et auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quovis defectu notari, impugnari, redargui, in ius vel controversiam vocari, aut ad viam et terminos iuris reduci nullatenus posse, sed ea omnia et singula perpetuo valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac Martinianis et Furnensibus canonicis praedictis in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari[1].

Exequutores deputat.

§ 5. Quocirca venerabili fratri Ioanni Francisco archiepiscopo Patracensi moderno et pro tempore existenti nostro et Sedis Apostolicae in Belgicis ditionibus nuncio per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte Martinianorum et Furnensium canonicorum praedictorum seu alicuius eorum fuerit requisitus, solemniter pubblicans, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostrâ Martinianos et Furnenses canonicos praedictos, et eorum quemlibet, praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere; non permittens eos desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria tollit.

§ 6. Non obstantibus praeinsertis Pii praedecessoris litteris, quoad ea quae praesentibus contrariantur, necnon recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII etiam praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae ecclesiae Iprensis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem ecclesiae, illiusque capitulo, canonicis, et quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis

1 Deest verbum *statuimus*, vel simile (R. T.).

etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quòmodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda esset, illorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque: aut si praedictis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolicâ sit Sede indultùm, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die I martii MDCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 1 martii 1626, pontif. anno III.

CXCVII.

Contra extrahentes, seu permittentes ut extrahantur libri ac etiam manuscripta a bibliothecis fratrum Ordinis Praedicatorum [1].

Urbanus Papa VIII.
ad perpetuam rei memoriam.

Causae huius Constitutionis.

Cum, sicut dilectus filius Lucas Castellinas, Ordinis fratrum Praedicatorum procurator generalis, nobis exponi fecit, quod hactenus compertum fuerit, nonnullos, conscientiarum suarum prodigos, libros ex bibliothecis domorum regularium dicti Ordinis furto subripuisse, ac subripere et seu extrahere, atque apud se uti proprios in grave animarum suarum periculum et dictarum bibliothecarum praeiudicium retinere:

Prohibitio de qua in rubricâ.

§ 1. Nos, praemissis, quantum nobis ex alto conceditur, obviare, et ipsarum bibliothecarum conservationi et manutentioni consulere volentes, supplicationibus dicti Lucae nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cetero quisquam, quavis auctoritate fungens, libros, quinterna, folia, sive impressa, sive manuscripta, bibliothecis domorum regularium dicti Ordinis hactenus donata, seu assignata, et in posterum donanda; seu assignanda, ex eisdem bibliothecis extrahere, seu ut extrahantur permittere, aut consentire, sub quovis quaesito colore, praetextu, vel ingenio, audeat seu praesumat, sub excommunicationis, necnon privationis vocis activae et passivae poenis, per contrafacientes eo ipso incurrendis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis et domorum regularium quarumcumque (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 3. Volumus autem quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae: quodque transumpta huiusmodi in valvis dictarum bibliothecarum, vel aliquo alio

1 Similem prohibitionem, pro conservatione bibliothecarum fratrum Minorum de Observantiâ Ordinis S. Francisci, fecit Sixtus V in Const. CIV, *Cum sicut*, tom. VIII, pag. 928. Cuius mitigationem habes impressam in compendio Bullarii a Flavio Cherubino edito sub schol. I praedictae constitutionis.

perspicuo loco, unde ab omnibus cerni possint, continuo affixa remaneant.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII martii MDCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 23 martii 1626, pontif. anno III.

CXCVIII.

Confirmatio indulti, a Sixto Papa V capitulo cathedralis ecclesiae Leodiensis concessi, eligendi ad praeposituras et abbatias tum eiusdem capituli, tum etiam collegiatarum illius civitatis et dioecesis, cum concessione alterius indulti quoad resignationes faciendas[1].

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a cleri Leodiensis dignitate desumptum.

Clerum Leodiensem ob eius amplitudinem et sinceram erga Sedem Apostolicam devotionem paterno affectu amplectentes, de eius privilegiis non conservandis tantum, sed et ampliandis libentissime cogitamus.

Recensetur indultum a Sixto Papa V capitulo cathedralis Leodiensis concessum.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum capituli et canonicorum maioris ecclesiae Leodiensis petitio continebat, quod aliâs [felicis recordationis Sixto V, praedecessori nostro, pro parte capitulorum dictae maioris ac secularium et collegiatarum ecclesiarum civitatis et dioecesis Leodiensis et quarumdam particularium personarum, exposito[2], quod, cum ipsa capitula (praetextu litterarum piae memoriae Eugenii Papae IV etiam praedecessoris nostri, quas vim concordatorum inter ipsas ecclesias et Sedem Apostolicam habere praetendebant, ac quibus inter alia caveri dicebatur expresse, electiones ad dignitatem maiorem post pontificalem in maiori, et principales in collegiatis ecclesiis huiusmodi electivas per tempora a iure statuta, expectari, illasque approbari et confirmari, vel infirmari debere, prout iustitia et aequitas suaderet, atque etiam praetextu litterarum recolendae memoriae Pii II et Sixti V, ac forsan aliorum Romanorum Pontificum, etiam praedecessorum nostrorum, quibus inter alia idem ipsis etiam de novo indultum esse concessum dicebatur, quibus etiam litteris praedicti Sixti V praedecessoris antiqua consuetudo approbata praetendebatur, quod tam maioris quam etiam fere omnium aliarum ecclesiarum praedictarum civitatis et dioecesis huiusmodi maior et principales dignitates praedictae aliis quam canonicis actu praebendatis ipsius ecclesiae maioris conferri aut commendari nequirent, quodque ab eisdem dignitatibus omnes aliae, praeter certas in dictis praetensis concordatis, indultis, et privilegiis expressas reservationes, erant exclusae), occurrentibus pro tempore vacationibus tam maioris quam principalium dignitatum huiusmodi, personarum idonearum ad illas electiones ad se legitime pertinere praetenderent; ac[1] postea inter provisos de illis auctoritate apostolicâ, et electos a praedictis capitulis ad easdem dignitates variae saepe lites et controversiae orirentur, prout ortae tunc erant, seu periculum erat, ne inter provisos a Sede praedictâ de aliquibus ex dictis dignitatibus et ad illas electos orirentur) idem Sixtus V praedecessor, supplicationibus sibi pro parte dictorum capitulorum desuper tunc porrectis inclinatus, per suas, sub datum Romae, apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDLXXXV, nonis maii, pontificatus sui anno I[2], expeditas litteras, concordata seu indulta et praedecessorum praedictorum litteras moderans et amplians, loco illorum, in perpetuum eisdem capitulis omnium tam maioris quam aliarum ecclesia-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Seq. expositio turbatissima est (R. T.).

1 Particula *ac* redundare videtur (R. T.).

2 Quas in *Bullario* esse non puto (R. T.).

rum civitatis ac dioecesis praedictarum, et eorum singulis, ut, occurrentibus vacationibus praeposituraruni et abbatiarum secularium nuncupatarum earumdem ecclesiarum tam scilicet maioris post pontificalem quam principalium dignitatum collegiatarum ecclesiarum huiusmodi, nisi illae pro tempore vacantes per reservationes in corpore iuris clausas, aut[1] personis inibi nominatim expressis, dispositioni apostolicae reservatae forent, ad liberam electionem personarum idonearum ad dignitates huiusmodi procedere libere et licite valerent, concessit et indulsit; necnon quod electio ipsa intra triginta dies a die vacationis huiusmodi computandos omnino fieri, et confirmatio inter sex menses a die electionis numerandos a Romano Pontifice pro tempore existente, a quo confirmari vel infirmari deberet prout aequitas et ratio suaderet, petenda esset, decrevit; proviso tamen quod sic confirmati Ordinariis ipsis debita praestarent iuramenta, obsequia et alia, ad quae de iure vel consuetudine tenerentur: insuper, ne ad praepositurani maioris ecclesiae praedictae, quae inibi dignitas post pontificalem maior, vel ad Ss. Petri, Martini, Pauli, sanctae Crucis, Ioannis, Dionysii et Bartholomaei civitatis Leodiensis, necnon Tongrensis, Huensis, Fossensis, S. Mariae Traiectensis, Masekensis, Visetensis, Amoniensis, Cinacensis, Dionatensis, Tudinensis locorum seu oppidorum dictae dioecesis, et B. Mariae Namurcensis ecclesiarum praeposituras et abbatias seculares, quae in collegiatis ecclesiis huiusmodi principales sunt dignitates, aliae personae praeterquam canonici eiusdem maioris ecclesiae actu praebendati et personaliter in eâ residentes, etiamsi aliam dignitatem in ipsâ maiori aut aliis ecclesiis praedictis obtinerent, eligi possent aut deberent, et ne quis eorum plures quam unam ex praeposituris seu abbatiis secularibus vel dignitatibus eiusmodi insimul retinere posset, perpetuo inhibuit et interdixit: decernens alias praedictas in corpore iuris clausas, et ratione personarum sic nominatim expressarum, ab ipso Sixto V, vel eius praedecessoribus, aut successoribus, pro tempore factas et faciendas, speciales et generales, de vacantibus et vacaturis beneficiis ecclesiasticis et dignitatibus huiusmodi reservationes, etiam per cancellariae apostolicae regulas, vel alias quascumque constitutiones vel ordinationes apostolicas, etiam perpetuas vel temporales, etiamsi in eis dignitates electivae nominatim et in specie reservatae, ac gratiae et indulta huiusmodi in specie expressa forent, ad dignitates praedictas minime extendi; sed, quoties illae emanarent, toties ipsa capitula in suum pristinum ius restituta et reintegrata censeri debere decrevit, et aliàs, prout in dicti Sixti V praedecessoris litteris, quas vim contractus inter ipsum et Sedem praedictam cum dictis capitulis initi habere voluit, plenius continetur.

Causae illud confirmandi.

§ 2. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, eadem capitula in possessione, seu quasi, iuris eligendi ad maiorem post pontificalem et principales dignitates ecclesiarum huiusmodi, iuxta formam dictarum litterarum existant, certumque sit, non parum ornamenti ipsis ecclesiis accedere, dum ad praedictas dignitates personae ex gremio capituli dictae maioris ecclesiae, quae inter insigniores christiani orbis ecclesias merito connumeratur, et in qua nullus nisi doctrinâ aut generis nobilitate conspicuus in canonicum admitti potest, assumuntur, maximeque verendum sit ne secus plerumque accidat, si liberum sit aut permittatur dignitates ipsas obtinentibus illas in sibi benevisarum personarum favorem resignare, aut si ad illas alii, quam ex dicto gremio, assumantur;

1 Videretur addenda praep. *pro* (R. T.).

Prout petitur.

§ 3. Quare, pro parte capituli et canonicorum maioris ecclesiae huiusmodi, et, qui ab ipsis pro eorum iuribus tuendis et defendendis ad nos et Sedem eamdem missi sunt, dilectorum filiorum Lamberti de la Motte pro-decani et Ernesti de Kerckemac-Zegheri a Groesbegh eiusdem maioris ecclesiae canonicorum, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in praemissis opportune providere, eosque amplioribus favoribus et gratiis prosequi de benignitate apostolicâ dignaremur:

Confirmat Urbanus, ac resignationes, resignatorumque huiusmodi beneficiorum provisiones nonnisi de eiusdem capituli licentia fieri posse declarat.

§ 4. Nos igitur, earumdem ecclesiarum decori et ornamento securius consulere volentes, ipsiusque capituli et canonicorum dictae maioris ecclesiae singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, dictas Sixti V praedecessoris litteras, illarumque totos et integros tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illasque, et in eis contenta quaecumque, salvâ tamen infrascriptâ ampliatione et extensione, approbantes et confirmantes, omnesque et singulos tam iuris quam facti et quosvis alios defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint in eisdem, supplentes, easque modo infrascripto, illis aliàs et quoad reliqua omnia in suo robore permansuris, ampliantes, et extendentes easdem, capitulo et canonicis dictae maioris ecclesiae, ut de cetero praepositura maior post pontificalem maioris, et Ss. Petri, Martini, Pauli, sanctae Crucis, Ioannis, Dionysii, Bartholomaei civitatis, necnon Tongrensis, Huensis, Fossensis, B. Mariae Traiectensis, Eyckensis, Visetensis, Amaniensis, Cinacensis, Dionantensis et Tudiniensis locorum seu oppidorum dictae dioecesis, et B. Mariae Namurcensis collegiatarum ecclesiarum praepositurae seu abbatiae seculares, dignitates inibi principales, in aliorum praeterquam canonicorum eiusdem maioris ecclesiae actu praebendatorum et personaliter in eâ residentium favorem, nisi etiam ad hoc capitulorum huiusmodi, ius seu privilegium eligendi habentium, seu maioris partis eorum accedat assensus, etiam causâ permutationis et concordiae, etiam in nostris vel Romani Pontificis pro tempore existentis, vel cuiusvis alterius ad id facultatem habentis, manibus, a nunc et pro tempore obtinentibus resignari, seu iurium in illis vel ad illas competentium cessionem[1] fieri, vel in illarum regimine et administratione aliorum, quam canonicorum dictae maioris ecclesiae actu praebendatorum et personaliter residentium, ac de consensu praedicto facienda[2], etiam apostolicâ et quavis aliâ auctoritate admitti, aut alii in coadiutores perpetuos et irrevocabiles in regimine et administratione dictarum dignitatum illas nunc et pro tempore obtinentium, etiam de eorum consensu et ad eorum instantiam, deputari nequeant; adveniente vero casu cessionis simplicis, seu ex decreto apostolico dimissionis in manibus nostris, seu alterius Romani Pontificis pro tempore existentis, de praedictis praeposituris seu abbatiis secularibus, canonicis dictae maioris ecclesiae dumtaxat, ac de capituli, ad quod ad praeposituram seu abbatiam secularem, de qua cessionem simplicem seu etiam ex decreto apostolico dimissionem pro tempore fieri contigerit, electio spectet, consensu, et non aliàs, provideri debeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus;

Ad eaque Sixtinum indultum extendit.

§ 5. Ac quascumque coadiutorum, etiam de consensu obtinentium, vel motu pro-

1 Potius legendum *cessio* (R. T.).

2 Hîc et postea emendet qui potest (R. T.).

prio, de cetero deputationes, etiam cum futurâ successione, necnon resignationes, cessionesque ac dimissiones huiusmodi, illarumque admissiones, et in illorum consequentiam (etiam sub praetextu, seu ex eo quod vacatio ex resignatione seu dimissione in manibus Romani Pontificis factâ et per eum admissâ oriens sub reservatione in corpore iuris clausâ comprehendatur aut comprehensa sit, ac propterea ab indulto dicti Sixti V praedecessoris, quod ad tales resignationes ac dimissiones et vacationes ex eis orientes, et quosvis dictarum dignitatum vacationum modos, etiam ex quibusvis, quaevis generales reservationes in corpore iuris clausae, ubicumque et quandocumque resultent, auctoritate et tenore praesentium extendimus, excepta dici, videri, censeri aut interpretari possit, aut etiam debeat[1]), ad quorumvis aliorum, quam dictae maioris ecclesiae canonicorum actu praebendatorum et personaliter residentium favorem, et de consensu capitulorum ad illas eligendi ius habentium, huiusmodi, etiam per nos et Sedem praedictam, etiam motu simili et de apostolicae potestatis plenitudine, etiam consistorialiter, cum praesentium derogatione, et quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, et aliis efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, de dignitatibus praedictis faciendas collationes, provisiones, commendas, commissiones, concessiones aut quasvis alias dispositiones, tamquam praeter mentem et intentionem nostram, et in praeiudicium dictorum capitulorum et praebendatorum, eorumque iurium et privilegiorum factas, nullas, invalidas, nulliusque roboris et momenti fore, nullumque per eas cuiquam ius, aut etiam coloratum titulum possidendi tribui;

Clausulas pro praesentium litterarum firmitate addit.

§ 6. Praesentes vero litteras de subreptionis vel obreptionis vitio, etiam ex eo, quod interesse forsan habentes, seu habere praetendentes, ad id vocati et auditi non fuerint, et causae, propter quas emanarint, iustificatae et verificatae non fuerint, notari non posse, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis excipi, perpetuoque validas et efficaces existere, et, quoties illas revocari, suspendi, aut contra eas aliquid disponi contigerit, toties in pristinum et validissimum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, seu de novo etiam sub quacumque posteriori datâ per dicta capitula quandocumque eligendâ concessas esse et fore, sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et nuncios, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, eisdem auctoritate et tenore decernimus.

Obstantia tollit.

§ 7. Non obstantibus praemissis, et, quatenus opus sit, similis memoriae Benedicti Papae XII pariter praedecessoris nostri, quae incipit *Ad regimen*, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictarumque ecclesiarum (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis) statutis et consuetudinibus, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis illis, eorumque capitulis, praesulibus et aliis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus et formis, specialis, specifica et individua, non autem per clau-

1 Quae inclusi parenthesi non intellige (R. T.).

sulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio ad hoc habenda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, harum serie specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Per praesentes autem non intendimus illis, ad quorum favorem praepositurae seu abbatiae seculares praedictae, vel earum aliqua seu aliquae, apostolicâ auctoritate concessae iam reperiuntur, praeiudicare; easdemque praesentes, quominus resignationes iam admissae, seu coadiutoriae iam concessae, suum debitum consequantur effectum, ullo modo in aliquo volumus non obstare.

Clausulae poenales.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam absolutionis, approbationis, confirmationis, suppletionis, ampliationis, extensionis, concessionis, indulti, decretorum et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXVI, sexto kalendas aprilis, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 27 martii 1626, pontif. anno III.

CXCIX.

Extensio indulti recitandi officium de beato Felice de Cantalicio ad omnes fratres Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Cappuccinorum ubique existentes.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Recensetur praecedens indultum.

Nuper, nomine dilectorum filiorum nobilium virorum Maximiliani Bavariae sacri Romani Imperii principis electoris ac Caroli Lotharingiae ducum respective, nec non Francisci a Lotharingia comitis Vademontani, dilectarumque in Christo filiarum nobilis mulieris Elisabethae Bavariae ducissae et Catharinae etiam a Lotharingia monasterii Sedi Apostolicae immediate subiecti S. Petri de Romaricomonte Ordinis S. Benedicti, nullius seu Tullensis dioecesis, abbatissae, necnon etiam ministri generalis et fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum, nuncupatorum, nobis exposito, quod bonae memoriae Felix de Cantalicio, eiusdem Ordinis, dum vixit, professor, multis et eximiis virtutum, gratiarum et miraculorum donis a Domino illustratus fuerat, eaque propter Maximilianus et Carolus duces, ac Franciscus comes, necnon Elisabetha ducissa et Catharina abbatissa, ac minister et fratres praedicti, nobis humiliter supplicari fecerant, ut, donec canonizationis honor dicto Felici de Cantalicio ob eius eximiam charitatem et excellentia merita, divinâ aspirante gratiâ, ab Apostolicâ Sede decerneretur, idem Felix de Cantalicio Beatus nuncupari, officiumque et missa de eo recitari et celebrari posset; nos, huiusmodi supplicationibus tunc inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, ut ipse bonae memoriae Felix de Cantalicio Beatus nuncupari, officiumque et missa de eo tamquam de communi Confessoris non Pontificis iuxta rubricas missalis et breviarii romani eo anno ab omnibus dicti Ordinis fratribus ubique existentibus, hîc autem Romae etiam a sacerdotibus ad ecclesias, eorumdem fratrum confluentibus, eorum superioribus benevisâ, in posterum vero die dumtaxat sui obitus, in ecclesiis fratrum praedictorum, videlicet in Nanceii, ac praedicto Romaricomontis, necnon Cantalacii oppidis ab eisdem fratribus tantum, Romae vero, ubi corpus requiescit, etiam a sacerdotibus ad ecclesiam dictorum fratrum confluentibus recitari et celebrari respective libere et licite posset et valeret, licentiam et facultatem apostolicâ auctori-

tale concessimus et impartiti sumus, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenores[1] praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur[2].

Extensio, de qua in rubrica.

§ 1. Nunc autem, dilecti filii procuratoris generalis dicti Ordinis ac ministri generalis fratrum praedictorum nomine nobis humiliter porrectis supplicationibus inclinati, de praedictorum cardinalium consilio, ut a fratribus eiusdem Ordinis universis et singulis ubique existentibus, Romae autem dumtaxat ab eis et a sacerdotibus ad ecclesiam ubi eiusdem B. Felicis corpus requiescit confluentibus[3] officium et missa de eo tamquam de communi Confessoris non Pontificis iuxta rubricas missalis et breviarii romani recitari et celebrari respective libere similiter et licite possit et valeat, licentiam et facultatem, dictâ auctoritate, tenore praesentium concedimus pariter et impartimur.

Contraria tolluntur.

§ 2. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptis additur.

§ 3. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX aprilis MDCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 9 aprilis 1626, pontif. anno III.

CC.

Declaratio, quod sancta Elisabetha regina Portugalliae Tertium Ordinem S. Francisci expresse fuerit professa.

1 Edit. Main. legit *tenore* (R. T.).
2 Quas vide supra pag. 372 (R. T.).
3 Vocem *confluentibus* addimus (R. T.).

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Instante procuratore generali fratrum minorum sancti Francisci de Observantia,

Cum, sicut dilectus filius Ioannes de sancto Bernardino, procurator generalis Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, nobis nuper exponi fecit, S. Elisabetham reginam, dum vixit, Portugalliae, quam nos aliàs divinâ aspirante gratiâ in Sanctorum numerum retulimus, Tertium Ordinem S. Francisci expresse professam fuisse plene constiterit, prout in processu, aliisque informationibus desuper fabricatis latius continetur, et propterea dictus Ioannes, ne ulli in hoc dubitationi locus unquam esse possit, per nos, ut infra opportune providere summopere desideret.

Declarat sanctam Elisabetham tertium Ordinem fuisse expresse professam.

§ 1. Nos, eumdem Ioannem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, eamdem S. Elisabetham Tertii Ordinis S. Francisci huiusmodi fuisse et esse, atque in omnibus pro tali ubique haberi et reputari;

Aliter iudicari prohibet.

§ 2. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo decernimus et declaramus.

Contraria subtrahit.

§ 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII aprilis MDCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 22 aprilis 1626, pontif. anno III.

CCI.

Praecipitur omnibus monachis Ordinis S. Benedicti, ut breviario et missali a Paulo Papa V approbatis utantur.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. In cathedrâ Principis apostolorum, nullis licet nostris suffragantibus meritis, divinâ providentiâ constituti, religiosorum Ordinum quorumcumque in Ecclesiâ Dei, praesertim sub gloriosi monachorum principis sancti Benedicti illustri vexillo militantium, prosperum statum, felicemque directionem sinceris desiderantes affectibus, in his, per quae religiosi ipsi debitas laudes Altissimo cum consensu et uniformi ritu persolvere valeant sedulo intendimus, ac desuper pastoralis officii nostri partes interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Orta quaestione inter monachos veteri ne an novo potius breviario et missali uterentur?

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, editis aliàs breviario et missali monasticis, de mandato felicis recordationis Pauli Papae V praedecessoris nostri reformatis pro omnibus monachis sub regulâ sancti Benedicti militantibus, praesidente ad hoc opus bonae memoriae Roberto S. R. E. cardinali Bellarmino nuncupato, cum assistentiâ etiam dilectorum filiorum procuratorum generalium totius Ordinis sancti Benedicti huiusmodi, eisque per monachos et capitulum generale dicti Ordinis congregationis Hispaniarum non solum receptis, sed etiam ultra annum in multis monasteriis in usu habitis; succedente novo abbate generali, qui novum missale huiusmodi dimitti et vetus continuari sub praecepto et censuris ordinaverat, res in capitulo generali dicti Ordinis de novo proposita fuerit; et, licet novus abbas huiusmodi pro suâ opinione a maiori parte capituli[1] obtinuerit, nihilominus ab eiusdem capituli decreto aliqui appellaverint, habitoque ad venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales sacris ritibus praepositos recursu, ac multa deducendo pro huiusce rei diffinitione insteterint:

Urbanus praecipit, ut edito temporibus Pauli V utantur.

§ 2. Nos, pro nostri pastoralis officii debito omnem in praemissis discordiarum materiam e medio submovere, pacique et quieti monachorum praedictorum, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, de eorumdem cardinalium consilio, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, breviarium et missale praedicta de mandato Pauli praedecessoris huiusmodi, ut praefertur, edita, ex quo semel ab initio acceptata sunt, de cetero perpetuis futuris temporibus omnino continuari, atque ita ab omnibus et singulis monachis praedictis inviolabiliter observari;

Et ut sic ab omnibus servetur et iudicetur.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices[2] ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus et declaramus.

Mandatum de parendo.

§ 4. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub privationis vocis activae et passivae, necnon officiorum per eos obtentorum, inhabilitatisque ad illa et alia imposterum obtinenda, aliisque arbitrii nostri poenis, dilectis filiis generali, ac aliis prioribus, abbatibus, praesidentibus, ceterisque Ordinis et congregationis huiusmodi superioribus, quocumque nomine nuncupatis, quatenus in omnibus et singulis utriusque sexus monasteriis,

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Forsan deest *vota* aut *suffragia* (R.T.).

2 Edit. Main. legit *iudicis* (R. T.).

conventibus, domibus, prioratibus, hospitiis, ecclesiis, hospitalibus, grangiis, ceterisque locis regularibus eorumdem Ordinis et congregationis, quantumvis exemptis et[1] privilegiatis, breviarium et missale, sic ut praefertur, edita, veteribus, quibus antea utebantur, omnino postpositis, recipiant, ac recipi et admitti, eisque deinceps, ad publice, privatimque in choro et extrà precandum, psallendum, ac missas, horasque canonicas celebrandas et recitandas, in omnibus et per omnia uti cum effectu curent et faciant; contradictores quoslibet, ac in praemissis non parentes, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus decreto capituli generalis praedicto, aliisque praemissis, et quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et, quatenus opus sit, Ordinis et congregationis huiusmodi (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus et litteris apostolicis, eisdem Ordini et congregationi, illorumque abbatibus, presidentibus, prioribus, superioribus et monachis, ac quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis specialis, specifica et expressa mentio habenda esset, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Edit. Main. legit *ex* (R. T.).

Fides danda transumptis.

§ 6. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII maii MDCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 7 maii 1626, pontif. anno III.

CCII.

Beatificatio venerabilis Servae Dei Mariae Magdalenae de Pazzis, cum facultate celebrandi missam et officium de eâ Romae et Florentiae[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In Sede Principis apostolorum, nullis licet nostris suffragantibus meritis, a Domino constituti, piis fidelium votis, quibus virtutum Dominus in servis et ancillis suis honorificatur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, prout in Domino conspicimus expedire.

Magnae Hetruriae ducis preces.

§ 1. Sane pro parte dilecti filii nobilis viri adolescentis Ferdinandi Hetruriae sibi subiectae magni ducis, ac dilectarum in Christo filiarum nobilium mulierum Mariae Magdalenae archiducissae Austriae et Christinae a Lotharingia Hetruriae similiter sibi subiectae magnarum ducissarum viduarum, necnon priorissae, ac monialium monasterii S. Mariae Angelorum nuncupati in burgo S. Fridiani civitatis Florentinae, nobis nuper expositum fuit, quod bonae memoriae ancilla Dei Maria Magdalena de Pazzis Florentina, monialis dicti monasterii, multis eximiis

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

virtutum et gratiarum ac miraculorum donis a Domino illustrata fuit. Quapropter Ferdinandus magnus dux, et Maria Magdalena archiducissa necnon Christina, magnae ducissae viduae, ac priorissa et moniales praedictae nobis humiliter supplicari fecerunt, ut, donec canonizationis honor dictae ancillae Dei Mariae Magdalenae ob eius excellentia merita divinâ aspirante gratiâ ab Apostolicâ Sede decernatur, eadem ancilla Dei Maria Magdalena Beata nuncupari, atque officium et missa de eâ ut infra recitari et celebrari possit.

Indultum, de quo in rubricâ.

§ 2. Quare nos, re prius per venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales sacris ritibus praepositos, quibus eam examinandam mandavimus, mature discussâ, de eorumdem cardinalium consilio, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut ipsa ancilla Dei Maria Magdalena in posterum Beata nuncupari, officiumque et missa de eâ tamquam de communi Virginis non Martyris iuxta rubricas missalis et breviarii romani in omnibus et singulis civitatis Florentinae ecclesiis, et hîc Romae pro praesenti anno dumtaxat in ecclesiâ S. Ioannis Baptistae nationis Florentinorum, in qua beatificationis huiusmodi solemnitas celebrabitur, in eiusdem ancillae Dei Mariae Magdalenae obitus, seu aliâ subsequenti non impeditâ die, a quibusvis clericis et presbyteris tam secularibus quam regularibus recitari et celebrari respective possit et valeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII maii MDCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 8 maii 1626, pontif. anno III.

CXCIII.

Confirmatio resolutionis quorumdam dubiorum circa XI, XVII *necnon* XXII *capita sess.* XXV De Regularibus *Concilii Tridentini per sacram Congregationem factae pro archiepiscopo Manilensi in Indiis*[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit venerabilis frater archiepiscopus Manilensis, quod, habito per eum ad venerabiles fratres nostros sanctae Romanae Ecclesiae cardinales sacri Concilii Tridentini interpretes super infrascriptis dubiis recursu:

Dubia ab archiepiscopo Manilensi proposita.

Primo videlicet, an iurisdictio, visitatio et correctio in cap. XI *De Regularibus,* sess. XXV, episcopis tributa super parochis regularibus, intelligatur eadem, quam super parochis secularibus habent; et ideo si dictos parochos regulares episcopus poterit compellere, ne excedant taxam ab ipso factam super emolumentis baptismatum, matrimoniorum, funeralium et aliorum, etiamsi ad hoc licentiam ab eorum superioribus regularibus vel capitulis provincialibus habeant:

Secundo, cum dictum concilium capite XVII *De Regularibus* eiusdem sessionis decernat, ut episcopus bis examinet, quae moniales fieri volunt, primo scilicet, quando habitum suscipiunt, secundo vero, tempore professionis, an hoc etiam intelligatur in monasteriis superio-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

ribus regularibus subiectis; et si episcopus eorumdem rectores compellere possit, ne habitum novitiae dent, nisi prius episcopum certiorem faciant, ut puellae voluntatem explorare valeat:

Tertio, cum idem concilium cap. XXII *De Regularibus* eiusdem sessionis, decernat, quod observentur et exequutioni mandentur omnia in praecedentibus viginti uno capitibus decreta, et inter alia non obstantia praesens existat, videlicet: *Atque etiam consuetudinibus vel praescriptionibus etiam immemorabilibus etc.,* an praedicta verba: *Atque etiam consuetudinibus etc.,* debeant intelligi, etiam de consuetudinibus post concilium introductis, sciente vel ignorante episcopo, taliter quod eidem episcopo in futurum praeiudicium inferre nequeant:

Quarto, cum dictum caput XXII inter alia contineat sequentia verba, videlicet: *Praecipit omnibus episcopis in monasteriis sibi subiectis, et in omnibus aliis in superioribus decretis specialiter commissis, etc., ut statim praefata exequantur,* an in dictis rebus regularium et monialium, in quibus ipsi episcopo tribuitur iurisdictio, episcopus dictos regulares cogere et compellere possit sub censuris, aliisque remediis opportunis, prout de iure:

Quinto, an a praedictis censuris, in regulares et moniales ab Ordinariis latis, possint ipsi regulares et moniales a suis superioribus absolvi:

Responsio Congregationis Concilii.

§ 2. Iidem cardinales ad primum dubiorum huiusmodi, in regulares curam animarum personarum secularium exercentes, in his quae dictam curam et sacramentorum administrationem concernunt, episcopum eâdem auctoritate uti posse, qua in parochos seculares; proindeque regulares ipsos in emolumentis, ut proponitur, legitime percipiendis prohibere posse, ne excedant taxam ab episcopo praescriptam: ad secundum, Ita esse intelligendum: ad tertium, Ita esse intelligenda: ad quartum, in omnibus, episcopo specialiter commissis in decretis sessionis praedictae *De Regularibus,* licere eidem episcopo ad illorum executionem regulares compellere etiam poenis et censuris ecclesiasticis: ad quintum, non posse absolvi a suis superioribus, responderunt et decreverunt, et aliàs, prout in eorumdem cardinalium decreto desuper emanato plenius dicitur contineri.

Quam archiepiscopus petit confirmari.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus archiepiscopus plurimum cupiat, decretum seu responsum huiusmodi, pro illius firmiori subsistentiâ, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri; ideo nobis humiliter supplicari fecit, ut eius desideriis huiusmodi annuere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmat Pontifex.

§ 4. Nos igitur, dictum archiepiscopum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum seu responsum praedictum apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerunt, supplemus.

Clausulae.

§ 5. Decernentes, decretum seu responsum huiusmodi necnon praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, quos illud concernit, seu concernet quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tolluntur.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quibusvis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX maii MDCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 9 maii 1626, pontif. anno III.

CXCIV.

Facultas regi catholico nominandi iudices ad cognoscendas causas inter archiepiscopum Elborensem et militias S. Iacobi et S. Benedicti de Avis vertentes, ipsi autem archiepiscopo tres ex nominatis iudicibus recusandi[1].

Charissimo in Christo filio nostro, Portugalliae et Algarbiorum regi catholico, Urbanus Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Onerosa pastoralis officii cura, nullo licet meritorum suffragio, humilitati nostrae inenarrabili Regis regum et Domini dominantium iudicio commissa postulat, ut non solum omnibus praesertim ecclesiasticis, regularibusque personis iustitiam aequaliter ministrare curemus, sed quandocumque lites, controversias et dissidia inter eas vigentes quiete praecidere studeamus.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Causae concedendi facultatem, de qua in rubrica.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, tu provide considerans, ex litibus, seu controversiis, quae inter archiepiscopum Elborensem, pro tempore existentem ex unâ, ac praeceptores seu commendatarios, fratres milites, officialesque, et alios ministros militiarum S. Iacobi et S. Benedicti de Avis regni Portugalliae, quarum tu perpetuus administrator apostolicâ auctoritate deputatus existis, ex alterâ partibus, de et super iurisdictione sive facultate visitandi et reformandi ecclesias seu personas dictarum militiarum, et quasi omnimodo illarum tam spirituali quam temporali gubernio, ratione privilegiorum et exemptionum eisdem militiis concessorum, nonnullorumque decretorum ac declarationum Concilii Tridentini, necnon sententiarum diversis temporibus ad favorem earumdem militiarum emanatarum, possessionumque immemorabilium, coram uno seu diversis iudicibus indecise pendentium[1], plurima detrimenta, non sine notabili ecclesiarum et personarum praedictarum cum spirituali tum temporali dispendio et christifidelium, scandalo provenire; ipsum vero archiepiscopum, necnon praeceptores, seu commendatarios, fratres milites, aliasque personas huiusmodi, ad litium dubios eventus, in iisque prosequendis labores et expensas subiri solitas evitandum, super litibus et controversiis inter eos vigentibus huiusmodi, et quae oriri possint tempore procedente, ad concordiam et amicabilem compositionem, maiestate tuâ mediante, facile deventuros esse, si nostra et Sedis Apostolicae facultas desuper suffragetur:

Concessio.

§ 2. Nos, qui in id semper intendimus, ut, sublatis litium et controversiarum occasionibus, ecclesiasticae et praesertim divino servitio mancipatae personae, quietam et tranquillam vitam traducentes, in tuendâ

1 Legerem *indecisae pendent* (R. T.).

pace atque unione christianâ, ceteris exemplum praebeant, praedictarum litium et causarum status et merita, nominaque et cognomina iudicum et collitigantium, ac alia de necessitate exprimenda praesentibus pro sufficienter expressis habentes, omnesque et quascumque lites et controversias inter archiepiscopum et priores, milites, commendatarios, conventus, mensas magistrales, aliasque quascumque personas dictarum militiarum, coram quibuscumque iudicibus ordinariis et delegatis, tam in Romana curiâ, quam extra eam, motas et quantumcumque instructas, ac etiam pro tempore movendas, ad nos et Sedem Apostolicam, quatenus opus sit, harum serie, in statu et terminis, in quibus reperiuntur, avocantes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac merâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eidem maiestati, ut partibus praedictis terminum viginti dierum ad consentiendum in sex commissarios, qui in dignitate ecclesiasticâ constituti, vel in aliquâ probatâ studii generalis universitate in iure canonico graduati sint, per te nominandos, auctoritate nostrâ praefigere; quo quidem termino elapso, et consensu per dictas partes non praestito, sex huiusmodi commissarios, ex quibus dictus archiepiscopus tres suspectos dare possit, eâdem auctoritate deputare; qui praedictas et quascumque alias cuiuscumque qualitatis existentis causas, etiam decimarum, iurispatronatus, praesentandi et providendi de quibusvis beneficiis ecclesiasticis et cappellis, necnon iurisdictionis tam spiritualis quam temporalis, bonorum, reddituum et territoriorum, tam mensam archiepiscopalem Elborensem quam militias et personas huiusmodi spectantium, extraiudicialiter, ac omni et quacumque appellatione, reclamatione et recursu remotis, concordare et componere, aliaque in praemissis necessaria et opportuna, etiamsi talia forent, quae magis specialem et specificam requirerent mentionem, facere, dicere, gerere et exequi libere et licite respective possint et valeant, plenam et absolutam auctoritatem et facultatem, dictâ auctoritate, tenore praesentium, tribuimus et impartimur.

Mandatum de parendo.

§ 3. Quidquid autem per eosdem iudices in causis huiusmodi, tam motis quam movendis, ut praefertur, concordatum, terminatum, stabilitum et compositum fuerit, firmum, validum et efficax esse et fore decernimus, et ad eius inviolabilem observantiam partes ipsas cogi et compelli, neque ullo unquam tempore sub quovis praetextu, et causâ ab illo resiliri posse praecipimus; partibusque ipsis desuper ex nunc, prout ex tunc postquam lites et controversiae huiusmodi concordatae fuerint, ut praefertur, perpetuum silentium imponimus;

Clausulae pro praesentium litterarum firmitate.

§ 4. Necnon praesentes litteras ex quacumque causâ de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quovis defectu notari, impugnari, annullari vel invalidari, aut aliàs quomodolibet infringi, seu retractari, aut in ius seu controversias revocari, aut adversus illas quodcumque iuris aut facti remedium impetrari nullatenus posse; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus quibuscumque aliis super praemissis commissionibus et litis pendentiis et constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiae et militiarum praedictarum (etiam iuramento confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis,

privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 6. Volumus autem et apostolicâ auctoritate decernimus, quod earumdem praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII maii MDCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 28 maii 1626, pontif. anno III.

CXCV.

Confirmatio unionis congregationis Oratorii Aquensis in Provinciâ Congregationi Oratorii Domini nostri Iesu Christi in regno Franciae[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis desuper apostolicae servitutis officio, ad ea, per quae piorum hominum Congregationes in militanti Ecclesiâ ad maiorem Dei gloriam provide institutae maioribus in dies proficiant incrementis, sedulo intendimus, ac desuper pastoralis officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Presbyteri Congregationis Oratorii Aquensis Congregationi in regno Franciae erectae cupiunt uniri.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii presbyteri et clerici Congregationis Oratorii in Ecclesiâ B. Mariae Virginis Aquensi in Provinciâ per felicis recordationis Paulum Papam V praedecessorem nostrum erectae et institutae, quod ipsi, pro feliciori eiusdem Congregationis statu atque regimine, eamdem Congregationem Congregationi Oratorii Domini nostri Iesu Christi, in regno Franciae apostolicâ auctoritate institutae a dilecto filio Petro Berul secundodictae Congregationis huiusmodi superiori generali, salvis tamen et illaesis remanentibus privilegiis, gratiis et indultis primodictae Congregationi per eumdem Paulum praedecessorem concessis, uniri atque incorporari, omnimodaeque eiusdem Petri moderni et pro tempore existentis superioris generalis huiusmodi iurisdictioni et superioritati, ad instar aliarum dictae Congregationis Oratorii Domini nostri Iesu Christi domorum, subiici obtinuerunt, prout in patentibus desuper confectis litteris plenius dicitur contineri.

Unit Pontifex.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, presbyteri et clerici praedicti plurimum cupiant unionem et incorporationem necnon subiectionem praedictas, pro maiori illorum[1] validitate, apostolicae confirmationis robore communiri, nos presbyterorum et clericorum praedictorum votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, unionem et incorporationem, ac subiectionem praedictas, et, prout illas concernunt, omnia et singula in dictis litteris

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Potius legerem *illarum* (R. T.).

contenta, licita tamen et honesta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerit, supplemus.

Clausulas apponit.

§ 3. Decernentes, praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat, inviolabiliter observari; sicque, et non aliter, in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantiaque tollit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac utriusque Congregationis huiusmodi (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX maii MDCXXVI pontificatus nostri anno III.

Dat. die 30 maii 1626, pontif. anno III.

CXCVI.

Avocatio quarumcumque causarum inter collectorem generalem spoliorum et commissarium cruciatae in regnis Portugaliae et Algarbiorum[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Nonnullas controversias inter collectorem spoliorum et commissarium cruciatae exortas,

§ 1. Cum, sicut non sine gravi animi nostri molestiâ accepimus, nonnullae differentiae inter dilectos filios magistrum Ioannem Baptistam Pallottum, in utrâque signaturâ nostrâ referendarium, ac iurium et spoliorum camerae nostrae apostolicae in Portugalliae et Algarbiorum regnis debitorum collectorem generalem, et seu eius auditorem, ex unâ, et Antonium Mascarenhas, indulgentiarum et gratiarum spiritualium et temporalium cruciatae eorumdem regnorum commissarium apostolicâ auctoritate deputatum, ex alterâ partibus, de et super facultate et iurisdictione ipsius Antonii commissarii, aliisque rebus in actis causae et causarum latius deductis, ortae fuerint et vigeant ad praesens, cumque ex supradictis plura scandala orta iam sint, et verendum sit ne in dies maiora oriantur:

Pontifex ad se avocat.

§ 2. Nos, qui in supremo iustitiae throno, meritis licet insufficientibus, per ineffabilem divinae sapientiae providentiam constituti sumus, praemissis, quantum cum Domino possumus, obviare, et uniuscuiusque iuribus consulere volentes, necnon differentiarum et aliarum rerum in actis huiusmodi deductarum praesentibus, perinde ac si specifice, specialiter et expresse insererentur et exprimerentur, pro sufficienter insertis et expressis habentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes et quascumque differentias et causas civiles, criminales et mixtas praemissorum occasione motas et introductas, ac in quibusvis tribunalibus pendentes et instructas, in statu et terminis in quibus reperiuntur, cum omnibus et singulis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, totoque negocio principali, ad nos harum serie avocamus.

Praecipitque collectori, ut inhibeat praedicto commissario, eiusque ministris, ne quid interim attentent.

§ 3. Necnon iurium camerae nostrae apostolicae in regnis praedictis collectori apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, committimus et mandamus, ut eidem Antonio Mascarenhas, et quibusvis aliis, ad quos nunc quomodolibet spectat, et spectare poterit in futurum, nostro nomine,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

sub excommunicationis latae sententiae, a quâ nonnisi a nobis et hac Sanctâ Sede, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi possint, necnon privationis omnium et quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum quomodocumque et qualitercumque qualificatorum, etiam speciali notâ et expressione dignorum, necnon dicti commissariatus cruciatae, et aliorum quorumcumque officiorum ac munerum per eos respective quomodolibet, et ex quibusvis concessionibus et dispensationibus etiam ab eâdem Sede obtentorum, perpetuaeque inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, ipso facto absque alfâ declaratione seu iudicis ministerio, incurrendis poenis, districte praecipiat, ne, donec aliter ab hac Sanctâ Sede statutum et ordinatum fuerit, quicumque circa causas et differentias, aliaque praemissa huiusmodi, quovis quaesito colore vel praetextu, seu ex quâcumque causâ, etiam quantumvis privilegiatâ, attentare, seu aliàs quomodolibet innovare, et praesertim licentias sacrosanctum missae sacrificium in privatis domorum oratoriis celebrandi vel celebrari faciendi concedere, audeant seu praesumant.

Et si qua illi attenta verint, irrita declarat.

§ 4. Nos enim, si quicquam circa differentias et causas, aliaque praemissa huiusmodi, per eumdem Antonium fieri, attentari, seu aliàs quomodolibet ex quavis causâ innovari, et praesertim licentias praedictas concedi contigerit, eas et ea ex nunc, prout ex tunc, et e contra revocamus, cassamus et annullamus, viribusque et effectu omnino evacuamus, ac revocata, cassa et annullata, viribusque et effectu vacua, nec ulli suffragari in iudicio vel extra, aut aliàs quomodolibet, posse;

Clausulas apponit.

§ 5. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, etiam S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, in quavis causâ et instantiâ (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, auctoritate et tenore praedictis decernimus et declaramus.

Contraria tollit.

§ 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII similiter praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dommodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus, necnon privilegiis, indultis et litteris apostolicis, ac aliàs in contrarium praemissorum, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis et decretis, concessis, confirmatis, approbatis et etiam saepius innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum inserta mentio habenda foret, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque: seu si praedicto Antonio Mascarenhas vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII iunii MDCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 13 iunii 1626, pontif. anno III.

CXCVII.

Sequitur mandatum eidem collectori spoliorum de capiendâ iuridicâ informatione super nonnullis erroneis propositionibus praedicti commissarii cruciatae circa facultatem licentias concedendi missam celebrandi in privatis domorum oratoriis.

Dilecto filio iurium et spoliorum camerae nostrae apostolicae in Portugalliae et Algarbiorum regnis debitorum collectori generali,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Facti series. § 1. Ad apostolatum nostrum, non sine gravi cordis nostri dolore pervenit, dilectum filium Antonium Mascarenhas, indulgentiarum et gratiarum spiritualium Portugalliae et Algarbiorum regnorum commissarium generalem apostolicâ auctoritate deputatum, eo audaciae et temeritatis processisse, ut facultatem concedendi licentias sacrosanctum missae sacrificium in privatis domorum oratoriis in dictis regnis celebrari faciendi ad se dumtaxat privative quoad nos et hanc Sanctam Sedem spectare; et, quia facultatem huiusmodi sibi uti eiusdem cruciatae commissario ex contractu competere praetendit, nos et Sedem eamdem licentias huiusmodi in regnis praedictis nullatenus concedere posse, et quamplura alia in auctoritatis eiusdem Sanctae Sedis praeiudicium et contemptum asserere minime erubuerit.

Mandatum de quo in rubricâ. § 2. Idcirco, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut te de praemissis omnibus et singulis, tam per eumdem Antonium, quam eius complices, fautores et consultores temere, ut praefertur, assertis et dictis, auctoritate nostrâ iuridice informes, aliaque omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna, etiamsi talia sint, vel fuerint, quae magis specialem, specificam et expressam requirerent mentionem, facias, dicas, geras et exequaris: super quibus omnibus et singulis plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem harum serie tibi concedimus et impartimur; ac omnes et singulas informationes per te circa ea sumendas sub tuo sigillo clausas ad nos quamprimum diligenter transmittas, ut quid desuper statuendum fuerit, maturâ consultatione adhibitâ, decernere valeamus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII iunii MDCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die, annoque eisdem.

CXCVIII.

Confirmatio privilegiorum Ordinis Beatae Mariae de Mercede, Redemptionis captivorum, Recollectorum nuncupatorum[1].

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. In supremo apostolicae dignitatis culmine, meritis licet imparibus, divinâ dispositione constituti, ad ea, quae pro regularium locorum et personarum in eis sub suavi religionis iugo ad proximi subventionem praesertim viventium indemnitatibus et commodis per Romanos Pontifices praedecessores nostros liberaliter

1 Ordinem hunc approbavit Gregor. IX in Constitut. XLII, *Devotionis*, tom. III, pag. 485. Fratres praedictos certis diebus solemnem benedictionem et absolutionem facere posse statuit Clemens VIII, Const. XLIV (in h. e. XLVI) tom. IX, pag. 642, huiusque benedictionis forma habetur in Const. CCLI (in h. e. CCLXII), tom. X, pag. 717.

concessa fuerunt, libenter intendimus, eaque, ut perpetuo firma et illibata persistant, cum a nobis petitur, apostolico munimine roboramus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causae concedendae confirmationis;

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Didaci de S. Raymundo moderni procuratoris generalis et religiosorum Ordinis B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum Recollectorum nuncupatorum petitio continebat, quod dudum felicis recordationis Gregorius IX, et deinde diversi alii, ac tandem piae memoriae Gregorius XV Romani Pontifices praedecessores nostri diversas gratias et privilegia, praesertim vero ad opus redemptionis captivorum huiusmodi spectantia, religiosis dicti Ordinis concesserunt, prout in diversis litteris apostolicis desuper confectis plenius continetur.

Quam fratres petunt.

§ 2. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, Didacus et religiosi praedicti plurimum cupiant, pro firmiori et maiori gratiarum et privilegiorum huiusmodi subsistentiâ, illa per nos approbari et confirmari, pro parte Didaci et religiosorum praefatorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Confirmatio, de qua in rubricâ.

§ 3. Nos igitur, qui honestis fidelium votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, Didacum et eiusdem religionis singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon singularum litterarum huiusmodi tenores, ac datas praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, gratias et privilegia quaecumque dicto Ordini per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros concessa, et desuper confectas litteras (dummodo illa sint in usu, nec revocata, neque sub ullis revocationibus comprehensa, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis et constitutionibus apostolicis et institutis regularibus dicti Ordinis minime adversentur) apostolicâ auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae

§ 4. Decernentes, Didacum et religiosos praedictos illis omnibus et singulis libere et licite frui et gaudere, nec eos desuper a quoquam quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari quoquo modo posse.

§ 5. Eaque per omnes, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 6. Non obstantibus omnibus, quae in dictis litteris concessa sunt non obstare, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae poenales.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, adiectionis et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae, MDCXXVI, VII kalendas iulii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 25 iunii 1626, pontif. anno III.

CXCIX.

Commissio Lucano episcopo ministros illius reipublicae absolvendi a censuris, in quas incurrerant, ob exactum quoddam ab ecclesiasticis vectigal ultra concessionem Sedis Apostolicae[1].

Venerabili fratri Alexandro episcopo Lucano, Urbanus Papa VIII. Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Concordatum ministri reipublicae Lucanae iniverant cum ecclesiasticis super solutione nonnullorum vectigalium.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii antiani et vexillifer iustitiae reipublicae Lucanae, quod aliàs, tunc existentes ipsius civitatis Lucanae communitas et homines, considerantes, illorum redditus et proventus in gabellis, datiis et aliis vectigalibus suis praecipue consistere, ac volentes fraudibus, quas multi aliàs non exempti sub nomine ecclesiasticarum personarum ad effugiendam debitam gabellarum, datiorum et vectigalium huiusmodi solutionem in maximum eorum damnum et praeiudicium committebant, occurrere, cum dilectis filiis clero tam seculari quam regulari civitatis praedictae, in vim facultatis eisdem clero apostolicâ auctoritate sub certis modo et formâ tunc expressis concessae, concordarunt, ut idem clerus gabellas huiusmodi, prout alii, solvere teneretur; et deinde, certis anni temporibus, eiusdem cleri singulis personis tam secularibus quam regularibus, et tam viris quam mulieribus, totum per eos solutum integre restitueretur, et aliàs, prout in diversis desuper confectis publicis instrumentis plenius dicitur contineri.

Quae cum ultra huiusmodi concordatum exegerint;

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, post initam concordiam huiusmodi gabellae praedictae per eosdem antianos et vexilliferum seu ab eis deputatos praedictos auctae, et ab ipsis clero ultra tempus conventionis contra sacrorum canonum, conciliorum generalium, necnon Bullae in die Coenae Domini legi solitae formam exactae fuerint, nec ipsi propterea eisdem clero, quod ab eis, ut praefertur, exactum fuit, integre restituerint; nobis propterea communitas et homines ac antiani et vexillifer praedicti humiliter supplicari fecerunt, ut sibi de absolutionis beneficio in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

A censuris petunt absolvi.

§ 3. Nos igitur, illorum conscientiarum quieti, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut communitatem et homines, eorumque singulos, ac gabellarum huiusmodi ministros, custodes et exactores, necnon alios quoscumque in praemissis culpabiles, et eorum quemlibet, si hoc a te humiliter petierint, et dummodo a similibus de cetero abstineant, factâque prius per eos de indebite usque in praesentem diem exactis, ut praefertur, eisdem clero restitutione, vel aliter cum eisdem clero tam coniunctim quam divisim desuper concordato, seu factâ per camerarium vel depositarium eiusdem communitatis et hominum obligatione in formâ depositi de restituendo omne et totum exactum et non restitutum ut supra, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis per eos et eorum quemlibet praemissorum

Pontifex episcopo Lucano committit, ut eos absolvat, servatis tamen quae hic servanda praescribuntur.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

occasione quomodolibet incursis, auctoritate nostrâ in utroque foro absolvi, illisque dictas poenas eâdem auctoritate ab eorum et cuiuslibet eorum confessariis per te probatis remitti et condonari, impositâ eis poenitentiâ salutari, necnon in pristinum, et eum, in quo ante praemissa quomodolibet erant, statum, restitui, reponi et plenarie reintegrari mandes et facias, eidemque clero cum antianis et vexillifero praedictis ad concordiam sive transactionem super praemissis, prout eis videbitur, deveniendi licentiam eâdem auctoritate concedas.

Obstantibus derogat.

§ 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV iulii MDCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 4 iulii 1626, pontif. anno III.

CC.

Facultas clero reipublicae Lucanae concordandi cum republicâ super exactione et solutione nonnullorum vectigalium.

Venerabili fratri Alexandro episcopo Lucano,
Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Lucani petunt facultatem sibi concedi conveniendi cum clero super solutione vectigalium.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii antiani, ac vexillifer iustitiae reipublicae Lucanae, quod ipsi, provide considerantes, eiusdem reipublicae redditus et proventus in gabellis praecipue, datiis, aliisque vectigalibus suis consistere, multas vero fraudes circa gabellarum, datiorum et vectigalium huiusmodi solutionem a non exemptis sub nomine personarum ecclesiasticarum, non sine maximo ipsius reipublicae damno et praeiudicio, plerumque committi consuevisse, ut autem[1] fraudibus huiusmodi opportuniori, qua fieri potest, ratione obviam eant, cum personis ecclesiasticis tam secularibus quam regularibus civitatis et dioecesis Lucanae praedictae, ut scilicet ab eisdem ecclesiasticis gabellae praedictae exigantur, eisque omne id et totum, ad quod inter eos concordabitur, certis anni temporibus restituatur, convenire seu concordare deliberaverunt, si opportuna desuper, tam eisdem personis ecclesiasticis, quam antianis et vexillifero, per nos et Sedem Apostolicam facultas concedatur; nobis propterea antiani et vexillifer praedicti (ex conventione et concordiâ huiusmodi, si fiat, ecclesiis, ecclesiasticisque personis suam immunitatem mediante restitutione praedictâ facilius conservari, fraudibusque huiusmodi obviam iri asserentes) humiliter supplicari fecerint[2], ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Urbanus episcopo committit, ut rebus mature perpensis facultatem clero concedat super huiusmodi solutione conveniendi.

§ 2. Nos igitur, certam de praemissis notitiam non habentes, ac singulares antianorum et vexilliferi praedictorum personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus, vocatis personis ecclesiasticis praedictis, de omnibus et singulis praemissis, eorumque circumstantiis universis, te diligenter informes, et, si per informationem huiusmodi tibi legitime

1 Vox *autem* redundat (R. T.).
2 Syntaxis mallet *fecerunt* (R. T.).

constiterit, ecclesiarum, earumdemque personarum ecclesiasticarum immunitatem ex conventione et concordiâ fiendâ huiusmodi nullatenus laedi, seu eis aliquod damnum vel praeiudicium inferri, super quo conscientiam tuam oneramus, personis ecclesiasticis praedictis, seu ab eis ad hoc specialiter deputandis, ad conventionem et concordiam tam coniunctim quam divisim, modo et formâ praemissis, cum antianis et vexillifero praedictis deveniendi (ita tamen, ut si gabellas huiusmodi augeri vel minui contigerit, summa etiam inter ecclesiasticos necnon antianos et vexilliferum praedictos concordata proportionabiliter augeatur et minuatur, ac omne id et totum, quod antiani et vexillifer praedicti, seu ab eis deputati, a personis ecclesiasticis huiusmodi exegerint et perceperint, eisdem personis seu etiam ab eis deputatis integre, realiter, et cum effectu singulis sex mensibus iuxta concordiam huiusmodi restituant) libere et licite et absque excommunicationis, aliarumque censurarum et poenarum ecclesiasticarum contra gabellas huiusmodi a personis ecclesiasticis exigentes latarum et inflictarum incursu; praeterea (factâ prius per antianos et vexilliferum praedictos, seu per camerarium vel depositarium, de eisdem personis ecclesiasticis restituendo, ut praefertur, obligatione), iuxta conventiones inter eos infra novem menses proximos faciendas, etiam ex nunc exigendi et percipiendi; praeterea personis ecclesiasticis praedictis, seu ab eis pro tempore deputatis, quaecumque instrumenta desuper necessaria et opportuna cum clausulis, capitulis, pactis et conditionibus tibi benevisis, licitis tamen et honestis, nec immunitati ecclesiasticae, quovis modo contrariis, cum antianis et vexillifero praedictis semel et pluries, ac toties quoties opus fuerit, celebrandi seu celebrari, aliaque super his necessaria et opportuna faciendi, dicendi, gerendi et exequendi, licentiam et facultatem auctoritate nostra concedas; personasque ecclesiasticas et antianos ac vexilliferum praedictos ad conventionis et concordiae vigore praesentium ineundae, postquam, ut praefertur, inita fuerit, observationem omnino teneri et obligatos fore, eâdem auctoritate decernas.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac ecclesiarum, monasteriorum et aliorum regularium locorum et ordinum, quorum illa fuerint, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Contraria tollit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV iulii MDCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 4 iulii 1626, pontif. anno III.

CCI.

Deputatio episcoporum Laudensis et Comensis[1], *ac poenitentiarii ecclesiae Mediolanensis, in protectores collegii Helvetiorum et Rhetiorum eiusdem civitatis*[2].

Venerabilibus fratribus Papiensi et Novariensi episcopis, ac dilectis filiis poenitentiario et archipresbytero ecclesiae Mediolanensis,

Urbanus Papa VIII.

Venerabiles fratres et dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Militanti Ecclesiae, licet immeriti, disponente Domino praesidentes, circa curam ecclesiasticarum personarum omnium solertiâ reddimur indefessâ solliciti, ut, iuxta debitum pastoralis officii, eorum occurramus dispendiis, ac profectibus, divinâ cooperante clementiâ, favorabiliter intendamus.

Causae faciendae deputationis. § 1. Sane dilectorum filiorum rectorum collegii ad erudiendos Helvetios et Rhetios, eosque optimis moribus et doctrinis imbuendos, in civitate Mediolanensi instituti conquestione percepimus, quod, cum nonnulla castra, villae et alia loca, terrae, domus, possessiones, aquae et decursus aquarum, iura, iurisdictiones, fructus, census, redditus, proventus et nonnulla alia mobilia et immobilia, spiritualia et temporalia bona, in Mediolanensis, Papiensis, Novariensis et aliis dioecesibus consistentia, etiam ratione quorumcumque beneficiorum eidem collegio apostolicâ auctoritate aliàs unitorum, ad dictum collegium spectent et pertineant; et nonnulli etiam civitatum et dioecesis ac partium praedictarum non formident eadem castra, villas, loca et terras, domos, possessiones, aquas et decursus aquarum, iura, iurisdictiones, fructus, census, redditus et proventus eorumdem occupare, vel super eisdem et quibuscumque aliis bonis, mobilibus et immobilibus, spiritualibus et temporalibus, aquis et aliis rebus, eisdem[1] rectoribus multiplices molestias et iniurias inferre et iacturas; quare dicti rectores nobis humiliter supplicari fecerunt, ut, cum sibi valde reddatur difficile pro singulis querelis ad Sedem Apostolicam habere recursum, provideri ipsis super hoc paternâ diligentiâ curaremus.

Deputatio de qua in rubricâ. § 2. Nos igitur, adversus occupatores, detentores, praesumptores, molestatores et iniuriatores huiusmodi illo volentes ipsis rectoribus remedio subvenire, quod ipsorum compescatur temeritas, et aliis adytus committendi similia praecludatur, vobis per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, per vos, vel alium, seu alios, etiamsi sint extra loca in quibus deputati estis conservatores et iudices, praedictis rectoribus efficacis defensionis praesidio assistentes, non permittatis, eos super his, et quibusvis aliis bonis et iuribus ad dictum collegium spectantibus, a quibusvis etiam archiepiscopali, episcopali vel aliâ ecclesiasticâ dignitate fungentibus, necnon clericis et ecclesiasticis tam religiosis quam secularibus personis, necnon marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, militibus et laicis, communitatibus civitatum, universitatibus[2], oppidorum, castrorum, villarumque et aliorum locorum, ac aliis secularibus personis civitatum et dioecesum et partium aliarum, indebite molestari, vel eis gravamina seu damna vel iniurias irrogari; facturi dictis rectoribus, cum ab eis vel eorum procuratoribus fueritis requisiti, de praedictis et aliis personis quibuslibet, super restitutione huiusmodi castrorum, villarum, terrarum et aliorum locorum, iurisdictionum, iurium et bonorum, mobilium et immobilium, reddituum quoque et pro-

1 At *Papiensis* et *Novariensis* postea legitur (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Erron., ut puto, ed. Main. leg. *eiusdem* (R. T).

2 Vellège *universitatum*, vel comma dele (R.T).

ventuum, et aliorum quorumcumque bonorum, necnon de quibuslibet molestiis, iniuriis atque damnis, praesentibus et futuris, in illis videlicet quae iudicialem requirunt indaginem, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, in aliis vero, prout qualitas eorum exegerit, iustitiae complementum; occupatores seu detentores, praesumptores, molestatores et iniuriatores huiusmodi, necnon contradictores quoslibet et rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis extiterint, quandocumque et quotiescumque expedierit, auctoritate nostrâ, per censuras ecclesiasticas, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Obstantium derogatio.

§ 3. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri, in quibus cavetur expresse, ne quis extra suam civitatem et dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam, a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne conservatores et iudices, a dictâ Sede deputati, extra civitatem et dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, seu aliis vel alii vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine suae dioecesis transferre praesumant (dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur) seu quod aliis quam manifestis iniuriis et violentiis, ac aliis quae[1] iudicialem requirunt indaginem (poenis in eos, si secus egerint, et in id procurantes adiectis) conservatores se nullatenus intromittant, quam aliis quibuscumque constitutionibus a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, tam de iudicibus delegatis et conservatoribus, quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut aliis editis, quae videlicet possent in hac parte iurisdictioni aut potestati eiusque libero exercitio[1] quomodolibet obviare; seu si aliquibus communiter vel divisim a praedictâ sit Sede indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici, seu extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari, non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi, ac eorum personis, locis, ordinibus et nominibus propriis mentionem, et qualibet aliâ dictae Sedis indulgentiâ generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam, vel totaliter non insertam, vestrae iurisdictioni[2] explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, et de qua, cuiusque toto tenore habenda sit mentio specialis. Et insuper volumus, et dictâ auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico praepeditus, quodque a datâ praesentium sit vobis et unicuique vestrum in praemissis omnibus, coeptis et non coeptis, praesentibus et futuris, perpetuata potestas et iurisdictio attributa, ut eo vigore, eâque firmitate possitis in praemissis omnibus, et coeptis et non coeptis, praesentibus et futuris, et pro praedictis procedere, ac si praedicta omnia et singula etiam coram vobis coepta fuerint, et iurisdictio vestra et cuiuscumque vestrum in praedictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitime extitisset, constitutione praedictâ super conservatoribus et aliâ qualibet in contrarium editâ non obstante: eisdem praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII iulii MDCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 8 iulii 1626, pontif. anno III.

1 Potius legerem *in aliis quam quae* (R. T.).

1 Perperam edit. Main. legit *executio* (R. T.).

2 Potius lege *iurisdictionis* (R. T.).

CCII.

Confirmatio constitutionum pro monachorum congregationis Caelestinorum Ordinis S. Benedicti gubernio emendatarum atque editarum[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Sacrosanctum apostolatus officium humilitati nostrae per ineffabilem divinae sapientiae providentiam commissum iugiter nos admonet, ut inter gravissimas multiplicesque apostolicae servitutis curas illam peculiari studio amplectamur, per quam christifideles sub suavi religionis iugo virtutum Domino famulantes, sub certis et provide ordinatis statutis atque constitutionibus, in sanctitate et iustitiâ felicioribus in dies proficiant incrementis. Ac proinde iis quae propterea statuta et ordinata sunt, ut ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observentur, perpetuâque roboris firmitate subsistant, apostolicae confirmationis patrocinio communimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Monachi nonnulla statuta emendarunt et in unum volumen compilarunt. § 1. Sane dilectus filius abbas generalis monachorum congregationis Caelestinorum Ordinis S. Benedicti, suo et diffinitorum dictae congregationis nominibus, nobis nuper exponi fecit, quod pro felici et prospero eiusdem congregationis regimine atque gubernio nonnullae constitutiones et statuta diversis temporibus facta, novissime autem de mandato nostro recognita, et multis in locis ad sacri Concilii Tridentini decretorum et constitutionum apostolicarum praescriptum emendata atque aptata, tandem in unum volumen compilata fuerunt, tenoris subsequentis, videlicet *(Omittitur tenor istarum constitutionum, quia sunt in libro particulari impresso Romae, anno* MDCXXIX).

1 Vide supra ad Const. LXXIII (in h. e. LXXXII), *Sacrosanti*, huiusmet Pontificis, sup. pag. 193.

Eaque petunt confirmari. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus abbas generalis, nominibus praedictis, praeinsertis constitutionibus pro perpetuâ illarum subsistentiâ et inviolabili observantiâ apostolici nostri muniminis firmitatem per nos adiici summopere desideret; nobisque propterea humiliter supplicari fecerit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Confirmat Urbanus. § 3. Nos, inviolabili earumdem constitutionum observationi, quantum nobis ex alto conceditur, consulere, necnon dictum abbatem generalem ac totam congregationem praedictam specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praeinsertas constitutiones, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; omnesque et singulos tam iuris quam facti quantumlibet substantiales defectus, si qui in illis intervenerint, supplemus.

Clausulas praeservativas addit. § 4. Decernentes, easdem constitutiones, necnon praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore;

Earumdem observantiam mandat. § 5. Necnon in dictâ congregatione ab omnibus, ad quos spectat, et in futurum quomodolibet spectabit, inviolabiliter, sub poenis in eisdem constitutionibus comminatis, observari et adimpleri debere; ac quoscumque eiusdem congregationis superiores, presbyteros et personas ad observationem omnibus iuris et facti remediis cogi et compelli posse;

Ita et non aliter iudicari praecipit.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria auferl.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quibusvis aliis dictae congregationis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis ipsius congregationis superioribus, presbyteris et personis huiusmodi, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem addit.

§ 8. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu scribae dictae congregationis vel notarii publici subscriptis, et sigillo abbatis generalis vel alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII iulii MDCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 8 iulii 1626, pontif. anno III.

CCIII.

Revocat omnia et singula privilegia, immunitates et exemptiones quorumcumque ordinum, congregationum et institutorum religiosis in regnis Hispaniarum existentibus, tam per Apostolicam Sedem, illiusque in dictis regnis nuntios, quam eorum superiores, concessa, ac prohibet illa de cetero absque Apostolicae Sedis licentiâ concedi.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Pastoralis officii nobis divinitus commissi sollicitudo iugiter nos admonet, ut omni curâ et vigilantiâ ad ea semper intendamus, per quae regularium personarum, quae, relicto seculo, divini numinis obsequiis sese manciparunt, quieti, felicique statui ac regularis disciplinae conservationi consulitur, ut ipsae personae iuxta regularia suorum Ordinum instituta tranquillis mentibus gratum Altissimo impendere possint famulatum.

Ob multas exemptiones et immunitates regularibus in regnis Hispaniarum concessas, scandala gravissima orta fuerant.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, in regnis Hispaniarum diversa privilegia, praerogativae, immunitates atque exemptiones diversorum Ordinum religiosis, tam ab ipsorum superioribus, quam a Sede Apostolicâ, illiusque in dictis regnis nuntiis pro tempore existentibus, concessa reperiantur, per quae iidem religiosi ab eorum praelatorum obedientiâ eximuntur, ex monasteriis et regularibus domibus ad eorum libitum, ac cum sociis sibi bene visis et iam destinatis, etiam superiorum suorum non petitâ licentiâ, egrediuntur, absque eo quod iidem superiores tam huiusmodi egressum quam secularium personarum quibusvis horis ad eorum cellas accessum atque ingressum impedire possint; praeterea de uno ad aliud monasterium seu regularem domum etiam ipsis superioribus invitis transeunt, nec choro et aliis spiritualibus exercitiis, minusque

refectorio cum aliis intersint; ex hoc autem gravissima inconvenientia et scandala in non modicum regularis observantiae et disciplinae detrimentum exoriantur:

Ad quae amovenda decernitur prout in rubrica.

§ 2. Nos, praemissis, quantum cum Domino possumus, obviare volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, omnia et singula, ac quaecumque huiusmodi privilegia, praerogativas, immunitates et exemptiones quorumcumque ordinum, congregationum, institutorum religiosis, tam per Sedem apostolicam, illiusque in eisdem regnis nuntios, quam illorum superiores, ex quacumque causâ, ac sub quibuscumque verborum formis et expressionibus quomodolibet concessa, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo revocamus, cassamus et abrogamus; ac revocata, cassata et abrogata, viribusque et effectu vacua esse et fore, nec illa cuiquam suffragari, neque de cetero, absque nostrâ et Sedis Apostolicae licentiâ, concedi posse;

Clausulae.

§ 3. Sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon (quatenus opus sit) ordinum, congregationum et institutorum huiusmodi, et quibusvis aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem religiosis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis specialis, specifica, expressa et individua mentio habenda esset, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, ac manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX iulii MDCXXVI, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 30 iulii 1626, pontif. anno III.

CCIV.

Tribunalium Urbis iudicibus facultatem elargitur reos, qui aliquod confessi fuerint furtum, de aliis etiam, de quibus accusati non sunt, in genere interrogandi [1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem aequi bonique supremum assertorem, inter gravissimas, multiplicesque apostolicae servitutis curas, in eam peculiari studio intendere, ut quae ex veteri maledicto quotidie in eo spinae innascuntur et tribuli, vigilantiae suae ministerio extirpentur, et in proximi charitatem, salutem, securitatem ac fortunas nefariis ausibus delinquentes per iustitiae gladium opportunis remediis coerceantur.

Facultas, de qua in rubricâ.

§ 1. Motu itaque proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

dilectis filiis nostro in almâ Urbe vicario in spiritualibus generali, necnon eiusdem Urbis gubernatori et causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, dictae Urbis senatori et iudici Burgi, nunc et pro tempore existentibus, ut quoscumque reos furtum confessos, de aliis furtis in genere, etiamsi de eis diffamati vel imputati non fuerint, eorumdem vicarii, seu eius vicesgerentes, gubernatoris, auditoris camerae, senatoris, ac iudicis Burgi arbitrio, interrogare et torquere, seu interrogari et torqueri facere, libere et licite possint et valeant, et quilibet illorum possit et valeat, plenam, liberam et amplam facultatem, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium concedimus et impertimur. Praesentibus ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum dumtaxat valituris.

Obstantium derogatio.

§ 2. Non obstantibus felicis recordationis Pauli III et Pauli V Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum desuper editis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII augusti MDCXXVI, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 7 augusti 1626, pontif. anno IV.

CCV.

Confirmatio concordiae inter clerum et civitatem Cremonenses initae circa solutionem livellorum ecclesiasticorum[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Salvatoris et Domini nostri, qui charitas est et Deus pacis, vices licet immeriti gerentes in terris, ad ea iugiter intendimus, per quae paci et quieti inter christifideles consulitur, litibusque et differentiis obviam itur, et his, quae propterea facta sunt, ut firma et illibata perpetuo remaneant, et a partibus ipsis inviolabiliter observentur, apostolicae confirmationis robur adiicimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Facti series.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, iampridem inter dilectos filios capitulum et clerum Cremonensem ex unâ, ac infrascriptos emphyteutas ex alterâ partibus, nonnullae lites seu differentiae ortae essent et vigerent, praesertim ex eo, quod capitulum et clerus praedicti eos ecclesiarum capituli et cleri praedictorum redditus, qui in perceptione pensionum seu canonum emphyteuticorum consistunt, sibi in valore et monetâ de tempore contractus; emphyteutae vero in monetâ de tempore solutionis persolvi debere praetenderent; tandem capitulum et clerus, ne litibus et differentiis huiusmodi, controversiisque inexplicabilibus involverentur, sed eis aliquâ opportunâ ratione obviam irent, et aliàs pro bono pacis et communi partium utilitate, ad transactionem et concordiam, perpetuis futuris temporibus inter eos valituram, et in omnem eventum observandam, cum dilectis filiis a civitate Cremonensi ad hoc specialiter deputatis nomine eorumdem emphyteutarum devenerint, per quam inter alia convenerunt:

Tenor concordiae.

Primo videlicet pensiones annuae debitae et debendae ex causâ contractuum emphyteuticorum supra annum MDXCIX initorum, etiamsi post illud tempus ex quacumque causâ fuerint revocatae, solvantur per emphyteutas dominis directis in rationem librarum octuaginta monetae ac valoris proclamatis per dilectum filium nobilem virum Comesium Suarez ducem Feriae, tunc Status Mediolanensis gubernatorem, editi, pro quibuslibet centenis libris imperialibus et ad ratam:

Secundo, solutiones[1] livellorum et pensionum debitarum et debendarum, ut su-

1 Edit. Main. legit *solutione* (R. T.).

pra, ob contractus initos ab anno MDXCIX citra, fiant dominis directis iuxta regulas habitas et constitutas a dilecto filio Leysaldo senatore, ac dictae civitatis praetore:

Tertio, debitores ex causis praemissis, qui, ante novissimum proclama, monetam aut solverint, aut fecerint integrum depositum pensionum debitarum, aut realem oblationem ad formam iuris iuxta communem monetarum valorem, nullâ ratione habitâ cuiuscumque reservationis iurium, nihil praeterea solvere cogantur.

Quarto, morosi debitores compelli possint ad solutionem pensionum debitarum, et quarum iam cesserit dies ante memoratum proclama, in rationem dictarum librarum octuaginta, si, et prout de iure.

Quinto, exorientibus aliquibus difficultatibus circa praedictorum interpretationem et exequutionem, adeant partes advocatos pro tempore civitatis et capituli canonicorum ecclesiae Cremonensis, quae mox eorum voto super inde intellecto acquiescere teneantur.

Sexto, haec tamen nullum generent praeiudicium promissionibus iam factis solvendi pensiones emphyteuticas in pecuniâ proclamatum Mediolani, aut in certâ specie monetarum, nisi ex earum tenore probabiles emergant coniecturae, aliud inter contrahentes fuisse actum, quam scripturâ conceptum vel metu poenae seu ex aliâ causâ, et prout memoratis arbitris in eiuscemodi casuum contingentiâ additis fuerit definitum.

Septimo, non deerunt emphyteutae, de quorum obligatione et emphyteusi publicis pateat instrumentis a dominis directis requisitis, concordata ut supra agnoscere, publicisque documentis rata habere, ac eorum adimplementum promittere; quae si peragere noluerit[1], integrum sit dominis directis utendi contra recusantes dumtaxat beneficio decreti eiusdem Gomesii ducis tunc gubernatoris ad favorem cleri Cremonenis in hac materiâ editi: et aliàs, prout in publico per dilectos filios Iulium Maffezolum, ac Pium Baptistagnid, et Ioannem Andream Bianzagum notarios Cremonenses sub die XVIII mensis septembris MDCXIX confecto instrumento plenius dicitur contineri:

Eam confirmat Pontifex.

§ 2. Nos, inviolabili concordiae huiusmodi observationi, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, concordiam praedictam, ac, prout illam concernunt, omnia et singula in dicto instrumento contenta, licita tamen et honesta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos, tam iuris quam facti, et quosvis alios, etiam quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulas pro praesentium litterarum firmitate addit.

§ 3. Decernentes praesentes litteras, omniaque et singula in eis contenta semper et perpetuo valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Iudices exequutores deputat.

§ 4. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopo Mediolanensi ac Cremonensi et Laudensi episcopis per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis con-

1 Videtur legendum *noluerint* (B. T.).

tenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte capituli et cleri ac deputatorum praedictorum, seu alicuius eorum, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes, ac omnia et singula in eis contenta, ab omnibus et singulis, ad quos spectat, inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles, ac praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria tollit. § 5. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV augusti MDCXXVI, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 15 augusti 1626, pontif. anno IV.

CCVI.

Deputatio poenitentiarii in basilicâ Principis apostolorum pro linguâ graecâ[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Spirituali christifidelium nationis Graecorum ad almam Urbem nostram devotionis causâ accedentium seu in eâ commorantium, in his quae pro sacris eorum confessionibus audiendis faciunt, consolationi et commoditati, quantum cum Domino possumus, benigne consulere volentes;

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Deputatur poenitentiarius pro linguâ graecâ. § 1. Motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, in basilicâ Principis apostolorum de Urbe unum poenitentiarium e Societate Iesu pro sacris christifidelium eiusdem nationis et aliorum ad illum accedentium confessionibus audiendis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo creamus, constituimus et deputamus, illumque aliorum undecim poenitentiariorum eiusdem basilicae numero et consortio favorabiliter aggregamus.

Eique ceterorum poenitentiariorum privilegia conceduntur. § 2. Necnon illi, ut omnibus et singulis privilegiis, facultatibus, praeeminentiis, praerogativis, favoribus, gratiis et indultis, quibus alii poenitentiarii huiusmodi de iure, usu, consuetudine, privilegio, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, pari modo, et absque ullâ prorsus differentiâ, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possit et valeat, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, deputatione[1] aliorum poenitentiariorum huiusmodi (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII augusti MDCXXVI, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 17 augusti 1626, pontif. anno IV.

1 Videretur potius legendum *deputatorum*, vel post *huiusmodi* addendum *ac illorum* (R. T.).

CCVII.

Facultas deputatis ad regimen domus cathecumenorum et ecclesiae S. Mariae in Montibus de Urbe cogendi notarios ad aperienda et ostendenda testamenta iuxta privilegium fabricae S. Petri[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Iniuncti nobis apostolici muneris res postulat, ut opportunis provideamus remediis, ne ecclesiae et alia pia loca, praesertim almae Urbis nostrae, ac in honorem gloriosissimae Dei Genitricis Mariae dicata, suis tam spiritualibus quam temporalibus bonis aliquorum malitiâ vel negligentiâ fraudentur.

Causae concedendae facultatis.

§ 1. Cum itaque, sicut dilecti filii deputati ad regimen et gubernium domus cathecumenorum et ecclesiae S. Mariae in Montibus nuncupatae de Urbe nobis nuper exponi fecerunt, diversa legata et relicta ad pias causas domui et ecclesiae praedictis per diversos christifideles facta reperiantur, de illis autem certa notitia ob incuriam seu negligentiam notariorum, qui de huiusmodi legatis rogati fuerunt, haberi nequaquam potuerit, nec possit, in maximum domus et ecclesiae huiusmodi praeiudicium:

Concessio, de quâ in rubricâ.

§ 2. Nos, earumdem domus et ecclesiae indemnitati in praemissis, quantum cum Domino possumus, consulere, ipsosque deputatos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, deputatis praedictis, ut, sub excommunicationis latae sententiae poenâ, omnes et singulos notarios, penes quos testamenta clausa vel aliàs reperiuntur, vel in futurum reperientur, post annum a die obitus testatorum ad illa aperienda et ipsis deputatis ostendenda, solutâque ipsis notariis debitâ mercede, ad habendum sibi exemplar ipsorum testamentorum in formâ probanti et authenticâ, etiam cum invocatione brachii secularis, si opus fuerit, quacumque appellatione remotâ, cogere possint, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Mandatur notariis et parochis ut legata notificent.

§ 3. Ac propterea volumus, quod notarii et rectores parochialium ecclesiarum, seu vicarii, vel quicumque alii de legatis, relictis, donationibus et aliis piis dispositionibus ad favorem domus et ecclesiae praedictarum factis et pro tempore faciendis notitiam habentes, illa deputatis praedictis seu in curiâ episcopali loci intimare debeant et teneantur.

Praesentium observantia praecipitur.

§ 4. Sicque in praemissis per locorum Ordinarios, ac quoscumque alios iudices et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac locorum, civitatum et provinciarum, in quibus existent notarii vel testamenta huiusmodi confecta fuerint, iuramento, confirmatione, apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque et aliis decretis, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 6. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, sigilloque personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX augusti MDCXXVI, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 20 augusti 1626, pontif. anno IV.

CCVIII.

Declarat litteras Pauli V super erectione seu renovatione congregationis Anglicae Ordinis Nigrorum S. Benedicti, loqui de verâ Congregatione[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Recensentur Pauli Papa V litterae.

§ 1. Aliàs a felicis recordationis Paulo Papa V praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Paulus Papa V,
ad futuram rei memoriam.

Ex incumbenti nobis, etc. *(Reliqua invenies suo loco*[2]*, sub* datum XXIII augusti MDCXIX, pontificatus anno XV).

Causae faciendae declarationis.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius prior generalis dictae congregationis nobis nuper exponi fecit, licet abbates et priores abbates proprios non habentes Ordinis Nigrorum S. Benedicti nuncupati, per Angliae regnum partim exempti, partim non exempti, per plurimos annos de triennio in triennium in capitulo generali congregari, ibique praesides, visitatores et alios officiales pro sequenti triennio eligere, statuta et ordinationes condere soliti fuerint, ac monachi Angli dicti Ordinis, in praeinsertis litteris expressi, coetum huiusmodi monasteriorum (quae, ut asserunt, iuxta formam constitutionis felicis recordationis Innocentii III praedecessoris desuper editae de triennio in triennium conveniebant) congregationem Anglicam Ordinis S. Benedicti nuncupaverint, ac sub nomine congregationis Anglicanae antiquae ab ipso Paulo praedecessore per praeinsertas litteras huiusmodi renovari obtinuerint; nihilominus nonnulli, pacem monachorum praedictorum perturbare conantes, illam non fuisse veram Congregationem, ac easdem praeinsertas Pauli praedecessoris huiusmodi litteras, vel omnino irritas esse propter falsam sive impropriam narrationem, seu Congregationem illarum vigore erectam vel renovatam veram Congregationem non esse praetendant, et propterea ad omnem in praemissis dubitandi materiam e medio tollendam, per nos opportune declarari summopere desiderent:

Pontifex declarat, Pauli litteras de verâ Congregatione loqui.

§ 3. Nos, procuratorem praedictum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicatio-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

2 Ego autem editum non invenio (R. T.).

nibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum consilio, praeinsertas Pauli praedecessoris huiusmodi litteras de verâ Congregatione loqui, eiusdemque monachis suffragari;

Clausulae.

§ 4. Atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus et declaramus.

Contraria tolluntur.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac omnibus illis, quae in eisdem praeinsertis litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI augusti MDCXXVI, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 21 augusti 1626, pontif. an. IV.

CCIX.

Dividit Congregationem fratrum Eremitarum Discalceatorum Italiae Ordinis S. Augustini in quatuor provincias, videlicet Romanam, Neapolitanam, Ianuensem, Siculam, et instituit quatuor provinciales pro earum gubernio usque ad celebrationem futuri capituli generalis ipsius Congregationis [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Ordinis commendatio.

Ad uberes et suaves fructus, quos dilecti filii fratres Ordinis Eremitarum sancti Augustini Discalceati nuncupati Congregationis Italiae in militanti Ecclesiâ, cuius regimini, divinâ disponente clementiâ, praesidemus, in dies afferunt, mentis nostrae aciem convertentes, quid pro laudabilis eorum instituti felici directione atque progressu conferat, diligenter prospicimus, ac desuper officii nostri partes propensis studiis interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Supplicatur Pontifex ut hanc Congregationis in provincias dividat.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Basilius a Sanctissimâ Trinitate vicarius generalis Congregationis praedictae, quod Congregatio ipsa quamplures domos regulares per universam Italiam habet, ita ut solus per seipsum commode eas regere et gubernare nequeat, proindeque earumdem domorum utilitati maxime consultum iri existimet, si eadem Congregatio in provincias, ut infra, dividetur.

Quam dividit in Romanam, Neapolitanam, Genuensem et Siculam.

§ 2. Nos, prospero felicique dictae Congregationis regimini et gubernio, quantum cum Domino possumus, consulere, ipsumque Basilium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Congregationem praedictam in quatuor provincias, videlicet Romanam, Neapolitanam, Ianuensem et Siciliae, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo dividimus et separamus.

Earumque singulis unum provincialem deputat usque ad futurum capitulum cum facultatibus, ut hic.

§ 3. Necnon pro hac primâ vice, usque ad proxime futuri capituli generalis eiusdem Congregationis celebrationem tantum et non ultra, in Romanae Victorium ab Epiphania, in Neapolitanae Simeonem a

1 Vide de hac Congregatione in Constit. XLIX (in n. e. L) Gregorii XV, *Pastoralis officii*, tom. XII, pag. 652. Et etiam vide subsequentia decreta a sacrâ Apostolicae Visitationis Congregatione edita de his fratribus Congregationis Italiae opportune hîc posita.

Cruce, in Genuensis Valerianum a S. Augustino, ac in Siciliae provinciarum huiusmodi provinciales Ioannem Baptistam a S. Francisco de Paula, Ordinis et Congregationis huiusmodi professores, dilectos filios, sub uno ipsius Congregationis vicario generali, ac cum privilegiis, gratiis, indultis, facultatibus, iurisdictione et auctoritate solitis, et sibi ex nunc usque ad eiusdem capituli celebrationem ab ipso Basilio vicario generali, postmodum vero ab eodem capitulo generali concedendis et declarandis, auctoritate et tenore praedictis creamus, constituimus et declaramus.

Clausulas confirmatorias ponit.

§ 4. Decernentes, praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac eidem Congregationi in omnibus et per omnia plenissime suffragari;

Decretum irritans addit.

§ 5. Atque ita in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinis et Congregationis huiusmodi (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quâvis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 7. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX augusti MDCXXVI, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 29 augusti 1626, pontif. anno IV.

Sequitur declaratio sacrae Congregationis Apostolicae Visitationis super facultate quam habere dubitabatur vicarius generalis istorum fratrum eo absente subrogandi alium suo loco cum omnimodâ potestate et iurisdictione, quam ipse vicarius generalis praesens habet.

Sacra Congregatio Apostolicae Visitationis.

Dubitatio, de qua in rubricâ.

In causâ et causis coram nobis inter admodum reverendum patrem, fratrem Basilium a Sanctissimâ Trinitate, vicarium generalem Congregationis Discalceatorum Ordinis sancti Augustini Italiae ex unâ, et patres Ignatium a sanctâ Mariâ, Ioannem ab Assumptione, et Ioannem Baptistam a S. Francisco de Paula, definitores et procuratorem generalem respective eiusdem Congregationis, de et super praetensâ nullitate delegationis per eumdem patrem vicarium generalem factae in personâ patris Valeriani a sancto Augustino quarti definitoris et prioris conventus S. Antonii de Urbe, rebusque aliis, etc.

Resolutio dictae dubitationis.

Fuit provisum et decretum, reverendum patrem vicarium fuisse et esse verum et legitimum superiorem vicarium generalem nuncupatum totius suae Congregationis, ac uti et gaudere omnibus et singulis iuribus, praerogativis, praeeminentiis et facultatibus, quibus aliarum religionum generales gaudent, utuntur et potiuntur; ideoque sibi licuisse et licere inter alia, eo absente, alium suo loco subrogare, qui omnimodâ eius potestate et iurisdictione

ubique locorum (illâ tantum exceptâ provinciâ, in qua ipse generalis vicarius pro tempore reperietur) fungatur et potiatur, et consequenter subrogationem ac delegationem, a praefato generali vicario in personâ patris Valeriani quarti definitoris factam, fuisse et esse iuridicam et canonice factam, et uti talem fore et esse confirmandam, prout illam confirmamus et approbamus, et pro confirmatâ et approbatâ haberi volumus et mandamus; fratresque omnes eidem generali vicario subiectos eiusdem religionis, praefato patri Valeriano ad obedientiam praestandam iuxta formam suae delegationis obligatos fuisse et esse declaramus.

Actum Romae, domi solitae residentiae illustrissimorum dominorum sacrae Congregationis, hac die XXVI maii MDCXXVI.

A. RICCIULLUS Iudex et Secr.

ODOARDUS TIBALDESCUS Not.

Subsequuntur decreta generalia pro totâ Congregatione fratrum Discalceatorum S. Augustini Italiae, factâ in visitatione, die XXI *iunii anni* MCDXXVII.

De Constitutionibus Congregationis.

Constitutiones huius Congregationis, auctoritate apostolicâ confirmatae, infra annum post capitulum generale imprimantur, ad hoc ut ab omnibus religiosis praemanibus possint haberi, etc.

De novis Constitutionibus non faciendis.

Ad tollendas dubitationes, quae circa constitutionum intellectum possent exoriri, sacra Congregatio, facto verbo cum Sanctissimo, declarat, hactenus non licuisse, neque licere, huius Congregationis superioribus etiam in capitulis generalibus novas ordinationes aut statuta sub quovis nomine contrarias aut contraria constitutionibus apostolicâ auctoritate firmatis facere; easque non potuisse, neque posse praticari, antequam a tribus capitulis generalibus dispositae et a Sede Apostolicâ fuerint confirmatae.

De Congregationi definitoriali.

Consequenter etiam declarat congregationem definitorialem ex quinque patribus, semel in hebdomadâ hactenus practicatam, in futurum non esse faciendam, sed esse servandas constitutiones, parte tertiâ, cap. IV.

De definitoribus.

Declarat praeterea definitores pro tempore existentes fore et esse de familiâ eius conventus, cui a superiore erunt assignati, et non aliorum, atque ideo locum sumere debere post priorem, etiam ubi vicarius generalis moratur; ac potuisse et posse a priore in levibus corrigi, in ceteris vero a vicario generali, tenerique adire capitulum de culpis, expectare signum in choro, refectorio et aliis locis, non obstantibus constitutionibus, parte II cap. VIII, et parte III cap. IV.

De auctoritate vicarii generalis in definitores.

Declarat praeterea licuisse atque licere vicario generali, pro tempore existenti, definitores singulos, in visitatione et extra, etiam in gravioribus consulto corrigere et punire absque aliorum definitorum consensu, posse tamen definitores scribere et recipere litteras, ac armarium, oratorium nuncupatum, habere, absque superioris licentiâ, etc.

De procuratore generali.

Declarat demum procuratori generali praesente generali vicario secundum locum deberi, absente vero in conventu secundum a priore, extra conventum vero post vicarium generalem ceteris praeferri, posseque egredi ad negotia peragenda, et absque cunctatione prior socium assignabit, ac pariter litteras scribere et recipere absque scitu prioris, et oratorium habere: in reliquis autem omnia, quae de definitoribus dicta sunt, locum sibi vindicare in procuratore generali.

De observantiâ horum decretorum.

Decreta haec generalia pro totâ Congregatione veluti declaratoria serventur statim sub poenâ arbitrio sacrae Congregationis.

A. Episc. Bellicastren. Secr. et Iud.

CCX.

Confirmantur nonnulla statuta pro Congregationibus Anglica et Hispanica Ordinis S. Benedicti edita[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Congregatio Anglica et Hispanica nonnulla de praesidi electione et auctoritate ac missionariorum munere statuerant.

§ 1. Aliàs, felicis recordationis Paulo Papae V praedecessori nostro pro parte dilectorum filiorum monachorum Anglorum Ordinis S. Benedicti Congregationis Hispanicae et Angliae exposito, quod pridem in eorum definitorio statutum et decretum fuerat, quod omnes monachi Angli dicti Ordinis congregationum Hispanicae et Anglicae coalescerent in unum corpus, quod esset et vocaretur Congregatio Anglica, ita ut per huiusmodi coalitionem et corpus sic unitum continuaretur et restauraretur, ac, si opus esset, de novo erigeretur antiqua Congregatio Anglica Ordinis S. Benedicti, quae Congregatio Anglica sic stabilita regeretur ab uno superiore vocato praeside, qui extra Angliam resideret durante schismate, et a duobus provincialibus immediate sub dicto praeside in Anglia, parique modo a prioribus residentiarum seu conventuum extra Angliam, ac demum a certo etiam definitorum numero, ac nulli omnino liceret, nisi dicto praesidi vel licentiam ad hoc ab illo habenti, facultates aliquas missionis apostolicae pro praedicto regno Angliae alicui monacho Anglo Ordinis et Congregationis Hispanicae et Anglicae huiusmodi in posterum concedere vel delegare, quodque diffinitorium praedictum, in quo facta fuerat haec unio, per omnia haberet vim capituli generalis, ac demum, quod monachi missionis iuramentum praestarent coram praeside, se accessuros ad missionem, et ad hoc a dicto praeside adstringerentur, prout in scripturis desuper confectis dicebatur contineri,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Quae Paulus Papa V approbavit.

§ 2. Idem Paulus praedecessor, monachorum praedictorum supplicationibus inclinatus, statuta et decreta seu capitula huiusmodi, apostolicâ auctoritate, sub certis modo et formâ tunc expressis, approbavit et confirmavit: prout in ipsius Pauli praedecessoris desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur[1].

In capitulo anni MDCXXV alia conduntus statuta.

§ 3. Cum autem, sicut monachi Angli huiusmodi nobis nuper exponi fecerunt, nonnullis monachis Anglis Congregationis Hispanicae secundum unionem praedictam se incorporare recusantibus, Congregatio ipsa Hispanica in capitulo generali de anno MDCXXI celebrato, pro quiete missionis, et ad evitandas simultates ac alia inconvenientia quae inter diversos superiores eiusdem Ordinis oriri saepius compertum fuerat, decreverit, quod omnes monachi Angli in dictâ Congregatione Hispanica professi extra Hispaniam degentes, qui cum reliquis in Congregationem Anglicam non essent incorporati, viverent secundum leges dictae Congregationis Anglicae, eiusdemque praesidi tamquam Congregationis Hispanicae vicario, provincialibusque et prioribus dictae Congregationis Anglicanae, potestatem Congregationis Hispanicae in eos respective habentibus, subiicerentur, subindeque decretum huiusmodi in capitulo generali anni proxime elapsi MDCXXV confirmatum, et de novo stabilitum fuerit;

Quae eadem Congregatio petit confirmari.

§ 4. Pro maiori tamen eiusdem decreti subsistentiâ, ac ad omnem in praemissis et circa ea dubitandi materiam e medio tollendam, monachi Congregationis Anglicae praedictae plurimum cupiant decretum ipsum apostolicae nostrae confirmationis patrocinio communiri:

Confirmat Urbanus.

§ 5. Nos, eorum votis huiusmodi, quantum cum Domino possumus, annuere,

1 Vide quae notavimus supra pag. 478 (R.T.).

illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, decreta in capitulis generalibus, ut praefertur, edita et confirmata, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae. § 6. Decernentes, eadem decreta valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et in futurum spectabit, firmiter et inviolabiliter observari et adimpleri, atque secundum[1] ea per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio. § 7. Non obstantibus praemissis, ac omnibus illis, quae in dictis litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX augusti MDCXXVI, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 30 augusti 1626, pontif. anno IV.

1 Vocem *secundum* nos addimus (R. T.).

CCXI.

Mandatum Torquato de Comitibus, ut eveniente traditione fortalitiorum, propugnaculorum et aliorum locorum Vallis Tellinae, illa recipiat nomine Sedis Apostolicae[1].

Dilecto filio nobili viro Torquato de Comitibus duci Guadagnoli,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili, nobilis vir, salutem et apostolicam benedictionem.

Torquati fides et bellica virtus. § 1. Singularis tuae[2] in nos et Apostolicam Sedem fidei et devotionis meritis generis nobilitati coniunctis, et, quam in re militari hactenus ostendisti, virtute, solertiâ et fortitudine inducimur, ut te rei maximi momenti administrandae, quae idcirco nobis summopere cordi est, praeficiamus, sperantes in Domino fore, ut in mandatis nostris exequendis nostrae pridem de te conceptae opinioni cumulate respondeas.

Mandatum, de quo in rubrica. § 2. Cum itaque aliàs te dilecti filii nobilis viri Caroli Barberini nostri secundum carnem fratris germani totius nostrae et S. R. E. militiae capitanei et gubernatoris generalis locumtenentem generalem militum et copiarum tam equestrium, quam pedestrium, necnon tormentorum bellicorum, armorumque omnium, quae pro fortalitiorum sive propugnaculorum Vallis Tellinae, comitatus Bormii, ac oppidi Chiavennae, aliorumque locorum, quae in felicis recordationis Gregorii Papae XV, praedecessoris nostri, sive nostris et Sedis Apostolicae manibus deposita fuerant, recuperatione conscribi et moveri respective contingeret, cum facultatibus ac sub certis modo et formâ tunc expressis, ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, apostolicâ auctoritate fecerimus, constituerimus et deputaverimus, prout

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Similem vide supra pag. 424 (R. T.).

in nostris desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur[1]: nos in eventum, in quem fortalitia sive propugnacula et alia loca huiusmodi nobis et eidem Sedi restitui, sive in manibus nostris et eiusdem Sedis potestate deponi contingat, nihil, quod ad muneris nostri partes pro Italiae, atque adeo universi christiani orbis pace conservandâ spectat, praetermittere volentes, simulque, ut omnibus innotescat, quanti negotium huiusmodi faciamus; motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut, in eventum restitutionis, seu depositionis, ut praefertur, fortalitiorum vel propugnaculorum et aliorum locorum huiusmodi, illa omnia et singula cum omnibus tormentis, armis, aliisque quibuscumque munitionibus, suppellectilibus, ac rebus in eisdem fortalitiis, sive propugnaculis et locis existentibus, a quacumque personâ sufficienti facultate[1] illa restituendi seu deponendi et titulo depositi tradendi aut consignandi habente, in depositum nostro et Sedis praedictae nomine et titulo depositi, ac aliàs in omnibus et per omnia prout tibi ab eodem Carolo capitaneo et gubernatore generali mandatum et significatum fuerit, recipias, dictamque personam de fortalitiis, sive propugnaculis et locis huiusmodi, tormentisque et munitionibus, ac suppellectilibus et rebus praedictis, sic receptis et consignatis, quietes, aliaque omnia et singula in praemissis, et circa ea, quae tibi ab eodem Carolo capitaneo et gubernatore generali mandata et significata fuerint, etiamsi talia sint, quae specialem, specificam individuam et expressam requirerent mentionem, facias, dicas, geras et exequaris, super quibus omnibus et singulis plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem, dictâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et impartimur.

Quatenus propugnacula, etc. tradantur.

Cum facultatibus opportunis:

§ 3. Mandantes propterea sub indignationis nostrae et aliis arbitrii nostri poenis, omnibus et singulis tam particularibus capitaneis equitum et peditum, quam ipsis equitibus et peditibus, ceterisque ad quos spectat, ut tibi in praemissis omnibus et singulis prompte pareant, faveant et assistant. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Mandatumque deparendo:

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX augusti MDCXXVI, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 30 augusti 1626, pontif. anno IV.

1 Quas vide supra pag. 424 (R. T.).

2 Legendum *sufficientem facultatem* (R. T.).

CCXII.

Confirmatio erectionis seminarii in civitate Coloniensi pro monachis S. Benedicti Congregationis Bursfeldensis, et illius constitutionum[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Sacrosanctum apostolatus officium humilitati nostrae, nullo licet meritorum suffragio, per ineffabilem divinae sapientiae providentiam commissum iugiter a nobis postulat, ut, inter gravissimas multiplicesque apostolicae servitutis curas, illam peculiari studio amplectamur, per quam christifideles, sub suavi religionis iugo Altissimo famulantes, felicioribus in dies proficere valeant incrementis, et ea, quae propterea pie et provide statuta sunt, libenter, cum a nobis petitur, apostolicae confirmationis robore communiamus.

Nuntius Apostolicus seminarium pro Benedictinis Congregationis Bur-

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Constantinus Caetanus abbas praesidens collegii Gregoriani de Urbe Ordinis S. Be-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Bursfeldensis Congregationis erigit;

nedicti Congregationis Cassinensis nobis nuper exponi fecit, venerabilis frater Antonius episcopus Vigiliensis, tunc Sedis Apostolicae in partibus inferioris Germaniae nuntius, monachis Congregationis Bursfeldensis eiusdem Ordinis, ut in praedictis et aliis Germaniae partibus felicioribus in dies proficerent incrementis, unum eiusdem Congregationis seminarium in civitate Coloniensi, sub certis modo et formâ tunc expressis, erexerit et instituerit, et pro felici eiusdem seminarii regimine atque directione nonnullas constitutiones edidit, tenoris subsequentis, videlicet:

Et constitutiones in eodem servandas edit.

Leges, sive regulae seminarii Benedictini a RR. PP. Unionis Bursfeldensis erecti in almâ universitate Coloniensi anno MDCXVI.

De admittendis.

Regula I. De disciplinâ regulari tenendâ,

Religiosi, qui ad hoc seminarium, auctoritate apostolicâ erectum, vel sunt pro tempore destinati, vel imposterum destinandi, ante omnia sibi persuasum habeant, quod non animi gratiâ ad otiandum, aut ducendum in bonis dies suos mittantur vel evocentur, sed ut sub eodem, qui in monasteriis est, aut secundum regulam esse deberet, rigore disciplinae, sacris, vel etiam, quibus opus erit, profanis litteris insudantes, Deo et sanctae Ecclesiae in ordine suo gratiam aliquando et utilem praestent operam; ideoque in nullo eis a praedicto rigore disciplinae recedere licebit, nisi in iis dumtaxat, quae praesidis, praelatorum superintendentium, ac regentis iudicio huic loco et statui censebuntur incompatibilia.

Regula II. De aetate admittendorum.

In mittendis ad seminarium religiosis advigilabunt praelati, ut tales mittant, qui ex studiis aliquem suo tempore fructum possint reportare, hoc est non nimis aetate provectos, aut teneros, sed mediocres, ab anno decimo octavo usque ad vigesimum quintum.

Regula III. Obedientia regenti praestanda.

Ut autem ablegati ex monasteriis primum venerint ad seminarium, deducentur per regentem ad reverendissimum dominum praesidem, vel in eius absentiâ ad praelatum aliquem superintendentem, eorumque regenti promittent obedientiam tamquam abbati suo illo saltem tempore, quo in seminario eos manere contigerit.

Regula IV. Cursu theologiae quadriennio consummando.

Manebunt autem omnes, qui frugis aliquam spem dederint, post cursum philosophicum in theologico studio per annos quatuor, neque arbitrio praelatorum suorum ante quadriennium evolutum revocari poterunt absque rationabili et gravi causâ, quam ut talem praesidens cum praelatis superintendentibus, audito etiam consilio regentis, approbaverit.

De regente.

Regula V. De regentis auctoritate et officio.

Regens, quem dominus praesidens cum consilio praelatorum supradictorum seminario praefecerit, eam potestatem habebit, quam habent abbates in suis monasteriis, absolvendi, inquam, ab omnibus casibus et censuris, a quibus absolvere possunt ipsi abbates. Item administrandi temporalia, constituendi et assumendi, cum opus fuerit, officiales et ministros, qui nihil agere poterunt citra ipsius voluntatem, illique in omnibus reverentiam et obedientiam exhibebunt, sicut praelato suo.

Regula VI. Qui ad praesidem in difficultatibus recurrere debeat;

Regens in difficultatibus, si quae occurrant, ad praesidem recurret, vel abbates superintendentes, quos etiam ad consilium et auxilium illi praestandum, volumus esse obbligatos.

Regula VII. Profectumque collegialium curare;

Curabit regens, ut exercitia fiant horis competentibus: item, ut studentes tam in verâ humilitate, quam in scientiâ proficiant; attendet ergo et advigilabit diligenter, ne tempus inutiliter consumant, ne tempore studii discursibus et fabulis vacent.

Regula VIII. Negligentes ad suae professionis monasterium remittere.

Orationes sive conciones a fratribus intra et extra seminarium habendas, per se, vel per alium ad hoc idoneum, sicut et ipsos studentes suis temporibus examinabit, et, si quos negligentes aut parum proficientes invenerit, qui se post iteratas admonitiones emendare non curaverint, habitâ deliberatione cum praeside et superintendentibus, remittere ad professionis suae monasterium.

Regula IX. De horis canonicis,

Advigilabit etiam diligenter, ut divinum officium diurnum pariter et nocturnum secundum regulam devote et attente, quantum fieri possit, suis horis celebretur.

Regula X. Aliisque piis exercitiis.

Super horis autem B. Virginis, vigiliis mortuorum, psalmis poenitentialibus, et aliis eiusmodi oneribus conventualibus, cum seminaristis, ut studiis liberius possint intendere, praesidens arbitrio suo poterit dispensare.

Regula XI. Sacro celebrando.

Sacrum ad minus unum quotidie in seminario celebretur per aliquem seminarii sacerdotem, quorum si sit defectus, praesidens ex alumnis inventos idoneos ad sacros ordines promoveri curabit, qui ordinati non ita se studiis immergent, quin ter ad minus per hebdomadam ad rem divinam celebrandam se praeparent, celebrentque: si secus fecerint, cessante legitimâ excusatione regenti explicandâ, corripiantur.

Regula XII. Confessione et sacrâ synaxi,

Ut inter alios etiam non sacerdotes sacramentorum pius usus conservetur, octavo quoque die omnes regenti, vel alicui quem ipse ad hoc ordinaverit, confitebuntur, et sacris initiati tam dominicis quam festivis diebus ad digne communicandum se praeparabunt; reliqui autem saltem singulis quindecim diebus communicare tenebuntur, nisi legitimum impedimentum interveniens regenti aperiant.

Regula XIII. Seminarii conservatione.

In summâ regens omnem diligentiam adhibebit, ut seminarii bonum in omnibus promoveat, eaque omnia tempestive removeat, quae in destructionem seminarii vel studiorum iacturam ullâ ratione cedere possunt.

De alumnis.

Regula XIV. De horis canonicis,

Mane horâ quartâ excitati statim absque ullâ cunctatione cum fervore spiritus et alacritate consurgent, et campanulâ auditâ in silentio pergent ad oratorium, primitias diei sibi concessae Deo consecraturi, sicque animo collecti se sistent in oratorio simul horas canonicas usque ad tertiam extra quadragesimam persoluturi.

Regula XV. Devote legendis.

Inter legendum vero advigilabunt, ut singula verba bene proferant, non truncabunt, non diminuent, neque acceleranter pronunciabunt, sed apposite ad intelligendum, longe ab illis facti, qui solis labiis Deum honorant.

Regula XVI. Oratione mentali.

Perlectis horis, orationi mentali festivis diebus per horam, feriatis autem per dimidiam dabunt operam, qua peractâ, aliquis sacerdotum rem divinam faciet, sive sacrum celebrabit.

Regula XVII. Postea suas cellas petent.

Subiunctis sacrificio, pro ratione temporis, sextis vel nonis, nisi necessitas aliud non suadeat, omnes ad cellam properabunt, in eâque bonis studiis occupati signum ad lectiones (quas eos, si philosophiae studeant, vel domi ad discursus vitandos, vel in gymnasio sibi viciniori audire volumus) expectabunt.

Regula XVIII. Modestia in itinere.

Exituri ad scholas simul pergent bini, si plures fuerint, nec quispiam ante finem egredietur, sed omnes simul eo, quo iverant, ordine revertentur, memores semper decoris ac religiosae modestiae.

Regula XIX. Vagationibus per Urbem non faciendis.

Ex scholis, finitis lectionibus aut aliis exercitiis, recte redibunt domum, nec per urbem vagari permittentur.

Regula XX. Lectionibus praesentia.

Nemo se a lectionibus absentabit sine expressâ veniâ regentis.

Regula XXI. Studio theologiae.

Similiter, qui inter eos sacrae theologiae dabunt operam, lectiones et disputationes ordinarias audient, nec a repetitionibus communibus, quae regulariter fient

horâ decimâ, absque eâdem licentiâ se absentare praesumant.

Regula XXII. Cuilibet classi praeficiendus religiosus.

Unus ex fratribus philosophiae studentibus praeficietur, alter theologiae studentibus, qui illis ubique in absentiâ regentis curiose intendent, et, si quid committi viderint inordinate, regenti denunciabunt.

Regula XXIII. De praefectis cubiculorum.

Habebunt etiam praefectos per singula cubicula, ubi plures simul habitabunt, qui advigilabunt, ut studii tempore silentium servetur, exercitiaque omnia in cubiculis facienda suo tempore incipiant et compleantur, et singulis septimanis regenti rationem reddere tenebuntur.

Regula XXIV. Lectiones a regente designandae.

Omnes eas lectiones audient, quas regens illis utiles fore iudicaverit, nec ante petitam et obtentam ab eo licentiam eas mutare praesumant.

Regula XXV. Deambulationes a singulis binis faciendae.

Diebus, quibus a lectionibus supersedetur, si veniam obtineant ambulandi, non praesument intrare domos civium, aut ibidem bibere, etiamsi omnino a quovis rogentur, neque exire poterunt solitarii, sed bini, terni, vel quaterni, quorum unus semper reliquis intendet.

Regula XXVI. Habitus regularis semper gestandus.

Tam in scholis, quam domi utentur habitu regulari, prout solent in suis monasteriis.

Regula XXVII. Nemo ad cubicula admittendus.

Nullum admittere poterunt ad cubicula absque veniâ regentis.

Regula XXVIII. Ab officinis abstinendum.

Culinam, aut reliquas officinas nemo intrare poterit, praeter eos, qui tenentur ex officio, vel mandato regentis.

Regula XXIX. De examine conscientiae.

Signum primum ad refectionem meridianam dabitur post undecimam, quo audito, omnes convenient ad oratorium per dimidium saltem quadrantem horae conscientiae examini vacaturi.

Regula XXX. Inter refectionem sacris vacandum lectionibus.

Inde, dato signo secundo, ad locum refectionis, quasi medicamenta sumpturi, concedent, ibique, praemissâ secundum regulam benedictione, decenter ac religiose sedentes, sacrae lectioni, quam regulariter per maiorem partem refectionis continuari volumus, diligenter intendent, mentem simul cum corpore refecturi.

Finitâ vero refectione, quia tempus, quod cibi sumptionem sequitur, ad serias occupationes minus aptum esse dignoscitur, remissionem aliquantulam per dimidium aut circiter horae spatium concedimus.

Regula XXXI. Remissio post prandium.

Finito colloquio, datoque signo, simul cum silentio ad cellam redibunt, et horis competentibus, ordine quo supra, ad scholas pergent et revertentur.

Regula XXXII. De lectionibus pomeridianis.

Horâ tertiâ pomeridianâ extra tempus quadragesimae simul persolvent vesperas, quas dominicis vel festivis diebus praesertim solemnioribus excipiet vel concio ab aliquo fratrum facienda vel spiritualis collatio, quam et aliis privatis diebus omnino volumus frequentari per medium quadrantem horae.

Regula XXXIII. Vesperis persolvendis et concione.

Horâ sextâ vespertinâ omnes iterum convenient ad oratorium, lecturi, ante coenam sive collationem vespertinam, matutinas cum laudibus diei sequentis.

Regula XXXIV. Matutino.

Coenâ persolutâ, iterum usque ad octavam religioso colloquio vacare licebit, quod excipiet oratio vespertina, quae claudetur lectione litaniarum.

Regula XXXV. Remissione et litaniis post coenam.

Completis litaniis, acceptâque de more benedictione, singuli somno cum silentio se conferent ad cubicula, et lectione alicuius libelli spiritualis se ad meditationem primo mane faciendam praeparabunt, praemissoque diligenti examine conscientiae simul incumbent, extincto ubique lumine per praefectos cubiculorum circa horam nonam.

Regula XXXVI. Deinde cubiculum singuli ire debent.

Supradictarum omnium regularum interpretatio erit penes regentem, cuius prudentiae et discretioni committimus, ut habitâ ratione loci, temporis et personarum eas possit moderari, et in eisdem, quando videbitur, dispensare.

Regula XXXVII Solus regens has regulas potest moderari.

De administratione temporali.

Ut rei temporalis administratio regenti non sit nimis onerosa, providebit reverendissimus dominus praesidens, ut pro religiosorum alimentis ea pecuniae summa

Regul. XXXVIII De pensione seminarie persolvendâ.

seminario persolvatur, ut praeter honestam alumnorum sustentationem, etiam ipsum seminarium inde aliquid commodi possit accipere, et paulatim assurgere, utque dimidia totius summae pars sexto quoque mense ante numeretur.

Regula XXXIX. De oeconomo. Regens aliquem ex fratribus sacrae theologiae studentibus, quando opus erit, oeconomum constituere poterit, cui indicem tradet totius suppellectilis, linteorum omnium, staneorum, lignorum; id subsignatum manu propriâ quam diligenter custodiet, et conferet singulis annis inventarium cum ipsâ suppellectile, ut mutari possit, prout opus esse iudicabit; maxime autem hoc fieri expediet quoties novus cocus admittetur.

Regula XL. Sacrista. Unum item ex fratribus, quem iudicabit maxime idoneum, sacristiae praeficiet, qui sacrae suppellectilis curam gerat; ad illum, et adiunctum, quando opus erit, subsidiarium, spectabit campanae sono fratres horâ convenienti ad divina officia convocare, oratorium semper mundum conservare, altaria pro ratione solemnitatum exornare, sacrasque vestes, quas ante omnia honestas procurari volumus, ad celebrantium usum mundas in altari praeparare, vinum denique, hostias, cereos et reliqua ad celebrandum necessaria in tempore exhibere.

Regula XLI. Praefecto bibliothecae. Constituet etiam aliquem ex doctioribus praefectum bibliothecae, qui librorum omnium indicem servabit, nec ullum ex bibliothecâ auferri sinet ab extraneis, praesertim absque scitu et consensu regentis, et libri quidem extraneis concessi notabuntur in libello ad hoc ordinato, qui vero domesticis, signabuntur in tabulâ ad hoc ponendâ in bibliothecâ.

Regula XLII. Ordinetur etiam aliquis diligens, qui refectorium, lintea et omnia vasa eius suo tempore mundari curet, vel per ministrum seminarii, vel per se, cum ille ad manum non erit.

Regula XLIII. Valetudinario. Cum numerus fuerit auctior, quamprimum domum habebunt propriam, etiam valetudinarium, loco nonnihil a reliquorum habitatione remoto, construere curabunt, in quo fratres aegrotantes curentur, quorum ministerio frater aliquis timoratus et charitativus deputabitur.

Regula XLIV. De ministris seminarii. Ministri seminarii tales assumentur, qui non tantum immunes sint ab omni labe haereseos, sed qui et christianae pietatis exercitiis excoli possint et cupiant: in quem finem etiam aliquis fratrum boni zeli constituetur, qui eos ex charitate instruat, regulariter singulis quindecim diebus confitebuntur, et communicabunt omnibus saltem festivitatibus Christi et Beatae Mariae Virginis, sacrum singulis diebus audient cum fratribus, et vesperi comparebunt ad benedictionem sive aquam lustralem: in summâ tam domi quam foris modestiâ et compositione suâ religiosorum se ministros profitebuntur.

Regula XLV. Eoque singulis annis visitando. Ut autem praedicta omnia felicius et efficacius exequutioni mandentur, reverendissimus dominus praesidens per se vel praelatos superintendentes, qui pro tempore erunt reverendi dominus sancti Martini maioris Coloniae, sancti Heriberti Tuitii et sancti Nicolai in Braviler, singulis annis seminarium visitabit, et a regente tam disciplinae quam totius acceptae et expositae pecuniae exiget rationem.

Nuntius apostolicus hasce regulas approbat. Quae omnia et singula capitula, auctoritate apostolicâ specialiter nobis concessâ, laudamus, confirmamus et approbamus, et omni ex parte stricte et inviolabiliter ita observari mandamus, et in fidem et robur omnium praemissorum hisce manum nostram apposuimus, et sigillum nostrum subimprimi iussimus.

ANTONIUS VIGILIARUM episcopus,
nuntius apostolicus.

Loco † sigilli.

Easque confirmat Pontifex.

§ 2. Nos, inviolabili erectionis et institutionis, necnon constitutionum praedictarum observationi, quantum cum Domino possumus, prospicere volentes, supplicationibus dicti Constantini nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis propagandae in universo mundo catholicae fidei praepositorum consilio, erectionem et institutionem seminarii huiusmodi, necnon praeinsertas constitutiones, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, sine cuiusque praeiudicio, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus; et nihilominus seminarium praedictum iuxta formam erectionis et institutionis per Antonium episcopum et nuncium factarum, ut praefertur, auctoritate et tenore praesentium, quatenus opus sit, sine cuiusquam praeiudicio erigimus et instituimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes praesentes litteras et in eis contenta quaecumque semper et perpetuo valida, firma et efficacia esse et fore, ac ab omnibus, ad quos spectat et in futurum pro tempore spectabit, firmiter et inviolabiliter observari, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II septembris MDCXXVI, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 2 septembris 1626, pontif. anno IV.

CCXIII.

Declaratio, quod capitula ecclesiarum cathedralium, quibus S. R. E. cardinales praesunt, ex indultis conferendi beneficia ecclesiastica reservata vel affecta eisdem cardinalibus concessis nullum ius praetendere possunt[1].

Sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Urbanus divinâ providentiâ Papa VIII.

Causae huius Constitutionis.

Accepto, quod sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, super indultis et facultatibus disponendi de beneficiis ecclesiasticis Sedi Apostolicae reservatis et affectis a Sede praedictâ sibi concessis, per capitula et canonicos cathedralium ecclesiarum, quibus illi ex concessione et dispensatione apostolicâ praesunt, impediuntur, sub praetextu quod ipsi capitula et canonici ius nominandi vel praesentandi, aut aliàs quomodolibet disponendi de beneficiis in mensibus non reservatis pro tempore vacantibus cum praedictis cardinalibus locorum Ordinariis coniunctim vel divisim habentes, tamquam membra capiti adhaerentia, a cancellariae apostolicae regulâ mensium reservatoriâ, a qua cardinales praeservantur, etiam excipi, et facultates ac indulta, quae certarum reservationum obstacula tollunt, sibi quoque suffragari debere praetendunt; et attendens privilegium, quod cardinales in praedictâ regulâ praeserventur, eis intuitu cardinalatus concessum esse,

1 Quod autem S. R. E. cardinales indulto conferendi beneficia ecclesiarum, quibus praesunt, non utantur nisi in beneficiis illarum ecclesiarum, quibus actu praesunt, vel quarum regimini ultimo loco cesserunt, declaravit hic sanctissimus Pontifex in Constitut. *Licet*, quam habes pag. seq. Moderationem vero indultorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium super collatione beneficiorum ecclesiasticorum habes in Pii V Constit. LVI, tom. VII, pag. 571 et in Gregorii XIV, Constit. XLVI, tom. IX, pag. 503, necnon Pauli V, Constit. CXLI, tom. XI, pag. 586.

neque rationi consonum fore, ut capitula et canonici, dum sui praesules cardinalatus honore praefulgent, plus iuris in praeiudicium Sedis Apostolicae seu ipsorum cardinalium praesulum, ius et indultum conferendi ab ipsâ Sede habentium, obtineant, quam si ipsi cardinales non forent :

Facultatis, seu indultorum de quibus in rubrica, declaratio.

§ 1. Motu proprio, sub die XXIX decembris, anni ab Incarnatione Domini MDCXXV, declaravit, intentionis et voluntatis suae esse, quod cardinales praesules de omnibus et singulis beneficiis ecclesiasticis, quomodolibet nuncupatis et qualificatis, ad eorum, etiam cum alio vel aliis, collationem, provisionem, praesentationem, electionem, seu quamvis aliam similem vel dissimilem dispositionem, ratione ecclesiarum quibus ipsi cardinales praesunt, coniunctim vel divisim spectantes (non tamen in libris camerae apostolicae descriptis, nec ex personis familiarium Suae Sanctitatis, vel conclavistarum, aut ratione vacationis apud Sedem praedictam reservatis vel affectis, quae omnia Sanctitas Sua sibi et successoribus suis pro tempore existentibus specialiter et expresse reservavit) ad praesens vacantibus et in futurum vacaturis, soli per se ipsos, vel alios ad id[1] deputandos, absque capitulis et canonicis, aliisque quamcumque ordinariam dispositionem eorumdem beneficiorum similiter coniunctim vel divisim cum eisdem cardinalibus habentibus, dummodo aliàs sub indultis eis concessis comprehendantur, libere provideant.

Privatio facta capitulis utendi dictis indultis.

§ 2. Neque capitula aut canonici huiusmodi privilegio, quod cardinalibus praesulibus, nullo habito capitulorum et canonicorum respectu, concessum esse dignoscitur, gaudere, frui, aut ius aliquod inde praetendere possint.

§ 3. Decernens, declarationem praedictam a dictâ die XXIX decembris robur obtinere debere, etiamsi necdum publicata fuisset, ac irritum, etc.

Placet, publicetur et describatur M.

Lecta et publicata fuit supradicta regula in cancellariâ apostolicâ, anno Incarnationis Dominicae MDCXXVI, *die vero* X *mensis septembris, pontificatus SS. D. N. anno* IV.

MARCUS ANTONIUS ASCENTIUS procustos.

1 Supple *ab eis* (R. T.).

CCXIV.

Declaratio, quod sanctae Romanae Ecclesiae cardinales ecclesiarum praesules indulto conferendi beneficia ecclesiastica, ratione ecclesiarum quibus praesunt, vel quarum regimini ultimo loco cesserunt, dumtaxat uti possint[1].

Urbanus Papa VIII, motu proprio, etc.

Causae huius constitutionis.

Licet nullus episcoporum, postquam regimini ecclesiae cui praeerat cesserit, in beneficiorum ecclesiasticorum dispositione ratione eiusdem ecclesiae sibi antea competenti ingerere se valeat; attamen nonnulli ex venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, sub praetextu indultorum apostolicorum eis pro tempore concessorum, beneficia nedum unius, sed etiam plurium ecclesiarum, quarum regimini cesserunt, vel a quarum vinculo ad alias translati absoluti reperiuntur, contemplatione aliàs ad se spectantia, conferre perseverant.

Quare motu simili, etc.:

Declaratio, de qua in rubricâ cum clausula irritanti.

§ 1. Declaramus, de cetero non licere cuivis personae, etiamsi cardinalatus honore praefulgeat, praetextu cuiusvis indulti apostolici concessi seu concedendi, facultatem huiusmodi etiam expresse continentis, conferre, vel quovis modo dispo-

1 Vide, quae notavi ad constitutionem praecedentem de hac materiâ.

nere de quibusvis beneficiis ecclesiasticis, quorum collatio, praesentatio, nominatio, vel quaevis alia dispositio separatim vel coniunctim cum aliis ad eum spectabat ratione cuiuscumque ecclesiae cathedralis, etiam metropolitanae, primatialis vel patriarchalis, cuius regimini cesserit, si quidem ad aliam episcopalem, archiepiscopalem, primatialem vel patriarcalem ecclesiam translatus, vel postmodum assumptus fuerit, sed indulto tantum ratione ecclesiae, cui actu praesit, vel cuius regimini ultimo loco cesserit, sibi concesso uti posse et debere; ac irritum, etc.

Exceptio nonnullarum ecclesiarum.

§ 2. Ostiensi et Veliternensi invicem perpetuo unitis, et Portuensi, ac Sabinensi, necnon Tusculana et Praenestina, ac Albanensi ecclesiis dumtaxat exceptis, quoad quas cardinalibus illarum pro tempore praesulibus facultate disponendi de beneficiis huiusmodi, etiam unâ cum indulto sibi ratione aliarum ecclesiarum, quibus actu praesunt, vel antea novissime praefuerint, ut praefertur, frui licere decernimus.

Sola signatura sufficiat.

§ 3. Statuentes, praesentium, etiam absque eo quod registrentur, aut illis data apponatur, solam signaturam nostram sufficere, et ubique in iudicio et extra, regulâ contrariâ non obstante, fidem facere;

Registretur in cancellariâ.

§ 4. Ac insuper illas in cancellariâ apostolicâ describi debere;

Omnes etiam absentes liget.

§ 5. Et deinceps omnes et singulos cardinales, etiam absentes, praesentes et futuros, et alios quoscumque, quorum interest, vel interesse poterit quomodolibet in futurum, afficere et ligare, nullamque eorum ignorantiam praetendere posse, non secus, ac si ei personaliter intimatae forent.

Contrariorum remotio.

§ 6. Statuto et ordinatione, decreto et declaratione per nos in crastinum assumptionis nostrae ad summi apostolatus apicem editis, quod cardinales in constitutionibus et regulis per nos post priorum nostrarum constitutionum et regularum editionem et publicationem imposterum faciendis non includantur, nisi illae eorumdem cardinalium favorem concernant, vel ipsae edendae constitutiones de illorum seu maioris partis eorum consilio editae fuerint, necnon praedictis et quibuscumque aliis regulis, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque nequamquam obstantibus.

Placet, motu proprio, publicetur et describatur M. Papae subscriptio.

Publicatio in cancellaria.

Lecta et publicata fuit supradicta constitutio in cancellariâ apostolicâ, anno Incarnationis dominicae MDCXXVI, *die vero* X *mensis septembris, pontificatus praelibati SS. D. N. anno* IV.

MARCUS ANTONIUS ASCENTIUS procustos.

CCXV.

Commissio episcopo Wratislaviensi apostolicâ confirmandi auctoritate fundationem et erectionem collegii Societatis Iesu in oppido Nissae cum universitate studii generalis[1].

Venerabili fratri episcopo Wratislaviensi, Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

In supereminenti Sedis Apostolicae speculâ, meritis licet imparibus, disponente Domino constituti, et intra mentis nostrae arcana revolventes, quantum ex litterarum studiis catholica fides augeatur, divini nominis cultus protendatur, veritas agnoscatur, et iustitia colatur, in his per quae litterarum studia huiusmodi ubilibet excitentur sollicitudinis nostrae partes propensis studiis impertimur, atque his, quae propterea facta fuisse dicuntur, libenter,

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

cum a nobis petitur, apostolici muniminis mandamus adiici firmitatem, prout principum virorum vota exposcunt, nosque conspicimus in Domino salubriter expedire.

Carolus archidux Austriae collegium Societatis Iesu in oppido Nissae cum universitate studii generalis erigit;

§ 1. Sane, dilectus filius nobilis vir Leopoldus ex archiducibus Austriae nobis nuper exponi fecit, quod aliàs bonae memoriae Carolus similiter ex archiducibus Austriae, ecclesiarum Brixiensis et Wratislaviensis, dum vixit, administrator apostolicâ auctoritate deputatus, ad omnipotentis Dei gloriam et militantis Ecclesiae exaltationem, in oppido civitate nuncupato Nissae Wratislaviensis dioecesis unum collegium clericorum Societatis Iesu cum academiâ ac publicâ studii universitate erexit et fundavit, illique inter alia fundum Olbersdorf in Silesia situm (olim ad militiam Theutonicorum[1] ex eo quod, cum aliàs charissimus in Christo filius noster Ferdinandus Romanorum rex in imperatorem electus eidem militiae pro quadam illius praeceptoriâ seu commendâ et certâ pecuniarum summâ vel in bonis stabilibus vel in pecuniâ satisfacere deberet, eoque nomine praedicto Carolo eiusdem militiae magno magistro seu administratori apostolicâ auctoritate deputato fundum huiusmodi, ita ut illum, vel dictae militiae applicare, vel alio, prout ei visum fuisset, distrahere posset, obtulisset; idem Carolus, fundi praedicti possessione acceptâ, dum de illo eidem militiae cedendo ageret, iamque militia ipsa contenta ius aliquod desuper acquisitura videretur, considerans fundum de Eulenberg per eum noviter emptum eidem militiae utiliorem fore, fundum huiusmodi ipsi militiae loco prioris de Olbersdorf concessit, proindeque, seu aliàs ex causâ permutationis, spectantem) cum omnibus iuribus et pertinentiis suis applicavit et appropriavit, prout in instrumentis seu scripturis publicis desuper confectis plenius dicitur contineri.

Fundosque pro dote assignat.

1 Puto excidisse verba *nunc autem ad se* (R.T).

Leopoldus erectionem et dotationem petit confirmari.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus Leopoldus plurimum cupiat, erectionem et fundationem collegii huiusmodi, aliaque praemissa, pro firmiori eorum subsistentiâ, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Urbanus Wratislaviensem delegat episcopum ad petitam confirmationem faciendam.

§ 3. Nos, piis eiusdem Leopoldi votis huiusmodi annuere, illumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut, si praemissa veritate niti repereris, erectionem et fundationem collegii huiusmodi, ac applicationem et approbationem[1], aliaque praemissa, de eiusdem tamen militiae consensu, auctoritate nostrâ apostolicâ approbes et confirmes;

Cum clausulis opportunis.

§ 4. Ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, suppleas, necnon praesentes litteras et in eis contenta quaecumque semper et perpetuo valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, eâdem auctoritate decernas.

Et contrariis derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis

1 Potius lege *appropriationem* (R. T.).

(etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x septembris MDCXXVI, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 10 septembris 1626, pontif. anno IV.

CCXVI.

Indultum ecclesiasticis regni Sardiniae, ut possint subsidium quadringenta millium scutorum, unâ cum subditis eiusdem regni, regi catholico persolvere[1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi catholico, Urbanus Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium a regis meritis petitum.

Eximius maiestatis tuae orthodoxae fidei conservandae et propagandae zelus, ac singularis erga nos et Apostolicam Sedem devotio, aliaque praeclara merita plane exigunt, ut subsidia pro eiusdem fidei, tuorumque regnorum et subditorum ab hostibus fidei defensione ab eisdem subditis tuis sponte oblata, quantum cum Domino possumus, adiuvemus.

Ecclesiastici unà cum laicis subsidium regi offerunt.

§ 2. Exponi siquidem nobis fecisti, quod, cum nuper dilecti filii subditi regni tui Sardiniae, animadvertentes, praedictum Sardiniae prae aliis regnis tuis barbarorum et aliorum piratarum infestationibus, invasionibus et direptionibus, ob eius Africanae orae vicinitatem, expositum esse, eamdem vero maiestatem tuam, pro religionis catholicae ac obedientiae erga S. R. E. conservatione[1] in tuis et exteris ditionibus ac regnis, aliisque gravissimis assidue sumptibus urgeri, summam quadringentorum millium scutorum spatio quinque annorum, octuaginta videlicet pro quolibet anno, persolvendam pro fidei catholicae defensione, necnon praesidio mille et ducentorum militum in eodem regno manutenendo, et aliàs civitatum, urbium, et locorum maritimorum, portuumque dicti regni contra barbarorum et aliorum piratarum impetus infestationes atque direptiones defensione, in certis terminis ac modo et formâ tunc expressis seu exprimendis exigendam, maiestati tuae sponte obtulissent, venerabiles fratres archiepiscopi, episcopi et universae personae ecclesiasticae eiusdem regni in comitiis eiusdem regni congregatis[2] in solutione dictae summae pro certâ ratâ, nostro et huius Sanctae Sedis accedente beneplacito, concurrere similiter sponte et libere obtulerunt et promiserunt.

Rex pontificiam in hoc interponi auctoritatem petit.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ex eo quod per Lateranense concilium novissime celebratum, diversasque alias canonicas sanctiones, sub diversis censuris et poenis caveatur expresse, ne reges, principes et alii seculares magistratus ab archiepiscopis, episcopis, abbatibus, et aliis personis ecclesiasticis, etiam sponte offerentibus, aliquam pecuniarum summam sive subventionem exigant aut recipiant, maiestas tua ac tui illius regni ministri dubitetis, ratam praedictam recipiendo, censuras et poenas praedictas incurrere et forsan incurrisse; et propterea, pro tuae et dictorum ministrorum conscientiae quiete, nobis humili-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Edit. Main. habet *conservationem* (R. T.).

2 Aptius aliàs legitur *congregati* (R. T.).

ter supplicari feceris, quatenus in praemissis nostram et huius Sanctae Sedis auctoritatem interponere dignaremur:

Pontifex indultum concedit, de quo in rubricâ.

§ 4. Nos, attentis praemissis, supplicationibus huiusmodi inclinati, spontaneae oblationi et promissioni per archiepiscopos, episcopos et alias ecclesiasticas personas ad effectum praemissum factis, pro hac vice tantum, nostram et dictae Sedis auctoritatem interponimus per praesentes; et nihilominus archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiasticis personis praedictis, ut ratam huiusmodi per eos, ut praefertur, sponte oblatam et promissam persolvere, ac tua maiestas et tui ministri eam petere et recipere, exigere et levare, absque conscientiae[1], seu censurarum et poenarum praedictarum incursu, libere et licite possint, apostolicâ auctoritate, earumdem tenore praesentium concedimus et indulgemus; ipsosque archiepiscopos, episcopos et alias personas ecclesiasticas, et earum singulas, quatenus ipsi dictam ratam iam promiserint aut solverint, necnon eamdem maiestatem tuam et tuos ministros praedictos, si eamdem ratam iam perceperint, ab omnibus et singulis censuris et poenis per eos propterea quomodolibet incursis, auctoritate et tenore praedictis absolvimus et absolutos fore censemus et declaramus.

Derogat obstantibus.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum, et beneficiorum huiusmodi (iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus, etiam in corpore iuris clausis, ac litteris apostolicis quibusvis generaliter vel specialiter concessis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Deest vox *periculo* vel *scrupulo* (R. T.).

Ecclesiasticos imposterum a similibus iubet abstinere.

§ 6. Volumus autem, ut imposterum personae ecclesiasticae dicti regni a solutione et exactione similium pecuniarum omnino abstineant; quodque poenitentiam, quam pro praemissis quivis confessarius ab Ordinario approbatus, illis et eorum cuilibet duxerit imponendam,[1] omnino teneantur;

Et transumptis fidem addit.

§ 7. Necnon, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, sigilloque personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae;

Exactionem per solos ecclesiasticos fieri praecipit.

§ 8. Quodque distributio, repartimentum, ac taxa et exactio ratae huiusmodi a personis ecclesiasticis in comitiis huiusmodi ab eisdem ecclesiasticis forsan deputatis, aut in eorum defectum ab Ordinariis locorum, seu a personis ecclesiasticis ab ipsis Ordinariis deputandis, dumtaxat fiat, ac ministris laicis, ad effectum praemissum, et pro summâ praedictâ tantum, consignetur, aliàs eaedem praesentes nullae sint eo ipso.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v octobris MDCXXVI, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 5 octobris 1626, pontif. anno IV.

CCXVII.

Confirmatio et innovatio Constitutionis Clementis VIII, qua vult dignitates Linguae Angliae obtinentes, votum in electione magni magistri hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani non habere, nisi fuerint ex Anglia oriundi[2].

1 Deest vox *adimplere* (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Muneri nostro apostolico incumbit, ut ea, quae, pro pace et quiete inter christifideles omnes, praesertim vero istius hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani fratres, qui prae ceteris fidem catholicam quoad possunt non modo promovere, sed et usque ad illorum sanguinis, vitaeque profusionem adversus quoscumque illius hostes defendere et tueri specialiter profitentur, fovendâ, ac semovendis ab illis litium et controversiarum materiis, recte per Romanos Pontifices praedecessores nostros ordinata fuerunt, firma et illibata permanere, quantumque fieri posset observari, curemus.

Referuntur Clementis Papae VIII litterae, de quibus fit mentio in rubricâ.

§ 1. Aliàs siquidem a felicis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Clemens Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Inter multiplices curas humeris nostris divinitus impositas in eam praecipue pastoralis officii nostri vigilantiam dirigimus, ut personae regulares, quae sub militaris religionis suavi, praesertim vero sacrae domus et hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, iugo gratum Deo exhibent famulatum, et in universâ christianâ republicâ adversus inimicorum suorum nefarios ausus defendendâ proprias facultates ac vitam ipsam continuo exponunt, litium et controversiarum procul semotis incommodis, in pacis amoenitate et animorum quiete vivere valeant. Cum itaque, tam nos, quam dilecti filii Hugo S. Mariae in Porticu diaconus cardinalis, magnus magister, vigore cuiusdam indulti sibi a felicis recordationis Sixto Papa V praedecessore nostro concessi, et conventus dicti hospitalis aliquas dignitates Linguae Angliae, et ad eam spectantes [1], diversis fratribus militibus dicti hospitalis contulerimus et concesserimus, ipsique contulerint et concesserint, prout in diversis quoque nostris, et illorum superinde confectis litteris plenius continetur; hincque ipsi sic provisi, etiam qui ex Anglia non sint, praetendere possint, praetextu eis collatarum dignitatum huiusmodi, eligi in numerum illorum octo, ad quos electio triumviratus pro novâ electione magni magistri dicti hospitalis faciendâ pro tempore spectat, seu aliàs ipsi electi intervenire, quod tamen solis regni Angliae, Hiberniae et aliorum locorum sub Linguâ Angliae comprehensorum oriundis, dictas dignitates pro tempore obtinentibus, iuxta formam stabilimentorum dictae religionis competere dignoscitur: nos, controversiis et incommodis, quae inde provenire possent, obviare, et aliàs in praemissis de opportunae declarationis remedio providere volentes, motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ et de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, decernimus et declaramus, praefatos a nobis, ac magno magistro et conventu praedictis, de quibus [1] huiusmodi dignitatibus ad dictam Linguam Angliae spectantibus quomodolibet et quandocumque provisos, et praetextu cuiusvis indulti, aut aliàs, non posse neque debere in praefatos octo electores eligi, neque intervenire alicui electioni cuiusvis futuri magni magistri dicti hospitalis, nullumque ius, neque actionem eis desuper competere, dum dignitates huiusmodi retinuerint, nisi ipsi sic provisi et dignitates ipsas obtinentes ex dictis regnis oriundi et ibidem sive in limitibus dictae Linguae nati sint; sicque etiam per ipsosmet magnum magistrum et conventum, ac quosvis alios iudices ecclesiasticos et seculares quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpre-

1 Erronee edit. Main. legit *spectantibus* (R. T.).

1 Vel lege *quibusvis*, vel dele *quibus* (R. T.).

tandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon statutis, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam per provisiones praefatas, aut aliàs, in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et expressa mentio habenda foret, illorum huiusmodi tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, latissime hac vice specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die primâ martii MDXCIV, pontificatus nostri anno III.

Eas innovat, confirmatque Urbanus.

§ 2. Nos vero, litterarum praeinsertarum observationi peramplius et quantum in nobis est consulere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, easdem praeinsertas litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis, tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis nostrae apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenisse dici possunt, supplemus, easdemque praeinsertas litteras et omnia et singula in eis contenta innovamus.

Clausulae pro praesentium firmitate.

§ 3. Decernentes illa, necnon praesentes litteras, semper valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, quos illa quomodolibet concernunt et concernent in futurum, inviolabiliter observari debere; sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus omnibus illis, quae in eisdem praeinsertis litteris dictus Clemens praedecessor voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die V octobris MDCXXVI, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 5 octobris 1626, pontif. anno IV.

CCXVIII.

Indultum ecclesiasticis regni Valentiae, ut cum laicis subsidium regi tribuere queant in summâ unius milionis et octuaginta millium scutorum[1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo, Hispaniarum regi catholico, Urbanus Papa VIII.

Charissimo in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Philippi regis erga catholicam fidem et Sedem Apostolicam merita.

Eximius maiestatis tuae orthodoxae fidei conservandae et propagandae zelus, ac singularis erga nos et Apostolicam Sedem devotionis, aliaque praeclara merita plane exigunt, ut subsidia, pro eiusdem fidei, tuorumque regnorum et subditorum ab hostibus fidei defensione, ab eisdem subditis tuis sponte et prompte oblata, quantum cum Domino possumus, adiuvemus.

Ecclesiastici subsidium regi unà cum laicis offerunt.

§ 1. Exponi siquidem nobis fecisti, quod, cum nuper dilecti filii subditi regni tui Valentiae in parlamento oppidi de Monson congregati, animadvertentes, maiestatem tuam, pro religionis catholicae ac obedien-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

tiae erga S. R. E. conservatione[1] in tuis et exteris ditionibus et regnis, aliis gravissimis assidue sumptibus urgeri, summam unius millionis et octuaginta millium librarum de regalibus decem pro qualibet librâ spacio quindecim annorum, septuaginta mille videlicet pro quolibet anno, persolvendam, in certis terminis ac modo et formâ tunc expressis, seu exprimendis, exigendam, maiestati tuae sponte obtulissent, venerabiles fratres archiepiscopi, episcopi et aliae personae, necnon universus status ecclesiasticus in comitiis eiusdem regni congregati in solutione dictae summae pro certâ ratâ, nostro et huius sanctae Sedis accedente beneplacito, concurrere similiter sponte obtulerunt et promiserunt.

Rex, regiique ministri illud recipi, petunt sibi permitti.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ex eo quod per Lateranense concilium, diversasque alias canonicas sanctiones, sub diversis censuris et poenis, caveatur expresse, ne reges, principes et alii magistratus seculares ab archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis personis ecclesiasticis, etiam sponte offerentibus, aliquam pecuniarum summam sive subventionem recipiant, maiestas tua, ac tui illius regni ministri dubitetis, ratam praedictam recipiendo, censuras et poenas praedictas incurrere et forsan incurrisse, et propterea, pro tuae et dictorum ministrorum conscientiae quiete, nobis humiliter supplicari feceris, quatenus in praemissis nostram et huius Sedis auctoritatem interponere dignaremur:

Indulget Pontifex.

§ 3. Nos, attentis praemissis, supplicationibus huiusmodi inclinati, oblationi et promissioni per universum eumdem statum ecclesiasticum, videlicet archiepiscopos, episcopos et alias personas ecclesiasticas, ad effectum praemissum dumtaxat factis, pro hac vice tantum, nostram et huius Sedis auctoritatem interponimus per praesentes; nihilominusque archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiasticis personis praedictis, ut ratam huiusmodi, per eos, ut praefertur, oblatam, persolvere, ac tua maiestas et tui ministri eam petere, recipere, exigere et levare, absque conscientiae[1], seu censurarum et poenarum praedictarum incursu, libere et licite possint et valeant, apostolicâ auctoritate, earumdem tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Eosque si receperint et ecclesiasticos, quatenus aliquid iam persolverint, absolvit a censuris.

§ 4. Ipsosque archiepiscopos episcopos, abbates et alias personas ecclesiasticas, et earum singulas, quatenus ipsi dictam ratam iam promiserint, aut solverint, necnon eamdem maiestatem tuam et tuos ministros praedictos, si eamdem ratam iam perceperint, ab omnibus et singulis censuris et poenis, per eos propterea quomodolibet incursis, auctoritate et tenore praedictis, absolvimus, et absolutos fore censemus et declaramus.

Obstantia tollit.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac quibuscumque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum huiusmodi (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus, etiam in corpore iuris clausis, ac litteris apostolicis quibusvis generaliter vel specialiter concessis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum mentio seu quaevis alia expressio habenda sit, et in eis caveatur expresse, quod per huiusmodi clausulas generales, etiam specialem mentionem importantes, eis derogatum esse non censeatur, aut derogari non videatur, nisi certis modo et formâ in illis expressis plene observatis, illorum omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter ex-

1 Edit. Main. legit *conservationem.*

1 Supple *periculo* vel *scrupulo* (R. T.).

pressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

A similibus imposterum iubet eos abstinere.

§ 6. Volumus autem, ut imposterum dictae personae ecclesiasticae dicti regni a solutione et exactione similium pecuniarum huiusmodi omnino abstineant; quodque poenitentiam, quam pro praemissis uniuscuiusque confessarius ab Ordinario approbatus illis et eorum cuilibet duxerit imponendam, adimplere omnino teneantur;

Transumptis fidem addit.

§ 7. Necnon quod praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, sigilloque personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae;

Exactionem per ecclesiasticos fieri mandat.

§ 8. Quodque distributio, repartimentum, taxa et exactio ratae huiusmodi, ecclesiasticos, ut praefertur, tangentis, a personis ecclesiasticis per eosdem archiepiscopos, episcopos, ac vestrum[1] statum huiusmodi dumtaxat deputatis, vel in eorum defectum ab Ordinariis locorum deputandis, fiat, ministrisque laicis ad effectum praemissum et pro ratâ praedictâ tantum consequendum[2], aliter praesens gratia nulla sit eo ipso.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI octobris MDCXXVI, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 6 octobris 1626, pontif. anno IV.

CCXIX.

Declarat confessarios quoscumque per archiepiscopum Limanum approbatos, per archiepiscopum successorem iterum examinari posse; populum vero in Paschate praecepto Ecclesiae non satisfacere, nisi sacram communionem in propriis parochiis sumat[1].

Venerabili fratri Gundisalvo, archiepiscopo Limano, Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Causae faciendae declarationis.

§ 1. Cum, sicut nobis nuper exponi fecisti, multi tuarum civitatis et dioecesis Limanae presbyteri, tam seculares quam regulares, ad sacras confessiones audiendas a tunc existente archiepiscopo Limano semel approbati, ab archiepiscopo eius successore se iterum eâ de causâ examinari minime posse vel debere; iidemque, omnes et quoscumque utriusque sexus christifideles seculares, qui a dominicâ Palmarum usque ad dominicam in Albis in ecclesiis suorum monasteriorum seu domorum vel aliorum locorum regularium sacram communionem sumpserint, praecepto Ecclesiae perinde satisfacere et satisfecisse, ac si illam in propriis parochiis sumpsissent, in vim assertorum privilegiorum sibi concessorum praetendant:

Declaratio, de qua in rubricâ.

§ 2. Nos, praemissis, ac inconvenientibus quae exinde oriri possunt, quantum nobis ex alto conceditur, obviam ire, teque spiritualibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacri Concilii Tri-

1 Aptius lege *eorum* (R. T.).

2 Potius lege *consignetur*, ut sup. pag. 494 (R. T.).

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

dentini interpretum consilio, archiepiscopum successorem posse confessarios tam seculares quam regulares iterum examinare; seculares vero non satisfacere praecepto Ecclesiae sumendi sacram communionem in die Paschatis, nisi sumant in propriis parochiis;

Clausulae. § 3. Sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus et declaramus.

Deputatio exequntoris. § 4. Quocirca tibi per praesentes committimus et mandamus, quatenus tu, per te, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta, ubi et quando opus fuerit, solemniter publicans, facias auctoritate nostrâ illa ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari, contradictores quoslibet et rebelles, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum. § 5. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quorumvis Ordinum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX octobris MDCXXVI, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 9 octobris 1626, pontif. anno IV.

CCXX.

Facultas cardinali S. Honuphrii capiendi possessionem ducatus Urbini in casu devolutionis eiusdem [1].

Dilecto filio nostro Antonio, tituli S. Honuphrii presbytero cardinali, Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Singulares, atque eximiae virtutes, quibus illarum largitor Altissimus personam tuam multipliciter insignivit, in causâ sunt, ut te muneri gravissimo et rei maximi momenti administrandae libenter praeficiamus, firmâ spe ac fiduciâ freti, te, fraterno secundum carnem vinculo nobis coniunctum, ac filiali reverentiâ et devotione nos prosequentem, in eâ functione fideliter, riteque obeundâ desiderio nostro cumulate satisfacturum.

Facultas cardinali Barberino possessionem ducatus Urbini capiendi. § 1. Motu itaque proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi, ut, casu aperitionis ac devolutionis ad nos et Romanam Ecclesiam, Sedemque et cameram apostolicam, feudi ducatus Urbini, necnon civitatum Senogalliensis et Pisaurensis, ac Status Montis Feretrani, aliorumque dominiorum, civitatum, oppidorum, terrarum, fortalitiorum et locorum quorumcumque, etiam speciali notâ et expressione dignorum, in et sub Statu dicti ducatus Urbini ad praesens quomodolibet comprehensorum, seu per ipsum ducem quomodolibet possessorum, quandocumque et quomodocumque eveniente, sive succedente, tu, per te, vel alium, seu

1 Ex Regest. in Secret. Brev. — Similem constitutionem habes supra pag. 258 et 356 (R. T.).

alios, secundum rei et casus exigentiam, et aliàs, prout occasio, rerumque et temporum qualitas exegerit, corporalem, realem et actualem possessionem ducatus, civitatum, dominiorum, oppidorum, terrarum et locorum praedictorum, eorumque territoriorum, districtuum, iurisdictionum, castrorum, fortalitiorum, sive propugnaculorum, membrorum, pertinentiarum et iurium quorumcumque, nostro et Ecclesiae Sedisque et camerae praedictarum nomine, amotis et expulsis exinde quibusvis detentoribus sive occupatoribus, apprehendas, sive a quibuscumque aliis in vim facultatum sibi a nobis desuper aliàs sub certis modo et formâ tunc expressis concessarum apprehensa recipias et retineas.

Fidelitatis iuramentum recipiendi;

§ 2. Necnon a communitatibus, universitatibus, gubernatoribus, praetoribus, locumtenentibus, magistratibus, capitaneis, colonnellis, castellanis et aliis quocumque nomine nuncupatis, quacumque dignitate fungentibus, officialibus ducatus, civitatum, dominiorum, oppidorum, terrarum et locorum, aliorumque praedictorum, homagia et fidelitatis iuramenta recipias, signa vel contrasigna antiqua similiter recipias, mutes, et nova constituas, renoves, et quibus opus fuerit, vel tu expediens iudicaveris, tradas et consignes; ac alios quoscumque actus possessorios,

Aliaque faciendi, quae civilem, criminalemque includunt iurisdictionem gerendi.

§ 3. Necnon in ducatu, civitatibus, dominiis, oppidis, terris et locis, aliisque praedictis quamcumque iurisdictionem civilem, criminalem et mixtam exerceas, modum et statum officiorum, magistratuum, tam optimatum, quam populi, et gubernii temporalis, necnon custodiae et militiarum, praesidiorumque ducatus, et civitatum, dominiorum, oppidorum, terrarum, locorum et aliorum praedictorum, prout tibi videbitur, immutes, ac etiam renoves, et de novo deputes, ad formamque et methodum regiminis et gubernii aliarum provinciarum, terrarum et locorum Status nostri Ecclesiastici redigas; quaecumque statuta, ordinationes et constitutiones circa praemissa et alia quaecumque, quae magis expedire iudicaveris, condas, publices et observari facias; necnon, si opus fuerit, quoscumque milites conscribas, et, quae pro commeatu et apparatu necessaria fuerint, undique perquiras et compares, ac ex quibuscumque locis Status nostri Ecclesiastici convehi et comportari facias, quaecumque armorum et belli negocia tractes, congressus militum generales vel particulares, prout res et occasio similiter postulaverit, constituas et imperes;

Expensas necessarias faciendi;

§ 4. Quascumque expensas, quae in praemissis et eorum occasione necessariae erunt, nostris et camerae apostolicae praedictae sumptibus facias, et, ut huiusmodi expensas facilius facere possis, quascumque pecuniarum summas ad nos et eamdem cameram spectantes a quibuscumque thesaurariis, datiariis, exactoribus, collectoribus, appaltatoribus, officialibus et ministris quibuscumque, quocumque nomine nuncupatis, debitas, necnon etiam a gubernatoribus, praetoribus et locumtenentibus provinciarum, civitatum et locorum quorumcumque Status nostri Ecclesiastici, a depositariis et exactoribus poenarum et maleficiorum, nostro et dictae camerae apostolicae nomine exigas et recipias, ac ipsos solventes de exactis quietes, ac etiam redditus communitatum et universitatum, ac civitatum, terrarum et locorum eiusdem ducatus Urbini recipias, et ex ipsis camerae, communitatumque et universitatum redditibus sumptus huiusmodi facias, de quibus tamen nullam nobis, aut Romanis Pontificibus successoribus nostris, aut, pro nobis et eis, dictae camerae, aut S. R. E. camerario, praesidentibus, clericis vel aliis quibuscumque Sedis et camerae apostolicae ministris, aut sanctae

Quin de iis rationem ullam reddere teneatur.

Romanae Ecclesiae cardinalium collegio, ullisque aliis unquam nominatim vel in specie rationem aut administrationis computum reddere tenearis, nec ad id cogi aut compelli possis: et nihilominus, si tu rationem aut administrationis computa sponte reddere volueris, expensas huiusmodi, per te, ut praefertur, faciendas, tanquam de expresso ordine et mandato nostro factas, ac veluti si a nobis ipsis factae fuissent, tibi, sine ullâ prorsus oppositione, aut partitarum per te dandarum reiectione, aut in dubium revocatione, bonas fieri, et in eiusdem camerae apostolicae libris describi, adnotari et acceptari libere volumus et expresse ordinamus et mandamus.

Concessio facultatum necessariarum.

§ 5. Ut vero omnia et singula, quae ad praemissa pertinent, summâ, ut decet, auctoritate praecipiantur, et pari celeritate debitae exequutioni demandentur,[1] omnibus et singulis archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis, necnon praesidentibus, gubernatoribus, praefectis, eorum locumtenentibus, praetoribus et aliis quocumque nomine nuncupatis officialibus et ministris, quavis potestate, auctoritate et privilegio suffultis, et quibuscumque, etiam a nobis et Apostolicâ Sede seu camerâ apostolicâ immediate deputationem habentibus, seu dependentibus, nec non baronibus, domicellis, comitibus, aliisque, etiam ducali, marchionali, vel aliâ dignitate insignitis, communitatibusque et universitatibus et hominibus quarumvis provinciarum, civitatum, terrarum et locorum nobis et sanctae Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectorum, omnia et quaecumque occasione praemissorum, quae tibi necessaria et opportuna visa fuerint, et toties quoties volueris, mandes, iubeas et imperes, ac etiam S.R.E. cardinalibus, etiam de latere legatis, rogando iniungas; omnes vero et singulos barones, domicellos, comites, aliosque, ducali et marchionali vel aliâ dignitate praeditos, et quaslibet alias singulares personas etiam ecclesiasticas, tam seculares, quam quorumvis Ordinum, seu militiarum, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, regulares (ita tamen, ut contra eosdem ecclesiasticos nonnisi per personas in dignitate ecclesiasticâ constitutas, per te semel vel pluries etiam iteratis vicibus deputandas, procedatur), si quae mandatis, iussis et monitionibus tuis obtemperare recusaverint, aut illis quoquo modo contradixerint vel sese opposuerint, tanquam nostris et apostolicis mandatis, iussis et monitionibus parere recusantes, illisque contradicentes, ac se opponentes, nostros et sanctae Romanae Ecclesiae, ac Sedis apostolicae rebelles declares et publices, ac contra illos summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, manu regiâ, nullo iuris ordine servato, nec aliquo formato processu, more militari, aut iure belli, ad privationem officiorum, feudorum et bonorum quorumcumque etiam allodialium per eos in quibuscumque locis possessorum, seu quovis modo obtentorum respective, omni et quacumque appellatione et recursu pospositis, procedas, et ubi iustitia ita exegerit, et ordo dictaverit rationis, seu cum ita expedire iudicaveris, eosdem contradictores et rebelles quacumque pecuniariâ, vel corporali, ac etiam ultimi supplicii poenâ affici facias, et contra eosdem, tam pro praemissis, quam pro aliis quibuscumque ab eis patratis criminibus et delictis, simili modo et formâ procedas (cum facultate quoscumque ex his resipiscentes, et veniam postulantes, ac de cetero a similibus abstinere proponentes, etiam post condemnationem, et in ipso iustitiae actu, seu poenae exequutione, absolvendi, ac poenas quascumque eis remittendi et condonandi, eosque, ac quoscumque alios, a quibusvis

1 Heic deesse videtur particula *ut* (R. T.).

gravissimis et capitalissimis causis et delictis, bannitos et condemnatos, habitâ tamen prius ab offensis pace, et praeterquam quoad bona fisco incorporata, liberandi et gratiandi, ac in pristinum gradum et dignitatem ac eum, in quo antea erant, statum restituendi, reponendi et plenarie reintegrandi, salvos conductus ad tempus vel in perpetuum iis, quibus tibi videbitur, concedendi), et generaliter omnia et singula ad statum, gubernium, regimen et administrationem ducatus, civitatum, dominiorum, oppidorum, terrarum, locorum, aliorumque praedictorum, nec non arcium, propugnaculorum et fortalitiorum custodiam, populorumque pacem et quietem et annonae abundantiam spectantia, ac tam gratiam quam iustitiam concernentia, etiamsi talia sint vel fuerint, quae sub generali verborum significatione non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis et speciali notâ digna essent, specialemque, specificam et expressam requirerent mentionem, facias, dicas, geras et exequaris, ac in omnibus et singulis praemissis quarumcumque personarum etiam ecclesiasticarum et regûlarium quorumcumque Ordinum, etiam quacumque dignitate etiam episcopali vel maiori fulgentium, operà utaris, easque cum facultatibus per te illis praescribendis subdeleges, ita tamen, ut de gestis et exequutis per te, aut mandato tuo per quoscumque alios, tu, vel illi nobis, aut Romanis Pontificibus successoribus nostris, aut S.R.E. cardinalium collegio, vel quibuscumque aliis, ut praefertur, praeterquam soli Deo, rationem aliquam ullo unquam tempore reddere minime teneamini, neque ad id cogi vel compelli possitis: super quibus omnibus et singulis plenam, liberam, absolutam et omnimodam facultatem, potestatem et auctoritatem tenore praesentium tibi concedimus et impartimur.

Eaedem facultates aliis etiam delegatae dicuntur.

§ 6. Quia vero venerabili fratri Paulo Æmilio archiepiscopo Urbinatensi, ac dilectis filiis provinciae Marchiae Anconitanae, necnon civitatis Perusinae, eiusque comitatus et districtus, provinciaeque Umbriae gubernatoribus et provinciae nostrarum Romandiolae atque exarcatus Ravennae praesidi [1], nonnullisque aliis, similem facultatem per nostras in huiusmodi formâ Brevis expeditas litteras concessimus, volumus, et earumdem tenore praecipimus, ut qui prius ex vobis possessionem ingressus fuerit, iurisdictionem et alia civilia praedicta exercere ac exequi possit et debeat, et si quid unus ex vobis incoeperit, nec ob impedimenta, seu aliàs, absolverit aut perficere non potuerit, alter prosequi, et debitae exequutioni demandare valeat.

Mandatum de parendo.

§ 7. Iniungentes propterea eisdem cardinalibus de latere legatis, ac mandantes archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis praedictis, sub interdicti ingressus ecclesiae ac suspensionis a divinis, et tam iis, quam quibuscumque gubernatoribus, praesidentibus, locumtenentibus, praetoribus, necnon thesaurariis, datiariis, exactoribus, collectoribus, appaltatoribus et aliis officialibus et ministris, quibuscumque nominibus nuncupentur, Sedis et camerae praedictarum in Statibus nostris praedictis existentibus, baronibus quoque, domicellis, ducibus, marchionibus, necnon communitatibus, universitatibus et hominibus quibuscumque, ac etiam ecclesiasticis secularibus et regularibus personis praedictis, demumque universis et singulis subditis nostris, immediatis et mediatis, in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae, necnon rebellionis, ac etiam excommunicationis latae sententiae poenis, ut tibi in omnibus et per omnia, quacumque excusatione, tergiversatione et impedimento remotis, prompte pareant, obediant et assistant, tuaque iussa, monita

1 Vide supra pag. 268 et 356 (R. T.).

et mandata, aeque ac nostramet, eâ qua decet obedientiâ, et perinde exequantur et adimpleant, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari: camerario vero, thesaurario generali, et praesidentibus clericis, aliisque camerae apostolicae praedictae ministris, ut impensas huiusmodi per te faciendas, et illarum partitas, per te, si tu expensarum rationem, ut praefertur, reddere volueris, exhibendas, in eiusdem camerae apostolicae libris describant et acceptent, et bonas faciant.

Obstantium derogatio.

§ 8. Non obstantibus felicis recordationis Pii IV de gratiis interesse camerae apostolicae concernentibus in eâdem camerâ intra certum tunc expressum tempus praesentandis et registrandis, ac Sixti V, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, contra bannitos et alios facinorosos, editis, necnon aliis apostolicis ac in universalibus, provincialibusque conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac ducatus, civitatum et aliorum locorum praedictorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XVIII octobris MDCXXVI, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 18 octobris 1626, pontif. anno IV.

CCXXI.

Nuncius apostolicus in regno Neapolis pro tempore existens deputatur conservator praeceptoriae S. Antonii de S. Antonio extra portam Capuanam [1].

Venerabili fratri Antonio episcopo Casertano, moderno et pro tempore existenti nostro et Apostolicae Sedis in regno Neapolis nuncio,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Causae faciendae deputationis.

§ 1. Conservationi et manutentioni praeceptoriae Ordinis S. Antonii de S. Antonio Viennensis, extra portam Capuanam civitatis Neapolitanae sitae, quam dilectus filius noster Laurentius tituli S. Mariae in Aquiro presbyter cardinalis Magalottus nuncupatus in commendam ad sui vitam ex concessione et dispensatione apostolicâ obtinet, illiusque bonorum, rerum et iurium quorumcumque, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, supplicationibus eiusdem Laurentii cardinalis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati:

Deputatio, de qua in rubricâ.

§ 2. Te omnium et singulorum fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum et emolumentorum, aliorumque bonorum et rerum eiusdem praeceptoriae conservatorem, cum omnibus et singulis auctoritatibus, facultatibus, iurisdictionibus, privilegiis, favoribus, gratiis et indultis, similibus conservatoribus, de iure, usu, consuetudine, privilegio, aut aliàs quomodolibet, competentibus et competituris, servatâ tamen in omnibus et per omnia litterarum felicis recordationis Gregorii Papae XV praedecessoris nostri desuper editarum formâ, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, constituimus et deputamus.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Clausulae. § 3. Decernentes, praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac praedictae praeceptoriae in omnibus et per omnia plenissime suffragari, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XXIII octobris MDCXXVI, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 23 martii 1626, pontif. anno IV.

CCXXII.

Revocatio omnium gratiarum, exemptionum, indultorum ac privilegiorum quomodolibet concessorum assistentibus ultramontanis prioris generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini absolutis ab eorum officio, quo peracto ad suas provincias redire tenentur [1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Romanus Pontifex aequi bonique supremus assertor gregi Dominico a Deo et Salvatore nostro praepositus, ut iuxta verbum propheticum noxia evellat et destruat, utiliaque plantet et aedificet, ea interdum, quae rationabilibus ex causis a Sede Apostolicâ concessa sunt, ipsâ subinde rerum experientiâ suadente, et maioribus ex causis, quibus praesertim felici christifidelium sub suavi [1] religionis iugo Altissimo famulantium statui et salubri gubernio consulitur, alterat et revocat, in hisque sollicitudinis et providentiae suae studium favorabiliter interponit, prout pia catholicorum regum vota id exposcunt, et ipse, rerum et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Causae revocandi privilegia assistentibus concessa. § 1. Cum itaque, sicut charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus nobis nuper exponi fecit, ratione privilegiorum, gratiarum et indultorum fratribus ultramontanis assistentibus prioris generalis Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini tam praeteritis quam futuris ab hac sanctâ Sede, et aliàs concessorum, expleto eorum officio, non levia in eodem Ordine inconvenientia et perturbationes oriantur:

Revocatio, de qua in rubricâ. § 2. Nos, illis, quantum nobis ex alto conceditur, opportune providere volentes, supplicationibus dicti Philippi regis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, omnia et singula, exemptiones, immunitates, praerogativas, praeeminentias, gratias, privilegia et indulta eisdem fratribus ultramontanis assistentibus per Sedem Apostolicam sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio vel aliàs, ac etiam per quoscumque alios concessa, quibus huiusmodi assistentes, expleto suo huiusmodi officio, hactenus usi et gavisi sunt, sive uti et gaudere potuerunt vel debuerunt, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo revocamus et abrogamus, ac revocata et abrogata esse censemus.

1 De assistentibus prioris generalis huius Ordinis habes in Const. CCXXXIX Pauli V, *Provisionis*, (in h. n. ed. CCLVIII, tom. XII, pag. 289). Et de hoc Ordine vide ad Const. XVI Alexand. IV, tom. III, pag. 616. Et alia nonnulla de promovendis ad doctoratus vel magisterii in sacrâ theologiâ gradus statuit istemet Pontifex in Constit. CXXII, *Romanus* (in h. n. ed. CXXXIV, supra pag. 320).

1 Edit. Main. legit *suavis* (R. T.).

Assistentes expleto officio ad suas provincias redire tenentur.

§ 3. Ipsosque assistentes, finito eorum officio huiusmodi, ad suas provincias redire teneri, et ad id per modernum et pro tempore existentem dicti Ordinis priorem generalem opportunis iuris et facti remediis cogendos;

Clausulae praeservativae.

§ 4. Praesentes vero litteras, omniaque et singula in eis contenta semper et perpetuo valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari; sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, auctoritate et tenore praesentium decernimus et declaramus.

Contraria removentur.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis litteris apostolicis super concessione privilegiorum, gratiarum et indultorum huiusmodi expeditis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quemodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV novembris MDCXXVI, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 25 novembris 1626, pontif. anno IV.

CCXXIII.

Confirmatio cuiusdam decreti magni magistri et consilii hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani super receptione Helvetiorum ad habitum militiae [1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem, aequi bonique supremum assertorem, ea, quae in personarum inter hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani fratres ad fidei catholicae defensionem et propagationem nomen dare cupientium favorem mature facta et decreta sunt, ut ab omnibus inviolabiliter observentur, apostolicae confirmationis patrocinio communire, prout, personarum, rerumque et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicit salubriter in Domino expedire.

Conceditur Helvetiis ut admitti possint ad militiam in linguâ Alemanniae.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, aliàs a tunc existente magno magistro et capitulo dicti hospitalis emanaverit decretum tenoris subsequentis, videlicet:

Die VIII mensis iunii MDXCIX, illustrissimus et reverendissimus dominus magnus magister et venerabile concilium, habitâ super hoc maturâ consultatione, relatione et voto venerandorum commissariorum, qui oretenus deputati fuerunt super hoc negotio, honeste gratificari putantes strenuae reipublicae confoederationi, et universitati inclytae nationis dominorum Helvetiorum, et gratiosâ quadam moderatione ritui et vivendi modo ipsorum accommodatâ rigorem statutorum Ordinis nostri et militiae nostrae dumtaxat temperantes, cum scrutinio ballottarum, ordinaverunt et statuerunt, ut imposterum in venerandâ linguâ Alemanniae recipi et admitti possint in gradum fratrum militum nostri habitus aliquot ex filiis praefatae strenuae reipublicae, qui, religionis zelo permoti, ad obsequium pauperum Iesu

1 Ex regest. in Secret. Brev.

Christi et tuitionem fidei catholicae, nomen Ordini nostro[1] et militiae nostrae dare optaverint;

Qui tamen expressas hic habeant dotes.

§ 2. Si tamen ex legitimo matrimonio et honesto loco nati et bene educati, atque a patribus, avis, atque proavis tantummodo paternis et maternis legitimis, honore praeditis, atque ex primatibus ipsius strenuae reipublicae prognati fuerint. Qui quidem eorum patres et primi avi in officiis sordidis et mechanicis nunquam se se exercuisse, neque exercere[2], comprobari debeant, et quod alicui mercaturae vili, infimae, seu parvi momenti, neutiquam operam dederint, quinimo sint filii ductorum sive generalium exercituum militiarum, et teneantur de praemissis propriis expensis probationes conficere coram duobus commissariis deputandis vel a priore et capitulo provinciali prioratus Alemanniae, vel a magistro et a concilio. Et demum unâ cum ipsis probationibus sic perfectis se se praesentare debeant personaliter coram dicto priore et capitulo provinciali, antequam ad hunc conventum Melitae se conferant.

Admissi commendas eiusdem linguae possunt obtinere.

§ 3. Qui autem, ut praefertur, recipientur inter ceteros milites praefatae venerandae linguae Alemanniae, secundum consuetum ordinem et eorum antianitatis gradum et turnum, commendas de cabimento, et, servatis servandis, de melioramento per universos prioratus Alemanniae limites constitutas[3], consequi et obtinere possint et valeant.

Legalitas decreti.

§ 4. Et quia ita se habet veritas, factâ fideli cum originali collatione, concordare comperimus; ideo in huius rei testimonium bulla nostra magistralis in cerâ nigrâ praesentibus est impressa. Datum Melitae in conventu nostro die II mensis martii MDCXVI ab Incarnatione.

1 Edit. Main. legit *nostri* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *exerceant* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *constitutos* (R. T.).

Quod pontificia roboratur confirmatione.

§ 5. Nos, inviolabili dicti decreti et in eo contentorum huiusmodi observationi, perpetuaeque validitati, quantum nobis ex alto conceditur, prospicere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praeinsertum decretum huiusmodi cum omnibus et singulis in eo contentis, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illique perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et sigulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 6. Decernentes praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Commissarii deputantur exequutores.

§ 7. Quocirca venerabili fratri episcopo Melevitano, ac dilectis filiis causarum curiae camerae apostolicae generali auditori necnon inquisitori haereticae pravitatis in insulâ Melevitana residenti, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, solemniter publicantes, faciant auctoritate nostrâ illas, ac in eis contenta quaecumque, ab omnibus et singulis ad quos spectat inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles, ac in praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione posposità, compescendo, invocato

etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Obstantia tolluntur.

§ 8. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti hospitalis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contraris quibuscumque.

Transumptisque fides additur.

§ 9. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII decembris MDCXXVI, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 7 decembris 1626, pontif. anno IV.

CCXXIV.

Pro confraternitate Musicorum in ecclesiâ congregationis clericorum regularium S. Pauli Decollati de Urbe aliàs institutâ, revocatio prohibitionis, de qua in § VI, *ac indulti, de quo in* § VII *Constitutionis confirmatoriae ipsius* [1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Humanarum rerum ea est incerta conditio, ut nihil tam prudenter statui, et tam provide concedi possit, quod interdum, novis rationibus et causis exigentibus, immutandum, atque in aliam formam omnino redigendum esse non appareat.

Enarrat, quid praecedentis Constitutionis § 6,

§ 1. Aliàs siquidem, supplicationibus dilectorum filiorum officialium et confratrum confraternitatis musicorum nuncupatorum de Urbe nobis humiliter porrectis inclinati, inter ceteras gratias eis a nobis concessas, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, et praesertim librorum impressoribus et bibliopolis, sub certis poenis eo ipso absque ullâ declaratione incurrendis, ne de cetero in Urbe quascumque tam proprias, quam alienas musicales compositiones et moctetta cuiusvis generis et speciei existentia eatenus per quoslibet artis musicae peritos composita et de cetero componenda, sive ad ipsam Urbem ad effectum impressionis transmittenda, absque speciali correctorum seu revisorum ab ipsâ confraternitate deputatorum licentiâ in scriptis obtinendâ, quae tamen gratis concedi deberet, imprimere, aut ab alio vel aliis impressa vendere, seu venalia habere vel proponere quoquo modo auderent seu praesumerent, interdiximus et prohibuimus.

Quid § 7 constituerat.

§ 2. Ad haec, ut ad publicas artis musicae huiusmodi scholas in dictâ Urbe aperiendas imperiti nullatenus admitterentur, dictae confraternitati, quod de cetero omnes et singuli, sive clerici sive laici, artis musicae huiusmodi scholas in dictâ Urbe aperire, in eisque publice musicam docere volentes, licentiam ab eisdem de-

1 Constitutionem confirmationis eiusdem confraternitatis vide supra pag. 243 huius tomi (R.T.).

putatis in scriptis, et sigillo eiusdem confraternitatis munitam, quae gratis concederetur, petere et obtinere deberent, concessimus et indulsimus, et aliàs prout in nostris desuper in simili formâ Brevis sub die XX novembris MDCXXIV expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Causasque propter quas contrarium sit decernendum.

§ 3. Cum autem, sicut accepimus, per prohibitionem et concessionem et indultum supra expressa non solummodo cantoribus et cappellanis cappellae nostrae, verum etiam aliis christifidelibus et praesertim musicis et bibliopolis et impressoribus praeiudicium inferri experientiâ compertum sit:

Praedicta itaque irritat.

§ 4. Nos, illorum omnium indemnitati paternâ charitate consulere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ nostrâ, prohibitionem et concessionem, ac indultum, quoad supra expressa tantum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, revocamus, cassamus et annullamus, viribusque, et effectu vacuamus, ac revocata, cassa, viribusque et effectu vacua esse et fore, nec officialibus et confratribus praedictis de cetero suffragari posse aut debere;

Ctausulas apponit opportunas.

§ 5. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, auctoritate et tenore praedictis decernimus et declaramus.

Contraria tollit.

§ 6. Non obstantibus litteris nostris praedictis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX decembris MDCXXVI, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 9 decembris 1626, pontif. anno IV.

CCXXV.

Nonnullae ordinationes pro missis in ecclesiâ S. Gregorii de Urbe celebrandis, et recipiendis elemosynis[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Missarum oneribus cum satisfieri non posset;

§ 1. Cum, sicut accepimus, quamplures eleemosynae, pro missis in ecclesiâ monasterii S. Gregorii de Urbe Congregationis Camaldulensis pro animarum christifidelium defunctorum refrigerio et salute celebrandis, eidem ecclesiae in dies erogentur; omnes vero missae huiusmodi ob nimiam earum quantitatem in dictâ ecclesiâ celebrari nequeant:

Mandat patri priori monasterii, omnem adhibeat curam, ut iis satisfiat;

§ 2. Nos, qui omnium saluti paternâ charitate intendimus, piae christifidelium intentioni atque desiderio, quantum nobis ex alto conceditur, consulere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, dilecto filio moderno et pro tempore existenti dicti monasterii priori in virtute sanctae obedientiae per praesentes praecipimus et mandamus, ut, satisfactis prius oneribus perpetuis missarum sive anniversariorum, quibus monasterium huiusmodi obnoxium est, pro satisfactione eleemosynarum manualium in eâdem ecclesiâ de cetero ad effectum praedictum elargiendarum, sive erogandarum, maiorem, quam possit, diligentiam adhibeat, ut debito eleemosynarum huiusmodi numero in ecclesiâ praedictâ satisfiat;

Ceteras eleemosynas Congregationis suae distribuat monasteriis;

§ 3. Pro illis autem, quibus satisfacere non poterit, in Urbe per sacerdotes seculares, vel cuiusvis Ordinis regulares, de superiorum suorum licentiâ, alteri missarum celebrationis oneri non obnoxios, vel eas monasteriis Congregationis huiusmodi, ut in eorum ecclesiis celebrentur,

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

distribuendo, satisfieri omnino curet, quae monasteria nulli missarum celebrationi, quae distributionis vigore praesentium faciendae exequutionem non impediant, sint obligata; dictusque prior, sexto quoque mense notulam peractae distributionis ac satisfactionis dilecto filio nostro in almâ Urbe vicario in spiritualibus generali, vel ab eo specialiter deputato, consignet;

Rationemque de iis Urbis vicario senis quibusque reddat mensibus.

§ 4. Quodque de cetero eleemosynae pro missis in eâdem ecclesiâ S. Gregorii celebrandis, quae infra modicum tempus ibi celebrari non poterunt, illic minime recipiantur, nisi sacrista, vel alius minister missarum numero describendo atque oblationibus recipiendis praefectus, prius admoneat singulos, qui eleemosynas offerunt, de tempore intra quod missae ab iis requisitae probabiliter celebrari poterunt.

Nec manuales recipiantur eleemosinae nisi certioratis de tempore celebrationis missarum largitoribus.

§ 5. Praeterea, quod pecuniae, quae ad praesens in deposito ex eleemosynis missarum conflatae reperiuntur, per alias eiusdem Congregationis, seu almae Urbis nostrae ecclesias, arbitrio abbatis generalis eiusdem Congregationis et dicti Ordinis prioris, vel sacerdotibus, nulli pariter alteri celebrationis missarum oneri, ut praefertur, obnoxiis, praevio consensu et approbatione eiusdem vicarii nostri, vel eius deputati, quam primum distribuantur, ad hoc ut totidem missae pro fidelibus defunctis quamprimum celebrentur, et infra sex menses proximos eidem vicario nostro, vel eius deputato, notula, tam peractae distributionis, quam celebrationis missarum, per eumdem priorem consignetur.

Praesentes vero eleemosynae ceteris Urbis ecclesiis distribuantur.

§ 6. Insuper ecclesiis seu altaribus, in quibus missae pro eleemosynis dictae ecclesiae S. Gregorii elargitis, ut supra, celebrabuntur, easdem indulgentias, quae ipsi ecclesiae S. Gregorii a Sede Apostolicâ concessae reperiuntur, auctoritate nobis a Domino traditâ, ac de omnipotentis Dei misericordiâ, ac sanctorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, earumdem tenore praesentium concedimus.

Ipsisque ecclesiis Pontifex ecclesiae sancti Gregorii concessas indulgentias concedit.

§ 8. Decernentes, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque semper et perpetuo valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per dictum priorem, aliosque, ad quos quomodolibet spectat et in futurum pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque et non aliàs per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et diffiniri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, dictae congregationis, illiusque monasteriorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Obstantia tolluntur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX decembris MDCXXVI, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 9 decembris 1626, pontif. anno IV.

CCXXVI.

Prior praedicti monasterii S. Gregorii Congregationis Camaldulensium censetur etiam procurator generalis ipsius Congregationis[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Felici ac prospero monasterii abbatiae nuncupatae S. Gregorii de Urbe Congregationis Camaldulensium, quod dilectus

Exordium.

1 De his Eremitis Camaldulensibus quamplura sancivit Leo X Const. II, tom. V, pag. 542 pro bono regimine eorumdem.

filius noster Scipio tituli S. Chrysogoni presbyter cardinalis Burghesius nuncupatus in commendam ad sui vitam ex concessione et dispensatione apostolicâ obtinet, quantum cum Domino possumus, consulere volentes;

Declaratio, de qua in rubricâ.

§ 1. Motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, officium procuratoris generalis eiusdem Congregationis priori dicti monasterii (ita ut statim atque quis in monasterii huiusmodi priorem eligetur, etiam procurator generalis ipsius Congregationis electus censeatur, et e converso) tenore praesentium perpetuo unimus, annectimus et incorporamus; volumusque, ut unio, annexio et incorporatio huiusmodi, cum primum praesentis procuratoris, cui nullatenus praeiudicare intendimus, officium cessaverit, effectum sortiantur; utque pro alimentis vel aliis sumptibus abbatis generalis vel procuratoris generalis eiusdem Congregationis, qui idem non sit prior dicti monasterii, ex redditibus vel proventibus ad ecclesiam seu monasterium S. Gregorii quomodocumque pertinentibus de cetero nil prorsus detrahi aut insumi possit.

Eximit monasterium a quibuscumque taxis.

§ 2. Praeterea monasterium ipsum, seu illius priorem, ab omnibus et quibuscumque taxis, seu contributionibus, tam a capitulo generali, quam ab ipso priore generali, seu quibusvis aliis superioribus dictae Congregationis, quamcumque ob causam impositis vel imponendis, auctoritate et tenore praedictis totaliter eximimus et liberamus.

Decretum irritans.

§ 3. Decernentes, praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et diffiniri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae congregationis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX decembris MDCXXVI, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 9 decembris 1626, pontif. anno IV.

CCXXVII.

Confirmantur duo decreta super validitate professionum a fratribus et monialibus Tertii Ordinis S. Francisci de Poenitentia congregationis Galliae emissarum, lata a praeside et assistentibus capituli generalis eiusdem congregationis a Francisco cardinali Barberino Apostolicae Sedis in Galliam legato deputatis [1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ex debito apostolicae servitutis, quam divina maiestas, nullis nos iuvantibus meritis, sed ex suae bonitatis abundantiâ, nostris humeris imposuit, iis, quae pro exortis circa emissa per personas regulares solemnes professiones dubiis submovendis, ut ipsae personae regulares intra professionum suarum huiusmodi limites reddant Domino debitos fructus, recte facta et or-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

dinata fuisse dicuntur, apostolicae confirmationis munimen libenter adiicimus, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Ad preces procuratoris generalis huiusce Congregationis,

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ambrosius Lexoviensis, fratrum Tertii Ordinis S. Francisci de Poenitentiâ nuncupatorum strictioris observantiae congregationis Galliae procurator generalis, quod aliàs, imminenti proxime celebrati capituli generalis dictae congregationis celebratione, pro parte dilectorum filiorum fratrum Ordinis et congregationis huiusmodi dilecto filio nostro Francisco sanctae Agathae diacono cardinali Barberino nuncupato nostro secundum carnem ex fratre germano nepoti (tunc ad charissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum regem christianissimum et universum Franciae regnum, illiusque provincias, dominia, civitates, oppida, terras et loca eidem regi subiecta et dicto regno adiacentia, ceteraque alia loca, ad quae illum declinare contigisset, nostro et Sedis Apostolicae de latere legato) exposito, ipsos capitulum huiusmodi in domo regulari S. Martae de Gratia nuncupatae Parisiensi eiusdem congregationis, pro electione visitatoris generalis et aliorum superiorum Ordinis et congregationis praedictorum, necnon diversis negotiis ordinem et congregationem huiusmodi concernentibus, tunc propediem celebrare debere; in similibus vero capitulis nonnulla interdum dubia ac differentias in maximum totius ordinis praeiudicium oriri solere; et propterea pro parte eorumdem fratrum eidem Francisco cardinali et legato humiliter fuisse supplicatum, ut in praemissis opportune providere de susceptae legationis suae officio dignaretur; idem Franciscus cardinalis et legatus venerabilem fratrem Rolandum archiepiscopum Bituricensem in praesidem dicti capituli, necnon Andream du Val presbyterum in academiâ Sorbonicâ Parisiensi sacrae theologiae professorem, ac unum ex patribus alicuius a Sede praedictâ approbatae religionis a dicto capitulo eligendum, dilectos filios, in eius assistentes auctoritate sui legationis officii constituit et deputavit, prout plenius continetur in litteris dicti Francisci cardinalis et legati, quarum tenor est qui sequitur, videlicet:

Franciscus Barberinus nonnullos deputat praesidem et assistentes pro capitulo generali.

§ 2. Franciscus, miseratione divinâ S. Agathae diaconus cardinalis Barberinus nuncupatus, ad serenissimum principem Ludovicum Francorum regem christianissimum, ac universum Franciae regnum, illiusque provincias, dominia, civitates, oppida, terras et loca eidem regi subiecta et dicto regno adiacentia, ceteraque alia loca, ad quae nos declinare contigerit, sanctissimi in Christo Patris et Domini Nostri Domini Urbani divinâ providentiâ Papae VIII et Sedis Apostolicae de latere legatus. Cum, sicut nobis nuper dilecti nobis in Christo patres Tertii Ordinis sancti Francisci congregationis Franciae exponi fecerunt, ipsi capitulum eiusdem congregationis in domo regulari S. Mariae de Gratia nuncupatae eiusdem Ordinis Parisiensi, tam pro electione visitatoris generalis ac aliorum superiorum dictorum Ordinis et congregationis, quam etiam pro diversis negotiis Ordinem et congregationem huiusmodi concernentibus, propediem celebrare debeant; in similibus vero capitulis nonnulla interdum dubia ac differentiae in maximum totius Ordinis praeiudicium oriri soleant; quare pro parte eorumdem patrum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eis in praemissis opportune providere de suscepto legationis nostrae officio dignaremur: nos, qui pacem inter personas quaslibet, praesertim sub suavi religionis iugo Altissimo famulantes, vigere sinceris exoptamus affectibus, huiusmodi supplicationibus inclinati, reverendissimum dominum Rolandum mo-

dernum archiepiscopum Bituricensem in praesidem dicti capituli, necnon dilectum nobis in Christo Andream du Val presbyterum in academiâ Sorbonicâ Parisiensi theologiae professorem, ac unum ex patribus alicuius a Sede praedictâ approbatae religionis a dicto capitulo eligendum, in assistentes, apostolicâ auctoritate, qua fungimur in hac parte, tenore praesentium constituimus et deputamus, eisque capitulum praedictum congregandi, et negocia, quae in eo proponentur, iuxta sacros canones ac eorumdem Ordinis et congregationis institutum terminandi, abusus, si qui in electione praedictâ intervenerint, tollendi, dubia et difficultates, quae durante eodem capitulo occurrere poterunt, resolvendi, ceteraque omnia et singula, quae circa praemissa necessaria fuerint, faciendi, dicendi, cognoscendi, decidendi et exequendi, plenam et liberam, auctoritate et tenore praemissis, concedimus facultatem. Quocirca eisdem D. Rolando archiepiscopo et assistentibus per praesentes committimus et mandamus, ut negocium huiusmodi libenter suscipiant, et illa, quae consideratione circa praemissa digna fuerint, nobis ad effectum illa resolvendi referant; patribus vero capitularibus praedictis in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus, omni morâ et subterfugio cessantibus, ordinationes et salubria mandata eorumdem praesidentis et assistentium circa praemissa libenter suscipiant, ac ita illis in praemissis obediant, ut finito huiusmodi capitulo nostram et Sedis Apostolicae benedictionem consequi mereantur. Datum Burgireginae, Parisiensis dioecesis, anno Incarnationis Dominicae MDCXXV, XVII mensis iunii, pontificatus eiusdem Sanctissimi Domini Nostri Papae anno II.

Qui decreta super validitate professionum a fratribus, monialibusque emissarum tulerunt.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, in dicto capitulo Rolandus archiepiscopus, praeses, et Andreas praedicti necnon dilectus filius Claudius Guillain, presbyter Societatis Iesu, assistentes capituli huiusmodi, super validitate professionum fratrum et monialium Ordinis et congregationis praedictorum decreta tulerunt tenoris subsequentis, videlicet:

Decreta ipsorum referuntur.

Nos, Rolandus, Dei et sanctae Sedis Apostolicae gratiâ archiepiscopus Bituricensis patriarcha et primas Aquitaniae, ab illustrissimo et reverendissimo cardinali Barberino nuncupato ad regem christianissimum Franciae et Navarrae a latere legato commissarius deputatus, cum duobus assistentibus, magistro Andrea du Val doctore Sorbonico et regio theologiae professore, et reverendissimo patre Claudio Guillain, presbytero societatis Iesu, ad praesidendum capitulo generali congregationis Gallicanae Tertiariorum Reformatorum super dubio a nonnullis ipsius congregationis religiosis[1] circa suarum professionum validitatem negantibus, aliis iisque numero pluribus eam asserentibus, quorum religiosorum rationibus utrinque allatis, patienter auditis, diligenter examinatis, atque perpensis, necnon visis, lectis, matureque consideratis instrumentis authenticis ex archivio monasterii nostrae Dominae de Gratiâ prope Lutetiam nuncupati nobis exhibitis, praedictorumque omnium relatione ad illustrissimum et reverendissimum legatum factâ, professiones ipsas validas esse et fuisse censuimus et censemus, nec in dubium posse aut potuisse ullo modo revocari, declaramus; nullumque in eis ullâ ex parte defectum intercessisse decrevimus et decernimus; prohibentes districte et in virtute sanctae obedientiae, ne quis religiosus, cuiuscumque conditionis aut dignitatis in praedictâ congregatione fuerit, contra harum professionum validitatem quicquam imposterum asserere, aut eas in dubium revocare audeat. Actum in praedicto mona-

1 Subiunge *meto* (R. T.).

nasterio, tenente capitulo generali, die IV iulii, anno Domini MDCXXV.

Signatum, ROLANDUS PP. archiepiscopus Bituricensis;

ANDREA DU VAL;

CLAUDIUS GUILLAIN.

Et infra: De mandato praefati illustrissimi et reverendissimi Domini D. mei BOISSEU, et sigillatum in cerâ rubrâ.

Loco † sigilli.

Item. Nos Rolandus, Dei et sanctae Sedis Apostolicae gratiâ archiepiscopus Bituricensis, patriarcha et primas Aquitaniae, commissarius et deputatus ab illustrissimo et reverendissimo Domino D. cardinale Barberino nuncupato, in Galliam a latere legato, ad praesidendum capitulo generali congregationis Tertiariorum cum magistro Andrea du Val, doctore Sorbonico et regio theologiae professore, et patre Claudio Guillain, presbytero Societatis Iesu, super quaestione a nonnullis motâ, an professiones monialium ipsius congregationis Tertiariorum validae essent et ratae, censuimus et iudicavimus eas validas esse, nec in dubium ullo modo posse revocari. Datum in praedicto capitulo generali, die IV iulii anno Domini MDCXXV.

Signatum, ROLANDUS PP. archiepiscopus Bituricensis;

A. du Val, CLAUDIUS GUILLAIN.

Et infra: De mandato praefati illustrissimi ac revendissimi Domini D. mei Boisseu, et sigillatum in cerâ rubrâ.

Huiusmodi decreta confirmat Urbanus.

§ 4. Nos, dictorum decretorum inviolabili firmitati quantum cum Domino possumus consulere, et Ordinis et congregationis praedictorum fratres specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum rerie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus dicti Ambrosii nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decreta praeinserta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus; illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; ac omnes et singulos tam iuris quam facti etiam substantiales quantumvis defectus, si qui in illis forsan intervenerint, supplemus.

Clausulas pro praesentium firmitate apponit.

§ 5. Decernentes, praesentes litteras, nec non decreta praedicta semper et perpetuo valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis dictorum Ordinis et congregationis fratribus, aliisque quibuscumque, ad quos nunc spectat et in futurum spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores deputat.

§ 6. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis in regno Franciae existentibus per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et quoties pro parte fratrum Ordinis et congregationis praedictorum fuerint requisiti, solemniter pubblicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ decreta praedicta ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad

hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariis derogat. § 6. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariisque contrariis quibuscumque.

Transumptisque fidem praecipit adhiberi. § 8. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI decembris MDCXXVI, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 16 decembris 1626, pontif. anno IV.

CCXXVIII.

Quod personae, per regem catholicum ad beneficia eius iurispatronatus praesentandae, teneantur in actu praesentationis cavere de solvendo fructus unius mensis eidem regi concessos [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev

Urbanus Papa VIII

ad futuram rei memoriam.

Decretum, de quo in rubricâ. § 1. Aliàs a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Charissimo in Christo filio nostro Philippo [1], etc.

Quare nos, ob grandia dicti Philippi regis in nos et hanc sanctam Sedem fidei et devotionis, aliaque multa merita, providere volentes, ut idem Philippus rex praeinsertarum litterarum commodo et effectu quamprimum et quam facilius fieri poterit, omni morâ et dilatione postpositis, earum beneficio perfruatur, motu, scientiâ et deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine similibus, volumus, ac in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ut personae, ad ecclesias seu alia beneficia in praeinsertis litteris expressa per eumdem Philippum regem pro tempore praesentandae, seu nominandae, in illarum praesentationis seu nominationis expeditione, de solvendo infra quatuor menses, a die adeptae per eos ecclesiarum seu aliorum beneficiorum huiusmodi possessionis computandos, omnes et singulos fructus, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta unius integri mensis ecclesiarum seu aliorum beneficiorum huiusmodi, ad ratam illarum et illorum valoris, ad quem fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta huiusmodi quinque annis proxime decursis annuatim ascenderint computatis, ad omne ipsius Philippi regis seu eius ministrorum mandatum per cedulam bancariam, seu aliàs, caveant et cavere teneantur, firmis in reliquis remanentibus litteris praeinsertis.

Clausulae. § 2. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales,

1 Utrum sint in *Bullario* non constat (R. T.).

etiam de latere legatos et nuncios, quavis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Obstantium derogatio

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac omnibus illis, quae in eisdem praeinsertis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, etiam sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXII decembris MDCXXVI, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 22 decembris 1626, pontif. anno IV.

CCXXIX.

Declarat monachos monasterii Ripolensis, Ordinis S. Benedicti, teneri ad recitandum officium B. Mariae Virginis et defunctorum quotidie, iuxta veterem consuetudinem.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Cum, sicut dilectus filius modernus abbas monasterii Ripolensis Ordinis S. Benedicti in principatu Cathalauniae nobis nuper exponi fecit, monachi dicti Ordinis, acceptato novo breviario monastico, seu etiam romano, veterem consuetudinem recitandi quotidie officium B. Mariae Virginis et defunctorum intermiserint, et ad recitationem huiusmodi se minime teneri praetendant, proindeque per nos desuper de opportunae declarationis remedio provideri desideret:

Declarat prout in rubrica.

§ 1. Nos, eiusdem abbatis votis huiusmodi annuere, illumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, monachos praedictos, etiam post acceptatum novum breviarium monasticum, sive etiam romanum huiusmodi, ad recitandum quotidie officium B. Mariae Virginis et defunctorum, ut praefertur, iuxta veterem consuetudinem, omnino teneri et obligatos existere, atque ita ab omnibus censeri, at ab ipsis monachis observari debere, necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus et declaramus.

Derogat contrariis.

§ 2. In contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die II ianuarii MDCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 2 ianuarii 1627, pontif. anno IV.

CCXXX.

De modo conferendi gradus doctoratus per archiepiscopos et episcopos Indiarum occidentalium[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Paulus V episcopis Indiarum occidentalium facultatem concessit gradus, laureamque certis servatis legibus conferendi.

Aliàs (felicis recordationis Paulo Papae V praedecessori nostro pro parte clarae memoriae Philippi III Hispaniarum regis catholici exposito, quod in partibus Indiarum occidentalium, propter magnam multorum locorum et civitatum a Limana et Mexicana civitatibus, in quibus universitates studii generalis erectae sunt, distantiam, multi reperiebantur, qui, ex eo quod ad dictas universitates pro suscipiendis ibi gradibus consuetis accedere non poterant, studiis operam navare nolebant, unde magna in eisdem partibus virorum, qui logicae, philosophiae ac sacrae theologiae studiis pro verbi Dei praedicationibus, et sacramentorum administratione versati essent, penuria vigebat) idem Paulus praedecessor, dicti Philippi regis supplicationibus eâ in parte inclinatus, de venerabilium fratrum nostrorum tunc suorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum consilio, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis Indiarum occidentalium, et, sede illorum vacante, cathedralium ecclesiarum capitulis, ut gradibus baccalaureatus, licentiaturae, magisterii et doctoratus insignire valerent quotquot annis quinque studuissent in collegiis formatis, tam fratrum Ordinis Praedicatorum, quam presbyterorum Societatis Iesu, quae a publicis universitatibus ducentis saltem milliariis distarent, dum tamen iidem promovendi prius gessissent actus omnes, qui in universitatibus generalibus fieri consueverant pro his gradibus adipiscendis, atque a rectore et magistro collegii approbationem obtinuissent, apostolicâ auctoritate, ad decennium tunc proximum, concessit et indulsit; volens, quod gradus huiusmodi nemini suffragarentur, nec quisquam illis uti posset extra Indias occidentales praedictas, et aliàs, prout in ipsius Pauli praedecessoris in simili formâ Brevis desuper expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur [1].

Subortis deinde abusibus;

§ 2. Cum autem, sicut charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus nobis nuper exponi fecit, ex concessione et indulto Pauli praedecessoris huiusmodi nonnulla inconvenientia in dies oriantur, et propterea per nos desuper opportune provideri summopere desideret:

Urbanus novas praescribit leges.

§ 3. Nos, eiusdem Philippi regis votis in praemissis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, eius hac in parte supplicationibus inclinati, volumus, et apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus, quod gradus praedicti in dictis tantum provinciis suffragentur, nec extra illas quisquam illis uti possit, iidemque gradus illis dumtaxat, qui in dictis collegiis spatio quinque annorum studuerunt, ac adhibito per ipsos archiepiscopos et episcopos consilio trium canonicorum seniorum suarum ecclesiarum, necnon servatâ in reliquis dictarum litterarum formâ, conferantur; sicque, et non aliter, observari, et per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Et derogat obstantibus.

§ 4. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque: praesentibus ad decennium tantum valituris.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII ianuarii MDCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 7 ianuarii 1627, pontif. anno IV.

1 Quas vide in tom. XII, pag. 554, quoad spectat collegia Societatis Iesu; aliàs litteras quoad collegia fratrum Praedicatorum deesse puto (R. T.).

CCXXXI.

Statuitur, quod ditiora monasteria Ordinis Carthusiensis paupereribus monasteriis pecunias ad censum concedere, et ad id per capitulum et priorem generalem cogi possint[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Exordium. In iis praecipue sollicitudinis nostrae partes libenter interponimus, per quae regularium personarum necessitatibus commodiori, qua fieri potest, ratione succurratur, cum non modo pastorale nostrum munus a nobis id exposcat, sed ad hoc etiam paternus amor, quo illas diligimus, nos inducat.

Causae faciendi decreti. § 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Ordinis Carthusiensis procurator generalis nobis nuper exponi fecit, quamplurima dicti Ordinis monasteria, tum propter steriles quorumdam annorum messes, tenuesque fructuum perceptiones, tum propter bellorum calamitates, ad eam devenerint egestatem, adeoque aere alieno gravata existant, ut illorum ordinarii redditus et proventus ipsius aeris alieni interusurio persolvendo, necnon camerae apostolicae debitis, aliisque sibi incumbentibus oneribus supportandis non sufficiant; nobisque propterea dictus procurator generalis humiliter supplicari fecerit, ut in praemissis aliquâ ratione providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Decretum, de quo in rubricâ. § 2. Nos, monasteriorum huiusmodi indigentiis paternâ pietate prospicere, illorumque superiores et monachos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus dicti procuratoris generalis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, quod monasteriorum pauperiorum dicti Ordinis superiores et monachi, de capituli seu prioris generalium eiusdem Ordinis licentiâ et assensu, unum seu plures census annuos, usque ad pecuniarum summas, quas capitulum et prior generalis huiusmodi illis necessarias esse iudicaverit, in sorte principali ascendentes, ad rationem quinque pro centenario super suorum monasteriorum bonis imponere, illosque aliis ditioribus dicti Ordinis monasteriis tantum alienare, seque et dicta sua monasteria sive illorum bona ad solutionem censuum sic imponendorum et alienandorum faciendam obligare; monasteria vero ditiora huiusmodi paupertioribus monasteriis praedictis pecuniarum summas eis necessarias ad census seu pro censibus huiusmodi concedere, censusque praedictos, sibi, ut praefertur, vendendos et assignandos, recipere, et instrumenta desuper necessaria et opportuna celebrare respective libere et licite possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus, dictisque capitulo et priori generalibus ditiora monasteria huiusmodi ad paupertioribus monasteriis praedictis pecuniarum summas illis necessarias, ut praefertur, concedendas cogendi et compellendi plenam, auctoritate et tenore praedictis, tribuimus facultatem.

Clausulae. § 3. Decernentes praesentes litteras semper validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; paupertioribus vero monasteriis praedictis plenissime suffragari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam cau-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

sarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorum deputatio.

§ 4. Quocirca omnibus et singulis locorum Ordinariis per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte capituli seu prioris generalium monasteriorum dicti Ordinis, illorumque superiorum, et seu alicuius eorum, fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac illis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes, et omnia in eis contenta, ab omnibus, quos illa concernunt, integre et inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles, ac praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus felicis recordationis Pauli Papae II aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, illiusque monasteriorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 6. Volumus autem, quod census huiusmodi, sicut praefertur, imponendi, quantocitius fieri poterit extinguantur, quodque praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII ianuarii MDCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 13 ianuarii 1627, pontif. anno IV.

CCXXXII.

Statuit tollendum esse abusum immittendi ferocem taurum in ecclesiam S. Marci Pacensem in vigiliâ et festo ipsius Sancti, ac mandat episcopo, ut curet huiusmodi abusum radicitus aboleri[1].

Venerabili fratri episcopo Pacensi,
Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Abusus, de quo in rubricâ.

§ 1. Cum, sicut nobis nuper exponi fecisti, in tuâ civitate vel dioecesi Pacensi apud nonnullos quidam inoleverit abusus immittendi nimirum ferocem taurum in ecclesiam S. Marci, tam in vigiliâ quam in festo ipsius Sancti, magno cum divini honoris et animarum periculo, et propterea, pro tuâ in Deum pietate ac pastorali vigilantiâ, abusum praedictum tamquam a christianâ religione alienum tollere et abolere, ac per nos, ut infra, opportune provideri summopere desideres:

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Pontifex eum condemnat.

§ 2. Nos, fraternitatis tuae solertiam et religionem plurimum in Domino commendantes, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, abusum praedictum, tanquam ecclesiasticae pietati, necnon etiam sacri ritui adversantem, et detestabilem, in iis civitatis et dioecesis Pacensis huiusmodi locis, in quae hucusque irrepsit, funditus tollendum, atque abolendum esse, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus et ordinamus.

Et episcopo, ut eum aboleri curet praecipit.

§ 3. Ac eidem fraternitati tuae per easdem praesentes committimus et mandamus, ut abusum praedictum ex omnibus et quibuscumque locis tuae dioecesis huiusmodi, appositis iuris et facti remediis, aliisque ecclesiasticis censuris et poenis, tollere, ac funditus abolere, omni et quacumque oppositione, recursu ac inhibitione postpositis et reiectis, eâdem auctoritate cures, et cum effectu facias, super quibus plenam et amplam tibi facultatem et auctoritatem concedimus et impartimur.

Derogat obstantibus.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII ianuarii MDCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 13 ianuarii 1627, pontif. anno IV.

CCXXXIII.

Confraternitas sub titulo Communionis hierarchiae plenitudinis aetatis Iesu Christi *erigitur in archiconfraternitatem, et confratribus nonnullae conceduntur indulgentiae*[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

Pastoris aeterni, qui pro gregis salute in arâ crucis immolari voluit, vices quamquam immeriti gerentes in terris, de commissarum nobis ovium salute iugiter soliciti, pias christifidelium confraternitates ad pietatis et christianae charitatis opera exercenda canonice institutas, ut in eorumdem operum exercitio magis accendantur et confoveantur, amplioribus gratiis decoramus, ac indulgentiis et peccatorum remissionibus libenter invitamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Michaël Adolphus de Althann hanc erigit confraternitatem.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Michaël Adolphus comes de Althann nobis nuper exponi fecit, ipse, pium et Deo maxime acceptum opus redemptionis christifidelium sub miserâ turcarum servitute detentorum promovere cupiens, in parochiali seu aliâ ecclesiâ insulae de Comar regni Hungariae unam christifidelium confraternitatem sub denominatione *Communionis hierarchiae plenitudinis aetatis Iesu Christi*, cuius proprium ac peculiare institutum sit operi redemptionis christifidelium huiusmodi incumbere, canonice erigi et institui curaverit, et propterea, quo confraternitas huiusmodi maiora in dies suscipiat incrementa, illiusque confratres ad opus redemptionis huiusmodi peragendi promptiores reddantur, confraternitatem ipsam specialis honoris praerogativâ decorari, aliàsque indulgeri summopere desideret:

Eam Pontifex erigit in archiconfraternitatem.

§ 2. Nos, piis dicti Michaëlis Adolphi votis in praemissis, quantum cum Domino possumus, annuere, illumque, ac ipsius confraternitatis confratres, quo ad praemissa opera exercenda in dies magis benedicente Domino accendantur, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus dicti Michaëlis Adolphi nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, confraternitatem praedictam, canonice, ut praefertur, institutam, in archiconfraternitatem, sine tamen cuiuscumque praeiudicio, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus.

Confratribus nonnullas elargitur indulgentias.

§ 3. Ac insuper omnibus et singulis christifidelibus, qui dictam archiconfraternitatem de cetero ingredientur[1], plenariam; necnon descriptis et pro tempore describendis in eâdem archiconfraternitate christifidelibus in cuiuslibet eorum mortis articulo, qui nomen Iesu ore vel corde invocaverint, et animam suam Deo commendaverint, etiam plenariam; ac ipsis nunc et pro tempore existentibus dictae archiconfraternitatis confratribus vere quoque poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, qui eiusdem archiconfraternitatis ecclesiam vel cappellam seu oratorium die festo Assumptionis beatae Mariae Virginis a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper eisdem, vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, ecclesiam vel cappellam seu oratorium huiusmodi in Nativitatis, Annunciationis et Purificationis eiusdem beatae Mariae Virginis festis diebus, ut praefertur, visitantibus et ibidem orantibus, quo die praedictorum id egerint, septem annos et totidem quadragenas; qui vero in festivitatibus Nativitatis et Paschatis Resurrectionis Domini et Pentecostes sacram communionem sumpserint, et ecclesiam seu oratorium huiusmodi in dictis festivitatibus visitaverint, et oraverint ut praefertur, quotidie[1] praedictarum festivitatum id egerint, similiter septem annos. Quoties vero dicti confratres coronam a S. Bonaventura institutam secundâ feriâ cuiuslibet mensis et die Commemorationis omnium fidelium defunctorum pro eorumdem defunctorum animabus recitaverint, ut iisdem animabus per modum suffragii trium annorum et totidem quadragenarum indulgentiam applicare possint, concedimus. Necnon eisdem confratribus qui contriti, et animum suo tempore confitendi habentes, coronam Domini singulis diebus dominicis devote recitaverint, centum dies pro qualibet vice; qui vero eamdem coronam quotidie, ut praefertur, recitaverint, quinquaginta dies pro qualibet vice; illis vero dictae archiconfraternitatis confratribus, qui praedictam ecclesiam vel cappellam seu oratorium diebus stationum almae Urbis nostrae visitaverint, et, ut praefertur, oraverint, sive etiam eamdem coronam dixerint pro animabus defunctorum, ut iisdem animabus praedictas indulgentias per modum suffragii applicare possint similiter concedimus. Insuper eisdem confratribus, qui contriti, et suo tempore confitendi propositum habentes, processionibus dictae archiconfraternitatis devote interfuerint, seu etiam qui missae et divinis officiis in ecclesiâ seu oratorio ipsius archiconfraternitatis pro tempore celebrandis et recitandis singulis diebus similiter interfuerint, centum dies; necnon eisdem, qui contriti, ut supra, sanctissimae eucharistiae sacramentum, cum ad infirmos defertur, comitati fuerint, quinque annos et totidem quadragenas; qui vero corpora defunctorum confratrum huiusmodi ad sepulturam associaverint, sive anniversariis eorumdem confratrum defunctorum interfuerint, et pro iisdem animabus pias

1 Edit. Main. legit *ingredietur* (R. T.).

1 Forsan legendum *quo die* (R. T.).

ad Deum preces effuderint, centum dies; et qui pauperibus et miserabilibus personis subvenerint, aut pacem cum inimicis propriis vel alienis composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, pro quolibet praedictorum operum similiter centum dies de iniunctis eis seu aliàs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut si aliàs dictis confratribus praemissa peragentibus aliqua alia indulgentia perpetuo vel ad tempus nondum elapsum concessa sit, praesente nullae sint.

Contraria tolluntur.

§ 4. Non obstantibus nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV ianuarii MDCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 15 ianuarii 1626, pontif. anno IV.

CCXXXIV.

Mandatur archiepiscopis et episcopis Indiarum, ut prohibeant recipi mulieres in monasteriis monialium nisi monasticum habitum induere velint[1].

Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis in partibus Indiarum constitutis, Urbanus Papa VIII.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Pastoralis officii nobis licet immeritis divinâ dispensatione commissi debitum exposcit, ut in his, per quae regularis disciplina in quibuslibet, praesertim vero sanctimonialium, monasteriis cum animi quiete iuxta sacros canones et apostolicas constitutiones ac regularia ipsorum monasteriorum instituta observetur et vigeat, sedulo invigilemus, ac quae in hoc impedimento esse dignoscuntur, pastorali sollicitudine tollamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causae ferendi decretum.

§ 1. Cum itaque, sicut dilecti filii prior provincialis, aliique superiores monasteriorum monialium S. Catherinae de Senis Ordinis fratrum Praedicatorum in istis Indiarum partibus nobis nuper exponi fecerunt, dilectae in Christo filiae priorissae et moniales monasteriorum huiusmodi virgines et viduas, aliasque mulieres seculares ad tempus, vel aliter ad suum nutum, in earum cohabitationem et mansionem in suis monasteriis et claustris promiscue, passim, ac sine difficultate admittere soleant, ex hoc autem, successu temporis, vel scandala facile oriri, vel saltem disciplina et vita monastica frigescere et minui possent, clausuraque eorumdem monasteriorum violetur: nobis propterea prior et superiores praedicti zelo domus et regularis observantiae moti humiliter supplicari fecerunt, ut desuper opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Decretum, de quo in rubricâ.

§. 2. Nos, incovenientibus huiusmodi, quantum cum Domino possumus, obviam ire volentes, supplicationibus eorumdem prioris et superiorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabili fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, vobis omnibus et singulis per praesentes districte praecipiendo mandamus, quatenus modernis et pro tempore existentibus abbatissis, seu priorissis, et monialibus, aliisque quorumcumque monasteriorum monialium in istis Indiarum partibus et vestris dioecesibus existentium superioribus, ne de cetero mulieres seculares huiusmodi quacumque aliâ de causâ, quam habitum monachalem, servatis servandi, suscipiendi, in huiusmodi monasteria absque speciali Sedis Apostolicae

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

licentiâ, admittere audeant seu praesumant, auctoritate nostrâ apostolicâ prohibeatis et interdicatis: ac si quas in hunc usque diem admissas repereritis, inde quamprimum educi, ac proximioribus earum consanguineis consignari omnino curetis; contradictores quoslibet et rebelles, ac in praemissis non parentes, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis: super quibus omnibus et singulis plenam et amplam facultatem vobis concedimus et impartimur.

Obstantium derogatio.

§ 3. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 4. Volumus autem, quod praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae praesentibus ipsis haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die I februarii MDCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 1 februarii 1627, pontif. anno IV.

CCXXXV.

Divisio Congregationis Clericorum Regularium Minorum nuncupatorum in in duas provincias, cum nonnullis statutis[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Ad uberes et suaves fructus, quos dilecti filii clerici regulares Congregationis Clericorum Regularium Minorum nuncupatorum in militanti Ecclesiâ, cuius regimini divinâ disponente clementiâ praesidemus, in dies afferunt, mentis nostrae aciem convertentes, quid pro laudabilis eorum instituti felici directione atque progressu conferat diligenter prospicimus, ac desuper pastoralis officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout rerum et temporum qualitatibus debite pensatis conspicimus in Domino salubriter expedire.

Divisio Congregationis Clericorum Regularium Minorum in duas provincias.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, Congregatio praedicta, quae multos conventus, sive domos, et alia loca regularia possidet, unam dumtaxat provinciam per totam Italiam constituat: nos, felici et prospero eiusdem Congregationis, ut maioribus in dies proficiat incrementis, statui atque regimini, quantum nobis ex alto conceditur, consulere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, provinciam praedictam in duas distinctas ipsius Congregationis provincias, in quarum unâ omnes conventus, sive domus, et loca regularia eiusdem congregationis fundata, et de cetero fundanda in utrâque Sicilia, in alterâ vero reliquae omnes quotquot fuerint in aliis Italiae partibus contineantur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo dividimus: duasque eiusdem congregationis provincias in totâ Italiâ, ut praefertur, erigimus et instituimus.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Nonnulli vocales designantur pro futuro capitulo generali.

§ 2. Et quia, ex praescripto praeteriti ipsius congregationis capituli generalis, in proximo generali eiusdem congregationis capitulo nonnisi unus loco provincialis, ac duo procuratores Italiae interesse possent, volumus, quod ad salubriora capienda consilia Ignatius Mignozza, domus regularis dictae congregationis Pisaurensis praepositus, loco novi provincialis instituendi, necnon Benedictus Iustinianus et Andreas Caballus, dictae congregationis professores dilecti filii, loco procuratorum provinciae per praesentes erectae, pro hac vice tantum eidem proximo capitulo generali, auctoritate apostolicâ, interesse valeant et debeant. Praeterea loco dilecti filii Ioannis de Guevara, dictae congregationis praepositi generalis, quem ecclesiae Theanensis certo modo pastoris solatio destitutae in episcopum et pastorem praeficere intendimus, Iacobum Manfurium, eiusdem congregationis similiter professorem, qui quoad ingressum capituli praedicti eodem pacto, quo Ignatius et Benedictus et Andreas praedicti, necnon reliqui omnes capitulares ipsius capituli generalis suffragia ferre valeant pro hac vice dumtaxat, ac cum reliquis circumstantiis in constitutionibus ipsius congregationis apostolicâ auctoritate praedictâ confirmatis contentis, auctoritate et tenore similibus substituimus et surrogamus.

Mandatum de parendo.

§ 3. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis latae sententiae, a quâ non nisi a nobis, praeterquam in mortis articulo, absolvi possint, necnon privationis vocis activae et passivae poenis ipso facto incurrendis, dilectis filiis dictae congregationis superioribus et clericis, et praesertim vocalibus in praedicto capitulo congregandis, quatenus dictos quatuor capitulares, per praesentes electos, omni morâ, contradictione et appellatione prorsus cessantibus et postpositis, recipiant et admittant.

§ 4. Decernentes nihilominus irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Clausulae.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictaeque congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI februarii MDCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 6 februarii 1627, pontif. anno IV.

CCXXXVI.

Commissio archiepiscopo Tarsensi, provinciae Romandiolae praesidi, cognoscendi causas super devolutione nonnullorum castrorum ad mensam episcopalem Brittonoriensem spectantium[1]

Venerabili fratri Octavio archiepiscopo Tarsensi provinciae nostrae Romandiolae praesidi,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Expositum nobis nuper fuit pro parte venerabilis fratris Ioannis episcopi Brittonoriensis, quod, cum tunc existens ecclesiae Brittonoriensis praesul, ipsius Ioan- Facti series.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

nis episcopi antecessor, concesserit in feudum quondam Aloysio Zerbinato castra Montisepiscopi et sancti Ioannis in Sequarciarolo nuncupata, ad mensam episcopalem Brittonoriensem spectantia, pro eodem Aloysio et suis filiis masculis, ipseque Aloysius nuper obiisset nullis filiis masculis relictis; idem Ioannes episcopus voluit possessionem dictorum castrorum, uti ad mensam eius episcopalem devolutorum, capere, et forsan accepit: sed dilecta in Christo filia Iulia Valvasiona, uxor praedicti Aloysii in praeiudicium pontificalis dignitatis et mensae episcopalis coepit asserere se esse praegnantem, obtinuitque inhibitionem a curiâ venerabilis fratris archiepiscopi Ravennatensis, et deinde a dioecesi Brittonoriensi de facto recessit, et ad civitatem Ferrariensem se contulit, ubi de praesenti reperitur.

Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, causa devolutionis feudi huiusmodi spectet ad praedictum Ioannem episcopum uti dominum directum, vel saltem, si idem Ioannes episcopus recusaret, ad superiorem provinciae, in qua praedicta castra consistunt, et ipsa Iulia, si asserebat se praegnantem, debebat hoc eidem Ioanni episcopo denunciare, et non recedere a loco seu provinciâ, in qua de tempore obitus mariti degebat, ubi facilius fieri poterant ea quae pro ventre inspiciendo et aliis de iure faciendis servanda erant, prout de facto, non sine suspicione dandi causam alicui partui supposito in praeiudicium dignitatis et mensae praedictarum, recessit; nobis propterea dictus Ioannes episcopus humiliter supplicari fecit, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Commissio, de qua in rubricâ.

§ 2. Nos igitur, qui iuxta creditum humilitati nostrae apostolatus officium ecclesiarum omnium iura conservare et tueri tenemur, praedictae ecclesiae Brittonoriensis indemnitati, quantum cum Domino possumus, prospicere, dictumque Ioannem episcopum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnes et singulas causam seu causas in et super praemissis, tam in curiâ dicti archiepiscopi, sive coram eo, aut dilecto filio nostro et Sedis Apostolicae in civitate et ducatu nostris Ferrariensibus de latere legato, sive quibusvis aliis quomodolibet qualificatis, etiam de necessitate exprimendis, indecisas pendentes etiam instructas, a legato et archiepiscopo, necnon aliis praedictis et eorum quolibet ad nos harum serie avocamus, causamque et causas praedictas, illarum statum et merita, nomina et cognomina iudicum et collitigantium, aliaque de necessitate exprimenda, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, cum omnibus et singulis illarum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, totoque negotio principali, tibi tamquam archiepiscopo praedicto, qui per te ipsum procedas, cognoscendas, decidendas, et, prout iuris fuerit, terminandas summarie, simpliciter, et de plano, ac sine strepitu et figurâ iudicii, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, committimus et demandamus.

Facultatum concessio.

§ 3. Cum facultate vocandi praedictam Iuliam, illamque ad personaliter redeundum in provinciam Romandiolae, in loco ubi prius degebat, vel alio loco decente et tuto per te assignando, iuris et facti remediis cogendi, ad effectum inspiciendi et custodiendi ventrem suum, custodes apponendi, fideiussiones capiendi, et, quatenus

opus fuerit, praedictam Iuliam in monasterio monialium, vel alio loco tuto, etiam in primis et ante omnia sequestrandi et assecurandi, aliaque faciendi et exequendi, quae de iure fuerint facienda et exequenda, ac cum potestate citandi praedictam Iuliam, omnesque alios, illisque, quoties opus fuerit, inhibendi, etiam sub sententiis, censuris et poenis etiam pecuniariis arbitrio tuo moderandis et aggravandis, auxiliumque brachii secularis invocandi, ac cetera omnia alia in praemissis et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna, etiam si talia sint, vel fuerint, quae magis specialem, specificam et expressam requirerent mentionem, faciendi, dicendi, gerendi et exequendi.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x februarii MDCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 10 februarii 1627, pontif. anno IV.

CCXXXVII.

Facultas episcopo Iaponensi procedendi contra regulares non parentes nonnullis decretis sacrae Congregationis de Propaganda Fide[1].

Venerabili fratri Didaco episcopo Iaponensi, Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Facultas, de qua in rubricâ.

§ 1. Ut decreta aliàs sub die XXV mensis septembris anni proximi praeteriti MDCXXVI a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus negotio propagandae fidei praepositis emanata facilius debitae exequutioni demandentur, quantum cum Domino possumus, providere volentes, de eorumdem cardinalium consilio, ac sacrorum conciliorum Viennensis et Tridentini vestigiis inhaerentes, tibi, uti in tam remotâ a Sede Apostolicâ regione degenti tamquam noster et Sedis huiusmodi delegatus, contra omnes et quoscumque cuiuscumque Ordinis, congregationis et instituti regulares, qui decretis praedictis non paruerint, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, auctoritate nostrâ apostolicâ procedendi, eâdem auctoritate, tenore praesentium, facultatem et auctoritatem concedimus et impartimur.

Clausulae.

§ 2. Decernentes te desuper a quoquam quomodolibet impediri aut retardari nullatenus posse: irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis ordinum, congregationum et institutorum quorumcumque (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

annulo Piscatoris, die XXVII Februarii MDCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 27 februarii 1627, pontif. anno IV.

CCXXXVIII.

Suppressio unius canonicatus et praebendae in qualibet, tam ex metropolitanis quam aliis cathedralibus et collegiatis ecclesiis Indiarum, qui primo vacaverint, et applicatio fructuum Officio Inquisitionis[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Ab illâ die, qua divinae placuit providentiae, quae ex summâ bonitate suâ vocat ea quae non sunt tamquam ea quae sunt, humilitatem nostram ad universalis Ecclesiae regimen vocare, nihil antiquius habuimus, quam ut haereses, aliique damnati errores e mentibus christifidelium, ubi peccatis facientibus irrepserunt, per immensam Dei misericordiam evellantur, sanctaque fides catholica ubique locorum vigeat et conservetur: proindeque, etsi nos ad universi gregis dominici salutem procurandam debitores agnoscamus, iis tamen, qui ob ingentem locorum distantiam opem et operam nostras magis implorare dignoscuntur, peculiarem pastoralis vigilantiae sollicitudinem impendere solemus, et sedulo providere, ut sanctae inquisitionis tribunalibus in longinquis illis partibus ad ipsarum haeresum atque errorum extirpationem, eiusdem fidei propagationem et conservationem, non minus pie, quam provide institutis, eorumque officialibus et ministris, congruae subventionis auxilia subministrentur, prout catholicorum regum vota id exposcunt, et nos, rerum temporumque qualitatibus debite pensatis, conspicimus salubriter in Domino expedire.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

Suppressio et applicatio, de quibus in rubricâ.

§ 1. Hinc est quod nos, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem, secundum communem aestimationem, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, ne inquisitores haereticae pravitatis in Indiis Occidentalibus existentes, ob defectum dictae temporalis subsistentiae, in eorum officii exequutione retardentur, aut quomodolibet impediantur, opportune providere et aliàs sustentationi officii inquisitionis huiusmodi perpetuis futuris temporibus consulere volentes, cum fidei catholicae conservationem ceteris rebus omnibus praeferendam esse censeamus, ac considerantes ecclesias sine ipsâ fide subsistere non posse; propterea-que satius esse, eas aliquâ reddituum suorum portione destitui et carere, quam eas omnes in status sui discrimine dimitti; supplicationibus etiam charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, in omnibus et singulis metropolitanis et aliis cathedralibus ac collegiatis ecclesiis Indiarum praedictarum, quae de iurepatronatus dicti Philippi regis, ex privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, fore dignoscuntur, unum canonicatum et unam praebendam, quos primo, per cessum vel decessum seu quamvis aliam dimissionem vel amissionem illos in titulum vel commendam, aut aliàs quomodolibet obtinentis, vacare[1] contigerit, quorum singulorum fructuum, reddituum et proventuum verum annuum valorem secundum aestimationem praedictam praesentibus haberi volumus pro expresso, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo supprimimus et extinguimus, ac

1 Verbum *vacare* nos addimus (R. T.).

illorum fructus, redditus et proventus, etiamsi in distributionibus quotidianis consistant, officio inquisitionis huiusmodi in dictis regnis, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo applicamus et appropriamus, ita quod quovis ipsarum ecclesiarum canonico, aut illarum canonicatum et praebendam in commendam obtinente, primo cedente, seu canonicatu et praebendâ praedictis[1] per eos quomodolibet dimittendis vel amittendis, et illis quovis modo vacantibus, liceat moderno et pro tempore existenti generali pravitatis huiusmodi in eisdem Indiis inquisitori, per se, vel alium, seu alios, possessionem, seu quasi, perceptionis fructuum, reddituum et proventuum canonicatuum et praebendarum sic suppressorum, propriâ auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere, ac ipsorum fructus, redditus et proventus singulis annis percipere, exigere et levare, ac in ipsius officii inquisitionis, et non alios usus, quandocumque contigerit, convertere, Dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentiâ super hoc minime requisitâ.

Obstantium derogatio.

§ 2. Non obstantibus priori voluntate nostrâ praedictâ, et Lateranensis Concilii novissime celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon singularum ecclesiarum praedictarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, et quibusvis aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, specialibus vel generalibus, quorumcumque tenorum existant, per qua epraesentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, et de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in eisdem praesentibus mentio specialis. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Transumptis danda fides.

§ 3. Volumus etiam, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, sigilloque personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra, ubique adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x martii MDCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 10 martii 1627, pontif. anno IV.

1 Edit. Main. h. *canonicatum et praebendam praedictos* (R. T.).

CCXXXIX.

Suppressio officii perpetui praefecti computorum datariae apostolicae, et reductio ad officium amovibile receptoris pecuniarum[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Romanus Pontifex, aequi bonique supremus assertor, provide consideràns, humana sic ferre quandoque consilia, ut quae vel temporis conditione ita exigente ab initio constituuntur, operae pretium sit postea immutare; et interdum, quae a praedecessoribus suis sancita et concessa reperiuntur, ipsâ subinde rerum experientiâ suadente, alterat, revocat et immutat, prout, rebus omnibus, earumque circumstantiis universis maturâ consultatione discussis, in Domino conspicit salubriter expedire.

Non obstante decreto Pii Papae V super officio receptoris pecuniarum datariae,

§ 1. Aliàs siquidem, postquam felicis recordationis Pius Papa V praedecessor noster quondam Augustinum Iunctenum ab officio receptoris pecuniarum, redditumque et proventuum datariae Roma-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

ni Pontificis pro tempore existentis, quod ad ipsius Romani Pontificis et Sedis Apostolicae beneplacitum concedi consueverat, amovisset, dictumque officium etiam quondam Didaco Bruno, clerico coniugato Romano, qui pro ipsius Pii praedecessoris necessitatibus sublevandis summam millequingentorum ducatorum auri in auro obtulerat, ad eiusdem Didaci vitam concessisset et assignasset, recolendae memoriae Sixtus Papa V, similiter praedecessor noster, concessionem et assignationem de dicto officio eidem Didaco, ut praefertur, factas (etsi in eis caveretur, seu concederetur expresse, quod ipse Didacus ab officio huiusmodi, seu illius exercitio, quavis ratione vel causâ invitus amoveri, vel alius sine eius consensu ad ipsum officium assumi non posset), irritanti, aliisque decretis desuper appositis, apostolicâ auctoritate, cassavit penitus et omnino revocavit, et in praedictâ datariâ unum officium praefecti computorum nuncupatum perpetuum, et aliàs instar ceterorum ipsius datariae et Romanae Curiae officiorum, erexit et instituit, illudque pariter quondam Timotheo Ximenez, etiam clerico coniugato Romano, qui ob urgentes necessitates, quibus tunc temporis idem Sixtus praedecessor premebatur, summam quinque millium scutorum similium nomine pretii dicti officii solvere promiserat;

Sixtus V officium praefecti computorum vacabile erigit.

§ 2. Et, deinde eodem Thimotheo rebus humanis exempto, similis memoriae Paulus Papa V, etiam praedecessor noster, dictum officium per ipsius Thimothei obitum vacans dilecto filio Henrico Fisensi clerico Leodiensi pro pretio et nomine pretii sexdecim millium scutorum monetae romanae, ad eorum et cuiuslibet ipsorum vitam respective, concesserunt et assignarunt, sub certis modo et formâ tunc expressis, et aliâs, prout in diversis eorumdem praedecessorum motuum proprium cedulis manu eorumdem praedecessorum signatis plenius continetur.

Quod idem agit Paulus Papa V.

§ 3. Nos, officium receptoris redditum, proventuum et pecuniarum datariae nostrae huiusmodi ad primaevum illius statum, naturamque de cetero per personam ad nostrum et Romani Pontificis pro tempore existentis nutum amovibilem exercendum reduci oportere in Domino iudicantes, necnon quarumcumque litterarum Pii V, Sixti V et Pauli itidem V praedecessorum praedictorum desuper expeditarum, omniumque et singulorum in eis quomodolibet contentorum veriores et totos tenores, perinde ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, insererentur et exprimerentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, iustis et gravibus de causis animum nostrum moventibus, motu proprio et ex certâ scientia ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, erectionem et institutionem dicti officii praefecti computorum in datariâ per dictos Sixtum praedecessorem, eiusdemque officii concessionem et assignationem eidem Henrico per Paulum praedecessores, ut praefertur, factas, et quascumque litteras apostolicas, si quae desuper expeditae sunt, cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, decretis, cautionibus, promissionibus, indultis et quibusvis aliis dispositionibus, tenore praesentium, salvis eidem Henrico iuribus habendi et consequendi pretium huiusmodi, perpetuo supprimimus et extinguimus, ac respective revocamus, cassamus, annullamus, irritamus, viribusque et effectu evacuamus.

Urbanus supprimit.

§ 4. Dictumque receptoris officium in pristinum, et in eum, quo, antequam praedicti Pii praedecessoris cedula emanaret, quomodolibet erat, statum, in omnibus et per omnia restituimus, reponimus et ple-

Officiumque receptoris arbitrio Pontificis removendi restituit.

narie reintegramus, et ad pristinam eius naturam (de cetero per personam ad nostrum et Romanum Pontificem pro tempore existentis nutum amovibilem exercendum) ac facultates et privilegia ante praedictam dicti Pii praedecessoris cedulam[1]: ipsumque Henricum ab eodem officio praefecti computorum et receptoris officii huiusmodi ex nunc omnino amovemus, et dictum officium praefecti computorum perpetuo suppressum et extinctum, ac de illo concessionem et assignationem eidem Henrico, ut praefertur, factas, perpetuo revocatas, cassatas annullatas, irritas, viribusque et effectu vacuas, ipsumque Henricum a praefecti et receptoris officiis praedictis ex nunc omnino amotum esse ac fore, nec de cetero in eisdem officiis, seu eorum altero se ullo ingerere posse, aut debere;

Clausulas necessarias apponit.

§ 5. Praesentes vero litteras, omniaque et singula in eis contenta, etiam ex eo quod dictus Henricus, aut alii quicumque interesse in praemissis, seu eorum aliquo habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, eis nullatenus consenserint, nec ad ea vocati et auditi, minusque causae, propter quas eaedem praesentes emanarint, adductae, verificatae, seu aliàs iustificatae fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, seu alio quoquam defectu, etiam quantumvis magno, inexcoginato et substantiali, sive et ex eo, quod dictus Henricus officium praefecti computorum huiusmodi sibi ad eius vitam ex causâ et titulo mere onerosis concessum obtineret, et in eiusdem officii praefecti huiusmodi suppressione et extinctione, concessionisque et assignationis, eidem Henrico de dicto officio factarum, ut praefertur, revocatione, cassatione, annullatione, irritatione, aliisque praemissis, solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda servata et adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite, a iure vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliquâ resultante, seu etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore iuris clauso, seu occasione vel causâ, etiam quantumvis iustâ, rationabili et privilegiatâ, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ huiusmodi et aliis superius expressis seu relatis nihilominus ulibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae, vel iustitiae remedium impetrari, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concedi, aut sic impetrato, vel concesso, quempiam uti, seu se iuvare in iudicio vel extra posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi; sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per nostrum et Romani Pontificis pro tempore existentis datarium, aliosque omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari; sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, ac camerarium et thesaurarium, necnon praesidentes et clericos camerae nostrae apostolicae, in quavis causâ et instantiâ (sublatâ eis et eorum cuilibet

1 Subintellige *reducimus* (R. T.).

quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, apostolicâ auctoritate, tenore earumdem praesentium, decernimus et declaramus.

Obstantia tollit.

§ 6. Non obstantibus singulis praedecessorum praedictorum litteris, aliisque praemissis, ac regulâ nostra de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon camerae et datariae praedictarum, ac almae Urbis nostrae (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, usibus, regulis, stylis, reformationibus et innovationibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et saepius innovatis, etiamsi in eis, seu eorum aliquibus, et praesertim Sixti et Pauli praedecessorum praedictorum litteris, specifice, seu per clausulas generales idem importantes, aut sub aliquâ regularum, decretorum, vel verborum generalitate, caveatur, concedatur et indulgeatur expresse, quod idem Henricus ab officio huiusmodi, seu illius exercitio, quavis ratione vel causâ, quoad vixerit, amoveri non possit, et aliàs quomodolibet disponentibus (quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, derogamus ac derogatum esse volumus et decernimus) ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII martii MDCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 28 martii 1627, pontif. anno IV.

CCXL.

Litterae, quae in die Coenae Domini singulis annis solent publicari [1].

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

De onere Romanorum Pontificum suorum praedecessorum et casus hic enuntiat iste Pontifex.

Pastoralis Romani Pontificis vigilantia et sollicitudo in omni christianae reipublicae pace et tranquillitate procurandâ pro sui muneris officio assidue versatur, tum potissimum in catholicae fidei, sine

1 De materiis in huiusmodi Bulla contentis, plenissime habes ad Const. LI Pauli V, *Pastoralis* (in h. n. ed. CLIII, tom. XI, pag. 617). Contra haereticos in locis Italiae et insularum adiacentium quovis praetextu commorantes, eorumque fautores, constitutionem edidit Gregor. XV Constit. LXIV, *Romani* (in h. n. ed. LXVI, tom. XII, pag. 708). Qui etiam licentias omnes quibuscumque personis et a quibusvis, etiam Romanis Pontificibus concessas legendi et habendi libros quomodolibet prohibitos revocavit in Constit. XCV, *Apostolatus* (ib. pag. 779). Et demum libros alio deferri vel transmitti imprimendos sine cardinalis vicarii, atque magistri sacri palatii in Urbe, et extra eam sine Ordinarii et inquisitoris loci, vel ab eis deputatorum, licentiâ prohibuit hic idem Pontifex in Const. *Sanctissimus*.

qua impossibile est placere Deo, unitate atque integritate retinendâ, maxime elucet; nimirum, ut fideles Christi non sint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinae in nequitiâ hominum ad circumventionem erroris, sed omnes occurrant in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei in virum perfectum, neque se in huius vitae societate et communione laedant, aut inter se alter alteri offensionem praebeat, sed potius in vinculo charitatis coniuncti, tamquam unius corporis membra, sub Christo capite, eiusque in terris Vicario Romano Pontifice beatissimi Petri successore, a quo totius Ecclesiae unitas dimanat, augeantur in aedificationem, atque ita, divinâ gratiâ adiutrice, sic praesentis vitae quiete gaudeant, ut futurâ quoque beatitudine perfruantur. Ob quas sane causas Romani Pontifices praedecessores nostri hodiernâ die, quae anniversaria Dominicae Coenae commemoratio solemnis est, spiritualem ecclesiasticae disciplinae gladium et salutaria iustitiae arma per ministerium summi apostolatus ad Dei gloriam et animarum salutem solemniter exercere consueverunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius est, quam fidei inviolatam integritatem, publicam pacem et iustitiam, Deo auctore, tueri, vetustum et solemnem hunc morem sequentes:

Excommunicat omnes haereticos quocumque nomine censeantur, eorumque fautores, etc. et illorum libros legentes, tenentes, aut imprimentes, schismaticos, etc.

§ 1. Excommunicamus et anathematizamus ex parte Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, auctoritate quoque beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ quoscumque Hussitas, Wichlephitas, Lutheranos, Zuinglianos, Calvinistas, Ugonottos, Anabaptistas, Trinitarios, et a christianâ fide apostatas, ac omnes et singulos alios haereticos, quocumque nomine censeantur, et cuiuscumque sectae existant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores, et generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorumdem libros haeresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate nostrâ et Sedis Apostolicae scienter legentes aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quavis causâ publice vel occulte, quovis ingenio vel colore, necnon schismaticos, et eos qui se a nostrâ et Romani Pontificis pro tempore existentis obedientiâ pertinaciter subtrahunt vel recedunt.

Appellantes a Pontificum mandato, ad futurum Concilium;

§ 2. Item excommunicamus et anathematizamus omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus seu conditionis fuerint (universitates vero, collegia et capitula, quocumque nomine nuncupentur, interdicimus), ab ordinationibus seu mandatis nostris ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum concilium appellantes: necnon eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

Piratas et latrunculos maritimos, eorumque receptatores, etc.

§ 3. Item excommunicamus et anathematizamus omnes piratas, cursarios ac latruncolos maritimos, discurrentes mare nostrum, praecipue a Monte Argentario usque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores et defensores.

Surripientes christianorum bona naufragium passa, proiecta, vel in litore inventa.

§ 4. Item excommunicamus et anathematizamus omnes et singulos, qui christianorum quorumcumque navibus tempestate, seu in transversum, ut dici solet, iactatis vel quoquomodo naufragium passis, sive in ipsis navibus, sive ex eisdem eiecta in mari vel in litore inventa, cuiuscumque generis, bona, tam in nostris Tyrrheni et Adriatici, quam in ceteris cuiusque maris regionibus et litoribus surripuerint; ita ut nec ob quodcumque privilegium, consuetudinem, aut longissimi etiam immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcumque praetextum, excusari possit.

Gabellas, seu nova pedagia imponentes, vel augentes.

§ 5. Item excommunicamus et anathematizamus omnes, qui in terris suis nova pedagia seu gabellas, praeterquam in casibus sibi a iure, seu ex speciali Sedis

Apostolicae licentiâ, permissis, imponunt vel augent, seu imponi vel augeri prohibita exigunt.

Falsarios litterarum apostolicarum, ac supplicationum ab habente auctoritatem signatarum.

§ 6. Item excommunicamus et anathematizamus omnes falsarios litterarum apostolicarum, etiam in formâ Brevis, ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem, sanctae Romanae Ecclesiae vice cancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum, necnon falso fabricantes litteras apostolicas etiam in formâ Brevis, et etiam falso signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis seu vice cancellarii, aut gerentium vices praedictorum.

Transmittentes, vel deferentes arma, vel alia apta bellico usui ad turcas, ut alios christianorum inimicos, ac eos, qui de rebus christianae reipublicae statum concernentibus ipsos certiores faciunt.

§ 7. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui ad saracenos, turcas et alios christiani nominis hostes et inimicos, vel haereticos per nostras sive huius sanctae Sedis sententias expresse et nominatim declaratos, deferunt seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, staneum, chalybem, omniaque alia metallorum genera atque bellica instrumenta, lignamina, canabem, funes, tam ex ipso canabe quam aliâ quacumque materiâ, et ipsam materiam, aliaque huiusmodi, quibus christianos et catholicos impugnant, necnon illos, qui per se vel alios de rebus statum christianae reipublicae concernentibus in christianorum perniciem et damnum ipsos turcas et christianae religionis inimicos, necnon haereticos, in damnum catholicae religionis, certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium vel favorem quomodolibet praestant. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, quibusvis personis, principibus, rebuspublicis per nos ed Sedem praedictam hactenus concessis, de huiusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

Perturbantes, aut invadentes eos, qui victualia seu alia ad usum Romanae Curiae necessaria adducunt, ac etiam eos, qui, ne ad Romanam Curiam adducantur vel afferantur, prohibent, impediunt seu perturbant, seu haec facientes defendunt per se vel alios, cuiuscumque fuerint ordinis, praeeminentiae, conditionis et status, etiamsi pontificali seu regali, aut aliâ quavis ecclesiasticâ vel mundanâ praefulgeant dignitate.

§ 8. Item excommunicamus et anathematizamus omnes impedientes seu invadentes eos, qui victualia seu alia ad usum Romanae Curiae necessaria adducunt, ac etiam eos, qui, ne ad Romanam Curiam adducantur vel afferantur, prohibent, impediunt seu perturbant, seu haec facientes defendunt per se vel alios, cuiuscumque fuerint ordinis, praeeminentiae, conditionis et status, etiamsi pontificali seu regali, aut aliâ quavis ecclesiasticâ vel mundanâ praefulgeant dignitate.

Ilia et similia necessaria Romam adducunt.

Laedentes eos qui veniunt ad Sedem Apostolicam, vel ab eâ recedunt et iudices sine iurisdictione vexantes in curiâ commorantes.

§ 9. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, et recedentes ab eâdem, suâ vel aliorum operâ interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent, necnon illos omnes, qui iurisdictionem ordinariam vel delegatam a nobis vel nostris iudicibus non habentes, illam sibi temere vendicantes, similia contra morantes in eâdem curiâ audent perpetrare.

Romipetas et peregrinos etiam in Urbe morantes, vel ab eâ recedentes laedentes.

§ 10. Item excommunicamus et anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes seu depraedantes romipetas seu peregrinos ad Urbem causâ devotionis seu peregrinationis accedentes et in eâ morantes, vel ab ipsâ recedentes, et in his dantes auxilium, consilium vel favorem.

Offendentes S. R. E. cardinales et alios praelatos.

§ 11. Item excommunicamus et anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes vel hostiliter insequentes sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, Sedisque Apostolicae legatos vel nuntios, aut eos a suis dioecesibus, territoriis, terris seu dominiis eiicientes: necnon ea mandantes, vel rata habentes seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

Offendentes ad Romanam Curiam venientes pro suis negotiis expediendis, negotiorumque gestores.

§ 12. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui per se, vel per alios, personas ecclesiasticas quascumque, vel seculares, ad Romanam Curiam super eorum causis et negotiis recurren-

tes, ac illa in eâdem curiâ prosequentes aut procurantes, negotiorumque gestores, advocatos, procuratores et agentes, seu etiam auditores vel iudices super dictis causis vel negotiis deputatos, occasione causarum vel negotiorum huiusmodi occidunt, seu quoquomodo percutiunt, bonis spoliant, seu qui per se vel alios directe vel indirecte delicta huiusmodi committere, exequi vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium vel favorem praestare non verentur, cuiuscumque praeeminentiae et dignitatis fuerint.

Appellantes a gravamine, seu futura exequutione litterarum apostolicarum, etiam in forma Brevis ad curias seculares.

§ 13. Item excommunicamus et anathematizamus omnes tam ecclesiasticos quam seculares, cuiuscumque dignitatis, qui praetexentes frivolam quandam appellationem a gravamine vel futurâ exequutione litterarum apostolicarum etiam in formâ Brevis, tam gratiam quam iustitiam concernentium, necnon citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum, exequutorialium et aliorum decretorum a nobis et a Sede praedictâ, seu legatis, nuntiis, praesidentibus, palatii nostri et camerae apostolicae auditoribus, commissariis, aliisque iudicibus et delegatis apostolicis emanatorum, et quae pro tempore emanaverint, aut aliàs, ad curias seculares et laicam potestatem recurrunt, ab ab eâ, instante etiam fisci procuratore vel advocato, appellationes huiusmodi admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria et alia praedicta, capi et retineri faciunt, quive illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito et consensu vel examine, exequutioni demandari, aut ne tabelliones et notarii super huiusmodi litterarum et processuum exequutione instrumenta vel acta conficere, aut confecta parti, cuius interest, tradere debeant, impediunt vel prohibent, ac etiam partes, seu eorum agentes, consanguineos, affines, familiares, notarios, exequutores et subexequutores litterarum, citationum, monitoriorum et aliorum praedictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex civitatibus, locis et regnis eiiciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt, comminantur, per se, vel alium, seu alios, publice vel occulte, quive aliàs quibuscumque personis in genere vel in specie, ne pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, seu gratiis vel litteris impetrandis, ad Romanam curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas vel litteras a dictâ Sede impetrent, seu impetratis utantur, directe vel indirecte prohibere, statuere seu mandare, vel eas apud se, aut notarios seu tabelliones, vel aliàs, quomodolibet retinere praesumunt.

Impedientes exequutionem litterarum apostolicarum, vel aliarum expeditionum et alias causas a iudicibus ecclesiasticis avocantes, seu cursum earum impedientes, aut se in illis ut iudices interponentes.

§ 14. Item excommunicamus et anathemizamus omnes et singulos, qui per se vel alios, auctoritate propriâ ac de facto, quarumcumque exemptionum, vel aliarum gratiarum et litterarum apostolicarum praetextu, beneficiales et decimarum ac alias causas spirituales aut spiritualibus annexas ab auditoribus et commissariis nostris, aliisque iudicibus ecclesiasticis avocant, illorumve cursum et audientiam, ac personas, capitula, conventus, collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tamquam iudices interponunt; quive partes actrices, quae illas committi fecerunt et faciunt, ad revocandum et revocari faciendum citationes vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas, et ad faciendum vel consentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, a censuris et poenis in illis contentis absolvi, per statutum vel aliàs compellunt, vel exequutionem litterarum apostolicarum seu exequutorialium, processuum ac decretorum praedictorum quomodolibet impediunt, vel suum ad id favorem consilium aut assensum praestant, etiam praetextu violentiae prohibendae vel aliarum praetensionum, seu etiam donec

ipsi ad nos informandos, ut dicunt, supplicaverint aut supplicari fecerint, nisi supplicationes huiusmodi coram nobis et Sede Apostolicâ legitime prosequantur, etiam si talia committentes fuerint praesidentes cancellariarum, consiliorum, parlamentorum, cancellarii, vicecancellarii, consiliarii, ordinarii vel extraordinarii, quorumcumque principum secularium, etiamsi imperiali, regali, ducali vel aliâ quacumque praefulgeant dignitate, aut archiepiscopi, episcopi, abbates, commendatarii seu vicarii fuerint;

Iudices seculares trahentes personas ecclesiasticas ad sua tribunalia, vel alios ecclesiasticam libertatem quomodolibet laedentes, aut deprimentes.

§ 15. Quive ex eorum praetenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque, personas ecclesiasticas, capitula, conventus, collegia ecclesiarum quarumcumque, coram se ad suum tribunal, audientiam, cancellariam, consilium, vel parlamentum praeter iuris canonici dispositionem trahunt vel trahi faciunt, procurant, directe vel indirecte, quovis quaesito colore; necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quaevis alia decreta in genere vel in specie, ex quavis causâ et quovis quaesito colore, ac etiam praetextu cuiusvis consuetudinis, aut privilegii, vel aliàs quomodolibet fecerint et publicaverint, vel factis et ordinatis usi fuerint, unde libertas ecclesiastica tollitur, seu in aliquo laeditur vel deprimitur, aut aliàs quovis modo restringitur, seu nostris, et dictae Sedis, ac quarumcumque ecclesiarum iuribus quomodolibet, directe vel indirecte, tacite vel expresse praeiudicatur;

Impedientes quoscumque praelatos, ne sua iurisdictione utantur, ac fori ecclesiastici iudicia eludentes, ad curias seculares recurrentes contra illos exequi procurant, necnon qui ea decernunt.

§ 16. Necnon qui archiepiscopos, episcopos, aliosque superiores et inferiores praelatos, et omnes alios quoscumque iudices ecclesiasticos ordinarios, quomodolibet hac de causâ, directe vel indirecte, carcerando vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, necnon consanguineos et affines, aut aliàs, impediunt quominus suâ iurisdictione ecclesiasticâ contra quoscumque utantur, secundum quod canones et sacrae constitutiones ecclesiasticae, et decreta conciliorum generalium, et praesertim Tridentini statuunt; ac etiam eos, qui post ipsorum ordinariorum vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque sententias et decreta, aut aliàs fori ecclesiastici iudicem eludentes, ad cancellarias et alias curias seculares recurrunt, et ab illis prohibitiones et mandata, etiam poenalia, ordinariis et delegatis praedictis decerni, et contra illos exequi procurant; eos quoque, qui haec decernunt et exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium et favorem in eisdem;

Auxilium praestantes usurpantibus Sedis Apostolicae, vel ecclesiarum iurisdictiones, seu fructus.

§ 17. Quive iurisdictiones, seu fructus, redditus et proventus ad nos et Sedem Apostolicam, et quascumque ecclesiasticas personas, ratione ecclesiarum, monasteriorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione vel causâ, sine Romani Pontificis vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressâ licentiâ, sequestrant;

Imponentes decimas, vel alia onera personis ecclesiasticis, ac eorum ecclesiarum, seu monasteriorum bonis.

§ 18. Quive collectas, decimas, talleas, praestantias et alia onera clericis praefatis et aliis personis ecclesiasticis, ac eorum et ecclesiarum, monasteriorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus et proventibus huiusmodi, absque simili Romani Pontificis speciali et expressâ licentiâ, imponunt, et diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposta, etiam a sponte dantibus et concedentibus, recipiunt; necnon qui per se vel alios directe vel indirecte praedicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium vel favorem praestare non verentur, cuiuscumque sint praeeminentiae, dignitatis, ordinis, conditionis aut status, etiamsi imperiali aut regali praefulgeant dignitate, seu principes, duces, comites, barones et alii potentatus quicumque etiam

regnis, provinciis, civitatibus et terris quoquomodo praesidentes, consiliarii et senatores, aut quavis etiam pontificali dignitate insigniti; innovantes decreta super his per sacros canones, tam in Lateranensi novissime celebrato, quam conciliis generalibus edita, etiam cum censuris et poenis in eis contentis.

Officiales seculares se interponentes in causis capitalibus contra ecclesiasticas personas.

§ 19. Item excommunicamus et anathematizamus omnes et quoscumque magistratus et iudices, notarios, scribas, executores, subexecutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus seu criminalibus contra personas ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, sine speciali, specificâ et expressâ huius sanctae Sedis Apostolicae licentiâ; quique huiusmodi licentiam ad personas et casus non expressos extendunt, vel aliàs illa perperam abutuntur; etiamsi talia committentes fuerint consiliarii, senatores, praesidentes, cancellarii, vicecancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

Occupantes et invadentes S. R. E. terras, et alias iurisdictionem supremam usurpantes.

§ 20. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui per se, seu alios, directe vel indirecte, sub quocumque titulo vel colore invadere, destruere, occupare ac detinere praesumserint, in totum vel in partem, almam Urbem, regnum Siciliae, insulas Sardiniae et Corsicae, terras citra Pharum, Patrimonium beati Petri in Tuscia, ducatum Spoletanum comitatum Venaysinum, Sabinensem, Marchiae Anconitanae, Massae Trebariae, Romandiolae, Campaniae et maritimas provincias, illarumque terras et loca, ac terras specialis commissionis Arnulphorum, civitatesque nostras Bononiam, Caesenam, Ariminum, Beneventum, Perusium, Avenionem, civitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum et alias civitates, terras et loca vel iura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictaeque Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiecta, necnon supremam iurisdictionem in illis nobis et eidem Romanae Ecclesiae competentem de facto usurpare, perturbare, retinere et vexare variis modis praesumunt, necnon adhaerentes, fautores et defensores eorum, seu illis auxilium, consilium vel favorem quomodolibet praestantes.

Haec Constitutio quousque liget.

§ 21. Volentes praesentes nostros processus, ac omnia et quaecumque his litteris contenta, quousque alii huiusmodi processus a nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare, suosque effectus omnino sortiri.

Absolutio ab huiusmodi casibus praeter mortis articulum Papae reservatur.

§ 22. Ceterum a praedictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiae mandatis et satisfaciendo cautione praestitâ, absolvi possit, etiam praetextu quorumvis facultatum et indultorum quibuscumque ecclesiasticis, secularibus, et quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac militiarum regularibus, etiam episcopali vel aliâ maiori dignitate praeditis, ipsisque Ordinibus et eorum monasteriis, conventibus et domibus, ac capitulis, collegiis, confraternitatibus, congregationibus, hospitalibus et lociis piis, necnon laicis, etiam imperiali, regali et aliâ mundanâ excellentiâ fulgentibus, per nos, et dictam Sedem, ac cuiusvis concilii decreta, verbo, litteris, aut aliâ quacumque scripturâ, in genere et in specie, concessorum et innovatorum, ac concedendorum et innovandorum.

Alios absolvere praesumentium poenae statuuntur.

§ 23. Quod si forte aliqui contra tenorem praesentium talibus excommunicatione et anathemate laqueatis, vel eorum alicui, absolutionis beneficium impendere de facto praesumpserint, eos excommunicationis sententiâ innodamus, gravius contra eos spiritualiter et temporaliter, prout expedire noverimus, processuri.

Papae absolutionem non comprehendit eos, qui praemissis desistere non promiserint.

§ 24. Declarantes, ac protestantes, quamcumque absolutionem, etiam solemniter per nos faciendam, praedictos excommunicatos sub praesentibus comprehensos, nisi prius a praemissis, cum vero proposito ulterius similia non committendi, destiterint, ac (quoad eos, qui contra ecclesiasticam libertatem, ut praemittitur, statuta fecerint) nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, et decreta huiusmodi publice revocaverint, et ex archiviis seu capitularibus locis, aut libris, in quibus adnotata reperiuntur, deleri et cassari, ac nos de revocatione huiusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per huiusmodi absolutionem, aut quoscumque alios actus contrarios, tacitos vel expressos, ac etiam per patientiam et tolerantiam nostram, vel successorum nostrorum quantocumque tempore continuatam, in praemissis omnibus et singulis, ac quibuscumque iuribus Sedis Apostolicae, ac sanctae Romanae Ecclesiae, undecumque et quandocumque quaesitis vel quaerendis, nullatenus praeiudicari posse aut debere.

Contrariis quibuscumque derogat.

§ 25. Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, indultis, et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus aliis, cuiuscumque ordinis, status vel conditionis, dignitatis et praeeminentiae fuerint, etiamsi, ut praemittitur, pontificali, imperiali, regali, seu quavis ecclesiasticâ et mundanâ praefulgeant dignitate, vel eorum regnis, provinciis, civitatibus seu locis a praedictâ Sede, ex quavis causâ, etiam per viam contractus, aut remunerationis, et sub quavis aliâ formâ et tenore, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, concessis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis et indultis huiusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus et dignitatibus eorum mentionem, necnon consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac praescriptionibus, quantumcumque longissimis, et aliis quibuslibet observantiis, scriptis vel non scriptis, per quae contra hos nostros processus ac sententias, quominus includantur in eis, se iuvare valeant vel tueri.

Quae omnia, quoad hoc, eorum omnium tenores, ac si ad verbum, nihil penitus omisso, insererentur, praesentibus pro expressis habentes, penitus tollimus et omnino revocamus: ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicationis in Urbe effectus.

§ 26. Ut vero praesentes nostri processus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas, seu membranas, processus ipsos continentes, valvis ecclesiae S. Ioannis Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum de Urbe appendi faciemus, ut ii, quos processus huiusmodi concernunt, quod ad ipsos non pervenerint, aut quod ipsos ignoraverint, nullam possint excusationem praetendere, aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Praeceptum etiam alibi publicandi hanc Constitutionem.

§ 27. Insuper, ut processus ipsi et praesentes litterae, ac omnia et singula in eis contenta, eo fiant notiora, quo in plerisque civitatibus et locis fuerint publicata, universis et singulis patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et locorum Ordinariis et praelatis, ubilibet constitutis, per haec scripta committimus, et in virtute sanctae obedientae districte praecipiendo mandamus, ut per se, vel per alium, seu alios, praesentes litteras, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut, si expedire viderint, etiam pluries in ecclesiis suis, dum in eis maior populi multitudo ad

divina convenerit, solemniter publicent, et ad christifidelium mentes reducant, nuntient et declarent.

Audientes confessiones habeant apud se has litteras.

§ 28. Ceterum patriarchae, archiepiscopi, episcopi, aliique locorum Ordinarii, et ecclesiarum praelati, necnon rectores, ceterique curam animarum exercentes, ac presbyteri seculares et quorumvis ordinum regulares, ad audiendas peccatorum confessiones quavis auctoritate deputati, transumptum praesentium litterarum penes se habeant, easque diligenter legere et percipere studeant.

Transumptorum fides.

§ 29. Volentes, earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, notarii publici manu, subscriptis et sigillo iudicis ordinarii Romane Curiae vel alterius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eamdem prorsus fidem in iudicio et extra illud ubique locorum adhibendam fore, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Decretum poenale.

§ 30. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, revocationis, commissionis, mandati et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXVII, kalendis aprilis, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 1 aprilis 1627, pontif. anno IV.

CCXLI.

Confirmatio decreti Congregationis Concilii, quo declaratur regulares exercentes curam animarum in dioecesi Manilensi subesse iurisdictioni archiepiscopi in his quae ad dictam curam pertinent[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Refertur Congregationis Concilii decretum.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit venerabilis frater modernus archiepiscopus Manilensis in Indiis Philippinis, quod aliàs a venerabilibus fratribus S. R. E. cardinalibus sacri Concilii Tridentini interpretibus emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet:

Posito motu proprio Pii V concesso ad favorem regularium in partibus Indiarum existentium, quod incipit: *Exponi nobis,* etc., sub datum Romae XXIV martii MDLXVII [1], archiepiscopus Manilensis in Indiis Philippinis supplicat sacrae Congregationi, quod dignetur declarare: an illius vigore regulares huiusmodi sint exempti a iurisdictione, visitatione et correctione Ordinarii, in cuius dioecesi sunt, in iis, quae ad curam animarum et sacramentorum administrationem pertinent, nec ne?

Die VI februarii MDCXXVII sacra Congregatio illustrissimorum cardinalium Concilii Tridentini interpretum, citatis regularibus, censuit regulares exercentes curam animarum subesse iurisdictioni, visitationi et correctioni archiepiscopi, in his tamen quae ad dictam curam pertinent, non obstante Breve sacrae memoriae Pii V.

COSMUS card. DE TORRES.
FRANCISCUS PAULUTIUS, secretarius.

(Loco † sigilli).

Archiepiscopus Manilae illud petit confirmari.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus archiepiscopus plurimum cupiat, decretum huiusmodi, pro firmiori illius subsistentiâ ac inviolabili observatione, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri:

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Sub hoc datum nihil est in *Bullario;* vide tamen tom. VII, pag. 573 (R. T.).

Confirmat Urbanus.

§ 3. Nos, eius votis huiusmodi annuere, illumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum huiusmodi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, decretum huiusmodi, necnon praesentes litteras, valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, firmiter et inviolabiliter observari; sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Demandatur archiepiscopo exequutio.

§ 5. Quocirca eidem moderno et pro tempore existenti archiepiscopo Manilensi huiusmodi per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi, ubi et quando opus fuerit, solemniter publicans, illas ab omnibus, ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari faciat; contradictores quoslibet, ac in praemissis non parentes, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio obstantium.

§ 6. Non obstantibus praedictis Pii praedecessoris, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, personis regularibus praedictis, illarumque Ordinibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda esset, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII aprilis MDCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 7 aprilis 1627, pontif. anno IV.

CCXLII.

Declaratio, quod beata Maria Magdalena de Pazzis Florentina, dum vixit, Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo monialis extitit.

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

In supremo apostolatus solio, meritis licet insufficientibus, divinâ dispensatione constituti, ad ea, per quae servorum et

ancillarum Christi honor et veneratio in terris promoveatur, iuxta creditum nobis desuper apostolicae servitutis officium libenter intendimus, votisque christifidelium honorem et venerationem huiusmodi respicientibus libenter annuimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Aliàs iste Pontifex beatificavit Mariam Magdalenam de Pazzis, et missam ac officium de ea celebrari posse indulsit in omnibus ecclesiis civitatis Florentinae, et Romae in ecclesiâ ipsius nationis.

§ 1. Aliàs siquidem, pro parte dilecti filii nobilis adolescentis Ferdinandi Heturiae sibi subiectae magni ducis, ac dilectarum in Christo filiarum nobilium mulierum Mariae Magdalenae archiducissae Austriae et Christiernae a Lotharingia Heturiae sibi subiectae magnarum ducissarum viduarum, necnon piorissae et monialium monasterii S. Mariae Angelorum nuncupatae in burgo S. Fridiani civitatis Florentinae, nobis exposito, quod bonae memoriae ancilla Dei Maria Magdalena de Pazzis Florentina monialis, multis et eximiis virtutum et gratiarum, ac miraculorum donis a Domino illustrata fuerat; nobisque propterea pro parte eorumdem Ferdinandi magni ducis et Mariae Magdalenae archiducissae, necnon Christiernae magnarum ducissarum viduarum, ac priorissae et monialium humiliter supplicato, ut, donec canonizationis honor dictae ancillae Dei Mariae Magdalenae ob eius excellentia merita, divinâ aspirante gratiâ, ab apostolicâ Sede decernatur, eadem ancilla Dei Maria Magdalena Beata nuncupari, atque officium et missa de eâ, ut infra, recitari et celebrari posset: nos, re prius per venerabiles fratres nostros sanctae Romanae Ecclesiae cardinales sacris ritibus praepositos, quibus eam examinandam mandaveramus, mature discussâ, de eorumdem cardinalium consilio, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut ipsa ancilla Dei Maria Magdalena Beata nuncupari, officiumque et missa de eâ tamquam de communi Virginis non Martyris, iuxta rubricas missalis et breviarii romani, in omnibus et singulis civitatis Florentinae ecclesiis, et hîc Romae, pro tunc praesente anno dumtaxat, in ecclesiâ sancti Ioannis Baptistae nationis Florentinorum, in qua beatificationis huiusmodi solemnitas celebranda erat, in eiusdem ancillae Dei Mariae Magdalenae obitus seu aliâ subsequenti non impeditâ die a quibusvis clericis et presbyteris tam secularibus quam regularibus recitari et celebrari respective possent et valerent, apostolicâ auctoritate concessimus et indulsimus, et aliàs, prout in aliis nostris desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur[1].

Nunc declarat dictam Beatam dum vixit Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo monialem fuisse.

§ 2. Nunc autem, supplicationibus dilectorum filiorum generalis, aliorumque superiorum et fratrum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo nobis humiliter porrectis inclinati, de eorumdem fratrum consilio, dictam B. Mariam Magdalenam de Pazzis dicti Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo monialem, dum ipsa vixit, fuisse, tenore praesentium declaramus.

Et indultum recitandi officium ad omnes dicti Ordinis extendit.

§ 3. Quodque in omnibus monasteriis, locis et ecclesiis dicti Ordinis, in ipsius B. Mariae Magdalenae obitus seu aliâ subsequenti non impeditâ die, singulis annis, ab omnibus utriusque sexus eiusdem Ordinis religiosis officium et missa, et a confluentibus ad ecclesias dicti Ordinis, in almâ Urbe nostrâ et in civitate Florentinâ existentes, missa dumtaxat de eâdem B. Maria Magdalena tamquam de communi Virginis non Martyris, iuxta ipsius Ordinis breviarium a Sede Apostolicâ approbatum, et rubricas breviarii ac missalis romani, in futurum recitari et celebrari libere pariter et licite respective possint et valeant, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus omnibus et singulis, quae in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Vide supra pag. 456 (R. T.).

Transumptis fidem addit.

§ 5. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII aprilis MDCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 23 aprilis 1627, pontif. anno IV.

CCXLIII.

Extinctio assertae cuiusdam Congregationis sancti Pauli primi eremitae in regno Galliae.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex, quem Salvator et Dominus noster omnium Ecclesiae suae ordinum patrem et pastorem constituit, ut iuxta propheticum verbum noxia evellat et destruat, utiliaque et salubria plantet et aedificet, in his sollicitudinis et providentiae suae partes interponit, per quae sacrarum religionum tamquam fructuosarum plantarum in irriguo militantis Ecclesiae agro a sanctis viris constitutarum puritas et candor vigeat et conservetur, et si quas unquam adulterinas plantationes pullulare cognoscit, eas vigilantiae suae studio radicitus extirpat, prout conspicit in Domino salubriter expedire.

Congregatio haec erecta fuerat nullo Sedis Apostolicae beneplacito.

§ 1. Cum itaque, sicut nobis innotuit, in regno Galliae ab aliquot annis nullâ Sedis Apostolicae auctoritate, quin potius damnabili temeritate, introducta fuerit quaedam congregatio sub titulo S. Pauli primi Eremitae, in eâque perplures tamquam in religione approbatâ tria vota substantialia emiserint, caputiumque detulerint, et nunc quoque deferant, ad instar fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis S. Augustini; cumque nonnulli ex eâdem congregatione, cognitâ nullitate fundationis, ac fraude, quam idemmet fundator paucis ante obitum diebus, conscientiae stimulis adactus, ut nobis etiam innotuit, confessus est se temere commentum fuisse, a Sede praedictâ postulaverint declarari, se non esse congregationi huiusmodi alligatos, et posse libere ad seculum redire:

Eam supprimit Pontifex.

§ 2. Nos, dignum existimantes, ut adulterinas huiusmodi plantationes, quas non Pater caelestis, sed humanae temeritatis audacia plantat, apostolici culminis censura divellat, nec patiatur in agro Dominico illegitimae congregationis vepres excrescere, cui proprium est virtutes serere, ac vitia radicitus extirpare; idcirco, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, sectam, statum et congregationem huiusmodi nullius firmitatis umquam, fuisse aut esse apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus et declaramus, et quatenus de facto processit, eisdem auctoritate et tenore penitus et omnino revocamus, cassamus et annullamus, perpetuaeque prohibitioni subiicimus, et ab Ecclesiâ Dei penitus abolemus, necnon omnibus, qui habitum, ut supra susceperunt, professionemque emiserunt, sub excommunicationis latae sententiae poenâ interdicimus et expresse prohibemus, ne sectam seu congregationem huiusmodi ab ipsis assumptam sectentur ulterius, vel ipsam de novo assumere quoquo modo audeant vel praesumant.

In ea professis concedit, ut in seculo in habitu clericali vivant.

§ 3. Et nihilominus iis, qui bonâ fide vota, ut supra, emiserunt, ut in seculo in habitu clericali, sub obedientiâ tamen episcopi loci, ubi eos morari contigerit, voto castitatis adstricti remanere libere et licite valeant, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus.

Hortatur tamen ut aliquam ex religionibus ap-

§ 4. Ceterum eos paterne in Domino hortamur, ut aliquam ingrediantur de religio-

probatis ingrediantur.

nibus a Sede Apostolicâ approbatis, ibique reddant Domino vota sua. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 5. Volumus autem quod praesentium transumptis, etiam impresssis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX maii MDCXXVI, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 20 maii 1627, pontif. anno IV.

CCXLIV.

Nova erectio collegii Illyrici in civitate Lauretanâ pro adolescentibus ex Illyricis provinciis sumptibus domus Lauretanae educandis, cum privilegiorum et indultorum elargitione.

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

Zelo domus Dei nos commovente, ut parvulis petentibus panem verbi Dei pro munere nostro frangamus, quippe qui universarum gentium populorumque Christi fidem profitentium salutem procurare et promovere studemus, dum omnes christiani orbis partes oculis mentis nostrae perlustramus Illyricae linguae gentis, maiorem Europae et maximam Asiae portionem incolentis, atque per Europam praestantissimis regnis et provinciis olim florentissimae, ac inter plantas apostolicas in gremio catholicae Ecclesiae primogenitae, nunc vero maximâ ex parte sub impiâ turcarum tyrannide gementis, schismaticorumque orientalium, haeresumque septentrionalium venenis per partes infectae, pro debito nostri pastoralis officii, necessitatibus spiritualibus succurrere cogimur et admonemur.

Gregorius XIII fundavit collegium Illyricum Laureti pro XXX iuvenibus in dictae nationis.

§ 1. Cum itaque, sicut nobis innotuit, aliàs felicis recordationis Gregorius Papa XIII praedecessor noster, miseratione tantae gentis, collegium Illyricorum iuventutis in civitate Lauretanâ illius sacrosanctae domus proventibus alendae, bonisque artibus et disciplinis instruendae, praefixo tunc temporis numero ad triginta adolescentes, apostolicâ auctoritate erexisset et instituisset optimo aeque consilio, fructuque; cum brevi, temporis intervallo, iuventus inibi bonis moribus ac litteris instituta, patriaeque iuvandae adhibita, magno divinae gloriae augmento, animarumque salute, provincias Illyricas, praesertim vero litoralem Dalmatiam, discussis, quibus offundebatur, ignorantiae tenebris, ad verae pietatis media excitaverit;

Illud vero ad XII fuerat redactum.

§ 2. Cumque adeo pium opus aliquot post annis, quibusdam de causis, admodum imminutum fuerit, redacto ad duodecim tantum alumnorum[1] adolescentium, Romam Laureto translatorum, numero, Lauretano collegio penitus extincto:

Urbanus de novo Laureti fundat et erigit pro XXXVI iuvenibus ex Illyrica natione.

§ 3. Nos, qui hanc eiuscemodi translationem et numeri alumnorum imminutionem in maximum damnum fidei in illis provinciis contigisse certâ scientiâ cognovimus, ad opus hoc, dictum collegium in pristinum, et, quantum fieri poterit, meliorem statum restituendum et renovandum, animum et mentem nostram convertentes, maturo desuper cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus congregationi de propagandâ fide praefectis habito consilio, motu proprio, non ad alicuius nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ, meràque liberalitate nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ad Dei omnipotentis laudem, sanctaeque ipsius Ecclesiae incrementum, ac praecipuam[2] Illyricae gentis salutem et commodum, in civitate

1 Edit. Main. habet *alumnos* (R. T.).
2 Forsan legendum *praecipue* (R. T.).

Lauretanâ praefatâ dictum collegium Illyricorum appellandum, in quo inposterum prior adolescentium numerus, triginta sex videlicet, sacrosanctae domus Lauretanae, ut olim, proventibus et redditibus et provisionibus sustentari, ali, educari, ac in bonis, ecclesiasticisque moribus, necnon in grammaticae, philosophiae et theologiae, ac sacrorum canonum, aliarumque facultatum necessitates Illyricas concernentium disciplinis ac studiis instrui [ita tamen, ut, donec dicta sacra domus, cuius proventus, ob multas expensas in translatione alumnorum et extructione domus collegialis factas, tam magno alumnorum numero sustentando non facile sufficere videtur, expensarum mole levari coeperit, collegio praefato viginti saltem alumni ex Illyricis provinciis evocandi ali, educari et instrui debeant;

Distributio et assignatio locorum ecclesiis Illyricis.

§ 4. Et horum viginti alumnorum loca, duodecim videlicet litoralibus Dalmatiae urbibus ab exordio dicti collegii destinata, perpetuo adolescentium eiusdem provinciae immutabilia censeantur et esse debeant (distributione et assignatione dictorum duodecim locorum, sequenti ratione inviolabiliter observandâ: nimirum, ut Spalatensis, Ragusinensis, Iadrensis et Antibarensis ecclesiae metropolitanae singulae unum semper alumnum seu unius alumni locum habeant, et in illorum distributione, Spalatensis videlicet oppidi Almisiensis nunc suae dioecesis, Antibarensis vero Buduanae civitatis suae provinciae, Iadrensis autem, ecclesiae praefatae, oppidi Pagensis etiam suae dioecesis rationem habere debeant; ut scilicet tertia quaeque successio alumnorum pertinentium ad dictas tres metropoliticas ecclesias sit oppidorum et civitatis huiusmodi: similiter Sibenicensi, Vegliensi, Pharensi, sive Lesinensi, Ausserensi, Catharensique ecclesiis singulis locus unius alumni competat; in quibus distribuendis, Parensis, seu Lesinensis, Brachiae insulae suae dioecesis, Ausserensis vero Chersi oppidi item suae dioecesis, Catharensis, ecclesiae praefatae, Perasti oppidi pariter suae dioecesis eamdem rationem, quae supra tribus metropolicicis ecclesiis praefatis praescripta est, habeant et habere teneantur: denique ecclesiae Curzolensis cum Stagnensi unum alternatim, Traguriensis et Nonensis itidem, sicuti et Arbenensis et Seniensis unum alternatim habere debeant: hoc tamen expresse servando,

Si praelati neglexerint mittere alumnos, quid servandum.

§ 5. Ut quandocumque, vel negligentiâ praelatorum, capitulorumque Dalmaticorum, ad quos approbationem dictorum alumnorum coniunctim, electionem vero et admissionem eorum, qui, ut praefertur, approbati fuerunt, ad cardinalem eiusdem collegii protectorem pro tempore existentem perpetuo spectare et pertinere volumus, vel quavis aliâ de causâ, loca alicuius vel aliquorum alumnorum, eisdem, ut praefertur, ecclesiis assignatorum, ultra sex menses vacare contigerit, nullatenus illa ex aliis praefatis Dalmatiae ecclesiis litoralibus, sed ex aliis Illyricae nationis sub Turcâ existentibus, eâ tantum vice, qua vacare contigerint, per quod tamen nullum praeiudicium imposterum aliis ecclesiis praefatis generetur, suppleatur; et hoc toties quoties similis vacatio intercesserit;

Quid agendum cum praesentibus alumnis.

§ 6. Quinimo si qui alumni, plures videlicet ex unâ dictarum ecclesiarum praeter hanc nostram declarationem in dicto collegio admissi de cetero reperientur, sine ullâ morâ protinus excludantur, locaque suis ecclesiis assignata, vel aliis eorum loco nominatis, sine ullâ interpretatione, indulgentiâve restituantur); reliqua vero octo loca pro nunc, donec alumni ad antiquum numerum integrentur, sic divisa intelligantur, nimirum Bosnensis, Maccarensis, Scardonensis, necnon Samandri et Uscopiensis ecclesiae singulae videlicet unicum alumnum habeant, sicuti et re-

gio intra Drayum, Savumque fluvios constituta, Bosnensis administratoris curae commissa, unicum, in Albanensi vero sive Epirotica provinciâ, donec iuxta eiusdem praedecessoris mentem peculiare collegium eidem constituatur, ecclesiae citra Drinum fluvium constitutae, unicum, ultra vero Drinum, alium vicissim habere debeant; adaucto vero numero in futurum, illius beneficio praenominatae ecclesiae sub turcis constitutae, additis Tiniensi, Dumnensi, seu Dalmatensi, Stridonensi, Tribuniensique, in Dalmatia turcica, Bosnaque, Nissiensique, ac Prisriensi, sive Iustinianea prima in Servia, potiantur et gaudeant, habitâ nihilominus ratione ecclesiarum praefatarum maiori auxilio indigentium] apostolicâ auctoritate praefatâ, eorumdem[1] tenore praesentium, rursus exintegro perpetuo erigimus et instituimus.

Modus admittendi alumnos ad collegium.

§ 7. Ut autem admissio et receptio dictorum alumnorum debito ordine procedat, ut nemo intra eorum numerum in praefato collegio acceptetur, qui litteras testimoniales Ordinarii sui et capituli loci, ubi fieri poterit, non habeat, quibus constet illum in et de legitimo matrimonio natum, et saltem primâ tonsurâ initiatum, nec esse neophitum, multo minus aliquo tempore haeresi vel mahumetismo adhaesisse, sitque sanus et absque ullâ infirmitate habituatâ, vel incurabili, ac sine ullo vitio vel deformitate notabili corporis, linguâ minime impeditâ, parentibus Illyricis, Illyricaeque linguae, et, si fieri poterit, litteraturae quoque Illyricae peritus, qui vagus non fuerit, nihilque negotii ac litium habeat, et praeferat voluntatem ac speciem proficiendi in disciplinâ pietatis et litterarum ad effectum, ut evadat utilis operarius in culturâ Illyricanae ecclesiae, idemque non sit inferior quatuordecim annis, nec vigesimum annum excedat, habeatque aliquam grammaticae cognitionem (quae omnia, sicut in duodecim Dalmaticis alumnis, ab episcopis et capitulis, ut praefertur, deligendis, omni rigore, ita in subditis turcarum mitius observentur);

1 Videretur legendum *earumdem* (R. T.).

Iuramentum alumnorum.

§ 8. Et, postquam aliquis praefato ordine inter alumnos receptus fuerit, collegialem vestem non induat, nisi, per semestre spatium probatus iudicio superiorum eiusdem collegii, solemne iuramentum in manibus eiusdem collegii rectoris pro tempore existentis emiserit, iuxta formam a Congregatione de Propaganda Fide praescriptam; et praeterea iuraverit, quod, peractis studiis, vel ob aliquam legitimam causam non prorsus absolutis, dummodo tamen per annum et dimidium in collegio moram traxerit, nec ad aulas principum, domosque magnatum diuturnioris morae causâ unquam se conferet, minusque ad universitates, aut alias publicas scholas, sub quovis praetextu, nisi forte iudicio vel voluntate superiorum in scriptis exprimendâ;

Poenae contrafacientium.

§ 9. Contrafactores vero periuri et infames, inhabilesque perpetuo ad quaecumque beneficia, officia, dignitatesque, tam ecclesiasticas, quam seculares, existant, atque etiam, ut ad rependendas et exsolvendas omnes illas expensas, quas sacra domus pro huiusmodi alumnis, tam in convictu, quam vestibus, libris, medicinis, viaticisque insumpserit, cogi et compelli possint, eisdem auctoritate et tenore etiam perpetuo statuimus et ordinamus.

Privilegia alumnorum.

§ 10. Quo vero dicti alumni expeditiores et alacriores ad succurrendum patriae necessitatibus efficiantur, eisdem alumnis, ut eo temporis spatio, quo in collegio praefato sese continuerint, et superiorum iudicio in studiis praefatis et litterarum profecerint, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, etiam sine litteris dimissorialibus (nisi habeant episcopos

proprios, a quibus illae obtineri poterint, cum ad collegium dirigentur) et sine beneficii ecclesiastici, aut patrimonii titulo[1], ac etiam extra legitimarum ordinationum tempora, dummodo tamen aliàs ad id reperiantur idonei, promoveri possint et valeant, iidemque sic ad ordines promoti in originalibus ecclesiis cum beneficia, personatus, dignitatesque earum vacare contigerit, tam in Romanâ Curiâ, quam apud Ordinarios proprios et capitula, aliis omnibus, ceteris paribus, anteferri debeant, et secus factae provisiones irritae et inanes ipso iure existant, auctoritate et tenore praemissis, de speciali gratiâ indulgemus.

Unio sex adolescentium Bulgarorum cum dictis alumnis et eorum sustentatio.

§ 11. Adolescentes quoque Bulgarici regni, qui sex numero per eleemosynarium nostrum secretum hîc in Urbe in studiis sustentantur auxilio afflictissimae illorum patriae, ut inter connationales Illyricos in pietate et litteris magis proficere possint, praefatis alumnis in Lauretano collegio adiungimus, quibus idem eleemosynarius noster, ut[2] imposterum, uti hactenus consuevit, omnia necessaria pro sufficienti illorum sustentatione et educatione subministrare debeat, absolutisque ab eisdem Bulgaricis alumnis studiis semper alios vicissim substitui, sumique ex eodem regno per eamdem Congregationem de Propagandâ Fide, ad episcopi Sophiensis pro tempore existentis nominationem, eodem quo hactenus numero et provisione declaramus.

Gubernium collegii datur presbyteris Societatis Iesu.

§ 12. Ceterum, cum dilectorum filiorum presbyterorum Societatis Iesu in hoc educandorum, instituendorumque adolescentium munere diligentia, fides et integritas in aliis eiusmodi collegiis et in hoc ipso, quandiu Laureti et in Seminario Romano fuit, satis cognita sit atque perspecta, collegium atque scholares huiusmodi ipsorum, sicuti a primâ illius origine fuit, regimini, institutioni, doctrinae, atque obedientiae, sub regulis et constitutionibus per dictam Congregationem de Propagandâ Fide approbatis, quas apostolicâ auctoritate confirmamus, easdem[1] a rectore et alumnis praedictis perpetuo observari mandamus, eâdem auctoritate subiicimus, atque submittimus.

Privilegia generalia collegio et praesertim studio generali Urbis concessa.

§ 13. Et insuper eidem collegio et scholaribus, rectoribus et gubernatoribus ac ministris omnia et quaecumque privilegia, exemptiones, libertates, facultates et indulta, quibus studium generale almae Urbis et illius rector, doctoresque in eo legentes, aliaque collegia quarumcumque nationum et seminariorum[2], tam in eâdem almâ Urbe, quam extra illam, per praedecessores nostros Romanos Pontifices instituta utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, quibusque collegium, scholares, rectores et gubernatores huiusmodi non solum ad eorum instar, sed etiam aeque principaliter uti, potiri et gaudere valeant, in omnibus et per omnia, dictâ auctoritate, communicamus.

Privilegia superiorum collegii ad favorem alumnorum.

§ 14. Praeterea regentibus et superioribus dicti collegii, cum assistentiâ tamen cardinalis protectoris qui pro tempore constitutus fuerit, et de eius consilio et expresso consensu, illos, quos in dicto collegio et alibi per debitum tempus studuisse, ac scientiâ ac moribus idoneos esse repererint, in praefatis facultatibus ad baccalaureatus, licentiaturae, doctoratusque et magisterii gradus, servatâ formâ concilii Viennensis, iuxta universitatis almae Urbis consuetudinem, seu aliàs, promovendi, et ipsorum graduum solita insignia exhibendi, eisque, in facultatibus suprascriptis sic promotis, aut illa[3] legi-

1 Vocem *titulo* nos addimus (R. T.).
2 Potius legerem *et* (R. T.).

1 Legerem *easdem* vel *easdemque* (R. T.).
2 Forsan legendum *seminaria* (R. T.).
3 Potius lege *et illas* (R. T.).

time interpretari, ac de eis disputare, et[1] quoscumque gradui seu gradibus huiusmodi convenientes actus exercere, ac omnibus et singulis privilegiis, gratiis, favoribus, praerogativis et indultis, quibus alii in praefatâ seu aliis universitatibus et alibi iuxta illius et aliarum universitatum huiusmodi constitutiones et mores ad gradus praefatos promoti de iure vel consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri et possint et debeant, perinde ac si gradus praefatos in ipsâ universitate iuxta consuetudines et mores praefatos suscepissent, concedendi et indulgendi, plenam et liberam facultatem et auctoritatem earumdem tenore praesentium concedimus et impartimur.

Deputatio protectoris collegii.

§ 15. Praeterea, ut eiusdem collegii conservationi, bonoque regimini, tam in his, quae ad scholarium institutionem et disciplinam, quam quae ad victum, vestitum aliaque huiusmodi necessaria pertinent, opportunius consulatur, et promptum eis paratumque auxilium sit, dilectum filium nostrum Scipionem tituli S. Chrysogoni presbyterum cardinalem Burghesium nuncupatum sacrosanctae domus Lauretanae protectorem, eiusdem collegii Illyrici protectorem et defensorem, cuius auctoritate, consilio et ope tam suprascripta quam quaecumque alia ad eosdem in dicto collegio admittendos scholares, retinendosve, locisve privandos, atque de beneficiis ecclesiasticis providendos spectantia agantur, statuantur et ordinentur, dictâ auctoritate constituimus et deputamus;

Eiusdem facultates.

§ 16. Dantes eidem et pro tempore existentibus eiusdem collegii protectoribus plenam et liberam facultatem et auctoritatem pro salubri directione et conservatione dicti collegii, illiusque bonorum et rerum ac iurium tam temporalium quam spiritualium oeconomos, advocatos, procuratores, aliosque ministros et officiales in eo deputandi, amovendique et alios eorum loco sufficiendi, ordinationes praeterea, statuta, aequa tamen et honesta, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini sacraeque Congregationis de Propagandâ Fide decretis circa collegia Pontificia editis non repugnantia, faciendi, eaque, cum opus visum fuerit, revocandi, irritandi, corrigendi, aliaque de novo condendi, quae postquam facta, edita, revocata, immutata et correcta fuerint, perinde haberi volumus, ac si auctoritate apostolicâ approbata et confirmata essent;

Decretum irritans.

§ 17. Ac decernentes illa ab omnibus rectoribus et magistris, scholaribus, aliisque personis in huiusmodi collegio servientibus et ministrantibus, inviolabiliter observari, ac iuxta eorum dispositionem a quibusvis iudicibus, sublatâ quavis aliter iudicandi facultate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, exceptis tamen iis quae in praesenti fundatione, vel in regulis et constitutionibus a Congregatione de Propaganda Fide approbatis, et a nobis, ut praefertur, confirmatis, continentur.

Gratiae spirituales alumnis concessae.

§ 18. Ut vero etiam temporalibus commodis spiritualia munera addamus, quibus fidelium devotio et merita crescere magis et augeri possint, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum auctoritate confisi, omnibus et singulis scholaribus, qui in dictum collegium recepti fuerint, in ipso ingressu, ac deinde in exitu, siquidem confessi et contriti sacram communionem devote receperint, atque etiam, si in eodem collegio decedere eos ab humanis contigerit, in mortis articulo plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem concedimus et elargimur.

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

Exequutores praesentis bullae.

§ 19. Quocirca dilectis filiis causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, ac venerabilium fratrum nostrorum Lauretanae et Anconitanae episcoporum vicariis in spiritualibus generalibus, motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte rectorum et scholarium huiusmodi fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes, et in eis contenta huiusmodi, ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, firmiter et inviolabiliter observari, ac rectores et scholares praefatos illis pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac censuras et poenas ipsas, servatâ formâ Concilii Tridentini, et iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 20. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae civitatis Lauretanae (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis universitatibus, collegiis, eorumque rectoribus et personis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis et innovatis (quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, pro eorum sufficienti derogatione, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret[1], tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse, motu pari, derogamus), contrariis quibuscumque; aut si quibusvis communiter aut divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Exemplorum fides.

§ 21. Volumus autem, quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo communi dicti collegii, aut alicuius curiae ecclesiasticae, seu personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ac aliàs, ubicumque opus fuerit, habeatur, quae haberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 22. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae erectionis, institutionis, statuti, ordinationis, indulti, adiunctionis, declarationis, confirmationis, subiectionis, submissionis, impartitionis, constitutionis, deputationis, decreti, concessionum, elargitionis, mandatorum, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem,

[1] Edit. Main. legit *servanda, et tenores* (R.T.).

anno Incarnationis Dominicae MDCXXVII, kalendis iunii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 1 iunii 1627, pontif. anno IV.

CCXLV.

Confirmatio et innovatio constitutionum Sixti V, Clementis VIII et Pauli V super prohibitione alienandi fortalitia et castra, aliaque bona iurisdictionalia in Statu Ecclesiastico existentia, absque Sedis Apostolicae licentiâ. Earumque declaratio et extensio respective quoad castra diruta, tenutas et praedia etiam non iurisdictionalia in confinibus loci iurisdictionalis, etsi bona in dicto Statu in confinio principum exterorum sint, illorumque locationes et censuum annuorum super praemissis omnibus impositiones, et impositorum venditiones[1].

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Decens et aequum esse censemus, ut nos, qui ex onere pastoralis officii, subditorum commodis assidue invigilamus, Sedis Apostolicae iura tueri nullo pacto negligamus, ac proinde iurisdictiones temporales eidem Sedi subiectas quovis praetextu vel colore a quoquam usurpari, aut illis gravamina seu incommoda inferri non permittamus: et, si super constitutionibus apostolicis per Romanos Pontifices praedecessores nostros editis dubia aliqua oriri contingat, nostrae declarationis remedio, abstractisque illarum interpretationibus et quorumcumque contrahentium palliationibus occurramus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Sixtus V prohibuit ne civitates, oppida, castra, etc., venderentur, aut permutatentur sine Sedis Apostolicae licentia.

§ 1. Cum itaque aliàs felicis recordationis Sixtus V, considerans convenire, quod si civitates, castra, oppida, iurisdictiones, fortalitia praesertim feudalia vendantur vel permutentur, seu etiam donentur ditioni temporali sanctae Romanae Ecclesiae subditis, sive extraneis vel forensibus, id ad principis notitiam deducatur, per suas sub datum videlicet kalendis iulii, pontificatus sui anno I, omnibus et singulis cuiuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis et dignitatis existentibus, etiam[1] imperiali, regali, ducali vel aliâ quavis auctoritate et dignitate etiam ecclesiasticâ, quae specialem et individuam mentionem requireret, praediti essent, ne civitates, castra, oppida, iurisdictiones, fortalitia, et seu bona aut loca iurisdictionalia huiusmodi in alium vel alios quoscumque, nisi de expressâ praecedente suâ et pro tempore existentis Romani Pontificis licentiâ, vendere, permutare vel donare valerent, sub poenâ nullitatis contractuum huiusmodi, probibuerit, aliaque etiam circa praemissa statuerit;

Clemens VIII prohibitionem confirmavit et ampliavit.

§ 2. Et successive Clemens VIII, volens hominum malitiis et fraudibus occurrere, et dubia, quae tunc super praemissorum interpretatione emergebant, declarare, per suas sub datum pridie nonas iulii, pontificatus sui anno X, prohibitionem et statuta praedicta confirmaverit, approbaverit, innovaverit, declaraverit, extenderit et ampliaverit, poenasque amissionis bonorum et aliorum praedictorum contrafacientibus, ac privationis officiorum tabellionibus et notariis, qui de contractibus, ut praefertur, prohibitis se rogarent, imposuerit, aliaque etiam iusserit et decreverit;

Et Paulus V ea omnia confirmavit pariter et declaravit, ac extendit

§ 3. Et insuper Paulus etiam V, Romani Pontifices praedecessores nostri, ne disposita per Sixtum et Clementem praedeces-

1 Prohibitionem Sixti V de huiusmodi alienationibus habes in Const. VII, *Sollicitudo*, tom. VIII, pag. 580. Innovationem vero et declarationem ipsius habes in Clem. VIII, Const. CCL, *Romanum* (in h. n. ed. CCLXI, tom. X, pag. 711). Et earumdem confirmationem, ac pariter innovationem habes in Pauli V Const. CCLXXXI, *Pastorale*, (in h. n. ed. CCCI, tom. XII, pag. 413).

1 Potius legendum *etiamsi* (R. T.).

ad quodcumque genus contractuum et conventionum.

sores praefatos variis et alienis ab eorum mente interpretationibus subverti, ac palliatis conventionibus eludi possent, etiam per suas sub datâ XII kalendas decembris, pontificatus sui anno XIII, confectas litteras, nedum praemissa confirmaverit et innovaverit, sed etiam declaraverit, et, quatenus opus esset, ad quodcumque genus contractuum et conventionum extenderit et ampliaverit, ac licentiam praedictam in scriptis prius obtineri[1], et in actu celebrationis contractus apud notarium exhiberi mandaverit, et contrafacientes nullitatis contractuum et privationis rei alienatae, seu translatae vel gravatae, tabelliones seu notarios poenas falsi, ac privationis officiorum omnium, quae obtinerent, et inhabilitatis ad illa et alia imposterum exercenda, incurrere voluerit, aliaque similiter disposuerit, prout in singulis litteris praedictis plenius continetur;

Nunc vero quia aliqui modi inventi sunt alienandi absque praedictâ licentiâ et contrahendi cum retentione iurisdictionis;

§ 4. Ab inde vero citra hominum versutia et artificium adversus praedictarum litterarum tenorem, vel ipsorum praedecessorum verisimilem intentionem et mentem, cautelas et modos aliquos absque praedictâ Romani Pontificis licentiâ alienandi et contrahendi adinvenerit et excogitaverit in alienando et respective acquirendo castra diruta seu tenutas iurisdictionales, etiam cum retentione seu reservatione iurisdictionis, ac etiam barones, seu domicelli, casalia, tenutas, sive praedia etiam non iurisdictionalia, in confinibus territorii alterius civitatis, castri, oppidi vel loci iurisdictionalis alterius baronis, seu domicelli existentia, illa etiam, nullâ Romani Pontificis obtentâ licentiâ, alteri baroni seu domicello convicino vendiderint, seu alienaverint, et respective emerint seu acquisiverint, et ex praedictis alienationibus et acquisitionibus respective dubitari possit, ne tempore saltem procedente iurisdictio aliqua usurpetur, ac termini seu fines iurisdictionales confundantur aut protrahantur, vel illam usurpandi seu illos confundendi et protrahendi occasio inde aliqua praebeatur, etiam in praeiudicium Sedis et Camerae Apostolicae, ac praesertim in eventum cuiuscumque aperitionis feudi et devolutionis, seu cuiuscumque alterius acquisitionis civitatum, castrorum, oppidorum, seu locorum iurisdictionalium, aut casalium, seu tenutarum, sive praediorum eorumdem:

Urbanus, Sixti, Clementis et Pauli constitutiones approbat, confirmat et innovat.

§ 5. Nos, attendentes, praedictas litteras ad hoc, ut omnia principi innotescant, emanasse, et verisimilem eorumdem pontificum praedecessorum nostrorum intentionem extitisse, ne ullo modo camerae praefatae praeiudicium aliquod inferri possit, easdemque rationes etiam in huiusmodi contractibus, alienationibus, ac acquisitionibus militare, ex praedictis et seu aliis rationabilibus causis animum nostrum moventibus et remedium opportunum exquirentibus adducti, singularum litterarum praefatarum, ac alienationum, acquisitionum et contractuum quorumcumque, necnon omnium in singulis litteris praedictis expressorum et aliorum hîc etiam de necessitate exprimendorum tenores praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, et ex certâ nostrâ scientiâ et maturâ deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione, singulas Sixti et Clementis ac Pauli praedecessorum nostrorum praedictorum litteras praedictas approbamus et confirmamus, ac etiam, quatenus opus sit, innovamus.

Irritat venditiones, locationes, etc. ultra triennium locorum iurisdictionalium, vel non iurisdictionalium.

§ 6. Praeterea quascumque venditiones seu alienationes, ac locationes ultra triennium, cuiuscumque civitatis, oppidi seu castri diruti, seu tenutae iurisdictionalis vel cuiuscumque casalis, tenutae, seu praedii etiam non iurisdictionalis in confinibus alterius civitatis, castri, oppidi, seu loci iurisdictionalis, eiusve territorii siti, et

1 Perperam edit. Main. legit *obtinuerit* (R.T.).

etiam ab uno tantum latere confinantis, hactenus, a die datae ultimodictarum litterarum, per quemcumque baronem seu domicellum cuicumque alteri baroni seu domicello, civitatem, oppidum, castrum, seu locum quemcumque iurisdictionalem, eiusve territorium in confinio quomodolibet positum possidenti, cuiuscumque qualitatis, conditionis, status, gradus et dignitatis, etiam ecclesiasticae, etiam speciali, ut praefertur, et individuâ notâ dignae, ipsi alienantes et locantes, ac etiam acquirentes, et conducentes fuerint et sint, sive simpliciter, sive cum assertione non existentis iurisdictionis, sive cum iurisdictionis penes venditorem seu alienantem retentione seu reservatione, aut aliàs quomodolibet factas, etiam hucusque effectum plenum sortitas, ultimo dictarum litterarum dispositioni, quoad nullitatem praefatarum alienationum, acquisitionum et contractuum dumtaxat, subiacuisse et subiacere, et huiusmodi alienationes, acquisitiones et contractus inter barones seu domicellos, ut praefertur, facta, et inde sequuta quaecumque, nulla, nulliusque roboris, aut momenti fuisse et esse declaramus.

Mandat notariis sub poenis ut hic, ut quascumque scripturas desuper confectas infra LX dies a publicatione praesentium revelare camerae apostolicae debeant.

§ 7. Ac tabelliones et notarios de illis rogatos, sub eâdem privationis officiorum, aliisque nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio incurrendis poenis, instrumenta et scripturas desuper iam facta nobis et camerae praefatae inter sexaginta dies, a die infrascriptae publicationis praesentium computandos, revelare et cum effectu exhibere teneri volumus et mandamus.

Extendit dictam Constitutionem ad omnes venditiones, locationes, etc. etiam ad triennium, vel minus tempus faciendas.

§ 8. Denique singulas litteras praedictas, et in eis contenta quaecumque, tam ad venditiones, permutationes et quascumque alienationes et locationes etiam ad triennium, vel quantumvis minus tempus, a quocumque etiam non barone de casalibus, tenutis seu praediis non iurisdictionalibus, quae in confinibus, etiam ab uno tantum latere alicuius civitatis, castri, oppidi vel loci iurisdictionalis, vel eius territorii consistant, de cetero directe vel indirecte, mediate vel immediate, ac aliàs quomodolibet alicui baroni, ut praefertur, iurisdictionem seu bona in confinio possidenti,

Necnon ad locationes bonorum in Statu Ecclesiastico existentium in confinio dominii principis exteri Sedi Apostolicae quomodolibet subiecti cuivis extero pariter faciendas.

§ 9. Ac etiam ad quascumque locationes bonorum quorumcumque in Statu nostro Ecclesiastico, in confinio tamen dominii cuiusvis principis exteri etiam nobis mediate vel immediate subiecti existentium, cuivis etiam non baroni, qui tamen noster subditus non sit, vel esse quandocumque desierit (ut[1] eo ipso illae nullae sint et resolvantur), faciendas;

Ac etiam ampliat ad impositiones, venditiones, cessiones et alienationes censuum annuorum iuxta formam Constitutionem Pii V.

§ 10. Quam etiam ad quascumque impositiones, venditiones, cessiones, alienationes censuum annuorum, iuxta constitutionem per piae memoriae Pium Papam V etiam praedecessorem nostrum de creandis censibus editam super praedictis civitatibus, castris, oppidis, locisve iurisdictionalibus, aliisque bonis non iurisdictionalibus, in confinio alicuius civitatis, castri, oppidi seu loci iurisdictionalis, ut praefertur, eiusve territorii, etiam ab uno tantum latere confinantis, existentibus, per quoscumque barones seu domicellos, et alios quoscumque, etiam communitates, universitates et quorumque monasteriorum, ecclesiarum, beneficiorum ecclesiasticorum et aliorum piorum locorum superiores et conventus, capitula, rectores, beneficiatos et gubernatores seu administratores respective in futurum imponendorum, ac, tam quoad illos, quam etiam quoad antea iam impositos, vendendorum, cedendorum seu alienandorum ad favorem cuiuscumque (ita quod nullum ius praelationis in emendis praefatis civitatibus, castris, oppidis, aut locis iurisdictionalibus, sive non iurisdictionalibus, prae-

1 Signum parenth. et partic. *ut* nos addimus (R. T.).

fatis censuariis, aliisve ab ipsis causam pro tempore quomodolibet habentibus, unquam tribuant in praeiudicium dictae camerae, quae eisdem censuariis et aliis praefatis semper erit praeferenda, sive emat ad effectum retinendi, sive intra annum a die emptionis computandum cuilibet alteri rem emendam vendendi vel cedendi) extendimus et ampliamus.

Clausula *sublatâ.*

§ 11. Sicque et non aliter in omnibus et singulis praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos et commissarios et etiam camerae praefatae clericos praesidentes, necnon causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam camerarium, et de latere legatos, iudicari et definiri ac interpretari debere, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Mandatur observantia dictae Constitutionis.

§ 12. Iniungentes et mandantes in virtute sanctae obedientiae, ac sub poenâ indignationis nostrae, eisdem legatis, vicelegatis, gubernatoribus, etiam Urbis, ac iudicibus, nunc et pro tempore in eâdem Urbe et toto Statu nostro Ecclesiastico existentibus, et cuilibet eorum, ut praesentes nostras, et in eis contenta quaecumque, in Urbe ac Statu praefatis ab omnibus et singulis, ad quos quomodolibet spectat et in futurum spectabit, perpetuo observari mandent et faciant, et pro omnium et singulorum praemissorum inviolabili observatione contra inobedientes, et praemissis in aliquo contravenientes, et alios, quos opus erit, omnibus iuris et facti remediis opportunis procedant, omni et quacumque appellatione remotâ.

Clausulae derogatoriae.

§ 13. Non obstantibus praefatâ Pii V super creandis censibus, et nostrâ de non tollendo iure quaesito, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis quae Sixtus et Clemens, ac Paulus praedecessores praefati in dictis eorum litteris voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicatio in Urbe omnes ligare decernit.

§ 14. Ut autem praesentes omnibus innotescant, volumus, et apostolicâ auctoritate decernimus, quod illae in valvis ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum de Urbe, necnon in acie campi Florae publicentur et affigantur, quae, postquam sic affixae et publicatae fuerint, quoscumque tam in Romanâ Curiâ et Statu praefato, quam extra eos existentes perinde obligent et arctent, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent.

Fides danda transumptis.

§ 15. Quodque earum exemplis, etiam impressis, manu notarii publici, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Decretum poenale adiungit.

§ 16. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam approbationis, confirmationis, innovationis, declarationis, extensionis, ampliationis, iniunctionis, mandati, voluntatis, et decretorum nostrorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXVII, kalendis iunii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 1 iulii 1627, pontif. anno IV.

Anno a nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCXXVII, *indictione* X, *die vero* XX *mensis iunii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri domini Urbani divinâ providentiâ Papae VIII, anno eius* IV, *retroscriptae litterae apostolicae affixae et publicatae fuerunt in valvis basilicarum sancti Ioannis Late-*

ranensis et Principis Apostolorum de Urbe, et in acie campi Florae, dimissis ibidem eisdem litteris per aliquantulum temporis spatium appensis, deinde amotis per nos Paulum Bartoccium et Camillum Fundatum Sanctissimi Domini nostri Papae cursores.

BRANDIMARTES Latinus SS.D.N. Papae cursor, pro Mag. Curs.

CCXLVI.

Nova erectio collegii in civitate Pragensi regni Boëmiae pro adolescentibus Germanicae nationis; ac reddituum attributio, indultorumque concessio et communicatio [1].

Urbanus Episcopus,
Servus Servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Quoniam divinae bonitati visum est humilitatem nostram turbolentissimis christianae reipublicae temporibus ad universalis Ecclesiae regimen vocare, ex eo tempore nos, eiusdem adiuvante gratiâ, ea potissimum, sicut officii nostri ratio postulat, cogitare et agere non destitimus, quae ad divinum ubique cultum propagandum, et ecclesiasticam disciplinam restaurandam et augendam, animarumque salutem procurandam cognovimus pertinere.

Regni Boëmiae calamitates recenset. § 1. In primis vero, animo recolentes amplissimum Boëmiae regnum, quod superioribus seculis inter ceteras Germanicae nationis laudes atque virtutes tanto sincerae fidei et christianae religionis cultu eminere solebat, ut reliquis christianae reipublicae partibus non minori exemplo, quam ornamento atque decori esset, nunc, tot tantisque in eo instinctu satanae excitatis de religione dissidiis, ita miserandum in modum afflictum et deformatum esse, ut nemo, vel mediocri pietate praeditus, sine lachrymis, tam gravem animarum iacturam recordari, nedum intueri queat, curam suscepimus, ut quibusvis possimus modis, nullis laboribus, nullisve sumptibus parcentes, apta sanandis illius vulneribus remedia adhibeamus;

Gregorius XIII in civitate Pragensi erexit collegium pro XL pueris nationis Germanicae, assignata summa MDXXX talerorum imperialium a camerâ apostolicâ exsolvenda. § 2. Ac provide considerantes felicis recordationis Gregorium Papam XIII praedecessorem nostrum, optimo quidem consilio, collegium in civitate Pragensi dicti regni metropoli, quadraginta alendorum, ac latinis litteris, logicâ, physicâ, aliisque liberalibus disciplinis, ac sacrâ demum theologiâ, necnon piis et christiano nomine dignis moribus instituendorum Germanicae nationis puerorum causâ, eidem collegio mille quingentorum triginta talerorum imperialium summâ assignatâ, quam de praesenti camera nostra apostolica persolvit, aliàs apostolicâ auctoritate erexisse et instituisse, ut ii non per se solum boni doctique evaderent, sed habendis concionibus ac disputationibus, refellendis haeresibus, fideique orthodoxae veritati dilucidandae, ac praeterea exercendae animarum curae, aliisque piis et sanctis operibus apti et idonei essent, et quam maximum in Ecclesiâ Dei fructum ex se proferrent;

Quod tamen parum profecit. § 3. Id tamen eius coeptum, atque conatum, tum propter obitum ipsius, tum ob varias, quae postea sequutae sunt, temporum et rerum difficultates, parum processisse, imo nec litteras apostolicas super huiusmodi erectione et institutione expeditas fuisse verisimiliter credendum esse, cum, factis plurimis tam in Romanâ curiâ quam in civitate Pragensi diligentiis, tales litterae reperiri non potuerint:

1 Instituit olim hoc collegium Gregor. XIII. Unum collegium pro adolescentibus ec Illyricis provinciis in civitate Lauretana sumptibus sacrosanctae Domus alendis et ut supra imbuendis fundavit hic idem Pontifex ut in Const. CCXLIV, *Zelo Domus Dei*, hic supra pag. 541.

Urbanus illud erigit pro xx alumnis.

§ 4. Nos, ad opus hoc propagationi fidei utilissimum, praesertim hoc tempore, quo regnum Boëmiae summâ operariorum catholicorum inopiâ laborat, totis viribus, prout ex susceptae servitutis officio tenemur, promovendum, animum et mentem nostram convertentes, ac coeptum et conatum dicti Gregorii praedecessoris, quantum in nobis est, renovare intendentes, mature desuper cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus Congregationi de propagandâ fide praefectis habito consilio, motu proprio, non ad alicuius nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ merâque liberalitate nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ad Dei omnipotentis laudem, sanctaeque ipsius Ecclesiae incrementum, praecipuamque Germanicae nationis salutem, et commodum, in dictâ civitate Pragensi rursus collegium praefatum, Pragense appellandum, in quo posthac non minus quam viginti alumni (videlicet ex Boëmia octo, ex Silesia tres, ex Lusatia duo, ex utroque Palatinatu etiam duo, ex Brandeburgica marchia similiter duo, et ex ambabus Saxoniis alii pariter duo, ex Hassia vero unus) colligendi, dictis scientiis et disciplinis, necnon sacris canonibus institui, atque erudiri; et, si contigerit ex Silesia, Lusatia, utroque Palatinatu, Brandeburgica, Hassia et utraque Saxonia alumnos haberi non posse, tunc, et eo casu, post factas a rectore dicti collegii, et demum a dilecto filio moderno et pro tempore existente nostro et Sedis Apostolicae nuntio, apud charissimum in Christo filium nostrum modernum et pro tempore etiam existentem Romanorum regem et imperatorem electum commorante, diligentias, alumni Boëmi in locum eorum assumi debeant, apostolicâ auctoritate praefatâ, tenore praesentium, de novo ex integro perpetuo erigimus et instituimus.

Illique sic erecto pro personarum et onerum sustentatione MDXXX taleros imperiales annuos attribuit.

§ 5. Illique sic erecto et instituto, pro congruâ eius dote, ac alumnorum praefatorum, et illis inservientium personarum sustentatione, onerumque illis incumbentium supportatione, redditus annuos mille quingentorum triginta talerorum huiusmodi ex camerae apostolicae pecuniis quotannis sumendos et numerandos, distributâ in trimestres singulos pro ratâ solutione, quoad totidem reddituum summa in bonis stabilibus eidem collegio a nobis vel successoribus nostris provisum fuerit, eisdem auctoritate et tenore concedimus et attribuimus.

Ac regimini et institutioni presbyterorum Societatis Iesu submitti.

§ 6. Ceterum, cum dilectorum filiorum presbyterorum Societatis Iesu in hoc educandorum, instituendorumque adolescentium munere diligentia, fides, integritas et in aliis huiusmodi collegiis et in hoc ipso satis cognita sit atque perspecta, idem collegium, atque scholares illius, ipsorum, sicut prius fuit, regimini, institutioni, doctrinae, atque prudentiae eâdem auctoritate etiam perpetuo subiicimus, atque submittimus.

Protectores dicti collegii creantur cardinales Congregationis de propagandâ fide praefecti pro tempore existentes, qui in vice protectorem archiepiscopum Pragensem constituant.

§ 7. Praeterea, ut eiusdem collegii conservationi, bonoque regimini, tam in his quae ad scholarium institutionem et disciplinam, quam quae ad victum, vestitum, aliaque huiusmodi necessaria pertinent, opportunius consulatur, et promptum eis, paratumque auxilium sit, dictos sanctae Romanae Ecclesiae cardinales sacrae Congregationi praefatae praefectos, nunc et pro tempore existentes, eiusdem collegii protectores et defensores, qui in viceprotectorem illius venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Pragensem similiter nunc et pro tempore existentem (ita tamen, ut in gravioribus nihil praecipere aut mandare vel facere valeat sine consilio et consensu nuntii praefati, quibus aliquid eorum, quae in hac fundatione vel in regulis a Congregatione praefatâ approbatis continentur, immutare minime

licebit absque eiusdem Congregationis vel Romani Pontificis expressâ licentiâ) deputare possint et valeant, eâdem auctoritate constituimus et creamus.

Protectoribus, ac vice protectori praedictis facultates dat.

§ 8. Illisque, ac viceprotectori praefato, pro salubri illius conservatione, alumnorum, bonorum et rerum ac iurium temporalium et spiritualium eiusdem oeconomos, advocatos, procuratores in eo deputandi et amovendi, et alios eorum loco substituendi, differentias, lites et controversias, inter quascumque personas, tam alumnorum, quam ministrantium clericorum et laicorum (non tamen presbyterorum ipsius Societatis) exortas, summarie, simpliciter et de plano sine figurâaut strepitu iudicii, appellatione quacumque remotâ, decidendi, definiendi, terminandi et exequendi, statutaque et ordinationes disciplinam scholasticorum et studia alumnorum praefatorum concernentia, aequa tamen et honesta, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis non repugnantia, faciendi et condendi, eaque, cum opus fuerit, revocandi, immutandi et corrigendi, aliaque de novo condendi, quae postquam facta, edita, revocata, immutata, et correcta fuerint, perinde habeantur et observentur, ac si apostolicâ auctoritate approbata et confirmata essent, prout illa ab omnibus dicti collegii alumnis ita haberi et inviolabiliter observari mandamus, plenam et liberam, auctoritate et tenore praemissis, concedimus facultatem.

Modum et formam recipiendorum in ipso collegio praescribit.

§ 9. Quod autem ad dictorum alumnorum admissionis modum et formam deinceps habendam attinet, rectorem presbyterum dicti collegii pro tempore existentem librum habere in quo notentur nomina et cognomina, ac patriae et parentes alumnorum qui recipientur in dicto collegio et ex eo dimittentur, ex dictoque libro singulis annis catalogum eorum qui recepti et qui dimissi fuerint, cum die et mense ingressus et egressus illorum, ad nuntium praefatum transmittere, ut ipse nuntius illum dictae Congregationi transmittere possit; quod si ex aliquâ peculiari causâ dimitti contigerit, eam etiam in dicto catalogo exprimi; insigniores vero alumnorum praefatorum actiones in eodem libro adnotare, easque suo tempore eidem nuntio significare, ut pariter de illis eamdem Congregationem certiorem facere valeat, quas ad nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes per eamdem Congregationem deferri volumus, ut cum occasio tulerit, praemio cohonestentur;

Aliaque circa administrationem bonorum temporalium servanda statuit.

§ 10. Ac denique alium librum, in quo dati et accepti rationes diligentissime descriptae sint, illaeque singulis annis ad minus eidem nuntio reddantur, et in eius manibus relinquatur folium, vulgo bilancium nuncupatum, in quo provisio collegii, et alia, quae ipsius collegii vel alumnorum ratione acceperit, et ea quae illo anno pro ipsius collegii et alumnorum sustentatione impenderit, notata existant, ut similiter ab eodem nuntio ad Urbem mitti possit, etiam habere; si quod autem de totâ summâ pensionis Pontificiae, redditis rationibus, supererit, id vel in aliis alumnis evocandis, vel in necessariis libris emendis, vel in vestiendis alumnis dimittendis, vel etiam in redditibus augendis, aut in aliis collegii necessitatibus, arbitrio nuntii et archiepiscopi Pragensis praefatorum, impendi debere, eâdem auctoritate statuimus et ordinamus.

Privilegia alumnis elargitur et praecipue sacros ordines suscipiendi.

§ 11. Ut vero huius collegii alumni, post longos studiorum, vel coeptorum vel consummatorum, labores, expeditiores et alacriores ad succurrendum patriae necessitatibus reddantur, eisdem alumnis, ut, cum solis litteris testimonialibus dicti collegii rectoris pro tempore existentis archiepiscopo Pragensi offerendis, ab eoque subscribendis, ac eius sigillo muniendis (nisi forte alumni praefati suos Ordinarios

habuerint, a quibus dimissorias a Concilio Tridentino ordinatas habere possint), ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines sine aliquo beneficii vel patrimonii titulo, etiam extra tempora ad id a iure statuta, et intra annum, annique curriculo non expectato, minusque servatis ad id a Concilio Tridentino praefato designatis interstitiis, dummodo ad id aliàs reperiantur idonei, promoveri, et, postquam promoti fuerint, in illis etiam in altaris ministerio ministrare, ac etiam tam ipsi, quam ceteri omnes in dicto collegio degentes, ut poenitentiae et eucharistiae etiam die Paschatis et extremae unctionis sacramenta a confessario aut alio sacerdote ipsius collegii a dicto rectore constituendo suscipere libere et licite valeant, auctoritate et tenore praemissis de speciali gratiâ indulgemus.

Episcopos in illis partibus existentes hortatur, ut in conferendis beneficiis ipsos alumnos aliis praeferant.

§ 12. Verum, ut, quantum fieri poterit, alumnorum paupertati et necessitati succurratur, archiepiscopos, episcopos et alios antedictarum provinciarum beneficiorum collatores et collatrices serio requirimus et monemus, ut in illis conferendis, et praesertim si beneficia huiusmodi pro tempore obtinentibus immineat cura animarum, alumnos praefatos aliis omnibus, ceteris paribus, praeferant; nuntios quoque Sedis Apostolicae, aliosque praelatos supradictarum provinciarum, in quorum dioecesi alumni praefati extiterint, similiter monemus et hortamur, ut in occurrentibus beneficiorum, et praesertim curam animarum habentium, vacationibus, quorum collatio, provisio vel dispositio quoquomodo ad Sedem Apostolicam pertinuerit, de illis alumnis antedictis pauperioribus, praecipueque nostrâ pontificiâ gratiâ dignis, nos, successoresque nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes certiores faciant, ut munificentiam nostram erga illos, prout tempus vel occasio tulerit, exercere possimus; et generaliter in dignitatibus, personatibus, canonicatibus et praebendis, parochialibus ecclesiis et aliis beneficiis, per collationem vel electionem in alumnorum patriis providendis, aliis omnibus, ceteris paribus, tam in Romanâ Curiâ, quam in ecclesiis suis originalibus, praeferri volumus et decernimus.

Collegio et eius personis communicat privilegia studii generalis Urbis.

§ 13. Atque insuper eisdem collegio et scholaribus, rectoribus et gubernatoribus, omnia et quaecumque privilegia exemptiones, libertates, facultates et indulta, quibus studium generale almae Urbis nostrae et illius rectores, doctoresque et in eo legentes, quovis modo utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, quibusque collegium et scholares, ac rectores et gubernatores huiusmodi non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter uti, potiri et gaudere valeant, in omnibus et per omnia eisdem auctoritate et tenore communicamus.

Indulgentias quoque concedit.

§ 14. Ut vero temporalibus commodis spiritualia munera quoque coniungamus, quibus fidelium devotio et merita crescere magis et augere possint, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis scholaribus, rectoribus et ministris, qui in idem collegium recepti fuerint, in ipso ingressu, et deinde in exitu, et si quidem confessi et contriti sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, atque etiam, si in eodem collegio decedere eos ab humanis contigerit, in mortis articulo, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur.

Statuta a Congregatione de Propaganda Fide pro regimine collegii edita approbat et observari mandat.

§ 15. Postremo quascumque regulas et constitutiones ad eiusdem collegii, illiusque personarum, rerum et bonorum spiritualium et temporalium, curam, regimen, gubernium, directionem et administratio-

nem, ac alumnorum praefatorum receptionem, admissionem, victum, amictum, instructionem, disciplinam et alia quomodolibet pertinentia, a dictâ sacrâ de Propaganda Fide Congregatione die IX novembris MCDXXVI edita, etiam perpetuo approbamus et confirmamus, illasque ab omnibus inviolabiliter observari volumus et mandamus.

Clausulas praeservativas addit.

§ 16. Decernentes, praemissa omnia et singula, ac praesentes, nullo unquam tempore ex quibusvis causis de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, seu etiam revocari, suspendi, restringi, limitari, aut in ius vel controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci posse, nec quemquam ad easdem praesentes in camerâ apostolicâ, iuxta constitutionem piae memoriae Pii Papae IV etiam praedecessoris nostri desuper editam, aut aliàs quandocumque praesentandum, insinuandum et registrari faciendum teneri, neque propterea illas irritas esse, sed omni modo valere, ac si constitutio praefata, et alia contraria minime emanassent;

Clausula *sublatâ*.

§ 17. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam camerae apostolicae praesidentes clericos, eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae camerarium, vicecamerarium, causarum palatii apostolici auditores, ac alios eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores huius Constitutionis deputa

§ 18. Quocirca venerabili fratri archiepiscopo Pragensi ac[1] nuntio praefato, ac dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori motu pari mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes nostras litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte rectoris et alumnorum collegii huiusmodi fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes et in eis contenta eiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, firmiter et inviolabiliter observari, ac rectorem et alumnos huiusmodi illis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac censuras et poenas ipsas, servatâ formâ eiusdem Concilii Tridentini, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria abrogat.

§ 19. Non obstantibus nostrâ de gratiis ad instar non concedendis, ac praefatâ Gregorii praedecessoris huiusmodi, quatenus opus sit et quatenus reperiretur, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis universitatibus, collegiis, eorumque rectoribus et personis, etiam sub quibusvis verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, et aliàs quomodolibet iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, pro eorum sufficienti derogatione, specialis, specifica et expressa, ac individua, et

1 Erronee edit. Main. legit *a* (R. T.).

de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse harum serie derogamus, contrariis quibuscumque; aut si quibus communiter aut divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptis credi mandat.

§ 20. Volumus autem, quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo communi dicti collegii, aut alicuius curiae ecclesiasticae, seu personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra, ac aliàs ubicumque opus fuerit, habeatur, quae haberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctionem poenalem superaddit.

§ 21. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae erectionis, institutionis, attributionis, subiectionis, submissionis, constitutionis, creationis, statuti, ordinationis, indulti, communicationis, concessionum, elargitionis, approbationis, confirmationis, decretorum, mandatorum, derogationis et voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXVII, kalendis iunii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 1 iunii 1627, pontif. anno IV.

CCXLVII.

Nova institutio collegii in civitate Viennae Austriae pro scholaribus Germanicae nationis, cum proventuum assignatione et communicatione privilegiorum[1].

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Quoniam divinae bonitati visum est humilitatem nostram turbulentissimis Christianae reipublicae temporibus ad universalis Ecclesiae regimen vocare, ex eo tempore nos, eiusdem adiuvante gratiâ, ea cogitare et agere non destituimus, quae, sicut officii nostri ratio postulat, ad divinum ubique cultum propagandum et ecclesiasticam disciplinam restaurandam et augendam, animarumque salutem procurandam maxime cognovimus pertinere.

Causae istius erectionis.

§ 1. In primis vero, animo recolentes amplissimam Germaniae provinciam, quae superioribus seculis, inter fortissimae ipsius nationis laudes atque virtutes, tanto sincerae fidei et christianae religionis cultu eminere solebat, ut reliquis christianae reipublicae partibus non minori exemplo, quam ornamento, atque decori esset, nunc tot tantisque in eâ instinctu satanae excitatis de religione dissidiis, ita miserandum in modum afflictam et deformatam esse, ut nemo vel mediocri pietate praeditus sine lachrymis tam gravem animarum iacturam recordari, nedum intueri queat; eam praecipue curam suscepimus, ut quibusvis possimus modis, nullis laboribus, nullisve sumptibus parcentes, apta sanandis illius vulneribus remedia adhibeamus. Ac provide considerantes felicis recorda-

1 Viennense Collegium institutum fuit a Gregorio XIII. Alia collegia ab Urbano VIII instituta seu restituta, et ad propagationem catholicae fidei utilissima, lege in constitutionibus praecedentibus.

tionis Gregorium Papam XIII praedecessorem nostrum optimo quidem consilio collegium in civitate Viennensi Austriae, quadraginta alendorum, ac latinis litteris, logicâ, physicâ, aliis liberalibus disciplinis, ac sacrâ demum theologiâ, necnon piis et christiano nomine dignis moribus instruendorum Germanicae nationis puerorum causâ, eidem collegio mille trecentorum octoginta scutorum monetae summâ assignatâ, quam de praesenti camera nostra apostolica solvit, aliàs apostolicâ auctoritate erexisse et instituisse, ut ii non per se solum boni, doctique evaderent, sed habendis concionibus et disputationibus, refellendis haeresibus, fideique orthodoxae veritati dilucidandae, ac praeterea exercendae animarum curae, aliisque piis et sanctis operibus apti et idonei essent, et quammaximum in Ecclesiâ Dei fructum ex se proferrent, tamen id eius coeptum, atque conatum, tum per obitum ipsius, tum ob varias, quae postea sequutae sunt, temporum et rerum difficultates, parum processisse, immo nec litteras apostolicas super huiusmodi erectione et institutione expeditas esse verisimiliter credendum sit, cum, factis plurimis tam in Romanâ curiâ quam in dictâ civitate Viennensi diligentiis, litterae apostolicae super huiusmodi erectione non potuerint reperiri expeditae:

Erectio et institutio collegii Viennensis de quo in rubricâ.

§ 2. Nos, ad opus hoc propagationi fidei utilissimum, praesertim hoc tempore, quo Germania summa operariorum catholicorum inopiâ laborat, totis viribus, prout ex susceptae servitutis officio tenemur, promovendum, animum et mentem nostram convertentes, ac coeptum et conatum dicti Gregorii praedecessoris nostri renovare intendentes, maturo desuper cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus Congregationi de Propaganda Fide praefectis habito consilio, motu proprio, non ad alicuius nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ, meràque liberalitate nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ad Dei omnipotentis laudem, sanctaeque ipsius Ecclesiae incrementum, praecipuamque Germanicae nationis salutem et commodum, in dictâ civitate Viennensi rursus collegium ipsum Viennense appellandum, in quó posthac non minus quam viginti alumni, videlicet ex ambabus Austriis quatuordecim, septem scilicet ex superiori et septem ex inferiori Austria, duo ex Vallesia, duo ex Rhetia et duo Bernenses colligendi, et, si contigerit ex Vallesia, Rhetia et Bernia alumnos haberi non posse, tunc et eo casu, post factas a rectore dicti collegii, et demum a dilecto filio moderno et pro tempore existente nostro et Sedis Apostolicae nuntio apud charissimum in Christo filium nostrum modernum et pro tempore etiam existentem Romanorum regem in imperatorem electum commorante, diligentias, alumni Austriaci in locum eorum assumi debeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, de novo ex integro perpetuo erigimus et instituimus.

Dotis assignatio dicto collegio MDXXX scutorum monetae annuorum.

§ 3. Illique sic erecto et instituto, pro congruâ eius dote, ac alumnorum praefatorum et illis inservientium personarum sustentatione, onerumque illis incumbetium supportatione, redditus annuos mille trecentorum octoginta scutorum monetae huiusmodi ex camerae apostolicae pecuniis quotannis sumendos et numerandos, distributâ in trimestres singulos pro ratâ solutione, quoad de totidem reddituum summâ in bonis stabilibus eidem collegio a nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus fuerit provisum, eisdem auctoritate et tenore concedimus et attribuimus.

Eiusdem collegii regimen et institutio demandatur presbyteris Societatis Iesu.

§ 4. Ceterum, cum dilectorum filiorum presbyterorum Societatis Iesu in hoc educandorum, instituendorumque alumnorum munere diligentia, fides, integritas et in

aliis huiusmodi collegiis et in hoc ipso satis cognita sit, atque perspecta, idem collegium, atque scholares illius presbyterorum, sicut adhuc fuit, regimini, institutioni, doctrinae, atque prudentiae eâdem auctoritate etiam perpetuo subiicimus atque submittimus.

Protectorum et viceprotectoris collegii deputatio.

§ 5. Praeterea, ut eiusdem collegii conservationi, bonoque, tam in his quae ad scholarium institutionem et disciplinam, quam quae ad victum, vestitum, aliaque huiusmodi necessaria pertinent, opportunius consulatur, et promptum eis paratumque auxilium sit, sanctae Romanae Ecclesiae cardinales sacrae Congregationi de Propaganda Fide praefectos praefatos, nunc et pro tempore existentes, eiusdem collegii protectores et defensores, qui in viceprotectorem illius venerabilem fratrem nostrum episcopum Viennensem nunc et pro tempore existentem (ita tamen, ut in gravioribus nihil praecipere, aut mandare, vel facere valeat sine consilio et consensu nuntii praefati, quibus aliquid eorum, quae vel in hac fundatione vel in regulis a Congregatione praefatâ approbatis continentur, immutare minime licebit absque eiusdem Congregationis vel Romani Pontificis pro tempore existentis expressâ licentiâ) deputare possint et valeant, eâdem auctoritate constituimus atque creamus.

Eorumdem auctoritas et facultates.

§ 6. Illisque, ac viceprotectori praefato, pro salubri illius conservatione, alumnorum, bonorum et rerum, ac iurium temporalium et spiritualium eiusdem, plenam et liberam facultatem et auctoritatem[1] oeconomos, advocatos et procuratores in eo deputandi et amovendi, ac alios in eorum locum substituendi, differentias, lites et controversias, inter quascumque personas, tam alumnorum (quam ministrantium clericorum et laicorum, non tamen presbyterorum ipsius Societatis (exortas, summarie, simpliciter et de plano, sine figurâ aut strepitu iudicii, appellatione quacumque remotâ, decidendi, definiendi, terminandi et exequendi, statutaque et ordinationes, disciplinam domesticam et studia alumnorum praefatorum concernentia, aequa tamen et honesta, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis non repugnantia, faciendi et condendi, eaque, cum opus fuerit, revocandi, immutandi et corrigendi, aliaque de novo condendi, quae, postquam facta, edita, revocata, immutata et correcta fuerint, perinde habeantur et observentur, ac si auctoritate apostolicâ approbata et confirmata essent, prout illa ab omnibus dicti collegii alumnis ita haberi et inviolabiliter observari mandamus, plenam et liberam, auctoritate et tenore praemissis, concedimus facultatem.

Modus et forma admissionis alumnorum.

§ 7. Quod autem ad dictorum alumnorum admissionis modum et formam deinceps habendam attinet, rectorem praefatum dicti collegii, pro tempore existentem, librum habere, in quo notentur nomina et cognomina, ac patriae et parentes alumnorum, qui recipientur in dicto collegio et ex eo dimittentur, ex dictoque libro singulis annis catalogum eorum, qui recepti et qui dimissi fuerint, cum die, menseque ingressus et egressus illorum nuntio praefato mittere, ut ipse nuntius illum praefatae de Propaganda Fide Congregationi transmittere possit; quod si ex aliquâ peculiari causâ dimitti contigerit, eam etiam in dicto catalogo exprimi; insigniores vero alumnorum praefatorum actiones in eodem libro annotare, easque suo tempore eidem nuntio significare, ut pariter de illis eamdem Congregationem certiorem facere valeat, quas ad nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes per eamdem Congregationem deferri volumus, ut, cum occasio tulerit, praemio cohonestentur;

1 Verba *plenam et liberam facultatem et auctoritatem* heic redundant (R. T.).

Ac administrationis bonorum temporalium.

§ 8. Ac denique alium librum, in quo dati et accepti rationes diligentissime et clarissime descriptae sint, illaeque singulis annis ad minus eidem nuntio reddantur, et in eius manibus relinquatur folium, vulgo bilancium nuncupatum, in quo provisio collegii, et alia quae ipsius collegii vel alumnorum ratione acceperit, et ea quae illo anno pro ipsius collegii et alumnorum sustentatione impenderit, notata existant, ut similiter ab eodem nuntio ad Urbem mitti possit, etiam habere; si quid autem de totâ pensionis Pontificiae summâ, redditis rationibus, supererit, id vel in aliis alumnis evocandis, vel in necessariis libris emendis, vel in vestiendis alumnis dimittendis, vel etiam in redditibus augendis, aut in aliis collegii necessitatibus arbitrio nuntii et episcopi Viennensis praefatorum impendi debere, eâdem auctoritate statuimus et ordinamus.

Alumnorum privilegia in susceptione sacrorum Ordinum.

§ 9. Ut vero huius collegii alumni, post longos studiorum aut coeptorum vel consummatorum labores, expeditiores et alacriores ad succurrendum patriae necessitatibus reddantur, eisdem alumnis, ut, cum solitis litteris testimonialibus dicti collegii rectoris pro tempore existentis episcopo Viennensi offerendis, easque ab eo subscribendis, ac sigillo muniendis (nisi forte alumni praefati suos Ordinarios habuerint, a quibus dimissorias a Concilio Tridentino ordinatas habere possint) ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines sine aliquo beneficii vel patrimonii titulo, etiam extra tempora ad id a iure statuta et intra annum, annique circulo non expectato, minusque servatis ad id a Concilio Tridentino designatis interstitiis (dummodo ad id aliàs reperiantur idonei) promoveri, et, postquam promoti fuerint, in illis etiam in altaris ministerio ministrare, ac etiam tam ipsi, quam ceteri omnes in dicto collegio degentes, ut poenitentiae et eucharistiae etiam die Paschatis et extremae unctionis sacramenta a confessario, aut alio sacerdote ipsius collegii a dicto rectore constituendo, suscipere libere et licite valeant, auctoritate et tenore praemissis de speciali gratiâ indulgemus.

Et in provisione beneficiorum ecclesiasticorum.

§ 10. Verum, ut quantum fieri poterit, dictorum alumnorum paupertati et necessitati succurratur, archiepiscopos, episcopos et alios antedictarum provinciarum beneficiorum ecclesiasticorum collatores et collatrices serio requirimus, atque monemus, ut in illis conferendis, et praesertim si beneficia huiusmodi pro tempore obtinentibus immineat cura animarum, alumnos praefatos aliis omnibus, ceteris paribus, praeferant, nuntios quoque Sedis Apostolicae, aliosque praelatos supradictarum provinciarum, in quorum dioecesi alumni praefati extiterint, similiter monemus et hortamur, ut in occurrentibus beneficiorum huiusmodi et praesertim curam animarum habentium vacationibus, quorum collatio, provisio vel dispositio quoquomodo ad Sedem Apostolicam pertinuerit, de illis alumnis antedictis pauperioribus, praecipueque nostrâ pontificiâ gratiâ dignis, nos, successoresque nostros Romanos Pontifices pro tempore similiter existentes certiores faciant, ut munificentiam nostram erga illos, prout tempus vel occasio tulerit, exercere possimus; et generaliter in dignitatibus, personatibus, canonicatibus et praebendis, parochialibus ecclesiis et aliis beneficiis ecclesiasticis, per collationem vel electionem in alumnorum patriis providendis, aliis omnibus, ceteris paribus, tam in Romana curiâ, quam in ecclesiis suis originalibus praeferri volumus et decernimus.

Communicatio omnium privilegiorum et indultorum studio generali Urbis concessorum.

§ 11. Atque insuper eisdem collegio et scholaribus, rectoribus et gubernatoribus, omnia et quaecumque privilegia, exemptiones, libertates, facultates et indulta, quibus studium generale almae Urbis nostrae, et illius rectores, doctoresque, et in

eo legentes quovis modo utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, quibusque collegium et scholares, ac rectores et gubernatores huiusmodi, non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter uti, potiri et gaudere possint et valeant, in omnibus et per omnia eisdem auctoritate et tenore communicamus.

Indulgentiae plenariae elargitio.

§ 12. Ut vero temporalibus commodis spiritualia munera quoque coniungamus, quibus fidelium devotio et merita crescere magis et augeri possint, de eiusdem omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis scholaribus, rectoribus et ministris, qui in idem collegium recepti fuerint, in ipso ingressu, et deinde in exitu, si[1] quidem confessi et contriti sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, atque etiam, si in eodem collegio decedere eos ab humanis contigerit, in mortis articulo, plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur.

Approbatio statutorum a Congregatione de Propaganda Fide pro ipsius collegii gubernio editorum eorumdemque observantiâ.

§ 13. Postremo quascumque regulas et constitutiones ad eiusdem collegii, illiusque personarum, rerum et bonorum spiritualium et temporalium curam, regimen, gubernium et directionem et administrationem, ac alumnorum praefatorum receptionem, admissionem, victum, amictum, instructionem, disciplinam et alia quomodolibet pertinentia, a dicta sacrâ de Propagandâ Fide Congregatione die nonâ novembris millesimi sexcentesimi vigesimi sexti edita, etiam perpetuo approbamus et confirmamus, illasque ab omnibus inviolabiliter observari volumus et mandamus.

Clausulae praeservativae.

§ 14. Decernentes, praemissa omnia et singula, ac praesentes nostras litteras, nullo unquam tempore ex quibuscumque causis de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, seu etiam revocari, suspendi, restringi, limitari, aut in ius vel controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci posse, nec quemquam ad easdem praesentes in camerâ apostolicâ, iuxta constitutionem piae memoriae Pii Papae IV, etiam praedecessoris nostri, desuper editam, aut aliàs quandoque praesentandum, insinuandum et registrari faciendum teneri, neque propterea illa invalida esse, sed omni modo valere, ac si constitutio praefata et alia contraria minime emanassent;

Clausula *sublatâ*.

§ 15. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam camerae apostolicae praesidentes et clericos, eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae camerarium, vicecamerarium et causarum palatii apostolici auditores, ac alios dictae Romanae Ecclesiae cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorum istius Constitutionis deputatio.

§ 16. Quocirca venerabili fratri episcopo Viennensi, et nuntio praefato, necnon dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori motu pari per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes nostras litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte rectoris et alumnorum collegii huiusmodi fuêrint requisiti, solemniter publicantes, illisque efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et in futurum pro tempore spectabit, firmiter et inviolabiliter observari, ac rectorem et alumnos huius-

1 Particulam *si* nos addimus (R. T.).

modi illis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac censuras et poenas ipsas, servatâ formâ eiusdem sacri Concilii Tridentini, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrariorum abrogatio.

§ 17. Non obstantibus nostrâ de gratiis ad instar non concedendis, ac praefatâ Gregorii praedecessoris huiusmodi, quatenus opus sit et quatenus reperiretur, necnon quibusvis apostolicis constitutionibus et ordinationibus, ac statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis universitatibus, collegiis, eorumque rectoribus et personis, etiam sub quibusvis verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu et potestatis plenitudine similibus, et aliis[1] quomodolibet iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro eorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et expressa, ac individua, et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in eis traditâ observatâ, inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse harum serie derogamus, contrariis quibuscumque; aut si quibusvis communiter aut divisim ab apostolicâ sit Sede indultum, qnod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem, ut praesentium transumptis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo communi dicti collegii, aut alicuius curiae ecclesiasticae, seu personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra habeatur, quae haberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Decretum poenale.

§ 19. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae erectionis, institutionis, attributionis, subiectionis, constitutionis, creationis, statuti, ordinationis, indulti, requisitionis, monitionum, exhortationis, communicationis, coniunctionis, concessionum, elargitionis, approbationis, confirmationis, decretorum, mandatorum, derogationis et voluntatum infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXVII, kalendis iunii, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 1 iunii 1627, pontif. anno IV.

CCXLVIII.

Declaratio, quod fratres Cappuccini sunt vere fratres Minores Ordinis S. Francisci, ac ex illius verâ et nunquam interruptâ lineâ descendunt, sub illius regulâ militant et militarunt[1].

1 Hoc idem decreverat Paulus V in Const. CXXI, *Ecclesiae* (in h. n. ed. CXXIV, tom. XI, pag. 552). Et eisdem ut crucem propriam in publicis processionibus ubique locorum deferre possent indulsit in Const. CCLXXIX, *Pastoralis* (in h. n. ed.

1 Forsan legend. *aliàs* ut sup. p. 555 *b* (R. T.).

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Procemium. Salvatoris et Domini nostri, qui charitas est et Deus pacis, vices (licet immeriti) gerentes in terris, inter gravissimas multiplicesque apostolicae servitutis curas, in eam peculiari sollicitudine iugiter incumbimus, ut christifideles, qui in sortem Domini vocati eius obsequiis diu noctuque mancipati sunt, sublatis quibuslibet dubiis et controversiis, Altissimo reddant abundanter fructus suos; nec ab iis, quorum est evangelizare pacem et bona, veritatem vero temere impugnando, pacem cum scandalo pusillorum scindere non verentur, a suâ sanctâ vocatione distrahantur.

Dubitatum fuit tempore Pauli V utrum fratres Cappuccini essent de verâ lineâ sancti Francisci. § 1. Aliàs siquidem a felicis recordationis Paulo Papa V, praedecessore nostro, accepto a nonnullis in dubium revocari, an fratres Ordinis eiusdem sancti Francisci Cappuccini nuncupati essent vere fratres Minores, et etiam, quoniam regulam sancti Francisci profitentur, filii sancti Francisci, cum tempore sancti Francisci instituti non fuerint, pariterque an eorum constitutiones aliquid haberent, quod regulae sancti Francisci repugnaret:

Qui omnibus benevisis declaravit esse in suâ Constitutione in notâ ad rubricam citatâ. § 2. Idem Paulus praedecessor suâ perpetuâ valiturâ constitutione declaravit, fratres Cappuccinos esse vere fratres Minores, ac etiam, quamvis tempore sancti Francisci minime instituti fuerint, cum tamen eius regulam profiteantur, atque eorum instituta congruant tam regulae statutis quam eiusdem regulae declarationibus, quae habentur in constitutione felicis recordationis Clementis Papae V praedecessoris nostri, in generali Concilio Viennensi editâ, quae incipit: *Exivi de Paradiso*, filios sancti Francisci, eorum praeterea constitutiones nihil continere, quod non sit regulae sancti Francisci praefatae consentaneum, irritanti etiam decreto desuper apposito, et aliàs prout in dicti Pauli praedecessoris desuper in simili formâ Brevis sub die XV octobris MDCVIII expeditis litteris[1], quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur.

Modo hoc idem in dubium revocatur praetextu nonnullorum verborum. § 5. Cum autem, sicut dilectus filius Franciscus Genuensis, eorumdem fratrum Cappuccinorum procurator generalis, nobis nuper exponi fecit, praetextu illorum verborum, videlicet *quamquam tempore beati Francisci instituti non fuerint,* a nonnullis in dubium revocetur, an iidem fratres Cappuccini ex verâ et nunquam intermissâ lineâ sancti Francisci originem trahant:

Quod iste Pontifex omnino tollit declaranda esse ex vera et nunquam interrupta linea et sub ipsa sancti Francisci regula militasse et militare. § 4. Nos, aequum et rationi consonum fore censentes, ut qui verbo et exemplo veros se beati Francisci imitatores ostendunt, tales ab omnibus absque ullâ controversiâ habeantur, attentiusque considerantes eorumdem fratrum Cappuccinorum originem, seu principium illorum, esse realiter et cum effectu computandum a tempore primaevae et originalis institutionis regulae seraphicae, cuius observantiam ipsi fratres Cappuccini semper sine aliquâ interruptione continuarunt, eorumdem fratrum Cappuccinorum quieti, quantum nobis ex alto conceditur, consulere, eosdemque fratres Cappuccinos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, harum serie absolventes et absolutas fore censentes,

CCXCIX, tom. XII, pag. 411). Ac habitus eorum vel consimilis delationem, prohibuit Gregor. XV in Constit. XLV (XLVI), *Ex iniuncto*, ibid., pag. 647. Ubi aliam Gregor. XIII habes super eâdem materiâ constitutionem insertam. Et de totâ ipsorum Religione vide Constitut. XXIV Clementis VII, *Religionis*, tom. VI, pag. 113.

1 Vide loc. cit. in notâ ad rubricam (R. T.).

supplicationibus dicti Francisci procuratoris generalis totius Ordinis eorumdem fratrum Cappuccinorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, re prius per venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales negotiis regularium praepositos mature discussâ, de eorumdem cardinalium consilio, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione, fratres Cappuccinos praefatos fuisse et esse ex verâ et nunquam interruptâ lineâ, ac veros et indubitatos fratres Ordinis sancti Francisci, et illius regulae observatores, subque ipsius beati Francisci regulâ militasse, et ad praesens quoque militare;

Clausula *sublatâ*.

§ 5. Sicque ab omnibus et singulis censeri ac reputari et iudicari debere, irritumque et inane, si secus super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium decernimus et declaramus.

Exeqoutorum deputatio.

§ 6. Quocirca omnibus et singulis venerabilibus fratribus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ac dilectis filiis nostris et Apostolicae Sedis nuntiis, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte fratrum Cappuccinorum praefatorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ eos, praemissis omnibus et singulis, iuxta praesentium continentiam et tenorem, pacifice frui et gaudere; non permittentes, eos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 8. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prosus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII iunii MDCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 28 iunii 1627, pontif. anno IV.

CCXLIX.

Facultas Antonio cardinali Barberino, in casu devolutionis Status Urbini, inspiciendi et retinendi scripturas ad Sedem Apostolicam pertinentes, ac declarandi infra duos menses, quam tormentorum bellicorum et aliorum quorumvis armorum, nec non salis quantitatem pro eâdem Sede voluerit[1].

Dilecto filio nostro Antonio tituli S. Honuphrii presbytero cardinali, nostro secundum carnem fratri germano,

Urbanus Papa VIII.

Dilecte fili noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Spectata diu circumspectionis tuae in gravissimis nostris et huius sanctae Sedis negotiis pertractandis fides, prudentia et integritas, aliaque eximia insignium virtutum dona, quibus illarum largitor Altissimus personam tuam multipliciter insignivit, plane exigunt, ut ea illi munia demandemus, quae nobis maxime cordi

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

sunt, firmâ spe in Domino freti, te in eis obeundis desiderio nostro cumulate satis facturum.

Recenset facultates cardinali Barberino, aliisque delegatas, in casu devolutionis ducatus Urbini.

§ 1. Cum itaque nos pridem venerabili fratri Paulo Æmilio archiepiscopo Urbinatensi, ac dilectis filiis provinciae Marchiae Anconitanae, necnon civitatis Perusinae, eiusque comitatus et districtus, provinciaeque Umbriae gubernatoribus, ac provinciae nostrarum Romandiolae, atque exarcatus Ravennae praesidi, nonnullisque aliis diversas facultates per nostras in simili formâ Brevis desuper expeditas litteras, quibus illi[1], (casu aperitionis ac devolutionis ad nos et Romanam Ecclesiam, Sedemque et Cameram Apostolicam, feudi ducatus Urbini, necnon civitatum Senogalliensis et Pisaurensis, ac Status Montisferetrani, illorumque dominiorum, civitatum, oppidorum, terrarum, fortalitiorum et locorum quorumcumque, etiam speciali notâ et expressione dignorum, in et sub Statu dicti ducatus Urbini ad praesens quomodolibet compraehensorum, seu per ipsum ducem quomodolibet possessorum, quandocumque et quomodocumque eveniente seu succedente) uti valerent, ac etiam circumspectioni tuae similes vel alias facultates praemissorum occasione concesserimus, prout in dictis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur[1]:

Nunc eidem cardinali facultatem tribuit, de qua in rubrica.

§ 2. Idcirco, ut ea, quae tuae fidei commisimus, eo melius atque salubrius exercere atque obire valeas, quo amplioribus fueris a nobis et eâdem Sede facultatibus suffultus, opportune providere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi, ut, casu aperitionis ac devolutionis praedictarum quandocumque et quomodocumque eveniente seu succedente, iuxta instrumentum concordiae desuper sub die xxx aprilis MDCXXIV celebratum, per te, vel alium, seu alios a[1] te, quoties tibi videbitur, deputandos et substituendos, quascumque scripturas ad eamdem Sedem spectantes et pertinentes diligenter inspicere et retinere, ac infra duos menses, a die habitae possessionis huiusmodi computandos, quam tormentorum bellicorum et quorumvis aliorum armorum, cuiusvis generis, nec non salis quantitatem pro eâdem Sede volueris, declarare, aliaque omnia et singula in praemissis, et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna, etiamsi talia sint vel fuerint, quae magis specialem, specificam et expressam requirerent mentionem, quandocumque tibi videbitur, auctoritate nostrâ facere, dicere, gerere, mandare, iubere et exequi libere et licite possis et valeas, tenore praesentium plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem concedimus et impartimur.

Mandatum de parendo.

§ 3. Mandantes propterea omnibus et singulis subditis nostris immediatis et mediatis, necnon etiam ecclesiasticis secularibus et regularibus personis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentibus, et quacumque auctoritate, potestate, munere, sive officio fungentibus, in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae, necnon rebellionis, et etiam excommunicationis latae sententiae poenis, ut tibi in praemissis omnibus et singulis, quacumque excusatione, tergiversatione et impedimento remotis, in omnibus et per omnia prompte pareant, obediant et assistant, tuaque et personarum a te forsan deputandarum monita, iussa et mandata, eâ qua decet obedientiâ et fide exequantur et adimpleant, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino inviolabiliter observari.

1 Erronee edit. Main. legit *illis* (R. T.).

2 Vide supra pag. 181, 268, 356 (R. T.).

1 Praep. *a* nos addimus (R. T.).

Obstantibus derogat.

§ 4. Non obstantibus omnibus illis, quae in litteris praedictis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III iulii MDCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 3 iulii 1627, pontif. anno IV.

CCL.

Confirmatio nonnullorum capitulorum, quae inita sunt inter fratres Ordinis beatae Mariae de Mercede Redemptionis captivorum, occasione separationis Discalceatorum a Calceatis.

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

In Sede Principis apostolorum, nullis licet nostris suffragantibus meritis, divinâ providentiâ constituti, religiosorum Ordinum in Ecclesiâ Dei militantium prosperum statùm felicemque directionem sinceris desiderantes affectibus, ea, quae propterea concorditer facta fuisse dicuntur, ut firma perpetuo et illibata remaneant, apostolicae confirmationis robore libenter communimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Capitula observanda pro pacificâ separatione.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, aliàs inter dilectos filios fratres Ordinis beatae Mariae de Mercede redemptionis captivorum Calceatos ex unâ, ac fratres eiusdem Ordinis congregationis Discalceatorum nuncupatorum ex alterâ partibus, infrascripta capitula occasione separationis ac totalis dismembrationis Discalceatorum huiusmodi a fratribus Calceatis praedictis de mandato dilecti filii nostri Gasparis titulo S. Crucis in Hierusalem presbyteri cardinalis Borgiae nuncupati, eiusdem Ordinis apud nos et Apostolicam Sedem protectoris, intervenientibus et assistentibus dilectis similiter filiis Ioanne de Antillon tunc uti vicario generali et provinciali ac procuratore generali in Romanâ Curiâ, ac Petro de Gusman etiam tunc procuratore provinciae Castellae eiusdem Ordinis, necnon Didaco de sancto Paulo, tunc similiter eiusdem Ordinis procuratore generali, inita fuerint tenoris subsequentis, videlicet:

De eligendo vicario generali recollectorum.

§ 2. In primis statuitur, quod supplicetur Suae Sanctitati nomine partium supradictarum, ut pro hac vice dumtaxat dignetur nominare unum vicarium generalem recollectum, qui habeat eamdem auctoritatem, iurisdictionem, praeeminentiam et superioritatem super omnes recollectos, illiusque monasteria utriusque sexus, quam habet reverendissimus generalis super totam religionem Calceatorum, et qui similiter possit nominare provinciales, diffinitores, electores et procuratores generales provinciarum Castellae, Baeticae ac Siciliae pro hac vice dumtaxat, et assignare locum in quo sit celebrandum capitulum generale futurum, ac dividere et nominare provincias:

Tempus officii eiusdem designatur.

§ 3. Item, quod vicarius generalis apostolicus gubernet recollectionem uti supremum caput a die notificationis Bullae, seu Motusproprii emanandi in confirmationem horum capitulorum usque ad primum capitulum generale celebrandum in die Pentecostes anni proximi venturi MDCXXII, in quo poterit reeligi, si sic bene visum fuerit convenire recollectioni:

Capitula generalia quolibet sexennio celebranda.

§ 4. Item quod a die Pentecostes anni MDCXXII in posterum futuris perpetuo temporibus quolibet sexennio debeat celebrari capitulum generale recollectionis in die Pentecostes, servando in omnibus ordinem, qui servatur a patribus Calceatis, interim quod non fiant constitutiones a Discalceatis:

Calceati nullam vocem habent in his capitulis.

§ 5. Item, quod vox tam activa quam passiva pro electione huiusmodi vicarii generalis solum competat religiosis recollectis, absque eo quod patres Calceati et eorum reverendissimus generalis possint

modo aliquo concurrere, nec intervenire in illâ, nec in illis actibus capitularibus:

Vocales, qui esse debeant.

§ 6. Item, quod vicarius apostolicus generalis eligat in qualibet provinciâ unum procuratorem generalem et quatuor diffinitores, ad quos pertineat, unâ cum procuratore generali Romanae Curiae, electio futuri vicarii generalis, qui debeat residere vel nominare praesidentem in omnibus capitulis:

Quid praestandum eveniente obitu vicarii generalis.

§ 7. Item, quod si contigerit vicarium generalem apostolicum ex hac vitâ migrare ante nominationem provincialium, in tali casu succedat in officio eiusdem vicarii generalis commissarius, qui fuerit Baeticae, et in illius defectum commendator, qui tunc temporis fuerit monasterii S. Barbarae oppidi Matriti, et eo non existente, commendator recollectus civitatis Hispalensis, et, in defectum talis commendatoris, ille, qui fuerit monasterii nuncupati de san Lucar de Barrameda: quod si talis mors eveniat factâ iam nominatione provincialium, tunc temporis succedat in dictô officio vicarii generalis provincialis eiusdem provinciae, cuius erat vicarius generalis, et, eo deficiente, vicarius provincialis, et illo non existente, diffinitor antiquior eiusdem provinciae:

Cessiones favore Discalceatorum.

§ 8. Item, quod reverendissimus generalis et patres provinciales Calceati renunciant omni meliori modo de iure locum habente iurisdictioni, potestati, superioritati, et praeeminentiae illis quomodolibet spectanti, vel quae in futurum quomodolibet poterit spectare vel pertinere super recollectionem, illiusque monasteria utriusque sexus: Item, quod similiter renunciant actioni interveniendi capitulis generalibus et provincialibus Discalceatorum, in quibus nullus Calceatus possit intervenire, nec modo aliquo vocem habere: Item, quod similiter patres Calceati renunciant omni superioritati, iurisdictioni, electioni et actioni quomodolibet competentibus illis vel pro tempore competituris ad obtinendum praelationes in monasteriis religiosorum recollectionis utriusque sexus nunc et pro tempore existentibus, excepto monasterio monialiumre collectarum oppidi Matriti, quia hoc monasterium debet remanere sub eâdem obedientiâ, sub qua modo militat:

Et vice versa.

§ 9. Item, quod patres recollecti non possint assistere capitulis generalibus vel provincialibus Calceatorum, nec in illis habere vocem, sive active sive passive, et quoad hunc articulum renunciant omni actioni et iuri, nunc et pro tempore quomodolibet eis competenti: Item, quod similiter renunciant et abdicant a se quamcumque praetensionem, actionem, vel ius, quae nunc habent, et pro tempore quomodolibet habere vel praetendere possunt, ad obtinendas praelationes in monasteriis Calceatorum utriusque sexus, illis vel illius provinciis hucusque annexis:

Vicarius generalis recollectorum a generali Ordinis confirmandus.

§ 10. Item, pro quanto recollectio rationabiliter veretur, ne tempus oblivioni mandet tot beneficia accepta a dictâ religione Calceatorum eius matre, statuitur, quod vicarius generalis recollectus infra tres menses a die suae electionis teneatur illam praesentare reverendissimo generali Ordinis, qui, si fuerit canonica, necessarie illam confirmet: et haec sola praeeminentia reservatur reverendissimo generali super recollectionem: quod si facere recuset, intra quindecim dies ab illius praesentatione, accedat, et recursum habeat pro illius confirmatione ad nuncium Suae Sanctitatis in regnis Hispaniarum commorantem:

Procuratoribus provincialibus vocalitas asserta.

§ 11. Item, ob paucitatem suffragiorum, quae pro nunc in capitulo generali vocem habebunt, statuitur, quod procuratores provinciales cuiuscumque provinciae Discalceatorum in electione vicarii generalis habent vocem activam, sicut definitores capituli generalis:

Discalceati nequeunt se negocio redemptionis immiscere.

§ 12. Item, quod ministerium redemptionis solum spectet religiosis Calceatis, et quod patres recollecti non se intromittant in recipiendis legatis a christifidelibus relictis ad dictum effectum, nec possint petere in suis monasteriis nec extra pro redimendis captivis, nec habere cippos, nec capsas, nec aliquid aliud pro eleemosynâ petendâ hac de causâ, quia totum hoc debet mandari curae et sollicitudini patrum Calceatorum dumtaxat, sicut usque nunc fuit in consuetudine. Et ad tollendos scrupulos, et sedandas conscientias, statuitur, quod nomine partium fiat instantia SS. D. N. quatenus dignetur declarare, religiosos recollectionis liberos et deobligatos esse ab exequutione quarti voti, et similiter praedictarum partium nomine eidem Sanctissimo supplicetur, quatenus etiam dignetur communicare et concedere recollectioni omnia indulta et privilegia quae hucusque in favorem religionis Calceatorum a Sede Apostolicâ emanarunt, et imposterum emanabunt, etiam illa, quae intuitu redemptionis eidem religioni sunt concessa, taliter quod talis extensio dumtaxat fiat quantum ad fructus spirituales, nullum reservando, et non quantum ad ius administrandi dictam redemptionem et percipiendi fructus, eleemosynas et alia ad eam quomodolibet spectantia, nam quantum ad hoc exclusi et privati in perpetuum manebunt:

Debent tamen reliquas Constitutiones apostolicas servare.

§ 13. Item, quod omnia decreta et Bullae apostolicae in favorem recollectionis concessa adimpleantur de verbo ad verbum, dummodo in toto vel in parte non contraveniant his praesentibus capitulis:

Vicarius generalis his debet stare capitulis.

§ 14. Item, quod vicarius generalis recollectionis a Suâ Sanctitate electus, statim quod fuerit a notario publico requisitus cum Brevi apostolico, teneatur exercere suum officium, primitus et ante omnia iurando adimplere in omnibus haec capitula et quodcumque illorum, et contrarium faciendo, gratia Sanctissimi sit et intelligatur nullius valoris:

Haec concordia a partibus ratificanda.

§ 15. Item, quod concordia debeat tam a religiosis Calceatis, quam Discalceatis in suis primis capitulis generalibus respective ratificari, et quod si quaelibet ex partibus huic concordiae contravenerit, in toto vel in parte, vel illam non ratificaverit, videatur amittere ius quod habebat contra aliam: et similiter incurrere in poenam viginti mille ducatorum applicandorum alterae parti:

Supplicandum Papae ut eam confirmet.

§ 16. Item, quod ab utrâque parte unanimiter supplicetur Suae Sanctitati, ut dignetur approbare et confirmare hanc concordiam per viam Motusproprii, vel alio meliori modo sibi beneviso, ut in totum finis imponatur litibus inter dictos religiosos pendentibus: Item, quod suprascripta capitula et conventiones, ad maius robur et vim illorum, a procuratoribus generalibus Calceatorum et Discalceatorum praedictae religionis suis nominibus subscribi et firmari debeant.

Urbanus confirmat praefata capitula.

§ 17. Nos, inviolabili capitulorum huiusmodi observantiae, felicique dictae congregationis regimini atque gubernio, quantum cum Deo possumus, consulere, necnon eiusdem congregationis fratres specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes; motu proprio et ex certâ scientiâ nostris, praeinserta capitula huiusmodi, citra tamen dispensationem super quarto voto huiusmodi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adii-

Reservatio quarti voti.

cimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§ 18. Decernentes, eadem praeinserta capitula necnon praesentes litteras valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, firmiter et inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores deputat.

§ 19. Quocirca venerabilibus fratribus Ioanni Baptistae patriarchae Antiocheno moderno et pro tempore existenti nostro et Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum nuncio, et archiepiscopis et episcopis, in quorum dioecesi monasteria, domus et alia dictorum fratrum Discalceatorum loca regularia erecta et instituta sunt, et pro tempore erigi et institui contigerit, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem fratrum Discalceatorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ fratres Discalceatos praedictos praemissorum commodo et effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes illos desuper a quoquam quomodolibet molestari vel perturbari.

Contravenientium poenae.

§ 20. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii secularis. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis.

§ 21. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, VIII iulii MDCXXVII, pontificatus nostri annô IV.

Dat. die 8 iulii 1627, pontif. anno IV.

CCLI.

Committitur collectori spoliorum in regno Portugalliae, ut officiales camerae Ulyssiponensis absolvat a censuris in quas incurrerant ob exacta ab ecclesiasticis nonnulla vectigalia ad derivandam aquam in Urbem, in alios vero usus impensa [1].

Venerabili fratri Laurentio episcopo Hieracensi, moderno et pro tempore existenti iurium et spoliorum camerae apostolicae in Portugalliae et Algarbiorum regnis collectori generali,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Officialium camerae Ulyssiponensis preces.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii praesidens et officiales camerae

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

civitatis Ulixbonensis, quod ipsi, provide considerantes, civitatem praedictam, quae numeroso admodum populo referta existit, aquarum dulcium et fontium penuriâ non mediocriter laborare, et aquam ad eamdem civitatem nonnisi e locis ab eâ multum distantibus derivari posse; communitatis vero et hominum eiusdem civitatis facultates gravibus expensis attritas esse, ac gravioribus propterea subeundis minime suppetere; habitis prius desuper variis tractatibus, cum expensas huiusmodi nullâ aliâ faciliori ratione, ac minori communitatis et hominum praedictorum incommodo fieri posse iudicarent, gabellam unius regalis monetae illarum partium, valoris autem unius quatreni circiter monetae romanae, super qualibet librâ carnis, necnon dimidii regalis huiusmodi super qualibet vini, quod in cauponis venditur, mensurâ *foglietta* vulgo nuncupatâ, per carnes et vinum ementes, tam ecclesiasticos quam seculares, persolvendam imposuerunt, impositamque nonnullorum annorum spatio exegerunt, et ex eiusdem gabellae pecuniis certam aquae quantitatem, sed non eam, quae sublevandis communitatis, civitatis et hominum praedictorum necessitatibus satis esset, in eamdem civitatem derivari curarunt. Unde, cum pecunias, quae ex continuatâ dictae gabellae exactione provenerant, in residuae atque necessariae aquae derivationem erogare decrevissent; aliâ vero ex parte animo revolverent clarae memoriae Philippum III Hispaniarum regem catholicum, qui de anno MDCXIX iter in Portugalliae regnum pro felici ipsius statu, gubernio, atque regimine susceperat, pro defensione fidei catholicae, necnon obedientiae erga Romanam Ecclesiam in omnibus regnis atque ditionibus suis conservatione, adeo magnos sumptus fecisse, ut non solum ordinarios et extraordinarios regnorum suorum, sed etiam patrimonii sui regalis redditus, omniaque illorum aeraria fere assumpsisset; insuper diversas nationes religionis catholicae inimicas non solum omnia dicti regni maria infesta reddidisse, multos christifideles in miserabilem servitutem abducere, et pro earum redemptione ingentem pecuniarum vim e dictâ civitate extrahi, verum etiam susceptâ a multis annis citra in Indias orientales navigatione, ingentique navium multitudine comparatâ, nonnullas arces et propugnacula in diversis Indiarum praedictarum partibus occupasse sive construxisse et animum ad alia occupanda adiicere, neque eas tot classes et arma, tam in eisdem Indiarum, quam regni praedicti partibus, cum immensis etiam patrimonii charissimi in Christo filii nostri Philippi IV, Hispaniarum regis catholici, impensis ad hunc finem instructa debellare potuisse; immo illas praevaluisse praesertim post occupatum a Persis earumdem nationum auxilio suffultis propugnaculum Ormusii, ita ut, nisi de aliquâ subventione eidem Philippo IV regi provideretur, evidentissimum periculum adesset, ne cetera eiusdem Philippi IV regis propugnacula et loca ibi existentia amitterentur; his et aliis similibus urgentibus causis fidei catholicae defensionem et propagationem concernentibus permoti, unum ducentorum et octuaginta millium Philippo III, et aliud ducentorum millium scutorum monetae dicti regni servitia sive donativa nuncupata Philippo IV regibus praedictis, tam ex pecuniis dictae gabellae, quam ex quorumdam censuum *iuros* vulgo nuncupatorum super fructibus dictae gabellae per eosdem praesidentem et officiales venditione conflata obtulerunt et concesserunt, censuras et poenas ecclesiasticas per sacros canones, et conciliorum generalium necnon Bullae in die Coene Domini legi solitae dispositionem, contra gabellas a personis eccle-

siasticis quoquo modo exigentes inflictas damnabiliter incurrendo.

Commissio, de qua in rubricâ.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, aquae praedictae in dictam civitatem derivatio non modo laicorum sed etiam ecclesiasticorum usibus inserviat, ac propterea praesidens ac officiales praedicti nobis humiliter supplicari fecerint, ut sibi de absolutionis beneficio in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur: nos igitur, praesidentis et officialium praedictorum conscientiarum quieti, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut praesidentem et officiales praedictos, et quoscumque alios, si hoc a te humiliter petierint, impositâ illis et eorum cuilibet arbitrio tuo poenitentiâ salutari, et aliis iniunctis iniungendis, et dummodo a similibus de cetero abstineant, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, per eos et eorum quemlibet praemissorum occasione usque ad diem publicationis praesentium quomodolibet incursis, auctoritate nostrâ absolvas et totaliter liberes, illisque dictas poenas ac pecunias ad quamcumque summam ascendentes, ab ecclesiasticis ex dictâ gabella per eosdem praesidentem et officiales et alios praedictos quomodolibet exactas, gratiose remittas et condones, eosque in pristinum, et eum, in quo, antequam praemissa emanarent, quomodolibet erant, statum restituas, reponas et plenarie reintegres, sive ad eiusdem praesidentis supplicationem, sive[1] officialium et aliorum praedictorum tibi faciendam, facultatem huiusmodi, vicesque tuas in praemissis quibusvis confessariis idoneis ubilibet existentibus et ab Ordinariis locorum approbatis, modo et formâ similibus, communices et subdeleges.

Obstantium derogatio.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque conciliis edititis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV iulii MDCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 14 iulii 1627, pontif. an. IV.

CCLII.

Commissio eidem collectori permittendi impositionem vectigalis etiam ecclesiasticis super aquâ dulci Ulyssiponem inducenda[2].

Venerabili fratri Laurentio episcopo Hieracensi moderno et pro tempore existenti iurium et spoliorum camerae apostolicae debitorum in Portugalliae et Algarbiorum regnis collectori generali,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,

salutem et apostolicam benedictionem.

Ea refert, quae in praecedenti constitutione sancita sunt.

§ 1. Hodie pro parte dilectorum filiorum praesidentis et officialium camerae civitatis Ulyxbonensis nobis exposito, quod ipsi, provide considerantes, civitatem praedictam numeroso admodum populo refertam aquarum dulcium et fontium penuriâ non mediocriter laborare, et aquam ad eamdem civitatem nonnnisi e locis ab eâ

1 Aptius lege *nomine* pro *sive*, ut infra pagina 572 *a* (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

multum distantibus derivari posse; communitatis vero et hominum eiusdem civitatis facultates gravibus expensis attritas esse, ac gravioribus propterea subeundis minime suppetere; habitis prius desuper variis tractatibus, cum expensas huiusmodi nullâ aliâ faciliori ratione ac minori communitatis et hominum praedictorum incommodo fieri posse iudicarent, gabellam unius regalis monetae illarum partium, valoris autem unius quatreni circiter monetae romanae, super qualibet librâ carnis, necnon dimidii regalis huiusmodi super qualibet vini, quod in cauponis venditur, mensurâ *foglietta* vulgo nuncupatâ, per carnes et vinum ementes, tam ecclesiasticos quam seculares, persolvendam imposuerunt, impositamque nonnullorum annorum spatio exegerunt, et ex eiusdem gabellae pecuniis certam aquae quantitatem, sed non eam quae sublevandis communitatis, civitatis et hominum praedictorum necessitatibus satis esset, in eamdem civitatem derivari curarunt; unde, cum pecunias, quae ex continuatâ dictae gabellae exactione provenerant, in residuae, atque necessariae aquae huiusmodi derivationem erogare decrevissent; aliâ vero ex parte animo revolverent clarae memoriae Philippum III Hispaniarum regem catholicum, qui de anno MDCXIX iter in Portugalliae regnum pro felici ipsius statu, gubernio, atque regimine susceperat, pro defensione fidei catholicae, necnon obedientiae erga Romanam Ecclesiam in omnibus regnis atque ditionibus suis conservatione, adeo magnos sumptus fecisse, ut non solum ordinarios et extraordinarios regnorum suorum, sed etiam patrimonii sui regalis redditus, omniaque illorum aeraria fere absumpsissent[1]; insuper diversas nationes religionis catholicae inimicas non solum omnia dicti regni maria infesta reddidisse, multos christifideles in miserabilem servitutem adducere, et pro earum redemptione ingentem pecuniarum vim e dictâ civitate extrahi, verum etiam susceptâ a multis annis citra in Indias orientales navigatione, ingentique navium multitudine comparatâ, nonnullas arces et propugnacula in diversis Indiarum praedictarum partibus occupasse, sive construxisse, et animum ad alia occupanda adiicere; neque eas tot classes et arma, tam in eisdem Indiarum, quam regni praedicti partibus, cum immensis etiam patrimonii charissimi in Christo filii nostri Philippi IV Hispaniarum regis catholici impensis ad hunc finem instructa debellare potuisse, immo illas praevaluisse, praesertim post occupatum a Persis earumdem nationum auxilio suffultis propugnaculum Ormutii, ita ut, nisi de aliquâ subventione eidem Philippo IV regi provideretur, evidentissimum periculum adesset, ne cetera eiusdem Philippi IV regis propugnacula et loca ibi existentia amitterentur; his et aliis similibus urgentibus causis fidei catholicae defensionem et propagationem concernentibus permoti, unum ducentorum et octoginta millium Philippo III et aliud ducentorum millium scutorum monetae dicti regni servitia sive donativa nuncupata Philippo IV regibus praedictis, tam ex pecuniis dictae gabellae, quam ex quorumdam censuum *iuros* vulgo nuncupatorum super fructibus dictae gabellae per eosdem praesidentes et officiales venditione conflata obtulerunt et concesserunt, censuras et poenas ecclesiasticas per sacros canones et conciliorum generalium necnon Bullae in die Coenae Domini legi solitae dispositionem contra gabellas a personis ecclesiasticis quoquo modo exigentes inflictas damnabiliter incurrendo:

§ 2. Nos, praesidentis et officialium praedictorum supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per alias nostras in simili formâ

1 Ut supra pag. 569 *b* lege *absumpsisset* (R. T.).

Brevis expeditas litteras commisimus et et mandavimus, ut praesidentem et officiales praedictos et quoscumque alios, si hoc a te humiliter petiissent, impositâ illis et eorum cuilibet arbitrio tuo poenitentiâ salutari et aliis iniunctis iniungendis, et dummodo a similibus de cetero abstinerent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, per eos et eorum quemlibet praemissorum occasione usque ad diem publicationis litterarum praedictarum quomodolibet incursis, auctoritate nostrâ absolveres et totaliter liberares, illisque dictas poenas ac pecunias ad quamcumque summam ascendentes, ab ecclesiasticis ex dictâ gabellâ per eosdem praesidentem et officiales, aliosque praedictos quomodolibet exactas, gratiose remitteres et condonares, eosque in pristinum et eum, in quo, antequam praemissa committerent, quomodolibet erant, statum restitueres, reponeres et plenarie reintegrares, sive ad eiusdem praesidentis supplicationem, nomine officialium et aliorum praedictorum tibi faciendam, facultatem huiusmodi, vicesque tuas in praemissis quibusvis confessariis idoneis ubilibet existentibus et ab Ordinariis locorum approbatis, modo et formâ similibus, communicares et subdelegares, et aliàs, prout in dictis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Commissio, de qua in rubricâ.

§ 2. Cum autem, sicut praesidens et officiales praedicti nobis denuo exponi fecerunt, aqua in eamdem civitatem hucusque derivata non eius est quantitatis, quae sublevandis communitatis et hominum praedictorum necessitatibus sufficiat, ipsius vero aquae derivatio non modo laicorum sed etiam ecclesiasticorum usibus inserviat, et propterea, quod[1] non solum census praedictos extinguere, sed etiam residuam aquae quantitatem ad sublevandas necessitates huiusmodi requisitas in eamdem civitatem derivare valeant, gabellam praedictam modo et formâ praemissis de novo imponere, eamque ad effectus praedictos exigere posse desiderent, si nostra ad id sibi licentia suffragetur et facultas: nos, praesidentem et officiales praedictos amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus etiam eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut de praemissis te diligenter informes, et si per informationem eamdem preces veritate niti repereris, super quo conscientiam tuam oneramus, praesidenti et officialibus praedictis, ut pro extinguendis censibus huiusmodi, ac residuae aquae praedictae quantitate in dictam civitatem derivandâ, gabellam praedictam de novo imponere, illamque etiam a personis ecclesiasticis tam regularibus quam secularibus, cuiuscumque status, gradus et conditionis existant, absque ullo conscientiae scrupulo, aut censurarum et poenarum ecclesiasticarum incursu, ut praefertur, exigere, pecuniasque, ex eâdem gabellâ proventuras, in eorumdem censuum extinctionem in primis et ante omnia, ac deinde, per tempus tibi benevisum dumtaxat, residuae aquae huiusmodi, ad sublevandas necessitates, ut praefertur, requisitae, derivationem, et non alios usus, convertere et erogare libere et licite valeant, licentiam et facultatem auctoritate nostrâ concedas.

1 Potius legerem *ut* loco *quod* (R. T.).

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Mandatum ne pecuniae colligendae in alios usus distrahantur.

§ 4. Volumus autem, quod pecuniae, ab ecclesiasticis praedictis ratione dictae gabellae verisimiliter exigendae, penes personam fide et facultatibus idoneam, a praesidente et officialibus praedictis eligendam, et ab eodem collectore probandam, omnino deponantur, quodque persona sic electa de pecunias huiusmodi, ad effectum eosdem census extinguendi et praedictam residuae aquae quantitatem in dictam civitatem derivandi, numerando, praesidens vero et officiales de illas in alios usus non erogando sub poenâ nullitatis praesentis, necnon excommunicationis tam ab ipsâ personâ, quam ab aliis, qui pecunias huius modi in alios quam praedictos usus erogaverint, ipso facto incurrendae, solitum praestent in manibus tuis iuramentum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV iulii MDCXXVII, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 15 iulii 1627, pontif. anno IV.

CCLIII.

Revocatio reservationum pensionum perpetuarum super beneficiis ecclesiasticis ad collegiorum et piorum locorum favorem factarum et indultorum imponendi pensiones etiam temporales quibusvis concessorum [1].

Causae huius Constitutionis.

Sanctissimus D. N. Urbanus divinâ providentiâ Papa VIII, qui pridem, beneficiorum ecclesiasticorum conservationi et exonerationi consultum volens, uniones beneficiorum huiusmodi, praeterquam in certos casus factas, necnon facultates transferendi pensiones, quae effectum integraliter sortitae non essent, pro summâ quae medietatem veri valoris fructuum beneficiorum, super quibus pensiones huiusmodi impositae forent, excederent [1], specialibus desuper editis regulis revocavit, libertati eorumdem beneficiorum plenius prospicere et quod in antiqorum onerum moderatione praecavit, multo fortius in novorum impositione avertere cupiens:

Revocatio facultatum reservationum pensionum perpetuarum.

§ 1. Quascumque reservationes pensionum perpetuarum super fructibus certis vel incertis quorumvis beneficiorum, non tamen iurispatronatus laicalis existentium, etiam in favorem quorumcumque collegiorum, capitulorum, universitatum, locorum et beneficiorum, etiam per sanctae Romanae Ecclesiae cardinales obtentorum, etiam apostolicâ auctoritate, non tamen pro fundatione, seu dotatione, augmento, vel conservatione collegiorum et aliorum piorum et religiosorum locorum, ad fidei catholicae defensionem et propagationem bonarumque artium cultum institutorum, factas, quae suum necdum sortitae sunt effectum;

Necnon indultorum imponendi pensiones etiam temporales,

§ 2. Necnon omnes et quascumque facultates, indulta et privilegia imponendi quascumque pensiones etiam temporales super quibusvis beneficiis, non tamen iurispatronatus laicalis existentibus, seu ad pensiones, iam ántea apostolicâ auctoritate desuper forsan non tamen certis personis reservatas, personas sibi benevisas nominandi, etiamsi ad nominationem huiusmodi iam forsan sit processum (quatenus tamen per notarii desuper rogati et duorum testium attestationem non constet de reali et integrali solutione alicuius termini singularum pensionum huiusmodi

1 De pensionibus, ultra disposita a sacris canonibus et a Concilio Tridentino, scias a Pio V fuisse revocatas facultates transferendi pensiones quibuscumque militiis concessas, ut in sua Constit. XCXII, *Sacrosanctum*, tom. VII, pag. 709. Quomodo vero, et quando super ecclesiarum fructibus pensiones reservari possint definivit Leo X in Const. VIII, *Supernae*, tom. V, pag. 604.

1 Aptius lege *excederet* (R. T.).

specialiter et expresse in eam causam ante publicationem praesentium factâ) quibusvis personis, etiam abbatiali, episcopali, archiepiscopali, patriarchali, vel aliâ quavis dignitate, etiam cardinalatus honore fulgentibus, quovis intuitu et consideratione, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ, ac potestatis plenitudine, ac etiam quod in eis, quod illa sub revocationibus et contrariis dispositionibus per Romanos Pontifices pro tempore existentes comprehendi non posse aut debere concessum foret, et aliàs cum quibusvis aliis etiam derogatoriarum derogatoriis et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, quorum tenores, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur et exprimerentur, haberi voluit pro expressis, vel aliàs quovis modo et ex quavis causâ per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores suos hactenus concessa, revocavit, cassavit et annullavit, ac viribus et effectu evacuavit.

Clausula *sublatâ*.

§ 3. Decernens sic in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ipsosquemet cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, necnon irritum et inane quidquid secus super praemissis per quoscumque, etiam praetextu facultatum, indultorum et privilegiorum praedictorum, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Facultatibus, indultis et privilegiis, aliisque praemissis, necnon regulâ de iure quaesito non tollendo, statuto, ordinatione et declaratione Suae Sanctitatis in crastinum eius assumptionis ad summi apostolatus apicem editis, et in cancellariâ apostolicâ sub die XXI mensis octobris anni millesimi sexcentesimi vigesimi tertii publicatis, quodque dicti sanctae Romanae Ecclesiae cardinales in constitutionibus et regulis per Sanctitatem Suam post priorum suarum constitutionum et regularum editionem et publicationem faciendis non includantur, nisi illae eorumdem cardinalium favorem concernant, vel ipsae constitutiones et regulae edendae de ipsorum cardinalium vel maioris partis eorum consilio editae fuerint, aliisque regulis, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque, nequaquam obstantibus.

Pl. publicetur et describatur. M.

Papae subscriptio.

Publicata XX *iulii, hora decimaquarta in cancellariâ apostolicâ* MDCXXVII.

A. reg.

Publicatio.

Lecta et publicata fuit supradicta Constitutio Romae in cancellariâ apostolicâ, anno Incarnationis Dominicae MDCXXVII, *die vero martis* XX *iulii, et registrata fuit in quinterno cancellariae apostolicae, pontificatus SS. D. N. anno* IV.

MARCUS ANTONIUS ASCENTIUS procustos.

CCLIV.

Erectio collegii Urbani de Propagandâ Fide[1].

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

Immortalis Dei Filius nostram mortalitatem induere volens, ut tenebras infidelitatis atque insipientiae umbras deiiceret, quae hominum animas oppleverant, veluti sol fulgentissimus est exortus et verae fidei igniculos ubique terrarum per Apostolos, ceterosque evangelii praecones, tamquam per nitidissima sydera diffundere curavit. Quoniam vero, vel quaedam supersunt regiones, quae, ut penitus locorum intercapedine dissitae, vel barbarâ feritate dissociatae, lumen adhuc divinae legis ac fidei minime exceperunt, aut nonnullae

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

reperiuntur, quibus olim quidem sacrosancti Evangelii splendor affulsit, sed vel haereticae labis tenebris iterum obvolutae, vel infidelium, paganorumque impiorum catholicae fidei desertorum colluvione obrutae, vel, si quae paucae in fide permanserunt, desertae a pastoribus in atrâ perfidiae vel ignorantiae nocte versantur, atque delitescunt: idcirco nobis, qui licet immerito divini atque increati solis speciem visibilem in terris referimus, onus incumbit, ut ministri idonei eligantur, qui ad illas gentes caecitate spirituali captas profecti vitae probae ac morum fulgore micantes, doctrinae evangelicae, zelo animarum ardore flagrantes, veluti candelabra super montium iugis sita, tenebras tam infidelitatis quam haereseos pro viribus dissolvant atque dissipent.

Ioannes Baptista Vives palatium pro erigendo collegio donat.

§ 1. Cum itaque, sicut nobis innotuit, dilectus filius magister Ioannes Baptista Vives presbyter Valentinus citerioris Hispaniae, in utrâque signaturâ nostrâ referendarius, praelatusque domesticus, ac familiaris et continuus commensalis noster, ac dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Isabellae Clarae Eugeniae Infantis Hispaniarum ac Belgicarum provinciarum principissae et gubernatricis apud nos Sedemque Apostolicam ordinarius residens legatus, zelo domus Dei, animarumque salutis, ac propagationis et tuitionis sanctae fidei catholicae, aliisque piis rationibus et devotione ductus, palatium quoddam in plateâ Sanctissimae Trinitatis montis Pincii nuncupatae de Urbe, sub regione Columnae, intra sua notissima latera, plateamque praedictam, ac vias publicas situm, aliàs *delli Farratini* nuncupatum, quod ad praesens inhabitat, unâ cum suis membris, areâ, cortile, stabulis, remissis, usibus, commoditatibus, adiacentiis et pertinentiis universis, ad effectum in illo, illiusque situ collegium seu seminarium unum apostolicum sacerdotum seu clericorum seculariurn, qui saltem ad sacros ordines maiores, seu eorum ad minus aliquem, infra annum a die eorum in illo receptionis computandum, omnino promoveri debeant et teneantur, ex omni gente et natione desumendorum, et per nos, Romanosque Pontifices successores nostros pro tempore existentes ad fidem praedictam in toto orbe terrarum, universisque illius partibus propagandam, dilatandam et tuendam, perpetuis futuris temporibus, et quousque electorum numerus completus, unusque pastor et unum Christi ovile facta fuerint, duraturum, sub regulis, legibus, statutis, constitutionibus et ordinationibus nobis et successoribus nostris benevisis edendis et stabiliendis, erigendi, instituendi et creandi, et pro illius dote, seu dotis nomine, alumnorumque in dictum collegium seu seminarium pro tempore introducendorum sustentatione, viginti tria fidei, et triginta sancti Bonaventurae, ac quinquaginta salis respective nuncupata loca montium de Urbe, unâ cum eorum omnibus et singulis fructibus ac proventibus, insimul ad quingenta sexaginta quinque, vel circiter, scuta monetae Romanae, ad rationem decem iuliorum pro singulo scuto huiusmodi: annuatim ascendentia, ac censum annuum aliorum centum quadraginta scutorum similium (aliàs ad commodum quondam Diomedis Mussi Cremonensis pro sorte principali duorum millium scutorum similis monetae super bonis quondam Ioannis Francisci Ugolini per acta dilecti filii Rinaldi Buratti curiae causarum camerae nostrae apostolicae notarii sub die vigesimâ nonâ aprilis anni Domini millesimi sexcentesimi vigesimi quarti ad rationem septem pro centenario et anno constitutum, ac postmodum ad opus dicti Ioannis Baptistae per acta dilecti etiam filii Laurentii Bonincontri curiae Capitolii notarii sub die septimâ augusti eiusdem anni venditum et cessum, ac ad praesens per di-

Dotemque pro alumnorum sustentatione constituit

lectos filios natos et haeredes dicti quondam Ioannis Francisci solvi solitum), et denique reliqua omnia sua bona mobilia et immobilia, praesentia et futura, pecuniarum summas, actiones et credita, iuraque et alia quorumvis montium loca, quae tempore sui obitus habebit et possidebit, seu ad eum quomodolibet spectare et pertinere dignoscentur, in hac nostrâ Urbe et illius districtu dumtaxat existentia (exceptis tamen tribus millibus scutis similis monetae Romanae, ad eamdem rationem iuliorum decem pro singulo scuto huiusmodi, ex promptioribus suis bonis mobilibus depromendis, per eum aliàs in animae suae refrigerium hospitali et ecclesiae B. Mariae de Monte Serrato nuncupatae, etiam de Urbe, donatione causâ mortis, sub die primâ mensis decembris anni eiusdem Domini millesimi sexcentesimi vigesimi quinti, per acta dilecti filii Iacobi Morer clerici coniugati Elnensis dioecesis, in archivio Romanae Curiae descripti notarii, legatis; necnon, quoad vixerit, dicti palatii, cum praefatis suis membris, adiacentiis et pertinentiis, usu et habitatione, ac praefatorum et aliorum quorumcumque locorum montium, censusque praedicti, et reliquorum omnium, tam mobilium quam immobilium, praesentium et futurorum, quovis nomine nuncupatorum, bonorum suorum usufructu, et de scutis centum auri in auro ad beneplacitum suum testamentaliter disponendi facultate sibi reservatis, expensâque funeralium et exequiarum suarum, iuxta status sui exigentiam et qualitatem, demptâ) nobis, et successoribus nostris canonice intrantibus (cum conditione tamen, quod si collegium seu seminarium huiusmodi in dicto palatio, suisque membris et pertinentiis, cum applicatione dictorum bonorum pro illius dote et alumnorum in eo introducendorum sustentatione assignatorum, vitâ nostrâ durante non fundaverimus, erexerimus vel instituerimus, infrascripta donatio successori nostro immediate sequenti, sub eâdem conditione, et eo etiam in his deficiente, aliis Romanis Pontificibus successoribus nostris, ut praefertur, canonice intrantibus in infinitum, donec et quousque intentio et pia voluntas dicti Ioannis Baptistae modo praemisso suum plenum sortiatur effectum, et non aliàs, nec alio modo, facta esse censeatur) donatione spontaneâ et irrevocabili, quae dicitur inter vivos fieri, per acta dilecti filii Chrisantis Roscioli Fulginatensis, similiter curiae causarum camerae nostrae apostolicae notarii, sub die primâ mensis iunii anni eiusdem Domini MDCXXVI dederit, donaverit, cesserit et transtulerit; et pro observatione statutorum Urbis, circa insinuationes similium donationum faciendas editorum, sponte, omnique meliori modo quo potuit et debuit, dilectum filium substitutum dilecti filii commissarii generalis camerae nostrae praedictae ad specialiter et expresse donationem, cessionem et translationem praedictas coram quovis ordinario vel alio Romanae Curiae iudice, et coram quibus opus esset, suo nomine insinuandas, significandas et notificandas procuratorem suum fecerit et constituerit;

Reservatio usufructus suâ vitâ durante.

§ 2. Nobisque praeterea, tenore dicti instrumenti, quatenus donationem, cessionem et translationem huiusmodi, pro illarum maiori subsistentiâ et perpetuâ roboris firmitate, de apostolicae potestatis plenitudine confirmare et approbare, omnesque tam formales et substantiales, quam alios quosvis tam iuris quam facti defectus, qui quomodolibet in iisdem intervenerint, de eiusdem potestatis plenitudine supplere et tollere vellemus et dignaremur, instanter supplicaverit, prout in instrumento desuper per dictum Chrisantem notarium rogato plenius continetur; postmodum vero dilectus filius Ioannes Altovitus, supradicti commissarii generalis sub-

Instat, ut praedicta a Pontifice confirmentur.

stitutus, sicut accepimus, facultate procuratoriâ huiusmodi utens, coram dilecto filio Stephano Vaio praedictae curiae Capitolinae primo collaterali nuncupato, Romanaeque Curiae ordinario, et ad interponenda decreta in contractibus voluntariae iurisdictionis a nobis specialiter deputato iudice, donationem, cessionem et translationem praedictas originaliter exhibuerit, insinuaverit et significaverit, illasque ad plenam et veram dicti iudicis notitiam, iuxta statutorum praedictorum formam et tenorem, deduxerit, et tandem illas per dictum iudicem pro tribunali sedentem, causâ cognitâ, admitti, et pro insinuatis haberi, et in actis publicis dilecti filii Ioannis Baptistae de Octavianis dictae curiae Capitolinae notarii, iuxta formam dictorum statutorum, registrari, auctoritatemque et decretum per dictum iudicem desuper quomodolibet necessaria opportune interponi, sub die sextâ eiusdem mensis iunii obtinuerit:

Praedicta omnia confirmat Urbanus.

§ 3. Nos igitur, qui catholicae religionis incrementum, haeresumque extirpationem non solum sinceris desideramus affectibus, sed ad universarum gentium et animarum salutem procurandam, ac fidem catholicam in universum mundum propagandam, tuendamque debitores nos esse fatemur, ac propterea laudabili desiderio et piae voluntati dicti Ioannis Baptistae, conditionique in dictae donationis instrumento quoad appositae satisfacere cupientes, ipsumque Ioannem Baptistam a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac palatii praedicti, singulorumque locorum et membrorum suorum situationes, confinia, qualitates, vocabula et denominationes, ac donationis et desuper confecti instrumenti, illiusque insinuationis, decreti, assignationis, aliorumque superius relatorum instrumentorum totos tenores, etiam veriores, ac datae[1], praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad eiusdem Ioannis Baptistae, vel alterius pro eo nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex merâ scientiâ et deliberatione nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, donationem, cessionem et translationem huiusmodi, omniaque in instrumento desuper, ut praefertur, celebrato contenta acceptantes, illaque grata et rata habentes, eâdem apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos, tam iuris quam facti, aliosque etiam substantiales defectus, si qui desuper forsan intervenerint, eisdem auctoritate et tenore supplemus.

Collegium Urbanum nuncupandum decernit.

§ 4. Et insuper ad maiorem omnipotentis Dei gloriam et fidei catholicae incrementum unum in palatio praedicto, suisque membris et adiacentiis collegium pontificium, seu seminarium apostolicum, sub invocatione sanctorum Petri et Pauli apostolorum Pastorale Urbanum nuncupandum, pro propagandâ ac tuendâ catholicâ et apostolicâ fide;

Alumnorum qualitates et munia designat.

§ 5. In quo sacerdotes, seu clerici, dumtaxat seculares, qui ad sacros et maiores ordines, seu saltem eorum aliquem, intra annum ad minus, a die eorum in huiusmodi collegio seu seminario receptionis computandum, promoveri omnino debeant et teneantur, ex omni natione et gente recipi, ac bonis moribus, verâque pietate et sanctâ doctrinâ, ac aliis catholico homine dignis virtutibus, ad effectum dictam fidem catholicam apostolicamque in partibus infidelium, in quibus aliqui ortho-

1 Aptius legerem *datas* vel *data* (R. T.).

doxae fidei cultores remanserunt, tuendi et conservandi, necnon eamdem fidem in iisdemmet partibus, quando recepta fuerit, totoque terrarum orbe propagandi et dilatandi, instrui, et pro dictae fidei tuitione, incremento, dilatatione et propagatione vitae periculum et martyrium, si opus fuerit, subire omnino debeant, perpetuis futuris temporibus, et quousque electorum numerus completus, unusque pastor et unum Christi ovile facta fuerint, duraturum, auctoritate et tenore praemissis, etiam perpetuo erigimus et instituimus.

Confirmat quoque dotem a Ioanne Baptista Vives constitutam.

§ 6. Illique sic erecto et instituto, pro eius dote et commodà illius oeconomorum, rectoris, magistrorum, praeceptorum et alumnorum in eo pro tempore existentium sustentatione, viginti tria praedictae fidei, ac alia triginta S. Bonaventurae, ac quinquaginta salis respective nuncupata loca montium praedicta, unâ cum eorum fructibus et proventibus, ad quingenta sexaginta quinque, vel circiter, scuta monetae Romanae, ad rationem praedictam pro singulo scuto huiusmodi, annuatim, ut etiam accepimus, ascendentia, et praeterea censum annuum dictorum centum et quadraginta scutorum similium, ut praefertur, sorte principali duorum millium scutorum similis monetae super bonis dicti Ioannis Francisci Ugolini, ad rationem septem pro centenario et anno, dicto Ioanni Baptistae debitum, et per dilectos filios eius natos et haeredes ad praesens solvi solitum; et deinde reliqua omnia dicti Ioannis Baptistae bona mobilia et immobilia praesentia et futura, iuraque, actiones et pecuniarum summas, ac credita, dictorumque et quorumvis aliorum montium loca et iura, quae dictus Ioannes Baptista tempore sui obitus habebit et possidebit, seu ad eum quomodolibet spectare et pertinere dignoscentur, in Urbe praedictâ et in illius districtu dumtaxat consistentia (tribus tamen millibus scutis similibus monetae praedictae Romanae hospitali et ecclesiae B. Mariae de Monteserrato de Urbe ex promptioribus suis mobilibus desumendis, ut praefertur, per eum in refrigerium animae suae donatis, demptis et exceptis, necnon palatii praedicti cum omnibus suis membris et pertinentiis, quoad dictus Ioannes Baptista vixerit, usu et habitatione, dictorumque et aliorum quorumcumque locorum montium, ac census praedicti, reliquorumque omnium aliorum, tam mobilium quam immobilium, praesentium et futurorum, quovis nomine nuncupatorum, bonorum suorum usufructu, ac de scutis centum auri in auro ad beneplacitum suum testamentaliter disponendi facultate sibi reservatis, expensisque funeralium et exequiarum suarum demptis) auctoritate et tenore praemissis similiter perpetuo assignamus, concedimus, appropriamus et incorporamus.

Deputat tres canonicos trium patriarchalium in administratores.

§ 7. Et ut dicti collegii seu seminarii de propagandâ ac tuendâ fide conservationi, bonoque regimini et gubernio consulamus, tres canonicos actu praebendatos ex tribus ecclesiis patriarchalibus Urbis, illarumque capitulo, videlicet ex Lateranensi unum, et Principis apostolorum alterum, ac S. Mariae Maioris nuncupatae reliquum, singulos nempe ex singulis patriarchalibus ecclesiis huiusmodi, quoad personaliter tamen apud easdem patriarchales ecclesias resederint, et in illis actu praebendati fuerint, et non amplius, nostro et successorum nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium arbitrio eligendos et desumendos, prout pro hac primâ vice Iulium Zampolinum Spoletanum Lateranensis[1], ac magistrum Marcum Aurelium Maraldum Cesenatensem, in utrâque signaturâ nostrâ referendarium, Principis apostolorum, ac Pompeium de Angelis Romanum S. Mariae Maioris

1 Edit. Main. habet *Lateranensem* (R. T.).

praedictae respective patriarchalium ecclesiarum canonicos actu praebendatos, et personaliter apud eas residentes, dilectos filios, in administratores, directores, gubernatores et oeconomos dicti collegii seu seminarii (ita quod iis, seu uno[1] ex iis, canonicatum et praebendam in dictis patriarchalibus ecclesiis ex quavis causâ obtinere cessantibus, statim alius ex capitulo dictae patriarchalis ecclesiae, in qua ultimo loco defecit, canonicus etiam actu praebendatus in eius locum sub eâdem limitatione per nos et successores nostros dumtaxat subrogetur) auctoritate et tenore huiusmodi pariter perpetuo constituimus et deputamus.

Iisque concedit facultatem deputandi rectores et officiales, illosque amovendi,

§ 8. Illisque sic constitutis et deputatis rectorem, praeceptores, magistros, officiales, oeconomos et alias personas in dicto collegio seu seminario deputandi, illosque amovendi, et alios in eorum locum sufficiendi, ac statuta, ordinationes et decreta quaecumque, licita tamen et honesta, sacrisque canonibus, apostolicisque constitutionibus minime adversantia vel repugnantia, faciendi et edendi, ac illa, quoties pro rerum et temporum qualitate, seu aliàs, expedire videbitur, immutandi, corrigendi, moderandi, reformandi, interpretandi, ac etiam alia ex integro condendi, ita ut ubi edita, immutata, correcta, moderata, reformata et condita fuerint, eo ipso apostolicâ auctoritate confirmata et approbata censeantur, plenam et liberam facultatem et omnimodam auctoritatem itidem perpetuo concedimus et elargimur.

Statuta condendi et illa immutandi.

Collegium eximit a iurisdictione quorumcumque tribunalium Urbis, ac Ordinariorum locorum.

§ 9. Ac insuper collegium seu seminarium huiusmodi, illiusque oeconomos, rectorem, magistros, praeceptores et alumnos pro tempore existentes, illorumque domesticos, officiales et ministros, ac ipsius collegii seu seminarii bona mobilia et immobilia, praesentia et futura cuiuscumque qualitatis et quantitatis existentia, et ubique locorum consistentia, ab omni iurisdictione, dominio, superioritate et potestate pro tempore existentium dilectorum filiorum vicarii, senatoris, conservatorum et reformatorum, ac rectoris studii generalis dictae Urbis, ac Ordinariorum locorum, aliorumque iudicum et officialium quorumcumque, tam in ipsâ Urbe quam extra eam, et ubicumque constitutorum.

Et a solutione quarumvis gabellarum ad instar clericorum camerae apostolicae.

§ 10. Et praeterea dictum collegium seu seminarium, illiusque alumnos et scholares, personasque in eo commorantes, ab omnibus et singulis portarum, molendinorum farinae, trium pro centenario, ac quatuor iuliorum pro quolibet vegete vini solvi solitorum, aliisque datiis, pedagiis, vectigalibus, angariis, ac terrae marisque gabellis, dohanis, bollettinis et quibusvis aliis oneribus ordinariis et extraordinariis hactenus quomodolibet impositis, et imponendis etiam, ad instar exemptionis dilectorum filiorum camerae apostolicae, etiam ratione Ripae, Ripettae, dohanae terrae, etiam grasciae nuncupatae Urbis praedictae, ac carnium, vini, frumentorum, pannorum lini, lanae, serici, librorum, chartarum et quarumcumque aliarum rerum ad humanum victum et vestitum necessariarum apostolicâ auctoritate et tenore praedictis eximimus et liberamus, ac sub beati Petri et dictae Sedis atque nostrâ protetectione suscipimus, nobisque et eidem Sedi immediate subiicimus.

Concedit quoque privilegia, gratias, ac indulta aliis collegiis et seminariis concessa.

§ 11. Ipsisque collegio seu seminario, rectori, scholaribus, praeceptoribus, magistris, oeconomis, officialibus, ministris et personis, ut quibuscumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, gratiis et indultis, quibus studium generale dictae Urbis, et alia Germanicae, Anglicae et Graecae nationum collegia in ipsâ Urbe a praedecessoribus nostris instituta, illorumque rectores, scholares, praeceptores, magistri, oeconomi, officiales, ministri et personae quovis modo utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, po-

1 Edit. Main. habet *unum* (R. T.).

tiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed aeque principaliter et pariformiter in omnibus et per omnia uti, potiri et gaudere valeant, dictâ auctoritate pariter perpetuo de speciali gratiâ indulgemus: districtius inhibentes, ne quis, quavis auctoritate suffultus, collegium seu seminarium huiusmodi, illiusque rectorem, scholares, magistros, praeceptores, oeconomos, officiales et ministros praedictos, seu eorum aliquem, in praemissis quovis modo molestet aut molestari permittat.

Clausulae pro praesentium litterarum firmitate.

§ 12. Ac decernentes, praedicta omnia ac singula, ac easdem praesentes, nullo umquam tempore, sive ex eo quod causae, propter quas haec omnia facta sunt, coram pro tempore existente dictae Urbis vicario, vel quocumque alio exactore verificatae et approbatae, ac quicumque interesse habentes ad id vocati non fuerint, sive aliàs ex quibuscumque causis, de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, seu etiam revocari, suspendi, restringi, limitari, aut ius vel controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci posse; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quidquid secus super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Executores designantur.

§ 13. Quocirca, venerabili fratri episcopo Ostiensi, ac praedicto nostro in Urbe eiusque districtu vicario, necnon dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte rectoris, scholarium, magistrorum, praeceptorum, oeconomorum, officialium et ministrorum praedictorum, seu alicuius eorum, fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes, et in eis contenta huiusmodi, ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, firmiter et inviolabiliter observari, ac rectorem, scholares, magistros, praeceptores, oeconomos, officiales et ministros praedictos, eorumque singulos, illis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac censuras et poenas ipsas, servatâ formâ Concilii Tridentini, etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Clausula derogatoria amplissima.

§ 14. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Urbis, locorum et camerae huiusmodi (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis ac vicario, senatori, conservatoribus, reformatoribus, Ordinariis, aliisque iudicibus et officialibus, ac camerario, praesidentibus et clericis praedictis, ac quibusvis dohaneriis, commissariis et aliis personis ad exactionem pedagiorum et aliorum onerum huiusmodi pro tempore deputatis, ac populo Romano, et quorumcumque locorum communitatibus, universitatibus et hominibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, etiam effica-

cioribus, insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac aliàs etiam iteratis vicibus in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi[1] aliàs pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observata, inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse harum serie derogamus, contrariis quibuscumque; aut si quibusvis communiter aut divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Clausulae coenales.

§ 15. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, acceptationis, approbationis, confirmationis, adiectionis, suppletionis, erectionis, institutionis, assignationis, appropriationis, incorporationis, constitutionis, deputationis, concessionis, elargitionis, susceptionis, subiectionis, indulti, inhibitionis, decreti, mandati et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXVII, kalendis augusti, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 1 augusti 1627, pontif. anno IV.

1 Edit. Main. legit *etiam* (R. T.).

CCLV.

Instructio particularis circa conficiendos processus inquisitionis in qualitates eorum, qui promovendi sunt ad regimina cathedralium, aut aliarum superiorum ecclesiarum, vel monasteriorum, ut in dictis processibus conficiendis serventur sacri canones, Concilium Tridentinum, et constitutio Gregorii Papae XIV[1] super formâ huiusmodi processuum conficiendorum[2].

Circa personas ad quas spectat dictos processus conficere.

Si processus inquisitionis conficiendus sit extra Romanam curiam, hoc munus spectat ad legatos Sedis Apostolicae, vel ad nuncios provinciarum in locis in quibus commorantur: si non adsint legati, neque nuncii, spectat ad Ordinarios personarum promovendarum; et ipsis deficientibus, ad Ordinarios viciniores; qui ordo gradatim servandus est, nec quisquam debet sibi hoc munus arrogare praeter ordinem supradictum, nisi Romano Pontifici per speciale mandatum alicui alteri illud demandare placuerit; quo casu apparere debet de mandato speciali in principio processus.

Si aliquis ex praelatis, ad quem ordine supradicto spectat processum conficere, consanguinitate vel affinitate, usque ad tertium gradum inclusive, promovendum contingat, ille excludatur ab hoc munere: quod eo casu deferatur ad illum qui proxime sequitur, servato eodem ordine et gradu.

Si quis etiam sit legitime impeditus, ut per se ipsum processum conficere non

1 Nempe Constit. XVII Gregorii XIV quae incipit: *Onus Apostolicae* quam vide tom. IX, pag. 419.

2 Haec instructio publicata fuit anno MDCXXVII, sed quo mense non constat. Itaque cum editore Romano hîc eam ponimus in confinio inter annum IV et V (R. T.).

possit, et ea adimplere, quae continentur in § inferius scripto, qui incipit: *Quicumque confecturus est,* ea cura transferatur eodem ordine et gradu ad alium praelatum viciniorem praelato impedito.

Si processus sit conficiendus in Romanâ curiâ, videndum est, an ecclesia, vel monasterium, cui est providendum, sit ad nominationem vel praesentationem imperatoris, vel alicuius regis, aut principis: quo casu munus conficiendi processum in curiâ spectat ad cardinalem, qui apud Pontificem et Sedem Apostolicam est protector illius provinciae, in qua sita est ecclesia vel monasterium.

Quod si ecclesia vel monasterium non sit ad nominationem aut praesentationem, ut praemittitur, processus conficiendus erit per cardinalem a Romano Pontifice deligendum, qui de huiusmodi deputatione curabit aliquid apparere, vel saltem vigore suae assertionis aliquid narrari a notario in principio processus.

Quando contingat processum confici debere de qualitatibus archiepiscopi vel episcopi, extra Romanam curiam degentis, qui ab unâ ad alteram ecclesiam sit transferendus, hoc munus, deficiente legato, vel nuntio apostolico illius provinciae vel regni, ubi sita est ecclesia, a qua aliquis transferendus erit, spectat ad metropolitanum, si persona transferenda est episcopus, si vero est metropolitanus, spectat ad episcopum suum suffraganeum antiquiorem residentem.

Si praelatus inquirens ob locorum distantiam non posset commode per se ipsum testes examinare super aliquo articulo, ut puta, super legitimis natalibus, aetate, aut aliquo eiusmodi, licebit ei partem illam alteri personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae subdelegare, non autem universam inquisitionem.

Quoad processus conficiendos pro habendâ informatione status ecclesiarum vel monasteriorum, quibus providendum erit, hoc etiam conficere debeant iidem praelati, qui processum de qualitatibus promovendorum confecturi sunt. Si vero contingat in aliâ provinciâ vel regno esse ecclesiam et in aliâ promovendum, tunc praelatus inquirens poterit subdelegare episcopo qui erit vicinior ipsi ecclesiae vel monasterio munus conficiendi processum super statu dictae ecclesiae vel monasterii.

Quomodo conficiendi sint processus, ut dici possint et videantur confecti per viam inquisitionis.

Quicumque confecturus est processum inquisitionis in qualitates promovendi, etiamsi sit legatus, non per suos vicarios, auditores, vel alios ministros, sed per se ipsum id munus exercere debet, licet possit ab huiusmodi personis, vel aliis viris peritis adiuvari; haec autem in specie servanda sunt:

Non recipiantur testes a promovendo vel pro parte suâ inducti, neque articuli ab ipso vel nomine suo producti, sed praelatus inquirens interrogatoria, seu articulos per se ipsum formatos, habeat et super eis examinet testes, quos de rebus inquirendis sincerum et fidele testimonium daturos esse existimet. Ipse ex officio suo secreto vocari mandet et secreto examinet, ipsemet recipiat in manibus suis singulorum testium iuramentum, quod ab episcopis praestetur tacto pectore, a ceteris vero inferioribus, cuiuscumque qualitatis sint, tactis sacris scripturis: et ita respective referat notarius processum scripturus, qui etiam asserat testem fuisse ex officio vocatum et examinatum a praelato inquirente. Insuper praelatus ipse testes interroget super unoquoque articulo: ipsorum autem testium dictâ unâ cum reliquis hoc negocium tangentibus scribat aliquis notarius publicus, qui debebit etiam tam dicta testium, quam scripturas

et documenta producenda, ut inferius dicetur, in processum et in publicum instrumentum reducere. Articuli autem et interrogatoria inferius describentur.

Circa qualitates testium vocandorum et examinandorum quoad personam promovendi.

Testes sint viri graves, pii, prudentes, docti, et qui de qualitatibus promovendorum rectum iudicium ferre valeant, sincerumque ac fidele testimonium verisimiliter sint daturi: praesertim vero huiusmodi qualitates esse debent in testibus, qui interrogandi erunt de fide catholicâ, vitâ, moribus, doctrinâ et aptitudine promovendi ad regendam ecclesiam. Scire enim debent ipsi testes, quae requirantur in eo, qui recturus est ecclesiam cathedralem, ad hoc ut sit idoneus ad alios docendos, aptus ad illam gubernandam, et dignus qui ad eam promoveatur.

Non sunt recipiendi in testes cognati, vel nimium familiares, aut inimici, sive aemuli personae promovendae.

In investigandis testium qualitatibus adhibenda est diligentia per praelatum inquirentem, ut cognoscere possit, quam sint erga promovendum affecti, exindeque coniicere, utrum ex affectu, an ex veritate testimonium dicant.

Si aliquando praelato inquirenti ita expedire videbitur, testibus ad memoriam reducet vim iuramenti et gravitatem periurii, admonebitque ipsos reos futuros apud Deum eorum omnium, quorum, vel committendo vel omittendo, rei erunt qui promovebuntur, si, vel falsa narrando, vel reticendo vera, causa erunt, ut homines indigni vel minus idonei ecclesiis praeficiantur.

Quomodo praelatus inquirens procedere possit per viam inquisitionis, quando non habet notitiam personae promovendae.

Si contingat, praelatum inquirentem non habere sufficientem notitiam personae promovendae, ad hoc ut possit deligere et vocare testes ex officio, absque scientiâ ipsius promovendi, et secreto, poterit curare, ut ipsemet promovendus, vel aliquis alius, det ei schedulam, in qua sint ordine descripta nomen dicti promovendi, cognomen, patria, aetas, parentes, ordo, gradus, professio, functio, si quam is forte exercuit, loca in quibus theologiae vel iuri canonico operam dederit, aut longo tempore versatus fuerit, amici et familiares, aliaeve personae, quae tam ipsum quam parentes eius intime norint.

Cum autem huiusmodi schedula petenda sit tantummodo ad habendam quandam extraiudicialem notitiam eorum, quae praelatum inquirentem scire oportet pro inquisitione faciendâ, non debebit ipsa schedula inseri processui, neque de eâ aliqua mentio in dicto processu fieri, sed ad partem servari, donec inquisitio perficiatur, et, eâ perfectâ, poterit lacerari, si praelato videbitur.

Interrogatoria, quae necessaria sunt ad inquirendum omnes qualitates, quae in promovendis requiruntur.

1. An testis cognoscat promovendum, quomodo, a quo tempore citra, an sit ipsius consanguineus, cognatus, affinis, nimium familiaris, aemulus vel odiosus?

2. An sciat in qua civitate vel loco et dioecesi promovendus sit natus, et quae sit causa scientiae?

3. An sciat ipsum natum esse ex legitimo matrimonio, atque honestis et catholicis parentibus, et quae sit causa scientiae?

4. An sciat cuius aetatis sit, praesertim, an expleverit annum trigesimum, et quae sit causa scientiae?

5. An sciat eum esse in sacris ordinibus constitutum, quibus, a quo tempore citra, praesertim an ante sex menses, et quae sit causa scientiae?

6. An sciat eum esse in ecclesiasticis

functionibus et in exercitio ordinum susceptorum diu versatum, in susceptione sacramentorum frequentem et devotum, et quae sit causa scientiae?

7. An sciat eum semper catholice vixisse, et in fidei puritate permansisse, et quae sit causa scientiae?

8. An sciat eum praeditum esse innocentiâ vitae, bonisque moribus, et an sit bonae conversationis et famae, et quae sit causa scientiae?

9. An sciat eum esse virum gravem, prudentem et usu rerum praestantem, et quae sit causa scientiae?

10. An sciat eum aliquo gradu in iure canonico vel in sacrâ theologiâ insignitum esse, quibus in locis, quanto tempore, et quo fructu ipsi theologiae vel iuri canonico operam dederit, et an vere eâ doctrinâ polleat, quae in episcopo requiritur, ad hoc ut possit alios docere, et quae sit causa scientiae?

11. An sciat eum aliquo munere aliquando functum esse, vel circa curam animarum, aut regimen alterius ecclesiae se exercuisse, et quomodo in eis se gesserit, tam quoad doctrinam, quam quoad prudentiam, integritatem et mores, et quae si causa scientiae?

12. An sciat eum aliquando publicum aliquod scandalum dedisse circa fidem, mores, sive doctrinam, vel aliquo corporis aut animi vitio, aliove canonico impedimento teneri, quominus possit ad ecclesiam cathedralem promoveri, et quae sit causa scientiae?

13. An eum idoneum existimet ad bene regendam ecclesiam cathedralem et praesertim eam, ad quam ipse est promovendus, an dignum, qui ad illam promoveatur, et an ipsius promotionem eidem ecclesiae utilem et proficuam futuram esse censeat, et quare ita existimet.

Depositiones testium seriatim et per extensum scribantur: neque praecise affirmationes, seu negationes tantummodo admittantur.

Quae requiruntur ad perfectam inquisitionem praeter ea quae ex testibus habebuntur.

Quoad sacros ordines, petendae sunt a promovendo, et processui inserendae originales bullae vel litterae testimoniales collationum ipsorum ordinum, vel saltem earum exemplaria in formâ authenticâ, praesertim si testes in sufficienti numero non deposuerint, se non modo vidisse eum cantantem epistolam et evangelium, vel celebrantem, sed etiam legisse dictas bullas, vel litteras testimoniales, vel interfuisse collationibus ordinum ei collatorum.

Quoad gradum, similiter inserendum est processui privilegium originale, vel eius exemplar in authenticâ formâ.

Si praelato inquirenti, vel promovendo videbitur, processui etiam adiungantur aliqua brevia, litterae patentes, vel aliae scripturae, aut publica documenta, quibus maior, aut melior probatio habeatur de natalibus et functionibus promovendi, vel aliud eiusmodi: praesertim si testes circa ea sufficienter et plene non deposuerint, recipiantur et adiungantur.

Si forte promovendus nullum habet gradum in sacrâ theologiâ vel in iure canonico, necesse est, ut praeter probationem aliunde habendam circa eius doctrinam, iuxta praeinsertum decimum interrogatorium, pro parte promovendi exhibeatur publicum alicuius academiae testimonium, quo idoneus esse declaratur ad alios docendos, quae populum christianum scire oportet. Persona promovendi enuntietur hac notâ, videlicet, si sit praelatus, admodum R. P., si vero non sit, R. N. N.: promovendus numquam vocetur electus, neque ipse se talem vel nominet vel scribat, nisi ubi praecesserit electio capituli aut conventus.

Quid servandum quoad probationem doctrinae quando promovendi orti sunt in provinciis in quibus non sunt universitates studiorum, neque consuetum est suscipi gradum aliquem.

In huiusmodi locis et personis sufficiet, si testimonio virorum gravium, et sacrae theologiae vel iuris canonici peritorum, constet, promovendos eâ scientiâ theologiae vel canonum vere pollere, ut idonei sint ad ea docenda, quae populum christianum scire oportet, ac muneris sibi iniungendi necessitati valeant satisfacere: ideo formandum erit interrogatorium ad hunc sensum, iuxta quod, si testes deposuerint se de scientiâ promovendorum certos redditos esse ex eo quod praedictos promovendos specimen suae doctrinae publice vel privatim dedisse cognoverint, hoc modo sufficiens causa scientiae dici poterit: aliàs non plene probabunt doctrinam ad mentem supradictae constitutionis Gregorii decimiquarti.

Quid servandum, si promovendus sit Regularis.

Omnia, quae servari debent in promovendo ad ecclesiam chathedralem, si sit secularis, servanda etiam sunt, si sit regularis.

Sed quia regulares non solent ut plurimum suscipere insignia doctoratus in universitatibus studiorum, necesse est, iuxta decretum Concilii Tridentini, ut promovendus regularis a suis superioribus regularibus testimonium habeat sufficientis doctrinae, et quod sit aptus ad alios docendos; nomine autem superiorum intelligendi sunt dumtaxat, qui nullum sui Ordinis superiorem agnoscunt, sive ii cuiusvis Ordinis abbates, magistri, ministri, aut praepositi generales, vel quarumlibet congregationum praesidentes, sive definitores, aut visitatores, capitulum generale repraesentantes, sive alio quocumque vocabulo nuncupentur; et, in eorum absentiâ, ipsorum vicarii, seu commissarii generales, vel in Romanâ curiâ procuratores generales Ordinum aut congregationum succedunt.

Animadvertendum tamen, quod praeter suprascriptum superiorum testimonium, est etiam aliunde inquirendum in huiusmodi regularium doctrinam, quemadmodum dictum est de seculari, qui habet suae doctrinae testimonium a publicâ aliquâ academiâ.

Quid servandum in translatione alicuius episcopi ad alteram ecclesiam.

Servanda est eadem forma inquirendi ex officio, quae superius dicta est.

Si episcopus transferendus promotus fuit post publicationem Concilii Tridentini, et constat in processu, tunc temporis confecto, plene probata esse omnia requisita, sufficiet inquirere, et testes examinare super infrascriptis articulis: si vero non constet de huiusmodi probatione in totum vel in partem, expediens erit testes examinare super omnibus articulis superius descriptis, vel saltem super illis, de quorum probatione non constiterit; et praeterea super articulis sequentibus erunt utroque casu omnino examinandi testes, et de contentis in eis facienda inquisitio ex officio, videlicet:

1. An testis cognoscat episcopum transferendum, quomodo, a quo tempore citra, an sit ipsius consanguineus, cognatus, affinis, nimium familiaris, inimicus, aemulus, vel odiosus?

2. An sciat ipsum consecrationis munus suscepisse, et quae sit causa scientiae?

3. An sciat per quot annos fuerit episcopus illius ecclesiae, et quae sit causa scientiae?

4. An sciat eum in suâ ecclesiâ et dioecesi assidue resedisse?

5. An sciat eum diligenter, et saepedictam[1] suam ecclesiam et dioecesim vi-

1 Nescio an potius legend. *saepe dictam* (R. T.).

sitasse, opportune omnibus necessitatibus occurrisse et providisse, eiusque decreta et mandata debitae exequutioni demandari curasse, et quae sit causa scientiae?

6. An sciat eum saepe solemniter celebrasse, ordinationes iuxta necessitatum exigentiam habuisse, confirmationis sacramentum ministrasse, ceteraque pontificalia exercuisse, et quae sit causa scientiae?

7. An sciat eum pietatis, charitatis et prudentiae in gubernando specimen dedisse, ac verbo et exemplo profecisse, et quae sit causa scientiae?

8. An sciat eum prudenter ubilibet, et diligenter se gessisse in defendendis, conservandis, et augendis iurisdictionibus spirituali et temporali, iuribus, ac bonis omnibus suae ecclesiae, et quae sit causa scientiae?

9. An sciat vere eâ doctrinâ ipsum ad praesens pollere, quae in episcopo requiritur, ad hoc ut possit alios docere, et quae sit causa scientiae?

10. An dignum eum existimet, qui transferatur ad ecclesiam N., et an censeat eius translationem fore ipsi ecclesiae N. utilem et proficuam, et quare ita existimet et censeat?

Quid servandum circa inquisitionem faciendam in qualitates eorum, qui in consistorio promovendi sunt vel confirmandi ad dignitates abbatiales et prioratus et regimina monasteriorum, vel alias Regularium praefecturas.

Eadem omnia servanda sunt, quae dictum est servari debere in promovendis ad ecclesias cathedrales, praesertim quando praeter curam et regimen monachorum annexa est monasterio iurisdictio spiritualis vel temporalis in populum.

Ideo super eiusdem interrogatoriis examinandi sunt testes, mutatis tamen mutandis, respectu ecclesiae cathedralis et respectu monasterii, vel dignitatis regularis.

Addatur interrogatorium circa professionem Ordinis, et tempus a quo eam emisit: circa vero aetatem sufficiat interrogare et scire cuius aetatis sit, non restringendo se ad trigesimum annum expletum; postea enim videbitur, an in huiusmodi promovendo sit aetas legitima respectu dignitatis, ad quam promoveri debet.

Quoad doctrinam, cum promovendi ad huiusmodi dignitates regulares non sint per concilia generalia adstricti ad gradum doctoratus, sive licentiae, vel ad publicae academiae testimonium, et nihilominus aequum sit, ut eâ doctrinâ polleant, qua onus sibi imponendum sustinere valeant; praelati inquirentes studiose ac diligenter inquirere debebunt super doctrinâ eiusmodi personarum iuxta modum et formam superius notatam, ut Romanus Pontifex, habitâ informatione, quaenam sit promovendi doctrina iudicare possit, an sit talis, qualem dignitas illa exigit et requirit.

Circa fidei professionem emittendam a promovendis tam ad ecclesias cathedrales quam ad dignitates regulares.

Fidei professio debet emitti in manibus praelati, ad quem inquisitio (servato ordine superius dicto) pertinet, a quo si promovendus longe distet, poterit idem praelatus subdelegare receptionem dictae professionis Ordinario, cui promovendus vicinior erit.

Praelatus recipiet professionem fidei a promovendo, praesente notario publico, ac testibus, ipse autem promovendus eam emittet genibus flexis ante praelatum, et in fine tangendo ambabus manibus sacrosancta Evangelia et spondendo, vovendo ac iurando, prout in formâ, ea deosculabitur.

Profitens duobus in locis, in quibus nomen et cognomen suum exprimendum erit, ea dumtaxat suâ propriâ manu adscribet.

Praelatus propriae etiam manus subscriptione in fine exemplaris dictae professionis testabitur, eam a se receptam fuisse sub hac formâ: Ego N. fidei professionem iuxta suprascriptam formam a R. P. D. N. in manibus meis ad verbum emissam recepi, et ita testor manu propriâ.

Demum notarius, qui praesens fuit, publico instrumento in calce eiusdem exemplaris, immediate post subscriptionem praelati inquirentis, extenso, fidem faciet de praedictae professionis emissione ac receptione praesentibus testibus, quorum nomina et cognomina exprimet.

Maxime curandum est, ut exemplaria professionis fidei transmittantur absque mendis, ne levibus quidem, cum nec in minimis liceat immutare formam a Sede Apostolicâ praescriptam, nimisque non modo notarii scribentis sed etiam praecipue praelati inquirentis incuria circa hoc notetur in sacro consistorio, quando in eo fit relatio processus, et mendorum in professione fidei repertorum, cum necesse sit ea etiam nominatim referre: ideo expediens erit, ad tollendam occasionem errorum provenientium ex incuriâ scribentis, ut ubique imprimantur exemplaria, iuxta formam Romae impressam, et maxima diligentia adhibeatur, ne mendose imprimantur. Cum vero transmittenda sunt instrumenta professionis fidei, haec ipsa subscribantur a profitente, et a praelato inquirente, et in eisdem notarius extendat instrumentum, prout dictum est.

Interrogatoria pro habendâ informatione Status Ecclesiae.

1. An testis sciat in qua provinciâ sita sit civitas N.; cuius situs, qualitatis et magnitudinis sit; quot confletur domibus, et a quot christifidelibus inhabitetur; cuius dominio in temporalibus subiaceat; et quae sit causa scientiae?

2. An sciat in illâ civitate esse ecclesiam cathedralem, vel metropolitanam, sub qua invocatione, cuius structurae et qualitatis, an aliqua reparatione indigeat, et quae sit causa scientiae?

3. Si est ecclesia archiepiscopalis, an sciat, quot episcopos suffraganeos habeat, et qui sint; si est episcopalis, an sciat cui archiepiscopo sit suffraganea; et quae sit causa scientiae?

4. Quot et quales sint in dictâ ecclesiâ dignitates et canonicatus et alia beneficia ecclesiastica, quis sit numerus omnium presbyterorum et clericorum inibi in divinis inservientium, quae sit dignitas maior post pontificalem, quales sint redditus dignitatum, canonicatuum et aliorum beneficiorum, et an adsint praebenda theologalis et poenitentiaria, et quae sit causa scientiae?

5. An in eâ cura animarum exerceatur, per quem, an sit in eâ fons baptismalis, et quae sit causa scientiae?

6. An habeat sacrarium sufficienter instructum sacrâ suppellectili, ceterisque rebus ad divinum cultum, et etiam ad pontificalia exercenda necessariis, chorum, organum, campanile cum campanis, et coemeterium, et quae sit causa scientiae?

7. An sint in eâ corpora, vel aliquae insignes reliquiae sanctorum, quomodo asserventur, et quae sit causa scientiae?

8. An habeat domum pro archiepiscopi vel episcopi habitatione, ubi, et qualem, quantum distet ab ecclesiâ, et an reparatione indigeat, et quae sit causa scientiae?

9. An sciat verum valorem reddituum mensae archiepiscopalis, vel episcopalis, ad quam summam annuatim ascendant, in quibus consistant, an sint aliqua pensione onerati, ad cuius vel quorum favorem dictâ pensio sit reservata, et quae sit causa scientiae?

10. Quot existant in illâ civitate ecclesiae parochiales, et an unaquaeque habeat

fontem baptismalem, quot item in illâ existant collegiatae, quot monasteria virorum et mulierum, quot confraternitates et hospitalia, et an ibi sit mons Pietatis, et quae sit causa scientiae?

11. Quantum sit ampla dioecesis, quot et quae loca complectatur, et quae sit causa scientiae?

12. An in eâ erectum sit seminarium: quot in eo pueri alantur, et quae sit causa scientiae?

13. An ipsa ecclesia vacet, quomodo, a quo tempore citra, et quae sit causa scientiae?

De statu ecclesiarum, quae sunt in partibus infidelium, quantum fieri poterit, diligens examen instituatur, neque admittantur tituli in provinciali non descripti, vel qui in scripturis sacri collegii non reperiuntur.

Interrogatoria pro habendâ informatione status alicuius monasterii.

1. In qua provinciâ et dioecesi sit monasterium, et quae sit causa scientiae?

2. Cuius ordinis sit, et quae sit causa scientiae?

3. Quis sit numerus monachorum, et quis eos tamquam caput regere consueverit, et quae sit causa scientiae?

4. Sub qua invocatione sit ecclesia ipsius monasterii, cuius structurae et qualitatis, an indigeat reparatione, et quae sit causa scientiae?

5. Qui sint redditus mensae abbatialis, vel prioralis, qui redditus mensae conventualis, et quae sit causa scientiae?

6. An monasterium habeat aliquam iurisdictionem temporalem, aut spiritualem, quam et in quos, et quae sit causa scientiae?

7. An habeat curam animarum, per quem haec exerceatur, et quae sit causa scientiae?

8. An vacet, quomodo et a quo tempore citra, et quae sit causa scientiae?

Quid agendum perfectâ inquisitione.

Cum totum examen, seu inquisitio de personâ promovendâ et informatio de statu ecclesiae, seu monasterii, perfectae fuerint, notarius eas, unâ cum scripturis et documentis publicis et authenticis ac professione fidei, instrumentum publicum rediget.

Si processus inquisitionis confectus fuerit extra Romanam Curiam, praelatus, qui eam confecerit, ad Pontificem clausum et obsignatum transmittet, si ecclesia vel monasteria non sint ad nominationem vel praesentationem imperatoris vel alicuius regis; si vero de huiusmodi nominatione vel praesentatione, transmittet processum ad cardinalem illius regni vel provinciae protectorem, in qua est ecclesia, vel monasterium providendum.

Ipse autem praelatus, vel per litteras separatas, simul tamen cum processu mittendas, vel per subscriptionem huiusmodi processus, significabit, quanta fides testibus examinatis, eorumque dictis et scripturis productis, suo iudicio habenda sit, simul etiam quid de promovendo ipse sentiat.

Processus sic formatus et transmissus primum a cardinale, cui illum in consistorio referendi munus incumbet, deinde a tribus cardinalibus prioribus ordinum[1] subscribetur: et postea fiet relatio in consistorio.

Cardinalis relator monere debet promovendum, si praesens in curiâ sit, ut, iuxta concilium Lateranense novissime celebratum, omnes cardinales vel maiorem partem collegii adeat, antequam ecclesia vel monasterium proponatur, ut quae a referente collegâ sunt audituri, oculatâ fide, quantum ad personam ipsius promovendi attinet, cognoscere possint.

1 Nescio annon legendum potius foret *priorum ordinum* (R. T.).

CCLVI.

Facultas episcopo Caesenatensi, Status Urbinis gubernatori, auctoritate et nomine sanctae Sedis prohibendi quibusvis subditis Sedis Apostolicae ecclesiasticis et secularibus, etiam principibus, ne, eveniente obitu ducis Urbini, populos ad arma convocare, militum copias cogere, etc. audeant[1].

Venerabili fratri
Laurentio episcopo Cesenatensi,
Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Creditum humilitati nostrae, nullo licet meritorum suffragio, per abundantiam divinae gratiae apostolatus officium postulat, ut, licet communi totius gregis Dominici saluti sollicitis studiis iugiter invigilemus, peculiari tamen populorum nostro et S. R. E. temporali dominio subiectorum securitati et quieti studio incumbamus; aequum reputantes et rationi consonum, ut haec sancta Sedes, quae universos fideles sublevare solet, hos potissimum in suam tutelam specialiter receptos ab omni iniuriâ vindicet, illaesosque tueatur et defendat.

Franciscus Maria Urbini dux episcopum Caesenatensem illius ducatus gubernatorem deputat.

§ 1. Cum itaque[2] aliàs dilectus filius nobilis vir Franciscus Maria Urbini dux, provide considerans, ducatum Urbini, necnon civitates Senogalliensem et Pisaurensem ac S. Leonis cum terrâ et arce Maioli, totumque statum Montisferetranum, aliaque dominia, civitates, oppida, castra, terras, arces, propugnacula, seu fortalitia, et loca quaecumque, etiam speciali notâ et expressione digna, in et sub Statu dicti ducatus Urbini ad praesens quomodolibet comprehensa, eius antecessoribus dudum a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris in feudum data et concessa, seu aliàs per eum quomodolibet possessa, per obitum suum sine liberis et descendentibus masculis legitimis et naturalibus, ob lineam finitam, cum omnibus eorum territoriis, districtibus, iurisdictionibus, membris, iuribus, etiam prohibendi, ac pertinentiis universis (excepto Castro Podii Hibernorum et aliis bonis non feudalibus, neque iurisdictionalibus, relaxatis et reservatis Francisco Maria duci praedicto, eiusque haeredibus et successoribus, in instrumento concordiae sub die xxx aprilis MDCXXIV celebrato) aperta, ac ad nos et Romanam Ecclesiam, Sedemque et Cameram Apostolicam reversura et devoluta iri, ac pertinere; se vero provectae aetatis iam existere, necnon mensurabiles dies suos, humanamque vitam in imagine pertranseuntem sibi ob oculos proponens, ut, curis, aliisque impedimentis saecularibus solutus, de substantiâ suâ, quae apud Deum est, tutius adipiscendâ, solidiori meditationum, aliorumque piorum operum exercitio cogitare valeret, te generalem, quoad ipse vixerit, ducatus et aliorum dominiorum praedictorum gubernatorem ad electionem nostram deputaverit:

Urbanus prohibet, quominus, eveniente ducis obitu, quisquam arma cogat, milites scribat, etc.

§ 2. Nos, ne[1], si quid humanitus eidem Francisco Mariae duci contingat, nihil, quod ad muneris nostri partes pro nostrorum et Sedis praedictae ditionis temporalis populorum securitate et quiete spectat, praetermittere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi, tuisque et aliis quibuscumque quacumque dignitate ecclesiasticâ sive etiam laicali fungentibus in gubernio seu administratione Status et dominii huiusmodi successoribus, sive aliis eamdem Sedem in eis repraesentantibus, ex nunc prout postquam dictus Franciscus Maria

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

2 Vide alias de hoc ducatu constitutiones, supra, pag. 179, 268, et alibi, huius voluminis (R.T.).

7 Partic. *ne* redundat; vide supra locum parall. pag. 268 *b* (R. T.).

dux viam universae carnis ingressus fuerit, universis et singulis archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis sub interdicti ingressus ecclesiae, ac suspensionis a divinis, et tam iis, quam quibusvis ducibus, principibus, marchionibus, comitibus, baronibus et domicellis, necnon vicariis, feudatariis, magistratibus, communitatibus, universitatibus, officialibusque et ministris, ac aliis personis, etiam ecclesiasticis, secularibus et regularibus, demumque universis et singulis subditis nostris immediatis et mediatis, cuiuscumque status, conditionis, praeeminentiae et dignitatis, etiam de necessitate exprimendae existentibus, in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae, necnon excommunicationis latae sententiae et rebellionis, necnon confiscationis omnium bonorum, et ultimi supplicii poenis, per contrafacientes eo ipso, absque ullâ declaratione, incurrendis, ne, casu aperitionis seu devolutionis praedictarum per obitum ipsius Francisci Mariae ducis seu aliàs quomodocumque et quandocumque eveniente seu succedente, ipsi, seu eorum aliquis per se, vel alium, seu alios, directe vel indirecte, quovis quaesito colore, ingenio, vel praetextu, aut ex quavis causâ, etiam quantumvis piâ, rationabili, privilegiatâ et iustâ, militum copias cogere, comparare vel ducere, neve populos, vel sigillatim singulares personas, publice aut privatim, palam vel occulte ad arma convocare, conclamare, concitare, neque armorum manus, coetus, conventus, seu illicitas et tumultuosas collectas, sive cavalcatas, vel adunatas facere, vel simul congregare, aut milites, vel collectas huiusmodi in propriis, seu aliis domibus, seu locis recipere, habere, vel retinere, aut aliquid huiusmodi moliri, vel machinari:

Aut quisquam huiusmodi intersit convocationibus sine

§ 3. Ipsis vero particularibus personis, ut praefertur, vel aliàs quomodolibet qualificatis, ne collectis militum huiusmodi, tam armatis, quam inermibus, sive convocationibus, conclamationibus, aut conventibus, coetibus et tumultibus huiusmodi intervenire, aut praemissis auxilium, consilium, vel favorem quovis modo et ex quacumque causâ praestare, absque expressâ licentiâ tuâ, audeant seu praesumant, sive illorum aliquis audeat vel praesumat, sed in quavis illorum praetensione ad te recursum habeant, seu habeat, auctoritate et nomine nostris districte prohibendi et interdicendi; eiusdem episcopi licentiâ.

Facultas eidem conceditur inobedientes puniendi.

§ 4. Omnes vero et singulos supra expressos, et quaslibet alias singulares personas, etiam ecclesiasticas, tam seculares quam quorumvis Ordinum et militiarum etiam S. Ioannis Hierosolymitani regulares, si quae earum, aut aliquis illorum, mandatis, iussis et monitionibus tuis huiusmodi obtemperare recusaverint, aut illis quoquo modo contradixerint, vel se se opposuerint, tamquam nostris et apostolicis mandatis, iussis et monitionibus parere recusantes, illisque contradicentes ac se opponentes, nostros et S. R. E. ac Sedis Apostolicae rebelles declarandi et publicandi, ac contra illos summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figurâ iudicii, manu regiâ, nullo iuris ordine servato, nec aliquo formato processu, more militari et iure belli, ad privationem officiorum, feudorum et bonorum quorumcumque, etiam allodialium, per eos in quibuscumque locis possessorum, seu quovis modo obtentorum respective, omni et quacumque appellatione et recursu postpositis, procedendi, ac, ubi iustitia ita exegerit, et ordo dictaverit rationis, seu cum ita expedire iudicaveris, eosdem contradictores et rebelles quacumque pecuniariâ vel corporali, ac etiam ultimi supplicii, poenâ affici faciendi, ac generaliter omnia et singula in praemissis, et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna, etiamsi talia sint vel fuerint, quae sub generali verbo-

Confirmatur. § 4. Nos, eumdem archiepiscopum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, responsum, seu dubiorum praedictorum resolutionem huiusmodi, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae. § 5. Decernentes, illud, seu illam, necnon praesentes litteras, valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque, et iuxta illa, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari ac definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV augusti MDCXXVII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 14 augusti 1627, pontif. anno V.

CCLVIII.

Iubilaeum christifidelibus in Æthiopiae imperio commorantibus [1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Pastoralis officii nobis divinâ providentiâ commissi res exigit, ut de salute Dominici gregis solliciti ad eos christifideles mentis nostrae aciem et paternae charitatis affectum praecipue dirigamus, quos, in partibus ab hac Sanctâ Sede remotissimis constitutos, spiritualibus commodis et gratiis carere cognoscimus.

Æthiopis iubilaeum conceditur, § 1. Hinc est quod nos, attendentes, christifideles in Æthiopiae ac aliis locis carissimi in Christo filii nostri sulthani Sagued Æthiopiae imperatoris dominio subiectis commorantes, ob maximam ab almâ Urbe nostrâ distantiam, aliaque legitima impedimenta, ad eamdem Urbem pro percipiendis spiritualibus anni iubilaei proxime praeteriti fructibus accedere non potuisse, et proinde, super eorum statu in intimis animi et misericordiae visceribus commoti, eos speciali indulgentiarum ac iubilaei munere consolari volentes, supplicationibus quoque dicti sulthani imperatoris nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus illarum partium christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, quod, unam seu plures ecclesiam seu ecclesias vel loca pia per venerabilem fratrem patriarcham Æthiopiae deputanda per quindecim dies continuos vel interpolatos (quos pro personis infirmis, senibus, praegnantibus, virginibus, viduis, et aliis quovis alio legitimo impedimento detentis, ac capitulis, congregationibus, tam secularium quam regularium, sodalitatibus, universitatibus ac confraternitatibus, ecclesiam seu ecclesias vel cappellas aut loca pia huiusmodi processionaliter visitantes [1], atque ob alias causas, prout eidem patriarchae videbitur, ad minorem numerum illius arbitrio reduci posse volumus) devote ac reverenter visitando respective, et ibi quinquies orationem dominicam et toties salutationem angelicam pro peccatorum suorum remissione [2], ac pro pace inter principes christianos conservandâ, et haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pie ad Deum orando, plenariam eiusdem anni iubilaei omnium peccatorum suorum in-

Qui praescripta hic opera adimpleverint.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Videtur legendum *visitantibus* (R. T.).
2 Videtur deesse *recitando* (R. T.).

dulgentiam et remissionem semel tantum consequantur, perinde ac si quatuor ecclesias dictae almae Urbis pro consequendo iubilaeo huiusmodi statutis ad id diebus personaliter visitassent, et alia ad hoc requisita adimplevissent.

Christifidelibus facultas conceditur eligendi confessarium, etc.

§ 2. Et ad hunc effectum, illis, ut confessarios, quos idem patriarcha iubilaei huiusmodi causâ in statutis ecclesiis respective deputaverit, sibi eligere valeant, presbyteros seculares, vel cuiusvis Ordinis regulares, qui, confessionibus illorum diligenter auditis, eos ac eorum quemlibet a quibusvis peccatis, criminibus, excessibus et delictis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, ac in litteris, quae in die Coenae Domini legi consueverunt, contentis, necnon censuris et poenis ecclesiasticis, ad effectum ipsius iubilaei consequendum tantum, iniunctâ eis poenitentiâ salutari, absolvere possint;

Iubilaeum consequi ii etiam possunt, qui illud Romae sunt consequuti.

§ 4. Necnon et ut illi, qui Romam forsan venerunt, ac iubilaeum ipsum quovis modo consequuti sunt, denuo etiam illud iuxta tenorem praesentium consequi valeant, concedimus.

Aliae facultates patriarchae concessae.

§ 5. Praeterea eidem patriarchae, ut cuiusvis Ordinis monialibus, et orphanorum, aliarumque mulierum in communi viventium congregationibus, ad iubilaeum ipsum intra monasterium domosve suas consequendum, conditiones, modum et tempus praescribere, et denique in praemissis omnibus et singulis illius arbitrio facere, ordinare, providere, et quaecumque sibi visa remedia opportuna adhibere[1] possit, prout animarum saluti expedire iudicaverit, facultatem tribuimus et impartimur. Praesentibus ad tres menses tantum a die illarum publicationis computandos tantum valituris.

Transumptis danda fides.

§ 6. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI augusti MDCXXVII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 31 augusti 1627, pontif. anno v.

1 Edit. Main. legit *adhiberi* (R. T.).

CCLIX.

Indultum celebrandi missam et recitandi officium die V *februarii de vigintitribus Martyribus, ex Ordine fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ provinciae Discalceatorum S. Gregorii Philippinarum et Iaponiae, pro fratribus dicti Ordinis ubique existentibus, et pro aliis quibuscumque Manilensis dioecesis tantum*[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Salvaltoris et Domini nostri Iesu Christi, qui milites suos inclytos, quorum mors pretiosa in conspectu eius, immortalitatis coronâ donat in caelis, vices quamquam immeriti gerentes in terris, pia christifidelium praesertim catholicorum regum vota, per quae eorumdem sanctorum militum veneratio promovetur, et laudatur Dominus in sanctis suis, ad exauditionis gratiam libenter admittimus favoribusque et gratiis prosequimur opportunis.

Supplicatum fuit Pontifici pro facultate, de qua in rubricâ.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Petrus Baptista, procurator fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ Discalceatorum nuncupatorum provinciae S. Gregorii Philippinarum et Iaponiae, nobis nuper exponi fecit, venerabiles fra-

1 Isti Beati fuerunt martyrio coronati unâ cum tribus aliis e Societate Iesu de quibus etiam celebrari missam posse idem concessit Pontifex in Const. seq.

tres nostri S. R. E. cardinales sacris ritibus praepositi in causâ canonizationis vigintitrium Martyrum, videlicet, Petri Baptistae et sociorum eius ex dicto Ordine, quorum nempe sex professi, ceteri vero laici et familiares coadiutores eorumdem sex professorum erant, quique omnes pro Christi nomine in oppido civitate nuncupato Nangasa qui extra muros in regno Iaponiae cruci affixi et transverberati fuerunt, in sacro Rotae auditorio, et deinde de mandato nostro ab eisdem cardinalibus, referente dilecto filio nostro Tiberio tituli S. Priscae presbytero cardinali Muto nuncupato, discussâ, censuerint constare de martyrio et miraculis, ideoque ad actualem illorum canonizationem quandocumque deveniri posse; superiores vero dicti Ordinis, pro eo, quem erga eosdem Martyres gerunt, devotionis affectu, officium et missam de illis (donec ad solemnem eorum canonizationem, pro qua non solum dictus Petrus eorumdem fratrum nomine, verum etiam charissimus in Christo filius noster Philippus rex catholicus, ac charissima in Christo filia nostra Isabella regina catholica Hispaniarum, necnon universa civitas Manilensis et Chinensis, seu Machanensis, aliique nobis per eorum litteras ad nos transmissas humiliter supplicarunt, deveniatur) ut infra recitari posse plurimum desiderent:

Qui modo eam concedit.

§ 2. Nos, piis eorumdem superiorum votis huiusmodi, quantum cum Domino possumus, annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus dicti Petri et eorumdem superiorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, ut de eisdem Martyribus, tam ab omnibus dicti Ordinis S. Francisci religiosis ubique existentibus, quam etiam aliis ecclesiasticis et secularibus personis Manilensis dioecesis dumtaxat, ubi praecipue dictorum Martyrum pro Christi fide labores valde profecerunt, officium et missa de communi plurimorum Martyrum die eorum natali, videlicet die quintâ februarii, recitari et celebrari respective libere et licite possit et valeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus et impartimur.

Contraria removendo.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptisque credi mandato.

§ 4. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV septembris MDCXXVII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 14 septembris 1627, pontif. anno V.

CCLX.

Indultum celebrandi missam et recitandi officium de tribus Martyribus Paulo Michi, Ioanne de Goto, et Didaco Quizai e Societate Iesu quotannis die quintâ februarii pro omnibus dictae Societatis religiosis[1].

1 Hoc indultum ad omnes sacerdotes, tam seculares quam regulares, ad ecclesias huius Societatis confluentes extendit sacra Rituum Congregatio, ut in decreto mox subsequente quod Urbanus VIII approbavit.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Salvatoris et Domini nostri Iesu Christi, qui milites suos inclytos, quorum mors pretiosa est in conspectu eius, immortalitatis coronâ donat in caelis, vices quamquam immeriti gerentes in terris, pia christifidelium praesertim catholicorum regum vota, per quae eorumdem sanctorum militum veneratio promovetur, et laudatur Dominus in sanctis suis, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, favoribusque et gratiis prosequimur opportunis.

Supplicatio facta Pontifici pro huiusmodi indulto. § 1. Cum itaque, sicut dilecti filii praepositus generalis et presbyteri Societatis Iesu nobis nuper exponi fecerunt, venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales sacris ritibus praepositi in causâ canonizationis trium martyrum, videlicet, Pauli Michi, ac Ioannis de Goto, et Didaci Quizai ex dictâ Societate, qui pro Christi nomine in oppido civitate nuncupato Nangasa, qui extra muros in regno Iaponiae cruci affixi et transverberati fuerunt, in sacro Rotae auditorio, et deinde de mandato nostro ab eisdem cardinalibus, referente dilecto filio nostro Tiberio tituli S. Priscae presbytero cardinali Muto nuncupato, discussâ, censuerint constare de martyrio et miraculis, ideoque ad actualem illorum canonizationem quandocumque deveniri posse; praepositus vero et presbyteri praedicti, pro eo, quem erga ipsos sanctos Martyres gerunt, devotionis affectu, officium et missam de illis (donec ad solemnem eorum canonizationem, pro qua non solum iidem praepositus et presbyteri, verum etiam charissimus in Christo filius noster Philippus rex catholicus, ac charissima in Christo filia nostra Isabella regina catholica Hispaniarum, nec non universa civitas Manilensis et Chinensis, seu Machanensis, aliique nobis per eorum litteras ad nos transmissas humiliter supplicarunt) deveniatur, ut infra recitari posse plurimum desiderent:

Concessio, de qua in rubricâ. § 2. Nos, piis ipsorum praepositi et presbyterorum votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus praepositi ac praesbyterorum praedictorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, ut de eisdem Martyribus ab omnibus dictae Societatis religiosis ubique existentibus officium et missa de communi plurimorum Martyrum die eorum natali, videlicet die quintâ februarii, recitari et celebrari respective libere possit et valeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus et impartimur.

Derogatio contrariorum. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv septembris MDCXXVII, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 15 septembris 1627, pontif. anno v.

Sequitur decretum sacrae rituum Congregationis, quo praedictum indultum

extenditur ad omnes sacerdotes tam seculares quam regulares ad ecclesias dicti Societatis confluentes.

Cum aliàs sub die III iulii MDCXXVII sacra rituum Congregatio, annuente Sanctissimo, concesserit, ut de tribus sanctis Martyribus e Societate Iesu, Paulo Michi, Ioanne de Goto, et Didaco Quizai in Iaponia pro Christi fide cruci affixis, officium ac missa de communi plurium Martyrum ipsâ die eorum martyrii, nempe quintâ februarii, ab omnibus presbyteris eiusdem Societatis, ubique existentibus, recitari et celebrari posset; instante generali patrum Societatis Iesu, indultum praedictum ad omnes sacerdotes, tam seculares quam regulares, ad eorum ecclesias confluentes, extendi posse eadem sacra Congregatio censuit. Facto verbo cum Sanctissimo, Sanctissimus annuit die XXVI septembris MDCXXIX.

IOANNES BAPTISTA card. DETUS.
F. FULV. BENIGNUS, secretarius.

CCLXI.

Praefigitur terminus trium mensium ab istius Constitutionis publicatione partibus ad rectractandum omnia contra constitutiones Sixti V, Clementis VIII et Pauli V super prohibitione alienandi fortalitia et castra, aliaque bona iurisdictionalia in Statu Ecclesiastico existentia, absque Sedis Apostolicae licentiâ, et contra illarum declarationem et extensionem respective quoad castra diruta et alia in eis expressa a Sanctitate Suâ emanatas, gesta, et notariis, etiam Sedis Apostolicae, etiam de numero participantium, ad instrumenta, de quibus sunt rogati, exhibendum, et in eorum margine cassationes adnotandum; et insuper mandatur testibus, quatenus contractus omnes, quibus interfuerint, intra similem terminum a die contractus, revelare et de eis notam dare debeant[1].

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Sedes Apostolica, pia mater, filiis poenas, quas illi per inobedientiam vel negligentiam incurrerunt, aliquando remittere et condonare consuevit, ad hoc ut illi, benignitatem experti, ad ea, quae sibi iniuncta sunt, fidelius peragenda incitentur, eos vero, qui clementiam suam agnoscere non curant, timore poenae perterrere non desistit.

Refertur Constitutio ab ipso edita quam habes indicatam in notâ ad rubricam.

§ 1. Nuper siquidem, per alias nostras, sub datum videlicet kalendis iunii, pontificatus nostri anno IV, confectas litteras, constitutiones per felicis recordationis Sixtum V, Clementem VIII, ac Paulum etiam V, Romanos Pontifices praedecessores nostros, super prohibitione fortalitia et castra, aliaque bona iurisdictionalia in Statu Ecclesiastico existentia, absque Sedis Apostolicae licentiâ alienandi editas confirmavimus et innovavimus, easque quoad castra diruta, tenutas et praedia etiam non iurisdictionalia in confinibus loci iurisdictionalis et bona in dicto Statu in confinio principum exterorum sita, illorumque locationes et censuum annuorum super praemissis om-

1 Prohibitionem huiusmodi alienationum a Sixto V editam habes in ipsius Const. VII, *Sollicitudo*, tom. VIII, pag. 580. Et Clem. VIII declarationem et extensionem lege in eiusdem Constit. CCL, *Romanum* (in h. n. ed. CCLXI, tom. X, pag. 711); ac Pauli V innovationem in Const. CCLXXXI, *Pastorale* (in h. n. ed. CCCI, tom. XII, p. 413); ampliavit Urbanus VIII in Const. CCXXIV (in h. n. ed. CCXLV) *Decens*, ut supra pag. 547. Quia vero multae alienationes contra tenores dictarum Constitutionum factae fuerant, ne temporis progressu iurisdictio aliqua usurpetur, seu fines iurisdictionales confundantur, erexit Congregationem de confinibus Status Ecclesiastici, Sedi Apostolicae mediate vel immediate subiecti, nuncupandam, ut in Const. seq., *Debitum*.

nibus impositarum[1] et impositorum venditiones extendi declaravimus et respective extendimus, prout in dictis litteris plenius continetur.

Partibus quae Constitutiones Clemens VIII, Sixti V et huius Pontificis contravenerunt praefigitur terminus trium mensium ad retractandum gesta contra ipsas Constitutiones et poenas exigi prohibentur dicto termino durante.

§ 2. Licet autem omnes et singuli, qui ad venditiones, alienationes, locationes, aliaque in singulis constitutionibus, ac etiam nostris litteris praedictis respective fieri prohibita, aut eorum aliquod, nullâ Sedis Apostolicae praecedente in scriptis obtentâ licentiâ, vel illâ apud notarium in actu celebrationis contractus minime dimissâ, devenerint et seu exequutioni demandaverint, poenas omnes in constitutionibus et earum qualibet ac etiam in nostris litteris praedictis contentas eo ipso incurrerint et incurrisse censeri debeant; nihilominus, ex nostrâ benignitate mitius agendo, motu proprio, non ad alicuius oblatae nobis desuper petitionis instantiam, sed ex merâ nostrâ scientiâ et deliberatione, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnibus et singulis, qui in praemissis, aut eorum aliquo hactenus contravenerint, terminum trium mensium, a die publicationis praesentium computandum, intra quem omnes et singuli, tam emptores, quam venditores, ceterique quomodolibet contravenientes, omnia et singula per eos gesta et inde sequuta quaecumque retractasse, et actu retrosimili in pristinum, prout ante sequutam aliquo modo contraventionem erant, reposuisse et restituisse debeant, apostolicâ auctoritate praefigimus per praesentes, quo quidem termino durante poenas praedictas, tam ab ipsis contrahentibus, scilicet venditoribus, alienantibus et locatoribus, ac emptoribus, acquirentibus et conductoribus, quam a notariis exigi nolumus.

Quo elapso, tamquam contra non parentes, manu regiâ et exequutive procedatur, et poena exigatur.

§ 3. Ipso autem termino elapso et praemissis non parito, tam camerae nostrae apostolicae commissarium, quam fisci procuratorem generalem, dilectos filios, posse et debere eiusdem camerae nomine, et nemine vocato, ac manu regiâ et exequutive, ac etiam de facto, citra vitium spolii, nullitatis et attentatorum, possessionem bonorum venditorum, alienatorum, vel locatorum capere, ad effectum retinendi et fructus illorum percipiendi ad utilitatem dictae camerae, ac respective possessionem suo tempore consignandi, iuxta contitutionum et nostrarum litterarum praedictarum formam, personis in eisdem constitutionibus et nostris litteris designatis; necnon etiam desuper agere coram quocumque Romanae curiae seu Status nostri Ecclesiastici iudice pro effectuali et integrâ revocatione et repositione omnium et singulorum in pristinum, non obstante taciturnitate, negligentiâ, ac etiam contradictione ipsorummet contrahentium et cuiuslibet eorum, ita quod etiam illis seu altero eorum non instantibus, quinimo etiam invitis et contradicentibus, omnia, ut praefertur, etiam manu regiâ in pristinum quamprimum reponantur; et contravenientes, ac omnia et singula in pristinum infra dictum terminum trium mensium non reponentes, in poenas praedictas ipso iure, absque aliquâ declaratione, etiamsi, quoad contrahentes et eorum quemlibet, pretia restituta, aut alia in recompensam soluta, tradita, vel in eis quomodolibet promissa adimpleta non fuerint, incurrisse et in illas incidisse.

Notarii omnes instrumenta huiusmodi exhibeant et in margine cassationes adnotentur intra dictum terminum.

§ 4. Notarios quoque, etiam Sedis Apostolicae nuncupatos, etiam de numero participiantium, intra eumdem trium mensium terminum, tam in exhibendo instrumento, quam etiam ulterius in adnotando in margine ipsorum instrumentorum cassationem, retractationem, restitutionem et repositionem in pristinum omnium contra constitutionum et litterarum praedictarum tenorem actorum, paruisse debere, aliàs privationis officiorum suorum et alias omnes poenas in eisdem constitutionibus et litteris inflictas

[1] Indubie legendum *impositiones* pro *impositarum*, ut infra pag. 600 (R. T.).

incurrisse, eâdem auctoritate decernimus et declaramus.

Testes, qui huiusmodi contractibus interfuerint, revelent contractus et notarios de illis rogatos infra terminum trium mensium.

§ 5. Et insuper, ne constitutiones et nostrae litterae praedictae ex occultis contractibus fraudari contingat, praecipimus et mandamus, quod omnes et singuli testes, qui in praedictis contractibus, scilicet venditionis, alienationis, locationis et aliis, ut praefertur, prohibitis, de cetero celebrandis adhibiti fuerint, infra terminum trium mensium a die cuiuslibet celebrati contractus computandorum, sub poenis nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio imponendis, contractus, quibus intervenerint, revelare, et de eis ac notariis de illis rogatis notam dare teneantur, etiamsi contractus ipsi in exequutionem iudicati, vel in vim subhastationis, aut aliàs quomodolibet celebrati extiterint.

Licentia et beneplacitum Sedis Apostolicae super praemissis, vel similibus concessa, seu concedenda, ad favorem Sedis et camerae apostolicae concessa intelligantur.

§ 6. Demum licientias et beneplacitum apostolicum, a Sede Apostolicâ in quorumcumque baronum et aliorum quomodolibet nuncupatorum montium erectione, seu censuum impositione, vel aliàs, quomodolibet concessa hactenus, et imposterum quovis tempore concedenda, ac etiam motu proprio et aliàs quomodolibet emanata hactenus et in futurum emananda, etiam quoad omnia in eisdem licentiis et beneplacito expressa et exprimenda, sine praeiudicio quorumcumque iurium camerae apostolicae, in quemcumque casum seu eventum cuiuscumque devolutionis seu caducitatis ex quocumque capite hactenus quomodolibet forsan incursae seu de cetero quomodolibet incurrendae et purificatae seu purificandae, ad favorem Sedis et Camerae praedictarum in et super civitatibus, castris, oppidis, terris et locis iurisdictionalibus et non iurisdictionalibus, ac etiam bonis per praedictas constitutiones et nostras litteras qualificatis, nec aliàs, aliter, aut alio modo, intelligi debere aut posse harum serie similiter declaramus.

Clausulae.

§ 7. Sicque, et non aliter, in omnibus et singulis praemissis per quoscumque iudices ordinarios, delegatos et commissarios, et etiam camerae praedictae clericos praesidentes, necnon causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam camerarium, et de latere legatos, iudicari et definiri ac interpretari debere, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate[1], ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, etiam decernimus.

Paeceptum observantiae huius Constitutionis.

§ 8. Iniungentes et mandantes in virtute sanctae obedientiae, ac sub poenâ indignationis nostrae, eisdem legatis, ac dilectis filiis prolegatis, gubernatoribus, etiam Urbis, ac iudicibus nunc et pro tempore in eâdem Urbe et toto Statu nostro praedicto existentibus, et cuilibet eorum, ut praesentes nostras et in eis contenta quaecumque in Urbe ac Statu praedictis ab omnibus et singulis, ad quos quomodolibet spectat et in futurum spectabit, perpetuo observari mandent et faciant, et pro omnium et singulorum praemissorum inviolabili observatione contra inobedientes et praemissis in aliquo contravenientes et alios, quos opus erit, omnibus iuris et facti mediis opportunis similiter manu regiâ et viâ exequutivâ, ac omni et quacumque appellatione remotâ, procedant.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus nostrâ de non tollendo iure quaesito, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quae Sixtus et Clemens ac Paulus praedecessores praedicti in dictis constitutionibus, et nos in litteris nostris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Forma et effectus publicationis.

§ 10. Ut autem praesentes omnibus innotescant, volumus et apostolicâ aucto-

1 Verba *iudicari et definiri debere* inutiliter repetita delemus (R. T.).

ritate pariter decernimus, quod illae in valvis ecclesiae Lateranensis, et basilicae Principis apostolorum de Urbe, necnon in acie Campi Florae publicentur et affigantur, quae, postquam sic affixae et publicatae fuerint, quoscumque tam in Romana curiâ et Statu praedicto, quam extra eos existentes, perinde obligent et arctent, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent;

Exemplorum fides.

§ 11. Quodque earum exemplis, etiam impressis, manu notarii publici et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsismet praesentibus haberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae praefixionis, praecepti, declarationum, iniunctionis, mandatorum, voluntatis et decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXVII, V kalendas octobris, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 27 septembris 1627, pontif. anno V.

Anno a nativitate D. N. Iesu Christi MDCXXVII, *indictione* X, *pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Urbani divinâ providentiâ Papae VIII, anno eius* V, *die vero* V *mensis octobris, retroscriptae litterae apostolicae publicatae et affixae fuerunt ad valvas Principis apostolorum de Urbe, S. Ioannis Lateranensis et in acie Campi Florae per nos Paulum Bartoccium et Augustinum de Bollis apostolicos cursores.*

MATTHIAS, magister.

CCLXII.

Erectio Congregationis super confinibus Status Sedi Apostolicae mediate vel immediate subiecti, cum deputatione illius praefecti et consultorum, et facultatibus eisdem concessis [1].

Urbanus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Debitum pastoralis officii nobis, meritis licet imparibus, divinâ dispositione commissi, mentem nostram continua pulsat instantia, ut ad ea, quae nostrae et Sedis Apostolicae civitatum, oppidorum et locorum, aliorumque bonorum, confinium et terminorum manutentionem et conservationem, ac illorum incolarum, nostrorum et dictae Sedis subditorum, securitatem et tranquillitatem concernunt, etiam per novarum congregationum praemissis sedulo vigilantium erectionem procuranda, opem et operam, quantum nobis ex alto conceditur, efficaces impendamus, aliaque desuper disponamus, prout ad camerae nostrae et subditorum eorumdem utilitatem, et Status nostri Ecclesiastici tuitionem, conspicimus in Domino salubriter expedire.

§ 1. Nuper siquidem ex praemissis et certis aliis tunc expressis rationibus et causis adducti, ac Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, unam a felicis recordationis Sixto V

Sixtus V, Clemens VIII et Paulus V ediderunt Constitutione, citatas in notâ ad rubricam quas iste Pontifex innovavit et exten-

1 Sixtus V prohibuit alienari bona in forenses, et castra aliaque bona iurisdictionalia tam in forenses quam in subditos, absque Sedis Apostolicae licentiâ; quam prohibitionem innovarunt Clemens VIII et Paulus V, et pariter iste Pontifex eas confirmavit, declaravit et ampliavit (Vide notam ad rubricam, Const. praeced., pag. 597, ubi omnes praedictae constitutiones citatae sunt). Et cum multae alienationes contra praedictas constitutiones factae fuissent, praefixit partibus terminum ad eas revocandum absque poenarum incursarum inflictione ut in Constit. praeced. pag. 597. Quod cum parum profuisset hanc Congregationem erexit et instituit.

dit, ut in Constitutione pariter citatâ in notâ ad rubricam.

sub kalendis iulii pontificatus sui anno I, qua cavetur, ne bona in forenses, et castra aliaque iurisdictionalia tam in forenses quam in subditos absque Sedis Apostolicae licentiâ alienentur, ac aliam a piae memoriae Clemente VIII, sub pridie nonas iuli ipontificatus sui anno X, praedictae Sixti innovatoriam ac extensivam, ac reliquam, perpetuo valituras constitutiones a recolendae memoriae Paulo etiam V, Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, sub XII kalendas decembris pontificatus sui anno XIII, respective datis editas[1], ac praedictas Sixti et Clementis praedecessorum etiam innovatoriam et declaratoriam non tantum apostolicâ auctoritate perpetuo approbavimus, confirmavimus et innovavimus, sed etiam ad castra diruta, tenutas, praedia etiam non iurisdictionalia in confinibus loci iurisdictionalis, et ad bona in nostro et sanctae Romanae Ecclesiae Statu ac confinio principum exterorum sita, illorumque locationes, ac censuum annuorum super praemissis impositiones, et impositorum venditiones, dictâ auctoritate etiam perpetuo extendimus et ampliavimus, prout in nostris desuper sub datum kalendis iunii pontificatus nostri anno IV.

Causae erectionis huius Congregationis.

§ 2. Verum, quia, sicut nobis postea non sine gravi animi nostri moerore innotuit, variae impune contra constitutionum et litterarum praedictarum tenores factae fuerunt alienationes, et, nisi in praemissis aliquod opportunum remedium adhibeatur, periculum est, ne temporis progressu et varietate iurisdictio aliqua usurpetur, et termini seu fines iurisdictionales confundantur, seu confusioni et usurpationi huiusmodi occasio praebeatur:

Erectio Congregationis de confinibus Status Ecclesiastici Sedi Apostolicae mediate et immediate subiecti nuncupanda.

§ 3. Nos, in praemissis, quantum cum Domino possumus, opportune providere volentes, ac constitutionum et litterarum huiusmodi, a quibus per praesentes recedere non intendimus, sed in earum primaevo robore eas perpetuo remanere volumus, totos et integros tenores etiam veriores ac datas, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, motu proprio, non ad alicuius nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ, merâque deliberatione nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, Congregationem de confinibus Status Ecclesiastici nobis et Sedi Apostolicae mediate vel immediate subiecti nuncupandam, quae uni[1] ex eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, qui praefectus, et aliis partim ex sacrâ consultâ Status huiusmodi partim ex camerâ apostolicâ praedictâ, necnon etiam aliquibus aliis insignibus a Romano Pontifice pro tempore existente seligendis viris, qui consultores dictae congregationis respective existant, constare debeat;

Quae sint causae ab eâ cognoscendae.

§ 4. Et apud quam, ac praefectum et consultores huiusmodi, omnes et singulas venditiones, permutationes, alienationes, et quascumque alias dispositiones contra vel praeter tenorem et formam dictarum constitutionum et litterarum factas ac faciendas, tam partibus instantibus, quam ex officio, cognoscendi, examinandi, ac, prout eis visum fuerit, in toto vel in parte cassandi, annullandi, aut nullas declarandi, moderandi, restringendi, revocandi, confirmandi et approbandi, aut de novo concedendi; dubitationes quascumque super eisdem constitutionibus et litteris, causis et occasione alienationum huiusmodi, ortas vel oriundas tollendi, declarandi et decidendi; necnon controversias et lites quascumque, sive inter nos, Sedem, cameram apostolicam et quascumque personas, tam seculares, quam ecclesiasticas, cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis, status, conditionis et praeeminentiae, etiam de quibus specialis et individua mentio facienda fo-

1 Edit. Main. legit *datas*, *editas* (R. T.).

1 Aptius legeretur *uno* (R. T.).

ret, et quascumque civitates, castra, oppida, universitates, collegia, monasteria et loca etiam pia et religiosa, regularia et secularia, etiam exempta, quovis nomine nuncupata, sive etiam inter easdem personas, civitates, collegia, monasteria et loca praedicta, motas seu movendas, ac omnes et singulas alias causas civiles et criminales et capitales ac mixtas audiendi, cognoscendi, et quoad criminales, dummodo sententiam sanguinis per se ipsos non ferant, absque alicuius irregularitatis incursu definiendi et decidendi; et confines quoscumque Status huiusmodi et singularum illius civitatum, oppidorum, terrarum et quorumvis aliorum locorum invisendi, declarandi, ponendi et amovendi; perturbantes, occultantes, amoventes, incidentes aut ponentes terminos, seu aliàs quomodolibet et qualitercumque in et super confinibus et terminis, et circa confinia, seu ab eis dependentia, annexa vel connexa delinquentes, aut aquas in vel prope confinia quomodolibet derivantes, aut ab eisdem amoventes, aut aedificium quovis nomine nuncupatum construentes, et quamcumque servitutem prope vel in confinibus imponentes, civiliter, et, dummodo sententiam sanguinis, ut praefertur, per se ipsos non ferant, criminaliter eorum arbitrio, omni et quacumque appellatione remotâ, puniendi; vel cuiuscumque personae sibi bene visae etiam in dignitate ecclesiasticâ non constitutae, quae tamen a praefecto et consultoribus huiusmodi ad id idonea iudicata fuerit, causas huiusmodi committendi[1], sive eam in toto vel in parte cum iisdem facultatibus subdelegandi; ac unum vel plures commissarios vel notarios ad capiendas informationes, conficiendosque processus, quando, quoties, ac cum quibus opus fuerit, et ad confines invisendos, illorumque plantas et descriptiones conficiendas, cum provisionibus, salariis, atque expensis per praefectum et consultores praedictos declarandis, ac per locorum communitates, atque alios interesse habentes, vel etiam per nostram cameram arbitrio ipsorum praefecti et consultorum persolvendis, transmittendi et deputandi; ac personis quibuscumque in vel prope confinia Status praedicti habitantibus pro confinium huiusmodi defensione arma quaecumque (non tamen brevioris mensurae) deferendi simili arbitrio licentiam concedendi; necnon omnes et singulas causas, lites, controversias et quaestiones de et super confinibus, vel eorum annexis seu connexis, principaliter vel secundario, ut praefertur, motas et movendas a nostris sacrae consultae, boni regiminis, et aquarum, et aliis quibuscumque tribunalibus, iudicibus, praesidentibus, gubernatoribus etiam Urbis, necnon camerae apostolicae generali et sacri palatii apostolici causarum auditoribus, nostris etiam et dictae Sedis de latere legatis, tam ex officio quam ad partium instantiam reassumendi et evocandi, citandi et inhibendi, etiam sub censuris et poenis pari arbitrio imponendis, moderandis et applicandis, et illas sic reassumptas et avocatas, omnes, et quascumque alias praemissa quomodolibet concernentes, summarie, simpliciter et de plano, solâ facti veritate inspectâ, ac manu regiâ, et sine strepitu et figurâ iudicii, similiter quacumque appellatione remotâ cognoscendi, seu eisdem congregationibus, tribunalibus, legatis, iudicibus et aliis personis eidem congregationi bene visis remittendi et committendi cum iisdem facultatibus, etiam simili arbitrio; et respective, cum participatione tamen nostrâ, et non aliàs, ea omnia agendi et gerendi, quae super confinibus, territoriis et alienationibus, venditionibus, permutationibus, praemissisque omnibus et singulis et circa ea nos et Sedes Apostolica facere possemus, quaeque pro nostrorum subditorum quiete et

1 Male edit. Main. legit *comittendas* (R. T.).

dicti Status conservatione necessaria seu quomodolibet opportuna per eos respective iudicabuntur, etiam privative ad congregationes, tribunalia, personas et iudices praedictos, et alios etiam quomodolibet qualificatos, sive incidenter et sive principaliter agatur, plena, libera et absoluta potestas resideat, apostolicâ auctoritate praedictâ, earumdem tenore praesentium, similiter perpetuo erigimus et instituimus.

Deputatio praefecti et consultorum Congregationis.

§ 5. Ac in congregationis sic erectae et institutae, pro eius felici regimine et administratione, dilectos filios nostrum[1] Martium S. Mariae Novae diaconum cardinalem, Ginettum nuncupatum, in[2] praefectum, Stephanum vero Duratium, nostrum et camerae apostolicae thesaurarium generalem, et Ioannem Beninum eiusdem camerae clericum, ac Franciscum Vitellium sacrae consultae praedictae praelatum, necnon etiam pro tempore existentem eiusdem consultae secretarium, ac Antonium Cerrum nostri concistorii, camerae et fisci advocatum, et Caesarem Raccagnum eiusdem camerae apostolicae commissarium generalem, et Felicem Contelorium bibliothecae nostrae Vaticanae et illius, ac Ioannem Baptistam Confalonerium in theologiâ magistrum Arcis S. Angeli archiviorum custodes, Sedis Apostolicae notarios, in consultores, et eumdem Felicem in secretarium, eisdem auctoritate et tenore constituimus et deputamus.

Clausulae praeservativae.

§ 6. Decernentes praesentes litteras de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu notari vel impugnari nunquam posse, sed illas semper et perpetuo validas et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illasque sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, derogationibus, aliisque contrariis, etiam totum tenorem continentibus, dispositionibus minime comprehendi, sed semper ab illis excipi; et quoties illas revocari vel limitari, aut suspendi, seu eis derogari contigerit, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo concessas esse et fore;

Clausula *sublata*, praeceptum observantiae et exequutionis huius Constitutionis.

§ 7. Sicque, et non aliàs, in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et vicelegatos, dictaeque Sedis nuntios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique et in quacumque instantiâ iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 8. Mandantes propterea praedictis, ac pro tempore existenti praefecto, necnon consultoribus dictae congregationis, et eorum singulis, ut praesentes nostras litteras observent et exequantur, ac faciant ab aliis, quantum in eis erit, omnibus opportunis iuris et facti remediis, firmiter et inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ de iure quaesito non tollendo, ac similis memoriae Pii Papae IV etiam praedecessoris nostri de similibus seu aliis gratiis interesse camerae praedictae quomodolibet concernentibus in eâdem camerâ registrandis et insinuandis, ita ut praesentes absque aliâ in eadem camerâ admissione et registratione validae sint, suumque debitum sortiantur effectum, aliisque apostolicis, etiam in provincialibus, synodalibus et universalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, ac camerae et consultae huiusmodi, aliarumque congregationum, seu tribunalium, si quae sint,

1 Aptius lege *nostros* (R. T.).
2 Praep. *in* nos addimus (R. T.).

necnon Urbis, civitatum, terrarum, oppidorum, villarum et locorum quorumcumque (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, camerae, consultaeque, ac congregationibus, seu tribunalibus huiusmodi, etiam super iure similes causas, etiam privative quoad alios, cognoscendi et terminandi, ac communitatibus, universitatibus, baronibus et aliis quibusvis, etiam motu simili, etiam consistorialiter, aut aliâs in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si aliàs pro sufficienti illorum[1] derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, eisdem praesentibus etiam pro plene et sufficienter expressis habentes, illis in aliàs suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse harum serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 19. Volumus autem, quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii dictae camerae apostolicae subscriptis, ac capitis, seu praefecti, vel alicuius ex modernis, et pro tempore existentibus consultoribus huiusmodi sigillo munitis, eadem prorsus, tam in iudicio, quam extra illud, in omnibus et per omnia fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae erectionis, institutionis et constitutionis, deputationis, decreti, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXVII, kalendis octobris, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 1 octobris 1627, pontif. anno V.

1 Edit. Main. h. *illorum pro sufficienti* (R.T.).

CCLXIII.

Indultum recitandi officium et celebrandi missam de beatâ Ritâ de Cassiâ Ordinis Eremitarum S. Augustini pro universi Ordinis praedicti fratribus et monialibus, et pro aliis in totâ Spoletanâ dioecesi.

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In supremo apostolatus solio, meritis licet imparibus, divinâ dispositione constituti, ad ea, per quae servorum et ancillarum Christi honos et veneratio in terris promovetur, iuxta creditum nobis desuper apostolatus officium, libenter intendimus, piisque christifidelium, praesertim sanctimonialium, votis peculiarem erga illos cultum et venerationem respicientibus benigne annuimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Supplicatio facta Pontifici pro facultate de qua in rubricâ.

§ 1. Sane, nomine dilectarum in Christo filiarum priorissae et monialium monasterii beatae Ritae Ordinis S. Augustini de Cassia, Spoletanae dioecesis, nobis nuper expositum fuit, quod ipsae, pro eo, quem erga dictam beatam Ritam de Cassiâ gerunt, devotionis affectu, officium et missam de eâ ut infra, recitari et celebrari posse summopere desiderant. Quare nobis humiliter supplicari fecerunt, ut de opportunâ in praemissis licentiâ providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Quam Pontifex concedit.

§ 2. Nos igitur piis priorissae et monialium praefatarum votis huiusmodi, quantum cum Domino possumus, votis annuere, illasque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus illarum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, ut de dictâ beatâ Rita in totâ dioecesi Spoletanâ, ac ab omnibus utriusque sexus dicti Ordinis religiosis ubique existentibus, officium et missa tamquam de communi nec Virginis nec Martyris, iuxta rubricas breviarii et missalis romani, ac breviarium ipsius Ordinis a Sede Apostolicâ approbatum, respective recitari et celebrari libere et[1] licite possit et valeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, licentiam et facultatem impertimur.

Contraria removet.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem mandari mandat.

§ 4. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, ac manu alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II octobris MDCXXVII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 1 octobris 1627, pontif. anno V.

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

CCLXIV.

Facultas erigendi hospitium in partibus Africae pro sex religiosis congregationis B. Mariae de Mercede redemptionis captivorum Discalceatorum, seu recollectorum nuncupatorum[1].

Urbanus Episcopus
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Inter cetera pietatis opera, quibus ex debito pastoralis officii nobis iniuncti adstricti sumus, illud praecipue in animo nostro incidit ardentius, ut personae Christi fidem colentes, et in captivitatem deductae, et sub potestate infidelium constitutae, a captivitate huiusmodi liberentur, et in pristinae libertatis gloriam deducantur, ac[2] interim spiritualiter consolentur: illos quoque specialis gratiae favore prosequimur, qui ad opus huiusmodi adiutrices et liberales manus extendunt.

Causae huius Constitutionis.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper, pro parte dilectorum filiorum Iustini Antolines decani ecclesiae Granatensis, ac Didaci de S. Raymundo moderni Congregationis beatae Mariae de Mercede Redemptionis captivorum Discalceatorum seu Recollectorum nuncupatorum procuratoris generalis, petitio continebat, quod ipse Iustinus, charitatis erga proximum fervore accensus, de bonis suis unum hospitium pro sex religiosis Congregationis huiusmodi pro nunc, et, Deo dante, etiam pro maiori ipsorum religiosorum numero in partibus Aricae, ad hoc ut ipsi religiosi iuxta laudabile eorum institutum christifideles inibi sub dirâ Turcarum servitute constitutos, quos possunt, ab illâ eximere queant, eosque in Domino consolentur, illisque ecclesiastica sacramenta administrent, ac

1 De his fratribus vide in Const. CLXXIX (in h. n. ed. CXCVIII), *In supremo*, supra pag. 464.

2 Legerem: *ac, ut interim spiritualiter consolentur, illos quoque*, etc. (R. T.).

eorum denique animarum saluti, meliori qua poterunt ratione, incumbere valeant, construi facere ac redditu annuo quingentorum saltem ducatorum monetae Hispaniarum dotare intendat, si infrascripta sibi per nos benigne concedantur.

Concessio, de qua in rubricâ.

§ 2. Quare pro parte Iustini et Didaci praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus infrascriptis annuere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Extenduntur privilegia Ordinis huic hospitio.

§ 3. Nos igitur, christifidelium in captivitate huiusmodi constitutorum libertati et spirituali consolationi, quantum cum Deo possumus, consulere cupientes, ac Iustinum et Didacum praedictos, ac eorum quemlibet, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eisdem Iustino et Didaco, si et postquam ipse Iustinus redditum annuum quingentorum scutorum huiusmodi tutum et securum pro dicti hospitii fundatione vere et realiter assignaverit, et non antea, aliter, nec alio modo, ut gentilitia familiae dicti Iustini tamquam fundatoris et dotatoris ac patroni dicti hospitii super ipsius hospitii ianuis et portis, necnon lapidem in aliquo dicti hospitii pariete, cum inscriptione fundationis et seu dotationis per dictum Iustinum factae, apponere, necnon religiosis praedictae congregationis in eodem hospitio pro tempore degentibus, ut omnibus et singulis gratiis et indultis ac privilegiis, quibus cetera eiusdem Ordinis hospitia, illorumque religiosi quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, dummodo illa sint in usu, hactenusque non revocata, nec sub aliquâ revocatione comprehensa, ac sacris canonibus, et Concilii Tridentini decretis, regularibusque dicti Ordinis institutis non adversentur, ac in erectione hospitii huiusmodi forma apostolicarum constitutionum, praesertim felicis recordationis Clementis VIII et Pauli V ac Gregorii XV Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, ac nostrae, super novorum locorum regularium institutione editarum servetur, ex voto venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum, uti, frui, potiri et gaudere possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque semper et perpetuo valida et efficacia esse et fore, ac dictae Congregationi et religiosis huiusmodi in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae poenales.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, concessionis, indulti et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum in arce Gandulphi, dioecesis Albanensis, anno Incarnationis Dominicae MDCXXVII, idibus octobris, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 15 octobris 1627, pontif. anno V.

CCLXV.

Ecclesiasticis regni Galliarum facultas concedit subsidium regi praestandi pro haereticorum profligatione[1].

Urbanus Papa VIII,

Venerabilibus fratribus, primatibus, archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis, abbatibus, prioribus, ceterisque ecclesiarum secularium et regularium praelatis, capitulis, collegiis et conventibus et personis ecclesiasticis quibuscumque per regnum Franciae constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Procemium. In supremâ militantis Ecclesiae speculâ, nullo licet meritorum suffragio, immensâ Dei et Domini nostri benignitate constituti, et intra mentis nostrae arcana attentius considerantes, principes et potestates tenebrarum, adversus quos Ecclesia sancta assidue colluctatur, ad eiusdem Ecclesiae perniciem et catholicae fidei excidium incessanter vigilare, non possumus totis visceribus non commoveri: et, licet certam spem et fiduciam habeamus in Domino Deo exercituum, qui sponsam suam Ecclesiam sanctam sub omnipotentiae clypeo protegit, cogimur tamen ex creditâ humilitati nostrae Dominici gregis curâ in id omni cogitatione, omnique studio incumbere, ut praecautionis nostrae ministerio non solum oves Christi adversus rapacium luporum insidias communitae reddant Domino abundanter fructus suos, verum etiam charissimorum regum vota, rationes exquirentium quibus nefarii hostium ipsius fidei ausus reprimi et dissipari valeant, propitium sortiantur effectum.

Adlaboranti regi in haereticorum profligatione, § 1. Cum itaque, sicut nostrâ in Domino laetitiâ accepimus, charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum rex christianissimus, non immemor quantum ipsae divinae debeat bonitati quae eum sedere fecit in solio patris sui et super florentissimum Franciae regnum constituit, apponens manus ad fortia, haereticos sui regni, favente Domino, debellare, et nefarios eorum conatus ac machinationes reprimere fortiter coeperit, utque tam piae et sanctae expeditioni de cetero facilius vacare, et immensa expensarum onera subeunda perferre, imminentesque ac urgentissimas, nomine maiestatis suae nobis expositas, in quas propterea regnum ipsum redactum est, necessitates, tam ecclesiasticis quam laicis communes, supportare valeat, subsidio unius millionis scutorum maximopere indigeat; quia vero ad hoc laicorum eorumdem facultates minime suppetunt, ad vos, qui bona ecclesiastica in eodem regno Dei benignitate et fidelium beneficentiâ possidetis, confugere, subsidiumque huiusmodi a vobis, in praedictos et non alios usus convertendum, si nostra et huius sanctae Sedis licentia desuper suffragetur, obtinere intendat:

Pontifex subsidium ab ecclesiasticis praestari finit, § 2. Nos, pro eâ pastorali, quam universali Ecclesiae debemus, sollicitudine, proque nostro praecipuo paternae erga eumdem Ludovicum regem regnumque praedictum charitatis affectu, ei in tanto rerum discrimine ac tam necessario tempore nullatenus deesse volentes, immo tam pium et christianissimo rege dignum propositum ratum et gratum habentes, vos paterne hortamur, quatenus, dicti Ludovici regis et regni necessitatibus huiusmodi compatientes, subsidium pecuniarum, pro summâ quae a vobis seu vestris deputatis, non tamen ultra praedictam summam, declarata fuerit, in locis et terminis per vos seu deputatos huiusmodi statuendis, eidem Ludovico regi persolvendum, et per eum in usus praedictos dumtaxat erogandum iuxta sacrorum canonum dispositionem, sicut gravitas causae postulat, pro hac vice dumtaxat solvatis et contribuatis.

Atque hortatur, § 3. Licet autem de vestrâ pietate, prudentiâ et charitate erga patriam, ac zelo fidei catholicae propagandae, nedum con-

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

servandae, plurimum in Domino confidamus, tamen pro nostro pastoralis officii debito facere non potuimus, quin vobis, ut merito existimamus, sponte currentibus, litterarum nostrarum calcar adderemus, ut, sicut ex piis dicti Ludovici regis armis ad haereticorum extirpationem et ecclesiarum dicti regni non modicam commoditatem et utilitatem ex Dei beneficio secundos exitus speramus, ita libentius et cumulatius officio vestro satisfaciatis: praesertim[1] cum nobis rem tantae curae merito esse, et re ipsâ intelligere potestis, divinae retributionis spem vobis proponere supervacaneum ducimus, cum de Dei causâ defendendâ agatur, super cuius familiam ministri sumus constituti, ut demus illi in tempore tritici mensuram, audituri, si fideles et prudentes erimus, *intrate in gaudium Domini vestri.*

Necessariasque illud exigendi facultates elargitur.

§ 4. Ceterum, ut sublatis impedimentis quibuslibet ad eiusdem subsidii contributionem devenire valeatis, vobis seu vestris deputatis subsidium praedictum imponendi, petendi et exigendi tempus, locumque solutionis, ac modum et formam, quantitatemque praescribendi, quascumque personas ad ipsius subsidii exactionem constituendi et deputandi, quascumque promissiones et obligationes necessarias et opportunas, etiam iuramento vallatas, conficiendi, contradictores quoslibet et rebelles per sententias et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, omni et quacumque appellatione, recursu et reclamatione prorsus postpositis, compescendi et compellendi, ceteraque omnia et singula alia in praemissis, et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna, etiamsi talia sint vel fuerint, quae magis specialem, specificam et expressam requirerent mentionem, faciendi, dicendi, gerendi et exequendi, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, plenam, liberam et amplam facultatem et auctoritatem concedimus et impertimur.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum et Ordinum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nonnullos a praestatione subsidii eximit;

§ 6. Volumus autem, quod, subsidio huiusmodi semel contributo et persoluto, praesentes nullae sint, neque exactioni amplius sit locus; quodque propterea bona stabilia ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum minime alienentur; et quod sub impositione et exactione subsidii huiusmodi ecclesiae cathedrales, quorum mille, ac curata, quorum redditus annui centum ducatorum auri de camerâ non excedunt, insuper Ordines Mendicantes, ac hospitalia hospitalitatem actu exercentia, fratresque milites hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani nullatenus comprehendantur, sed omnino excipiantur, prout illos et illa exceptos et excepta esse et fore decernimus.

In eiusque exactione canonicas leges iubet servari.

§ 7. Praeterea, iuxta ordinationem a concilio Viennensi desuper editam, sacri calices, libri, et alia ornamenta ecclesiarum, beneficiorum et aliorum supradictorum, divino cultui dicata, ex causâ pignoris, vel aliàs, occasione solutionis summae huiusmodi, nullo modo capiantur, distrahantur vel occupentur;

1 Sequens periodus non satis clara (R. T.).

Ac demum transumptis fidem addit.

§ 7. Et pariter, quod praesentium transumptis, sigillo alicuius praelati ecclesiastici et publici notarii subscriptione munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, in iudicio et extra illud, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v novembris MDCXXVII, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 5 novembris 1627, pontif. anno v.

CCLXVI.

Societas monachorum sancti Benedicti Reformatorum provinciae Britannicae Congregationi S. Mauri eiusdem Ordinis in Galliâ erectae unitur [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ad militantis Ecclesiae regimen, nullis licet nobis suffragantibus meritis, divinâ dispositione erecti, illud prae ceteris curam [2] proposuimus, ute cclesiasticorum et religiosorum Ordines quoslibet ad pristini cuiusque regularis eorum instituti normam, a qua non parum deflexerunt, quantum cum Domino possumus, reduceremus, ac propterea qui suâ sponte religionis et arctioris vitae zelo ducti pristinae regulae, quam suae religionis auctores susceperunt, observantiam amplecti et sectari desiderant, eosdem non solum in eorum proposito confovere, sed etiam opportunis favoribus et gratiis libenter prosequi solemus.

Causae faciendae unionis.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, a viginti circiter annis nonnulli monachi Ordinis sancti Benedicti Congregationis Gallicanae, accedente superiorum suorum licentiâ, regulam eiusdem sancti Benedicti Congregationis Cassinensis dicti Ordinis adamussim observare decreverint, et ad hunc effectum prioratum de Lehon, praedicti seu alterius Ordinis, Machloviensis dioecesis, sibi concedi obtinuerint, ac, divinâ favente clementiâ, in regulae et constitutionum huiusmodi observantiâ vitaeque sanctimoniâ adeo profecerint, ut ad eamdem observantiam in plura dicti Ordinis provinciae Britanniae monachorum monasteria introducenda et stabilienda vocati fuerint, ut proinde unam monachorum huiusmodi societatem Britannicam nuncupatam de licentiâ et auctoritate dilectorum filiorum nostrorum Francisci S. Praxedis de Sourdis ac Francisci S. Callisti titulorum presbyterorum cardinalium de la Rochefoucault nuncupatorum, uti commissariorum super monasteriis dicti Ordinis regni Franciae ab Apostolicâ Sede deputatorum, ac aliàs, canonice erexerint et instituerint, in eâque superiores, visitatores et definitores ad instar dictae Congregationis Cassinensis absque ullâ a dictâ Congregatione Gallicanâ eiusque superiorum dependentiâ habeant:

Pontificium indultum.

§ 2. Nos, ut societas huiusmodi felicioribus in dies in sanctitate et iustitiâ coram Domino proficiat incrementis, quantum cum Domino possumus, providere volentes, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, motu proprio et ex certâ scientiâ nostris, societatem monachorum sancti Benedicti in provinciâ Britannicâ Reformatorum huiusmodi, unâ cum illius monasteriis et personis professis, Congregationi sancti Mauri eiusdem Ordinis in Galliis apostolicâ auctoritate erectae, ita ut de cetero monasteria et personae tam societatis quam congregationis huiusmodi sint unum corpus, et unicam constituant congregationem sub titulo eiusdem sancti Mauri, dictâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo unimus et incorporamus.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Vel lege *curae*, vel *illam* pro *illud* (R. T.).

Exequutores designati.

§ 3. Quocirca, ne quae[1] difficultas exequutionem unionis et incorporationis huiusmodi impediat aut remoretur, dilectis filiis nostro[2] Petro sanctae Romanae Ecclesiae presbyero cardinali Berullo nuncupato, ac nostro et Apostolicae Sedis apud carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum regem christianissimum nuncio, per praesentes iniungimus ac respective mandamus, ut coniunctim procedentes, consultis aliquibus patribus gravioribus ac rerum usu peritioribus tam eiusdem quam aliorum Ordinum sibi benevisis, conditiones in unione et incorporatione praedictis observandas praescribant, ac firment, easdemque unionem et incorporationem, unâ cum eisdem conditionibus, auctoritate praedictâ exequantur.

Clausulae.

§ 4. Decernentes, praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac societati et Congregationi S. Mauri huiusmodi in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, congregationum et ordinum praedictorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII novembris MDCXXVII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 8 novembris 1627, pontif. anno V.

1 Potius lege *qua* (R. T.).

2 Aptius legerem *nostris* (R. T.).

CCLXVII.

Ratificatio actorum per Torquatum de Comitibus in restitutione tormentorum bellicorum et aliarum rerum, in fortalitiis Vallis Tellinae existentium, comiti Aloysio Trotto procuratori a gubernatore Mediolanensi nomine regis catholici deputato[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Facti series.

Cum, sicut nobis innotuit, dilectus filius nobilis vir Torquatus de Comitibus dux Guadagnoli, uti procurator noster[2], in restitutione per eum factâ dilecto filio comiti Aloysio Trotto Campi, magistro peditum Italorum charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici, uti procuratori a dilecto pariter filio nobili viro Gonzalez Fernandez de Corduba Status Mediolani gubernatore, etiam de mandato eiusdem Philippi regis, ad hoc constituto, tormentorum bellicorum, armorum, munitionum, victualium et aliarum rerum in propugnaculis sive fortalitiis Vallis Tellinae et Clavennae existentium, et quondam Horatio Ludovisio duci Fiani sub die VI iunii MDCXXIII, ac dilecto pariter filio Nicolao ex comitibus Guidibalnei marchioni Montisbelli sub die XIII novembris eiusdem anni, in actu depositi in felicis recordationis Gregorii Papae XV, praedecessoris nostri, ac nostris manibus

1 Ex Regest. in Secret Brev.

2 Vide sup. pag. 424 et 483 (R. T.).

respective facti, consignatarum, restitutionem eamdem a nobis ratam habitum iri promiserit, dummodo tamen idem Philippus rex restitutionem ipsam et instrumentum desuper, sub die XVIII martii MDCXXVII celebratum, etiam ratum haberet:

Ratificatio, de qua in rubricâ.

§ 2. Idcirco, praesupposito quod idem Philippus rex valide et sufficienter rata habuit omnia et singula acta et gesta per Gonzalez gubernatorem et comitem Aloysium praedictos, aliosque deputatos, ad nostrum et huius sanctae Sedis favorem, omne et totum id, quod a dicto Torquato duce, quoad restitutionem tormentorum bellicorum, armorum, munitionum, victualium, atque etiam quoad alia quaecumque promissa, reservata et expressa in instrumento seu instrumentis per eumdem Torquatum ducem celebratis, ad quae nos in omnibus et per omnia referimus, actum et exequutioni demandatum fuit, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus, ratumque et gratum habemus ac confirmamus; nosque ratum, gratum et firmum semper habituros, nec iis nunc neque ullo umquam tempore contradicturos, promittimus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die X novembris MDCXXVII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 10 novembris 1627, pontif. anno V.

CCLXVIII.

Nonnullae indulgentiae pro exercitu regis Poloniae contra haereticos Prussiae profecturo [1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

De salute Dominici gregis curae nostrae divinitus commissi paternâ charitate solliciti, ad eam procurandam caelestes Ecclesiae thesauros libenter erogamus.

Militibus praescripta hic peragentibus indulgentia conceditur.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, charissimus in Christo filius noster Sigismundus Poloniae et Sveciae rex illustris validum militum exercitum contra haereticos Prussiae destinaverit, nos, cupientes, ut milites omnes dicti exercitus non solum corporalibus adversus visibiles, sed etiam spiritualibus armis adversus invisibiles humani generis hostes armati divinam opem in hoc seculo, et aeternam salutem in caelis facilius consequantur, supplicationibus dicti Sigismundi regis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis militibus et aliis christifidelibus universis qui in dicto exercitu militaverint, aut operam et auxilium quovis modo praestiterint qui unâ hebdomadâ, postquam omnes simul convenerint, per cappellanum maiorem dicti exercitus designandâ, quartâ et sextâ feriis ac sabbatho, vel saltem uno ex his diebus arbitrio confessarii ieiunaverint, et infra praedictam hebdomadam peccata sua confessi sequenti dominicâ sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, et pro felici dictae expeditionis successu, christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac sanctae fidei catholicae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, veniam et remissionem tenore praesentium misericorditer in Domino concedimus et elargimur.

Facultas quoque datur confessarium eligendi, qui eos a casibus reservatis Sedi Apostolicae absolvat.

§ 2. Utque facilius indulgentiam huiusmodi consequi valeant, supradictis omnibus et singulis, ut confessorem idoneum ex approbatis ab Ordinario eligere valeant, qui, ipsorum confessionibus diligenter auditis, eos ab omnibus peccatis, excessibus et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, et censuris ecclesiasticis, a quibuscumque casibus, etiam nobis et

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Apostolicae Sedi quomodolibet reservatis, etiam contentis in Bullâ die Coenae Domini legi solitâ, in foro conscientiae tantum, iniunctâ cuique illorum poenitentiâ salutari, absolvere, necnon eorum vota quaecumque (castitatis, et religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeant, concedimus et indulgemus.

Quae ab aegrotis, etc., sint praestanda.

§ 3. Ii vero, qui aegroti, vulnerati, aut aliàs quocumque impedimento detenti, ut praefertur, ieiunare, aut etiam sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumere nequiverint, ut presbyter confessarius, ut praefertur approbatus, quem elegerint, ieiunium in aliud pietatis opus commutare, aut in aliud proximum tamen tempus commodum differre valeat, pariter concedimus et indulgemus.

Aliae etiam conceduntur indulgentiae.

§ 4. Praeterea eisdem omnibus et singulis supradictis ceteris quibusque vicibus, quibus vere contriti peccata sua confessi fuerint, et, si commode potuerint, sacrosanctum Eucharistiae sacramentum sumpserint, quinque annos et totidem quadragenas qualibet vice, quoties vero orationi mentali vel vocali vacaverint, aut quodcumque pietatis opus peregerint, toties quinquaginta dies de iniunctis eis seu aliàs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxamus.

Ac praesertim in mortis articulo.

§ 5. In mortis vero articulo constitutis atque in praedictâ expeditione vel pugnâ seu praeliis morientibus, saltem contritis, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Potestas episcopis facta militibus benedicendi.

§ 6. Insuper ut quicumque antistes aut alia persona in dignitate ecclesiasticâ constituta exercitum praedictum, ac universos et singulos milites, ac christifideles ad hanc expeditionem profecturos, auctoritate nostrâ apostolicâ benedicere valeat facultatem impartimur.

Contraria tolluntur.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII novembris MDCXXVII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 12 novembris 1627, pontif. anno V.

CCLXIX.

Subsidium decies centenorum millium scutorum clero Galliarum imponitur regi persolvendum[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium a calamitatibus regni Galliarum petitum.

Cum primum ad summi apostolatus apicem, licet immeriti, divinâ favente clementiâ assumpti fuimus, etsi nihil antiquius habuerimus quam ecclesiasticas personas, quas in visceribus gerimus charitatis, a quibusvis gravaminibus, sive impositionibus, immunes praeservare; nihilominus, dum solerti mentis nostrae indagine consideramus quantis fides catholica nefariorum hostium oppugnationibus atque insultibus in florentissimo Franciae regno conflictetur, quantisque propterea charissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum rex christianissimus expensarum oneribus hactenus gravatus fuerit et novis iugitur praegravetur, facere nullo modo possumus, quin, implorato divinae misericordiae praesidio, ad ecclesiasticarum personarum subsidia recurramus: nobis omnino persuadentes, illas, quae in communi periculo versantur, partem redditnum suorum ecclesiasticorum potius erogaturas, ut totum conservetur, quam, partem conservando, totum in discrimen adducatur.

Petitio regis.

§ 1. Cum itaque, sicut dictus Ludovicus rex nobis nuper exponi fecit, ipse, ut imminentibus ac urgentissimis necessitatibus sui regni, tam ecclesiasticis quam

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

laicis communibus, quibus ob fidei catholicae defensionem premitur, subvenire valeat, subsidio unius millionis scutorum maximopere indigeat, laicorum vero facultates, propter alia onera eis incumbentia, subsidio huiusmodi comparando minime suppetant:

Pontifex subsidium de quo in rubrica et ab ecclesiasticis praestari iubet.

§ 2. Nos, eidem Ludovico regi de aliquo subventionis auxilio ex ecclesiarum regni Franciae peculio, Christique Domini, cuius causa agitur, patrimonio providere volentes, supplicationibus eiusdem Ludovici regis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, subsidium unius millionis cum dimidio francorum dictae monetae, a quarumcumque tam metropolitanarum quam cathedralium primatibus, archiepiscopis, episcopis, necnon illarum ac collegiatarum ecclesiarum praepositis, decanis, capitulis et canonicis, ac parochialium et aliarum ecclesiarum rectoribus, beneficiatis, ceterisque personis ecclesiasticis secularibus, quaecumque alia beneficia ecclesiastica quomodolibet nuncupata et qualitercumque qualificata in dicto regno consistentia, etiam ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis, vel aliàs quomodolibet, obtinentibus (exceptis tamen ex cathedralibus illis quarum mille, et ex curatis iis quorum annui redditus summam centum ducatorum auri de camerâ non excedunt), necnon prioratibus, praeceptoriis et ecclesiis fratrum hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, ac hospitalibus hospitalitatem actu exercentibus, ac etiam quorumcumque monasteriorum, domorum et prioratuum conventualium, Cisterciensis, S. Benedicti, S. Augustini, Cluniacensis, Fontis Ebrandi, Praemostratensis, Grandimontensis, Carthusiensis, Camaldulensis, Montis Oliveti, Vallis Umbrosae, Cruciferorum, S. Hieronymi, et aliorum quorumcumque Ordinum, non tamen Mendicantium, ac etiam Cas-

Iis exceptis qui hic recensentur.

sinensis, S. Iustinae de Padua, S. Bernardi, Vallischolarium, Lateranensis, ac S. Salvatoris, aliarumque Congregationum tam virorum quam mulierum in regno praedicto similiter existentium, et similiter[1] abbatibus, prioribus, commendatariis, abbatissis, priorissis, et aliis quibuscumque quocumque nomine nuncupatis superioribus, cuiuscumque conditionis, status, gradus, ordinis et qualitatis existentibus, ac immunitatis, exemptionis, vel alio quocumque privilegio gaudentibus, iuxta taxam a venerabili fratre Francisco archiepiscopo Patracensi, episcopo Cerviensi, nostro et Sedis Apostolicae in dicto regno nuncio, ac personis ab illo, si ei videbitur, et a clero praedicto nominandis et deputandis, pro reddituum et proventuum quantitate faciendam ac modum et formam, tempus, locumque solutionis praescribenda, petendum et exigendum apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, imponimus.

Necessariasque ad id facultates deputatis concedit.

§ 3. Eidemque Ioanni Francisco archiepiscopo et nuncio ac clero praefato, quascumque personas ecclesiasticas ad exactionem subsidii huiusmodi pariter constituendi et deputandi, quodque ut pecuniae ex subsidii huiusmodi exactione provenientes personae a dicto clero regni praedicti similiter deputandae, per eam in praefatos et non alios usus erogandae, consignentur, mandandi et praecipiendi, contradictores quoslibet et rebelles, ac sibi in praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, omni et quacumque appellatione, recursu et reclamatione prorsus remotis et postpositis, compescendi et compellendi, aliaque in praemissis et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna, etiamsi talia sint vel fuerint quae magis specialem, specificam et expressam requirerent mentionem, faciendi, dicendi, gerendi et exe-

1 Heic forsan deest partic. *non* (R. T.).

1 Verba *et similiter* praeter rem esse puto (R.T).

quendi, plenam, liberam et amplam facultatem concedimus et impartimur.

Poenas praedictos deputatos impedientibus infligit.

§ 4. Districtius inhibentes patriarchis, archiepiscopis, episcopis, praepositis, decanis, capitulis, canonicis, rectoribus, beneficiatis, necnon abbatibus, prioribus, commendatariis, abbatissis, priorissis et superioribus, aliisque supradictis, sub excommunicationis maioris, a qua non nisi per summum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi possint, necnon privationis omnium et singulorum dignitatum, canonicatuum et praebendarum, monasteriorum, officiorum, administrationum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum per eos obtentorum, inhabilitatisque ad illa et alia imposterum obtinenda, aliisque arbitrio nostro statuendis, moderandis et infligendis poenis, ne eumdem Ioannem Franciscum archiepiscopum et nuncium, seu ab eo et clero praedicto deputandos, super praemissis omnibus et singulis, etiam vigore quorumcumque privilegiorum, indultorum, immunitatum, exemptionum et aliarum gratiarum eis vel eorum ecclesiis, ordinibus, monasteriis, domibus et prioratibus quomodolibet concessorum, confirmatorum, approbatorum et innovatorum, impedire, perturbare, molestare, vel inquietare audeant seu praesumant.

Clausulae.

§ 5. Decernentes, praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dictis, ac nostrâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac ecclesiarum, necnon Ordinum, congregationum, monasteriorum, domorum et prioratuum praedictorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, legibus etiam municipalibus et institutis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis, eorumque ecclesiis, bonis et beneficiis, ac superioribus et personis, etiam per viam legis aut statuti perpetui, ac etiam iuramenti, seu stipulati contractus, ac aliàs, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficiente derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

In exactione subsidii leges Concilii Viennensis servandae.

§ 7. Volumus autem, quod dictâ summâ unius millionis cum dimidio francorum huiusmodi semel solutâ, praesens gratia nullatenus suffragetur, neque exactioni amplius locus sit; quodque etiam, iuxta ordinationem in concilio Viennensi super hoc editam, sacri calices, libri et alia or-

namenta ecclesiarum, beneficiorum et aliorum supradictorum, divino cultui dicata, ex causâ pignoris, vel aliàs occasione solutionis summae huiusmodi, nullatenus capiantur, distrahantur, vel occupentur, neque propterea bona stabilia ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum et aliorum beneficiorum praedictorum ullo modo alienentur, exceptis tamen iis, quae dudum de licentiâ Sedis Apostolicae cum pacto seu facultate illa redimendi alienata reperiuntur, quae[1] si in eventum, in quem redimantur, illa, pro praesentibus necessitatibus sublevandis, iterum cum pacto et facultate redimendi similibus quibusvis personis meliorem conditionem offerentibus alienari posse concedimus;

Fides danda transumptis.

§ 8. Et pariter, quod praesentium transumptis, sigillo alicuius praelati ecclesiastici et publici notarii subscriptione munitis, eadem prorsus fides in iudicio adhibeatur et extra illud, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII novembris MDCXXVII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 12 novembris 1627, pontif. anno V.

CCLXX.

Confirmatio et innovatio constitutionis Pii Papae V contra monetarios, eiusdemque ad quascumque personas ecclesiasticas, seculares ac cuiusque Ordinis, necnon etiam Militiarum, regulares[2].

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

In supremâ pastorali speculâ, meritis licet imparibus, à Domino constituti, ut noxia ab eius grege arcentes eiusdem salutari regimini prospiciamus, non sine magno animi moerore videmus eo nostri temporis iniquitates esse progressas, ut iis, quibus onus incumberet pacem evangelizandi et charitate proximum prosequendi, suae vocationis immemores, a cupiditatum vortice abrepti, adulterinae monetae crimen perpetrare, sive perpetrantibus opem praestare, non erubescant, nec reformident. Quare praedecessorum nostrorum constitutiones desuper editas innovantes, extendentes et ampliantes, huiusmodi perditorum hominum, quos suae existimationis consideratio in officio non continet, condignâ poenarum severitate temerarios et nefarios ausus intendimus coërcere.

Pius V edidit Constitutiones contra monetarios indicatam in notâ ad rubricam.

§ 1. Cum itaque felicis recordationis Pius Papa V praedecessor, noster attendens, quod, licet monetarum aurearum tonsoribus de iure ultimi supplicii esset inflicta poena, argenteas tamen monetas tondentibus satis minor erat imposita, omnes eos, qui argenteas tonderent, ultimi supplicii, et eâdem qua aurearum tonsores eâtenus puniti fuerant et de iure puniri debent, poenâ puniendos esse statuerit, prout in cedulâ Motusproprii manu eiusdem Pii praedecessoris subscriptâ plenius continetur:

Eam Urbanus approbat et innovat.

§ 2. Nos, motu proprio, ac ex certâ scientiâ, merâque deliberatione nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione, statutum, voluntatem et mandatum Pii praedecessoris praefati, tenore praesentium, approbamus, confirmamus et innovamus;

Et ad omnes personas ecclesiasticas in Italia ampliat.

§ 3. Ac ad omnes et singulas personas ecclesiasticas etiam quomodolibet exemptas, tam seculares quam cuiusvis Ordinis, congregationis, societatis et instituti, etiam de necessitate exprimendi, necnon militiarum quarumcumque, etiam hospitalis

1 Sequens syntaxis imperfecta (R. T.).

2 Pii V Constitutionem, quae hîc innovatur ac extenditur, vide tom. VII, pag. 861, eiusque initium est *Cum nil magis*.

S. Ioannis Hierosolymitani, regulares non solum in Statu Ecclesiastico mediate vel immediate nobis et Sedi Apostolicae subiecto, sed etiam in omnibus et singulis provinciis, regnis, civitatibus, terris, oppidis, castris et locis in Italia dumtaxat existentibus, qui aureas vel argenteas monetas tondere, fabricare, colorare, vel aliàs adulterare, seu etiam quomodolibet adulteratas scienter erogare aut exponere praesumpserint, extendimus et ampliamus.

Reos, praevià degradatione, curiae seculari tradi iubet.

§ 4. Volentes, ut culpabiles in praemissis reperti, praevià degradatione, curiae seculari puniendi tradantur.

Materiam seu opem ad praemissa praestantibus poenas imponit.

§ 5. Pecunias vero sic, ut praefertur, adulteratas scienter detinentibus, seu de loco ad locum transferentibus, aut materiam, instrumenta, sive opem ad praemissa praestantibus, poenam triremium per decennium imponimus.

Iudices huiusmodi causarum deputat.

§ 6. Et cognitionem causarum huiusmodi, quoad personas ecclesiasticas praefatas, tam seculares quam regulares, in provinciis nobis et Sedi praefatae subiectis, ad sanctae Romanae Ecclesiae cardinales in eisdem provinciis de latere legatos et prolegatos pro tempore existentes, in aliis vero omnibus et singulis provinciis, regnis, civitatibus, oppidis, castris et locis, tam sub nostrâ et dictae Sedis, quam cuiusvis alterius principis ditione, in Italia tantum, comprehensis, privative quoad omnes etiam superiores religiosorum, ipsisque superioribus penitus exclusis, ad Ordinarios locorum spectare etiam volumus, mandantes propterea venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis et episcopis, singulis videlicet in suis civitatibus et dioecesibus, et, quoad loca intra fines alicuius dioecesis non tamen de dioecesi existentia, ipsarum dioecesum, intra quarum fines eadem loca extiterint, quo vero ad ea quae extra fines alicuius dioecesis consistunt, vicinioribus eorumdem locorum Ordinariis, quatenus, ad instantiam cuiusvis fisci, vel etiam cuiusvis denunciatoris, causarum huiusmodi cognitiones suscipientes, praevià etiam avocatione a quibusvis aliis, in causis ipsis modo praemisso procedant omnibus iuris et facti remediis opportunis, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio.

Cognitionem huiusmodi causarum impedientibus poenas infligit.

§ 7. Inhibentes insuper tam decanis et capitulis ecclesiarum cathedralium, metropolitanarum et patriarchalium, necnon quorumvis Ordinum et locorum regularium, societatum et institutorum ac etiam hospitalis praefatorum superioribus, conventibus et fratribus, quantumvis exemptis, ne, sub privationis beneficiorum et officiorum per eos respective obtentorum, ac inhabilitatis ad alia in futurum obtinenda, vocisque activae et passivae, necnon excommunicationis latae sententiae eo ipso incurrendis poenis, legatos et prolegatos, ac Ordinarios locorum, ut praefertur procedentes, quoquomodo impedire, molestare, aut perturbare audeant, vel praesumant; ac etiam mandantes, ut, quoties ad id fuerint requisiti, religiosos ipsos, etiamsi superiores alicuius loci regularis actu fuerint, ipsis legatis, prolegatis et Ordinariis, vel aliis, quibus iidem legati, prolegati et Ordinarii mandaverint, consignent cum scripturis et actis, si quae facta fuisse reperiantur.

Clausulae.

§ 8. Sicque, et non aliter, in praemissis per quoscumque iudices ordinarios, delegatos et commissarios, et etiam camerae praedictae clericos praesidentes, nec non causarum palatii apostolici et curiae eiusdem camerae generales auditores, ac sanctae Romanae Ecclesiae camerarium, et alios cardinales, etiam de latere legatos, necnon vicecamerarium, iudicari et definiri ac interpretari debere, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate,

ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Obstantium derogatio.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciarum, regnorum, civitatum, terrarum, oppidorum, locorum, ecclesiarum, monasteriorum, militiarum, hospitalium, etiam S. Ioannis, praefatorum, et aliorum religiosorum ac piorum locorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem provinciis, regnis, civitatibus, terris, oppidis, locis, ecclesiis, monasteriis, hospitalibus et militiis, etiam S. Ioannis, ut praefertur, et aliis religiosis et piis locis, universitatibus, capitulis, superioribus et personis in contrarium quomodolibet concessis, ac etiam pluries iteratis vicibus approbatis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum praesentium dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicatio in Urbe omnes in Italia existentes afficit.

§ 10. Volumus autem, quod praesentes in valvis ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis apostolorum de Urbe, necnon cancellariae apostolicae, et in acie Campi Florae publicentur et affigantur, quae, postquam sic affixae et publicatae fuerint, post duos menses a die publicationis huiusmodi computandos, quoscumque tam in Statu nostro, quam extra eum ubique locorum, in Italia tamen, existentes, perinde arctent et afficiant, ac si unicuique nominatim et personaliter intimatae fuissent;

Exemplorum fides.

§ 11. Quodque earum exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae iisdem praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Decretum poenale.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam approbationis, confirmationis, innovationis, extensionis, ampliationis, impositionis, voluntatum, derogationis, mandatorum et decreti nostrorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXVII, idibus novembris, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 13 novembris 1627, pontif. anno V.

Anno a Nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCXXVIII, *indictione* XI, *die vero* XXVIII *mensis ianuarii, pontificatus Sanctissimi D. N. D. Urbani divinâ providentiâ Papae VIII, anno eius* V, *retroscriptae litterae apostolicae affixae et publicatae fuerunt ad valvas basilicarum S. Ioannis Lateranensis, et Principis apostolorum de Urbe, cancellariae apostolicae, et in acie Campi Florae, dimissis ibidem praesentibus litteris per aliquod temporis spatium appensis, et deinde amotis, ut moris est, per nos Augustinum de Bolis Romanum et Brandimartem Latinum apostolicos cursores.*

MARTIUS SPADA, magister.

CCLXXI.

Confirmatio decreti Congregationis sacrorum rituum super praecedentiâ confratrum Ordinis Ioannis Dei, ac fratrum Ordinum Mendicantium; et quarumcumque controversiarum super praemissis pendentium extinctio[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Commissi nobis, per abundantiam divinae gratiae, pastoralis officii debitum postulat, ut sacrarum religionum et congregationum, in Ecclesiâ Dei ad illius laudem et gloriam, pauperumque solamen, atque subsidium, pie sancteque institutarum, illarumque personarum paternam curam gerentes, in his praecipue mentis nostrae aciem assidue intendamus, per quae illarum paci et quieti, felicique statui consulitur, ut personae ipsae, sublatis controversiarum materiis, in pacis amoenitate vota sua Domino reddant.

Facti series et sanctae Congregationis decretum. § 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Seraphinus Levisellus, procurator generalis Congregationis confratrum Ioannis Dei, nobis nuper exponi fecit, confratribus praedictis multis in locis a fratribus Ordinum Mendicantium nonnullae controversiae de et super praecedentiâ moverentur, ac, provide habito per ipsum eorumdem confratrum nomine ad venerabiles fratres nostros S. Romanae Ecclesiae cardinales sacris ritibus praepositos recursu, iidem cardinales, referente dilecto filio nostro Tiberio tituli sanctae Priscae presbytero cardinali Muto nuncupato, censuerint in eorumdem confratrum favorem litteras in formâ Brevis felicis recordationis Gregorii Papae XIII praedecessoris nostri, sub die XV iulii MDLXXXIII super fratrum Mendicantium Ordinum huiusmodi praecedentiâ editas, servari debere, a tempore tamen quo dicti confratres declarati fuerunt religiosi, prout in decreto desuper emanato plenius dicitur contineri:

Quod confirmatur. § 2. Nos, praemissis, quantum cum Domino possumus, obviam ire, pacique et quieti dictorum confratrum, semotis controversiarum incommodis, consulere, ipsosque confratres specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus dicti Seraphini congregationis huiusmodi nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praedictum apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Super huiusmodi controversiis perpetuum silentium imponitur. § 3. Necnon omnes et quascumque controversiarum huiusmodi causas et molestias super praemissis et illarum occasione hactenus quomodolibet motas et pendentes, cum omnibus suis annexis et dependentibus, ad nos harum serie avocantes, illas penitus extinguimus, ac tam confratribus quam fratribus Mendicantibus praedictis, et quibusvis aliis interesse habentibus seu praetendentibus, perpetuum super praemissis silentium imponimus.

Cum inhibitione, etc. § 4. Districtius inhibentes quibusvis iudicibus et personis quavis auctoritate fun-

1 Praecedentias inter Ordines Mendicantium et Confraternitates Laicorum in processionibus declaravit Gregor. XIII in Const. CLII, *Exposcit*, tom. VIII, pag. 429. Et de religione Ioannis Dei vide plura in Pauli V Const. CLXXIII, *Romanus*, (in h. n. ed. CLXXVI, tom. XII, pag. 3), et huius Urbani VIII Const. LIX, *Sacrosanctum* (in. h. n. ed. LXVII, sup. pag. 169).

gentibus, ne fratres Mendicantes huiusmodi, seu alios pro eis, super praemissis ulterius audire, seu aliàs desuper se ingerere quoquomodo audeant seu praesumant, ac volentes, et eâdem auctoritate decernentes et declarantes, quod confratres praedicti praecedentiam, iuxta dictarum litterarum ipsius Gregorii praedecessoris decretique in eorum favorem emanati huiusmodi formam et continentiam, habeant, illâque perpetuo fruantur et gaudeant, irritumque et inane quidquid secus super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentatum forsan est vel imposterum contigerit attentari.

Exequutores huius Constitutionis designantur.

§ 5. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, aliisque locorum Ordinariis, in quorum dioecesibus congregationis huiusmodi hospitalia erecta reperiuntur, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte fratrum praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ confratres praedictos praesentibus litteris, illarumque commodo et effectu adversus quoscumque perturbatores pacifice frui et gaudere, non permittentes illos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contraria tolluntur.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Mendicantium Ordinibus, illorumque superioribus, et quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda esset, illorumque tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fides additur.

§ 7. Volumus autem quod praesentium transumptis, etiam impresssis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI novembris MDCXXVII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 26 novembris 1627, pontif. anno V.

CCLXXII.

Liparensem Ecclesiam a iure metropolitico Messanensis eximit, et Sedi Apostolicae immediate subiicit [1].

Urbanus Episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex, cuius principatum super omnes extulit Altissimus, cathedralium ecclesiarum praesules interdum a

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

metropoliticâ, cui suppositi sunt, subiectione segregandos, et Sedis Apostolicae patrocinio ac iuri titulari immediate subdit, quos erga dictam Sedem obsequia multipliciter commendant, et amplioribus meritis iuvari agnoscit, ac eorum contemplatione sui favoris praerogativam in successores, et illis subditos derivare libenter permittit, ut sub tranquillâ ipsius protectione vivere gaudeant, et aliorum animi servitiorum illi fideliter praestitorum gratiam gestiant promereri.

Refert electum nuper a se episcopum Liparensem.

§ 1. Cum itaque nos hodie ecclesiae Liparensi, tunc per obitum bonae memoriae Alberti episcopi Liparensis, extra Romanam curiam defuncti, pastoris solatio destitutae, de personâ dilecti filii Iosephi electi Liparensis, ac familiaris et continui commensalis nostri, nobis et venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus ob suorum exigentiam meritorum acceptâ, de fratrum eorumdem consilio, apostolicâ auctoritate providerimus, ipsumque illi in episcopum praefecerimus, et pastoralem curam, regimen et administrationem ipsius ecclesiae Liparensis sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris desuper expeditis litteris plenius continetur: nos, eumdem Iosephum electum, eiusque gratorum familiaritatis et devotionis nobis et Apostolicae Sedi hactenus impensorum obsequiorum et meritorum intuitu, et illius in dictâ ecclesiâ Liparensi successores praesules seu administratores pro tempore existentes, ac ecclesiam ipsam et civitatem Liparensem aliquâ potiori praerogativâ prosequi volentes; ipsumque Iosephum electum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes; motu proprio, non ad ipsius Iosephi electi, seu alterius pro eo desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ nostrâ, meràque deliberatione, ac de apostolicae potestatis plenitudine, habitâ prius super his cum eisdem fratribus deliberatione maturâ, de simili fratrum eorumdem consilio, ipsum Iosephum electum, eiusque in dictâ ecclesiâ Liparensi successores praesules seu administratores pro tempore existentes, ac ecclesiam ipsam Liparensem, et dilectos filios illius capitulum, canonicos, clericos, beneficiatos, et quosvis alios ministros, officiales et personas, ac episcopalis et capitularis Liparensis mensarum bona, res, iura quaecumque, cuiuscumque qualitatis et quantitatis existant, ac civitatem Liparensem praedictam, omniaque et singula oppida, loca, castra, terras, villasque, episcopo Liparensi pro tempore existenti in spiritualibus subiecta, si quae sint, eorumque ac singulorum ipsorum territoria, terminos, districtus, communitates, universitates, cives, incolas, habitatores, ecclesiarum rectores, vicarios, cappellanos, beneficiatos et alios inibi beneficia ecclesiastica quomodolibet nuncupata et qualificata obtinentes, necnon collegia, seminaria, hospitalia, confraternitates, consortia, prioratus, ac ecclesias, monasteria etiam monialium et domos regulares cuiuscumque Ordinis, aliaque tam secularia quam regularia et pia loca quaecumque, ab omni et quacumque nunc et pro tempore existentium Messanensis et quorumvis aliorum archiepiscoporum, patriarcharum et primatum, eorumque iudicum, officialium, ministrorum, ac ipsorum ecclesiarum capitulorum, canonicorum et dignitates in eis obtinentium iurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate, potestate et universo iure metropolitico, ac solutione decimarum, si qua eis debitae sint, de cetero faciendâ (ita ut

Eumque, ac successores a iure metropolitico Messanensis archiepiscopi eximit;

archiepiscopus Messanensis, et alii praefati, in illos et illa aliquem visitationis, iurisdictionis ac superioritatis, vel iuris metropolitici actum exercere, aut aliquam sententiam, censuram et poenam promulgare, aut recognitionem superioritatis, vel decimarum huiusmodi praestationem ab eisdem petere aut pretendere nullatenus possint), apostolicâ auctoritate praedictâ, tenore praesentium, perpetuo penitus et omnino eximimus, et totaliter liberamus, illaque omnia et singula nobis et Sedi Apostolicae praedictae immediate etiam perpetuo, dictâ auctoritate, subiicimus et supponimus, ac sub beatorum Petri et Pauli apostolorum curâ et protectione recipimus. Decernentes Iosephum electum, et successores, necnon ecclesiam et civitatem Liparensem, ac omnia territoria et personas, aliaque praemissa, ex nunc de cetero perpetuis futuris temporibus ab archiepiscoporum, patriarcharum, primatum ac iudicum, officialium et ministrorum, aliorumque praedictorum iurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate, potestate, iure metropolitico et decimarum solutione huiusmodi libera et exempta, ac nobis et Sedi praedictae immediate subiecta, ac sub curâ et protectione huiusmodi recepta esse et fore, et quamcumque visitationem, iurisdictionem aut superioritatem aliquam quomodolibet denotantia, et quascumque promulgationes, quas per archiepiscopum Messanensem et alios praedictos, vel eorum aliquem (quibus omnimodam haec deinceps faciendi, ac decimas huiusmodi exigendi aut petendi, undecumque et quomodocumque illis attributam, motu pari abrogamus auctoritatem), ac si qua[1] contra tenorem praesentium fieri contigerit, nulla, invalida, nulliusque roboris et momenti fore et esse, ac pro nullis et infectis haberi debere;

Ac Sedi Apostolicae immediate subdit.

1 Hic et fine p. praec. ed. Main. h. *quae* (R. T.).

§ 2. Easdemque praesentes semper et perpetuo validas et efficaces existere, neque ex eo quod archiepiscopi, patriarchae, primates, ac ministri, iudices et officiales praedicti, aliique in praemissis ius forsan habentes, aut habere praetendentes, vocati et auditi, et causae, propter quas praemissa a nobis emanarint, coram eisdem archiepiscopis, patriarchis, primatibus, seu aliis dictae Sedis delegatis, iustificatae et verificatae non fuerint, aut quavis aliâ de causâ, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari unquam posse; sicque, et non aliàs, per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quacumque auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac nostrâ de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac eorumdem archiepiscoporum, patriarcharum, primatum, ecclesiarum (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis ac archiepiscopis, patriarchis, primatibus et officialibus huiusmodi, aliisque personis, in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi aliàs pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, ac individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem im-

Obstantia tolluntur.

portantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, consilio et potestatis plenitudine paribus, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae poenales.

§ 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, exemptionis, liberationis, subiectionis, suppositionis, receptionis, abrogationis, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem secus hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXVII, III kalendas decembris, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 29 novembris 1627, pontif. anno V.

CCLXXIII.

Nuntius Hispaniarum commissarius deputatur ad exigendam summam mille quingentorum scutorum, seu eius residuum, pro fabricâ ecclesiae S. Ioannis Lateranensis ratione ampliationis facultatum cruciatae impositam [1].

Venerabili fratri Ioanni Baptistae patriarchae Antiocheno, nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio,
Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Recenset prorogatum a se cruciatae indul-

§ 1. Cum nos aliàs facultates sanctae cruciatae in regnis Hispaniarum, in locis tunc expressis per Romanos Pontifices praedecessores nostros concessas, et saepius prorogatas, sub certis modo et formâ tunc similiter expressis, aliquâ ex parte ad quinquennium tunc proximum ampliaverimus, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis sub die XIV iunii MDCXXIV expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur; et quoniam Rodericus Gomez de Silvâ dux Pastranae, tunc charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici apud nos et Apostolicam Sedem orator, eiusdem Philippi regis nomine pollicitus fuerit, quod thesaurarii pecuniarum ex facultatibus huiusmodi proveniendarum summam mille quingentorum scutorum nobis, aut cui per nos ordinatum fuisset, in subventionem fabricae S. Ioannis Lateranensis de Urbe, quotannis, durante tempore concessionis facultatum praedictarum, persolvent:

tum ea sub lege, ut MD scuta quotannis pro fabrica basilicae Lateranensis persolvantur.

Exactorem deputat nuncium apostolicum.

§ 2. Nos, cupientes fabricam huiusmodi omni ope promovere, ac de tuis fide, integritate et diligentiâ plurimum in Domino confisi, te et pro tempore existentem nostrum et Apostolicae Sedis in dictis regnis nuntium, ad summam mille quingentorum scutorum huiusmodi, seu dictae summae residuum, debitis temporibus a praedictis thesaurariis, seu aliis personis pecunias praedictas solvere debentibus, per te, vel alium, seu alios loco tui, periculo tamen tuo, deputatos [1], petendum, exigendum, levandum et recuperandum, ac de exactis, levatis et recuperatis quietandum et absolvendum, nostrum et praedictae fabricae procuratorem et commissarium, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, facimus, constituimus et deputamus.

Qui huiusmodi pecuniam Romam mittat.

§ 3. Volentes, quod omnes et singulas pecuniarum summas, per te pro tempore sic exactas, ac prout illas in dies exigi

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

1 Erronee edit. Main. legit *deputatis* (R. T.).

contigerit, Romam traiicias, ac praefectis per nos deputandis, vel quibus iidem praefecti seu eorum maior pars ordinaverit, realiter et cum effectu persolvas, ac persolvi facias.

Ratumque habet, quidquid ab eo gestum fuerit.

§ 4. Nos enim, quidquid per te in praemissis actum, gestum, dictum et procuratum fuerit, gratum, ratum et firmum habebimus, teque de omni et toto eo, quod praefectis aut aliis pro tempore de eorum mandato persolveris, aut persolvi feceris, ex nunc prout ex tunc auctoritate et tenore praedictis liberamus, quietamus et absolvimus.

Obstantibus derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ipsius fabricae (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, etiam certam formam in confectione quietantiarum requirentibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV decembris MDCXXVII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 24 decembris 1627, pontif. anno v..

CCLXXIV.

Extensio indulti recitandi officium et celebrandi missam de beata Maria Magdalena de Pazzis in omnibus ecclesiis tam in dioecesi Florentinâ quam in universâ ditione temporali magni ducis Hetruriae.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Refert, se venerabilem Mariam Magdalenam beatorum albo adnumerasse.

§ 1. Aliàs, pro parte dilecti filii nobilis adolescentis Ferdinandi, Hetruriae sibi subiectae magni ducis, ac dilectarum in Christo filiarum nobilium mulierum Mariae Magdalenae archiducissae Austriae et Christiernae a Lotharingia Hetruriae similiter sibi subiectae magnarum ducissarum viduarum, necnon priorissae et monialium monasterii sanctae Mariae Angelorum nuncupati in burgo sancti Fridiani civitatis Florentinae, nobis exposito, quod bonae memoriae ancilla Dei Maria Magdalena de Pazzis Florentina monialis multis et eximiis virtutum et gratiarum ac miraculorum donis a Domino illustrata fuerat, et propterea pro parte dictorum exponentium nobis humiliter supplicato, ut, donec canonizationis honor dictae ancillae Dei Mariae Magdalenae ob eius excellentia merita ab Apostolicâ Sede decernatur, eadem ancilla Dei Maria Magdalena Beata nuncupari, atque officium et missa de eâ recitari et celebrari posset: nos, re prius per venerabiles fratres nostros sanctae Romanae Ecclesiae cardinales sacris ritibus praepositos, quibus eam examinandam mandaveramus, mature discussâ, de eorumdem cardinalium consilio, huiusmodi supplicationibus tunc inclinati, ut ipsa ancilla Dei Maria Magdalena Beata nuncupari, officiumque et missa de eâ sub certis modo et formâ tunc expressis recitari et celebrari respective posset et valeret, apostolicâ auctoritate concessimus et indulsimus [1].

Ac declarasse, eam monialem fuisse Carmelitam et in Ordinis ecclesis missam de eâ celebrari posse.

§ 2. Subinde vero, supplicationibus dilectorum filiorum generalis, aliorumque superiorum et fratrum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo nobis humiliter porrectis pariter inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, dictam beatam Mariam Magdalenam de Pazzis dicti Ordinis monialem, dum vixit, fuisse declaravimus, quodque in omnibus monasteriis, locis et ecclesiis dicti Ordinis in ipsius beatae Mariae Magdalenae obitus, seu aliâ subsequenti non impeditâ die, singulis annis ab omnibus utriusque sexus eiusdem Ordinis religiosis officium et missa, et a confluentibus ad ecclesias dicti Ordinis, in almâ Urbe nostrâ et in civitate Florentinâ existentes, missa dumtaxat de eadem beatâ

1 Vide sup. pag. 456 (R. T.).

Mariâ Magdalenâ, tamquam de communi Virginis non Martyris, iuxta ipsius Ordinis breviarium a Sede Apostolicâ approbatum, ac rubricas breviarii et missalis romani, in futurum recitari pariter et celebrari posset, similiter concessimus et indulsimus[1], prout in diversis nostris in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur.

Nunc extendit praedictas Constitutiones prout in rubricâ.

§ 3. Nunc autem, Ferdinandi magni ducis ac priorissae et monialium praedictorum supplicationibus nobis denuo humiliter porrectis inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, quod in omnibus et quibuscumque ecclesiis, tam in dioecesi Florentinâ quam in universâ ditione temporali praefati Ferdinandi magni ducis existentibus, in ipsius beatae Mariae Magdalenae obitus seu aliâ subsequenti non impeditâ die, singulis annis, et officium et missa de eadem beatâ Mariâ Magdalenâ, tamquam de communi Virginis non Martyris, ut praefertur, recitari et celebrari libere similiter et licite possit et valeat, dictâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus pariter et indulgemus.

Contrariis derogat.

§ 4. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi mandat.

§ 5. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae alicuius in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus litteris originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII ianuarii MDCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 18 ianuarii 1628, pontif. anno V.

1 Vide supra pag. 538 (R. T.).

CCLXXV.

Prohibitio transeundi ab Ordine fratrum Reformatorum beatae Mariae de Mercede Redemptionis captivorum ad fratres Calceatos eiusdem Ordinis, absque Romani Pontificis expressâ licentiâ[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Iniuncti nobis apostolici muneris ratio postulat, ut religiosorum votis, qui, spretis huius seculi vanitatibus, divini numinis obsequiis sub suavi religionis iugo sese manciparunt, paternam curam gerentes, ea statuamus et decernamus, per quae prospero, felicique eorum statui et directioni opportune consulatur, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causae istius Constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut dilecti filii vicarius et prior generalis fratrum Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis captivorum Reformatorum nuncupatorum nobis nuper exponi fecerunt, nonnulli ex fratribus huiusmodi, aliquando nullis, aliquando vero levibus ex causis, nullâ tamen super hoc ab Apostolicâ Sede obtentâ licentiâ, ad fratres Ordinis Calceatos nuncupatos se transferre procuraverint, et in dies procurent, non sine regularis observantiae detrimento, ac fratrum tam Calceatorum quam Reformatorum praedictorum inquietudine:

Prohibitio transitus de quo in rubrica.

§ 2. Nos, pro nostri pastoralis officii debito, praemissis, quantum nobis ex alto conceditur, obviam ire, prosperoque fratrum eorumdem statui et quieti consulere volentes, supplicationibus vicarii et procuratoris generalium huiusmodi nobis

1 De fratribus B. Mariae de Mercede et toto eorum statu vide in Const. XLII Gregorii IX, *Devotionis*, tom. III, pag. 485. Et privilegia eidem Ordini concessa novissime confirmavit iste Pontifex in Const. *Ex clementi* quam postea dabimus sub die 9 oct. 1628. Et demum Discalceatos a Calceatis separaverit Const. CCXXIX, *In Sede* (in h. n. ed. CCL, sup. pag. 565).

super hoc humiliter porrectis inclinati, quod de cetero perpetuis futuris temporibus nulli fratrum Reformatorum huiusmodi absque speciali nostrâ et Sedis Apostolicae licentiâ ad fratres Calceatos praedictos, quovis praetextu, aut ex quavis quantumvis iustâ, legitimâ et privilegiatâ causâ, sub apostasiae et infamiae perpetuae notâ, necnon excommunicationis ac privationis vocis activae et passivae poenis, ipso facto absque ullâ declaratione incurrendis, transire;

Prohibitio ne fratres Calceati huius Ordinis huiusmodi transeuntes recipiant.

§ 3. Minusque fratribus Calceatis praedictis, illorumque superioribus, eosdem fratres Reformatos sic, ut praefertur, de facto transeuntes, etiamsi novam professionem regularem emiserint, sub privationis suorum officiorum ac excommunicationis poenis huiusmodi etiam, ut praefertur, incurrendis, recipere vel retinere ullo modo liceat; sed fratres Reformati praedicti, qui secus fecerint, cum primum desuper moniti fuerint, nullâ morâ aut excusatione vel appellatione etiam ad nos seu Sedem Apostolicam interpositis, ad suam propriam congregationem redire, et suorum superiorum correctioni se submittere; fratres vero Calceati seu illorum superiores huiusmodi ipsos fratres Reformatos de facto transeuntes, ut praefertur, ipsorum Reformatorum superioribus, seu ab eis deputandis, statim absque iudicis ministerio tradere et consignare debeant et teneantur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, declaramus.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes sic, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et, quatenus opus sit, Ordinis huiusmodi (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Intimationis effectus.

§ 6. Volumus autem, quod praesentes litterae, postquam in almâ Urbe nostrâ publicatae, ac fratrum tam Reformatorum quam Calceatorum huiusmodi procuratoribus intimatae fuerint, omnes et singulos, quos illae concernunt et concernent in futurum, perinde arctent et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent;

Transumptorum fides.

§ 7. Quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX ianuarii MDCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 19 ianuarii 1628, pontif. anno V.

CCLXXVI.

Statuta nonnulla pro reformatione monachorum Ordinis sancti Benedicti Congregationis sancti Mauri[1].

Urbanus episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In supereminenti apostolicae dignitatis speculâ, meritis licet imparibus, divinâ

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

disponente clementiâ constituti, ad universa orbis monasteria nostrae considerationis intuitum dirigentes, eorumque decori et venustati consulere satagentes, ad ea, per quae divinus in illis cultus augeatur, propensis studiis libenter intendimus, ac ea, quae pro illorum prospero et felici statu, personarumque in eis sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium, provide ac religiose ordinata fuisse dicuntur, ut firmiora perpetuo et illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolico munimine roboramus, ipsosque religiosos, ut eorum vota ad id facilius concurrant, spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus confovemus, ac aliàs desuper disponimus, prout eorumdem religiosorum spiritualis devotio et christianissimorum regum vota exposcunt, et conspicimus in Domino salubriter expedire.

Huius Congregationis erectionem refert.

§ 1. Dudum siquidem[1], felicis recordationis Gregorio Papae XV praedecessori nostro, pro parte charissimi in Christo filii nostri, tunc sui, Ludovici Francorum et Navarrae regis christianissimi, ac dilectorum filiorum S.[2] Augustini prope et extra muros Lemovicensis, ac S. Iuliani de Nobiliaco[3] Pictavensis dioecesis, et S. Faronis prope et extra muros Meldensis, necnon S. Petri de Gemeticis[4] Rhotomagensis dioecesis, ac aliorum monasteriorum priorum et monachorum Ordinis sancti Benedicti, humiliter supplicato, quatenus in regno Franciae unam Congregationem eiusdem Ordinis sub titulo et invocatione seu denominatione S. Mauri ad instar Congregationis Cassinensis seu S. Iustinae de Padua erigere, dictisque prioribus et monachis, ut ad eum effectum praedicta insimul congregare, ac omnia alia non reformata monasteria eiusdem Ordinis, quorum monachos antiquioris disciplinae regularis observantiam in semetipsis renasci facere amor excitaret, eis aggregare possent et valerent, concedere, aliàsque in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaretur: dictus praedecessor, supplicationibus sibi, ut praefertur, porrectis tunc annuens, de voto tunc existentium S. R. E. cardinalium decretorum Concilii Tridentini interpretum, Congregationem S. Mauri huiusmodi erexit et instituit, cum facultatibus et indultis tunc expressis, ac aliàs, prout in litteris apostolicis, sub die XVII mensis maii anni Domini millesimi sexcentesimi vigesimi primi pontificatus sui anno I desuper in formâ Brevis expeditis, plenius continetur.

Necessitatemque concessa ei privilegia augendi.

§ 2. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Ludovici regis ac dilectorum filiorum praesidentis, definitorum, visitatorum, priorum et monachorum monasteriorum dicti Ordinis Congregationis S. Mauri huiusmodi petitio continebat, post huiusmodi erectionem, brevissimo inde temporis spatio, plures diversorum eiusdem Ordinis monasteriorum abbates et monachi, pio quodam desiderio saltem de bonis aliquibus successoribus in ipsis monasteriis providendi excitati, superiores et monachos congregationis reformatae huiusmodi continuis precibus requisiverint de ipsâ reformatione in non reformatos introducendâ, et numerus eorum, qui id postulent, ita in dies augeri dignoscatur, ut clare et evidenter concipiatur, omnia dicti Ordinis monasteria in regni praedicti provinciis existentia intra paucos ab hinc annos, Deo favente et Sede Apostolicâ annuente, iri penitus reformata; et, sicut eadem petitio subiungebat, etiamsi

1 Vide Gregor. XV Const. X, in tom. XII, pagina 533. Vide etiam supra pag. 608 h. volum. Const. CCLXVI, ipsius Urbani VIII (R. T.).

2 Titulum *S.* addimus ex loco parall. cit., tom. XII (R. T.).

3 In loco parall. legitur *Nohaliaco* (R. T.).

4 Loc. cit. legitur *de Gemellis* (R. T.).

praedictus praedecessor, per dictas litteras suas erectionis huiusmodi, congregationem ipsam S. Mauri nonnullis praerogativis, utpote unionis officiorum claustralium mensis conventualibus monasteriorum eiusdem congregationis S. Mauri, et aliis gratiis, quarum favore congregatio ipsa S. Mauri palmites suos iam longe lateque extendere coepit, decoraverit, experientiâ tamen compertum sit, quod ad perfectionem tanti operis (universalem scilicet Reformationem totius Ordinis huiusmodi in tam amplo regno stabiliendam) omnino necessarium videatur, gratias et praerogativas, dictae congregationi S. Mauri per eumdem praedecessorem concessas, diversis aliis indultorum ac facultatum favoribus ampliari, et defectui multorum aliorum, quorum necessitas tempore erectionis praedictae minus praevisa fuit et sine quibus coeptum tam grande finem suum perfectum consequi non potest, suppleri;

Ac praesertim ut bona non reformatorum reformatis applicentur.

§ 3. Propterea praesidens, definitores, visitatores et priores dictae congregationis S. Mauri praedicti, attendentes, reformationem praedictam in nonnullis monasteriis stabiliri ac perfectam observantiam inibi exerceri non posse, nisi prius omnia loca regularia eorumdem monasteriorum in integrâ et liberâ possessione dictorum reformatorum constituta, et totalis etiam dispositio temporalium reddituum mensarum conventualium pro victu et vestitu monachorum, prout et officiorum claustralium, eis affecta remaneant, et insuper ad subveniendum tot tantisque monasteriis, quae in dies eidem congregationi S. Mauri offeruntur, sibi magno superiorum numero opus esse, et diversarum gratiarum auxiliis illam indigere:

Quod a Galliae rege, ac huiusmodi Congregationis superioribus efflagitatur.

§ 4. Quare, tam ipsius Ludovici regis nomine per dilectum filium nobilem virum Philippum de Bethune, ipsius Ludovici regis apud nos et Sedem praedictam oratorem extraordinarium, quam pro parte praesidentis, definitorum, visitatorum, priorum et monachorum reformatorum praefatorum, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in praemissis opportune providere de simili benignitate dignaremur.

Urbanus monasteria omnia, eorumque redditus, etc., reformatis attribuit.

§ 5. Nos igitur, qui devotionis et piorum operum incrementum, ac divini cultus augmentum, et religionis propagationem, ac quorumlibet Ordinum et monasteriorum reformationem ubique promoveri sinceris optamus affectibus, praesidentem, definitores, visitatores, priores et monachos reformatos praedictos amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, ipsosque, ac dictae congregationis S. Mauri singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon litterarum praedecessoris praefati tenores praesentibus pro expressis habentes, posterioribus supplicationibus huiusmodi inclinati, ex voto venerabilium fratrum nostrorum eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum, superioribus et monachis dictae congregationis S. Mauri, quod[1] (ut omnis via religiosos non reformatos perpetuandi in monasteriis, in quibus reformati ipsi introducti fuerint, praecludatur) illi cum abbatibus et perpetuis commendatariis ac officialibus claustralibus, monachis, cappellanis seu beneficiatis regularibus non reformatis monasteriorum dicti Ordinis, seu prioratuum conventualium et non conventualium, ac cappellaniarum et beneficiorum regu-

1 Heic et postea semper intellige *concedimus et indulgemus quod possint et valeant*, quae verba sequuntur ad finem § 8 (R. T.).

larium ab illis dependentium, super titulorum et functionum officiorum claustralium, et tam illorum, quam temporalium reddituum mensarum conventualium huiusmodi, necnon iurisdictionum eorumdem dimissione in favorem dictorum reformatorum, sub concessione et reservatione praestationis certae annuae summae pecuniarum, et quantitatis vini, frumenti et aliarum rerum ipsis, pro eorum portionibus monachalibus sive aliis debitis redditibus, per dictos reformatos dandâ[1], cum qua dicti non reformati, de speciali nostrâ licentiâ, in particularibus aedibus separatim et seorsim a communitate dictorum reformatorum, et extra loca regularia, eis, ut praefertur, relicta, intra tamen septa eorumdem, seu aliorum eiusdem Ordinis monasteriorum, quousque diem suum claudant extremum, seu quousque bonis dictorum reformatorum vitae ac morum exemplis inducti reformationem congregationis S. Mauri huiusmodi amplecti velint, et viceversâ ipsi monachi non reformati desuper cum eisdem reformatis valeant convenire, ita quod ex tunc dicti officiales claustrales, cappellani et beneficiati regulares non reformati redditus mensarum, ac officia, cappellanias et beneficia monasteriorum seu prioratuum, ac aliorum regularium locorum ab ipsis monasteriis dependentium huiusmodi, redditus quidem mensarum et officiorum in favorem mensarum conventualium dictorum reformatorum, cappellanias vero, beneficia et prioratus huiusmodi in favorem particularium dictae congregationis S. Mauri monachorum cedere, et de non resignandis officiis cappellaniis et beneficiis, per eos obtentis, in aliorum quam reformatorum eorumdem favorem promittere et ad id se obligare, dicti vero reformati officialibus claustralibus, cappellanis et beneficiatis huiusmodi, partem aliquam, etiam maiorem, vel forte totalem, fructuum, reddituum et proventuum officiorum, cappellaniarum et beneficiorum regularium praedictorum, vitâ dictorum non reformatorum durante dumtaxat, reservare et assignare possint;

Pluraque pro huiusmodi reformationis faciliori progressu statuit.

§ 6. Et insuper eidem congregationi S. Mauri, seu illius capitulo generali, ut (attentâ penuriâ monachorum reformatorum nascentis congregationis huiusmodi, et quantitate locorum regularium, ad quae pro introducendâ in illis reformatione ipsi vocantur) eiusdem congregationis S. Mauri monachos, etiam prioratus aliquos ac officia claustralia et alia quaecumque quomodolibet nuncupata et qualificata beneficia regularia dicti seu Cluniacensis Ordinis obtinentes, a monasteriis, a quibus illa dependent (etiamsi teneantur, ratione fundationis illorum et provisionum sibi de illis apostolicâ seu ordinariâ auctoritate factarum[1], seu ex nunc in futurum faciendarum, ad residentiam in dictis monasteriis, seu aliis locis regularibus, a quibus, ut praefertur, dependentia fuerint), ad alia monasteria seu loca regularia dictae congregationi S. Mauri iam aggregata, seu in futurum aggreganda, pro functionibus, seu muneribus, ad quae ab eorum superioribus habiles et idonei visi fuerint, subeundis, ac aliàs, pro eorumdem monasteriorum seu locorum regularium reformatorum necessitate, et novitiorum, aut aliarum in illis degentium personarum, tam in litterarum et scientiarum, quam disciplinae regularis dictae congregationis reformatae eruditione et instructione (supportatis interim per alios eiusdem congregationis S. Mauri monachos prioratuum, cappellaniarum et beneficiorum praedictorum debitis et consuetis oneribus), ad tempus sibi benevisum transferre; priores quoque et novitiorum magi-

1 Nisi potius legi debeat *dandae*, nempe *summae* et *quantitatis* praedictae (R. T.).

1 Vocem *factarum* nos addimus (R. T.).

stros, ac alios quoscumque superiores monasteriorum, in quibus reformatio huiusmodi iam introducta est, seu introducetur in futurum, etiamsi ipsi in dictâ congregatione S. Mauri per tempus in illius constitutionibus et litteris praedictis praefixum non remanserint, ad[1] superioritates, munera, officiaque huiusmodi, dummodo aliàs ad id idonei reperti fuerint, canonice eligere; et eos, seu alios, seu etiam definitores ac visitatores, ad tempus tam citra quam ultra terminum in dictae congregationis constitutionibus et illius erectionis litteris praefixum, si ad id cogat necessitas et superiorum capacium penuria, quoad usque validior fiat dicta congregatio S. Mauri, et pro bono illius, ad arbitrium capituli generalis in suis superioritatibus, officiis et muneribus continuare; et monachos ad sacros ordines suscipiendos, non expectato tempore praefixo per easdem constitutiones et erectionis litteras, dummodo etiam aliàs aetate, moribus et doctrinâ ad id sint idonei, ac servatis servandis, transmittere; necnon statuta et constitutiones, prout necesse fuerit, condere, et iam condita et condenda, si id per capitulum generale dumtaxat legitime congregatum omnino necessarium videatur pro maiori Dei gloriâ et feliciori successu totius congregationis S. Mauri huiusmodi, moderari, immutare et abrogare; et inter alia[2], quod monachi eiusdem congregationis S. Mauri omnia beneficia dicti et Cluniacensis Ordinum, quamvis etiam a diversis monasteriis, in quibus congregatio reformata huiusmodi introducta non est, descendentia, seu officia claustralia, et quascumque pensiones, quae sive ante professionem regularem, sive post illam obtinuerint, sive in futurum obtinebunt, in titulum quidem illa teneant, ita tamen, ut nullo modo in posterum de titulis ipsis, neque de fructibus eorum seu pensionum, possint in particulari disponere, sed omnimoda eorum dispositio penes superiores et officiarios dictae congregationis S. Mauri, seu illius monasteriorum, ac in communem usum tantum remaneant, statuere;

Indulgentiarum concessio.

§ 7. Et denique iisdem monachis reformatis, ac omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui ecclesias monasteriorum congregationis S. Mauri huiusmodi in singulis diebus festivis sanctorum Benedicti et Mauri, necnon titularium seu patronorum ecclesiarum earumdem, vere poenitentes, ac sacrâ communione refecti, visitaverint, piasque ad Deum preces pro sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, et christianorum principum concordiâ effuderint, ut plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam consequi;

Privilegiorum communicatio.

§ 8. Eidem vero congregationi S. Mauri, ac illius monachis professis et nondum professis, commissis, famulis, officialibus, domesticis et aliis quibuscumque ab illâ dependentibus, ac ei et illius monasteriis inservientibus, ut non solum omnibus et singulis tam dictae Cassinensis, seu S. Iustinae de Paduâ, Ss. Vitoni et Hydulphi congregationum, sed etiam aliarum omnium et quarumcumque, sive non Mendicantium, sive Mendicantium, et hospitalium, ac aliorum piorum locorum, privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, indultis, indulgentiis et aliis quibusvis gratiis et praerogativis, eisdem congregationibus et Ordinibus aut militiis per nos et quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros concessis, seu deinceps a Sede praedictâ concedendis, non solum per participationem, communicationem, seu

1 Perperam, ut puto, et cum totius syntaxis iam satis implexae subversione, edit. Main. legit *sed* pro *ad* (R. T.).

2 Subde verbum *statuere*, quod sequitur in fine paragrafo (R. T.).

illorum extensionem, sed perinde ac si illa omnia in specie eidem congregationi S. Mauri per nos concessa fuissent, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant perpetuo, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Pacta, conventiones, etc., canonice facta pro reformatione confirmat.

§ 9. Postremo conventiones tam super dictis portionibus monachalibus et dispositionibus locorum regularium, quam aliis supradictis omnibus, si quae iam inter superiores et monachos reformatos, sive illorum abbates aut perpetuos commendatarios, ut praefertur, canonice factae sint, ac alias, quas in futurum super similibus inter eosdem, in toto vel in parte, etiam canonice fieri contigerit; necnon dictorum monachorum reformatorum beneficiatorum, ut praefertur, translationes ad effectum supradictum factas, statuta quoque, illorumque moderationes, abrogationes seu immutationes, per dictum capitulum generale, ut praefertur, facienda, aliaque praemissa, ex[1] nunc, prout ex tunc, et e contra, postquam facta fuerint, etiam unâ cum erectione eiusdem congregationis S. Mauri, ut praefertur, factâ, et in illâ contentis quibuscumque, praeterquam supradictis indultis, a nobis concessis, adversantibus, auctoritate apostolicâ et tenore similibus, etiam perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; ac omnes et singulos, sive cogitatos, sive incogitatos, aut alios quoscumque tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus; illaque tam per reformatos monachos quam non reformatos illorumque abbates et superiores nunc et pro tempore existentes huiusmodi observari et adimpleri debere, nec ab illis ullo unquam tempore resiliri, minusque eos desuper a quoquam, quavis auctoritate, molestari, perturbari, inquietari, aut aliàs quomodolibet in iudicio vel extra impediri posse;

1 Edit. Main. legit *et* (R. T.).

Clausulae.

§ 10. Praesentes quoque litteras, nullo unquam tempore de subreptionis capite vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari, retractari, annullari, seu in ius vel controversiam revocari, aut infringi posse; sed semper, omni tempore, et adversus quascumque dispositiones et obstacula quaecumque, validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis observari debere, neque sub quibuscumque, similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus et aliis quibuscumque dispositionibus, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis, pro tempore quomodolibet[1], comprehendi vel confundi, sed ab illis semper et perpetuo excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam, sub quacumque posteriori datâ quandocumque eligendâ, concessas esse et fore; sicque per quoscumque iudices, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos et vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, iudicari et definiri debere, ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

1 Subintellige *faciendis* aut *edendis* (R. T.).

Exequutorum deputatio.

§ 11. Quocirca dilectis filiis venerabilium fratrum nostrorum Parisiensis et Rothomagensis ac Burdigalensis archiepiscoporum officialibus per apostolica scri-

pta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte praesidentis, definitorum, visitatorum, priorum et monachorum monasteriorum Ordinis et congregationis S. Mauri praedictorum, aut eorum successorum, aut cuiusvis eorum, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisdemque praesidenti, definitoribus, visitatoribus, prioribus et monachis congregationis S. Mauri huiusmodi, ac eorum singulis, in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, firmiter et inviolabiliter observari; non permittentes eosdem praesidentem, definitores, priores et monachos congregationis S. Mauri huiusmodi, ac eorum singulares personas desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari, impediri aut perturbari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, ac, legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus, servatâ tamen formâ concilii huiusmodi, aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 12. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, qua cavetur, ne quis extra suam civitatem et dioecesim, nisi in certis expressis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices, a Sede praefatâ deputati, extra civitatem vel dioecesim, in qua deputati fuerint, contra quoscumque procedere praesumant, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore praesentium ad iudicium non trahatur, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon sancti Benedicti et Cluniacensis Ordinum praefatorum (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus[1], illis illorumque monasteriis, abbatibus, superioribus et monachis, ac aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium forsan quomodolibet concessis: quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod resignationes prioratuum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum (non tamen officiorum claustralium per monachos non reformatos obtentorum) quas in futurum ad favorem reformatorum fieri, ac pensiones quas super illorum fructibus reservari contigerit, a Sede praefatâ dumtaxat admitti et reservari debeant.

Clausulae poenales.

§ 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, concessionis, indulti, approbationis, confirmationis, adiectionis, suppletionis, decreti, mandati, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

1 Heic deesse videntur verba *privilegiis quoque et indultis* (R. T.).

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXVIII, XII kalendas februarii, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 21 ianuarii 1628, pontif. anno V.

CCLXXVII.

Extensio concessionis de beatâ Rita de Cassia Ordinis S. Augustini recitandi missam pro confluentibus ubique terrarum ad ecclesias praedicti Ordinis, et in totâ Spoletana dioecesi ad omnes ecclesias[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Praecedens concessio.

Nuper, pro parte dilectarum in Christo filiarum priorissae et monialium beatae Ritae de Cassia Ordinis sancti Augustini Spoletanae dioecesis nobis exposito, quod ipsae, pro eo, quem erga beatam Ritam gerebant, devotionis affectu, officium et missam de eâ recitari et celebrari posse desiderabant, nos, earum hac in parte supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, ut de dictâ beatâ Rita in totâ dioecesi Spoletana, ac ab omnibus utriusque sexus dicti Ordinis religiosis ubique existentibus officium et missa tamquam de comuni nec Virginis nec Martyris, iuxta rubricas breviarii et missalis romani ac breviarium ipsius Ordinis a Sede Apostolicâ approbatum, respective recitari et celebrari libere et licite posset et valeret, apostolicâ auctoritate licentiam et facultatem impertiti sumus, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Extensio de qua in rubricâ.

§ 2. Nunc autem dilectorum filiorum prioris generalis et fratrum totius Ordinis huiusmodi, necnon priorissae et monialium praefatarum supplicationibus nobis denuo humiliter porrectis inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, ut in die festivo de eâdem beatâ Rita missa tamquam de communi nec Virginis nec Martyris, iuxta rubricas missalis romani huiusmodi, ab omnibus presbyteris secularibus ad omnes totius Ordinis praefati ac dioecesis Spoletanae ecclesias confluentibus, celebrari libere similiter et licite possit et valeat, eâdem auctoritate tenore praesentium licentiam et facultatem impertimur.

Obstantium remotio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 4. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis eadem prorsus ubique fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV februarii MDCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 4 februarii 1628, pontif. anno V.

CCLXXVIII.

Confirmatio privilegiorum ac iurium ecclesiae et capituli S. Mariae ad Martyres super plateâ ante ipsam ecclesiam.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Romanus Pontifex, aequi bonique supremus assertor, inter gravissimas, multiplicesque apostolicae servitutis curas, in eam peculiari studio iugiter incumbit, ut ecclesiarum omnium, praesertim collegiatarum insignium almae Urbis nostrae, iura, proprietates et dominia sarta tecta conserventur, et quae propterea a praedeces-

1 Vide supra pag. 603 (R. T.).

soribus suis facta et decreta sunt, ut ab omnibus perpetuo inviolabiliter observentur, apostolicae confirmationis patrocinio corroborat, aliaque statuit, ordinat et disponit, prout personarum in eisdem ecclesiis Altissimo famulantium quieti, utilitatibusque et commodis conspicit in Domino salubriter expedire.

Recensentur Sixti Papae V hac super re litterae.

§ 1. Aliàs siquidem a felicis recordationis Sixto Papa V, praedecessore nostro, emanarunt litterae, tam sub plumbo, quam in simili formâ Brevis, tenoris subsequentis, videlicet:

Sixtus Papa V,
ad perpetuam rei memoriam.

Nuper a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Cunctarum orbis ecclesiarum regimini, auctore pacis annuente, praefecti, ecclesiarum ipsarum, praesertim collegiatarum insignium almae Urbis et personarum divinis inibi obsequiis adscriptarum statum feliciter dirigi, ac earum deinde quietem personarum confoveri cupientes, ea, quae illis per Romanos Pontifices praedecessores nostros concessa fuisse dicuntur, apostolico munimine roboramus, aliàsque desuper disponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Etsi dilecti filii archipresbyter et capitulum ecclesiae beatae Mariae Rotundae de dictâ Urbe ab immemorabili tempore fuerint et sint domini et patroni totius plateae S. Mariae Rotundae nuncupatae ante ecclesiam praedictam existentis, et in pacificâ hactenus possessione extiterint tenendi bancos, et illos locandi, ac pretium inde proveniens percipiendi, unde nemini, nec iudici, nec magistratui, aut superiori licuerit, nec liceat, archipresbyterum et capitulum praedictos in ipsâ eorum possessione, minusque eorum locatarios, quominus banchis et plateâ praedictis libere uti possint, molestare, aut ab ipsis locatariis praetextu dictae plateae aliquid exigere, petere vel recipere; imo soliti sint, tam in dictâ plateâ, quam extra, et prope eam in viis publicis ab illâ ad quinque cannas vel circiter distantibus, fructus, herbas, panem, pisces et alia tam comestibilia quam incomestibilia vendere volentibus licentiam desuper concedere, ac quoscumque, qui pro eiectione luti ac immunditiarum dictae plateae ratam partem solvere recusant, omnesque in huiusmodi plateâ ac locis vicinis dictis archipresbytero et capitulo subiectis vendentes (illis dumtaxat exceptis, qui in locis ordinariis et per eosdem archipresbyterum et capitulum deputatis de eorum licentiâ manent, aut illos in dominos recognoscunt), illos quoque habitantes, qui ante eorum apothecas bancos ultra debitum, seu tabulata et tabulas, super quibus res vendendae teneri et exhiberi solent, a pariete apothecae ultra quatuor palmos distantes habent, aut sub dictis banchis et tabulis barilia, tinas, sive, ut vulgo dicunt, tinozas, aliasque res tenent, ad solutionem et contributionem debitam cogere et compellere: nihilominus, sicut accepimus, nonnulli vicini, domos in circuitu eiusdem plateae possidentes et habitantes, nescitur quo iure, absque licentiâ dictorum archipresbyteri et capituli iuxta suos parietes et ante eos erigere praesumpserunt bancos ad usum macelli et pro vendendis piscibus, pro quibus etiam aliquid praedictis archipresbytero et capitulo solvere recusant, in grave eorum damnum et praeiudicium.

Quibus omnibus capituli super plateam competens confirmatum fuit.

§ 2. Nos (qui, ne per varias quae pro commissionibus seu mandatis et declarationibus habendis in causis plerumque fierent suggestiones iustitia proponeretur[1], dudum inter alia decrevimus et declara-

1 An hîc et postea recta lectio, iudicet lector scius; forsan legendum foret *iustitia postponeretur*, aut simile (R. T.).

vimus nostrae intentionis esse, quod deinceps per quamcumque signaturam seu concessionem aut gratiam vel litteras apostolicas pro commissionibus seu mandatis aut declarationibus huiusmodi, etiamsi motu proprio et ex certâ scientiâ ac etiam ante motam litem a nobis emanarent, vel de mandato nostro faciendas, nulli ius sibi quaesitum quomodolibet tolleretur; quique ad indemnitatem personarum ecclesiasticarum ac ecclesiarum ipsarum attendimus, et, ut bona, iurisdictiones, immunitates, privilegia et gratiae earumdem potius augeantur, quam minuantur, diligenter procuramus) ipsorum archipresbyteri et capituli indemnitati in praemissis pro nostri pastoralis officii munere opportune providere volentes, ac archipresbyterum et capitulum praedictos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon singulorum concessionum, mandatorum et sententiarum infrascriptorum tenores ac datam, cum inde sequutis, praesentibus pro expressis habentes, motu simili, non ad ipsorum archipresbyteri et capituli vel aliorum pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex merâ liberalitate ac simili scientiâ nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula privilegia, indulta, iurisdictiones, libertates, immunitates, exemptiones, facultates et gratias ecclesiae necnon archipresbytero et capitulo praedictis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros hactenus et quomodocumque ac qualitercumque concessa, usum dictae plateae et sibi adiacentium locorum illorumque concessionem concernentia, in quorum pacificâ possessione et usu hactenus extiterunt, necnon mandata et sententias de et super manutentione possessionis dictae plateae per quosvis palatii apostolici causarum auditores, sive eorum locumtenentes, aut alios quoslibet Romanae curiae iudices hactenus lata[1], emanata et relaxata, prout rite et recte gesta sunt, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti et etiam solemnitatum quarumlibet quomodolibet omissarum defectus, si qui forsan intervenerunt in eisdem, supplemus, illaque omnia et singula etiam perpetuo valere et tenere, ac ab illis, ad quos nunc spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter perpetuo observari debere, nec ab illis ullo unquam tempore resilire posse, sed ad praemissorum omnium et singulorum observationem perpetuo obligatos fore et esse, ac ad id etiam censuris ecclesiasticis ac pecuniariis poenis cogi et compelli posse decernimus.

Et quatenus opus sit, de novo conceditur.

§ 3. Et nihilominus quamcumque litem, seu quascumque lites et causas ac controversias, super plateâ et adiacentibus locis antedictis, coram quocumque eiusdem curiae iudice ordinario vel extraordinario, in quibuscumque statu et terminis existant, etiamsi aliquae sententiae iam desuper quomodolibet latae extiterint, ad nos harum serie avocamus, illasque penitus extinguimus, necnon plateam praedictam ac loca sibi circumquaque adiacentia in viis publicis existentia et ab eâ per quinque cannas distantia huiusmodi, quorum omnium situationes, confines, qualitates, quantitates, vocabula et denominationes[2], etiam praesentibus haberi volu-

1 Incongrue edit. Main. legit *latas emanata* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *dominationes* (R. T.).

mus pro expressis, etiamsi dictam plateam ullo unquam tempore per quascumque personas cuiuscumque gradus et conditionis existentes augeri, extendi et ampliari contigerit, etiam cum augmento ampliationis et extensionis huiusmodi, quantumcumque fuerit, quo adveniente etiam loca in viis publicis et ab eâ per quinque cannas distantia huiusmodi computari et comprehendi volumus, cum omnibus et singulis iuribus et pertinentiis suis, ac etiam omnibus et quibuscumque illorum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis universis, ecclesiae, archipresbytero et capitulo praedictis dictâ apostolicâ auctoritate similiter perpetuo et irrevocabiliter donamus, concedimus et elargimur, ac omne illius et illorum ius et dominium, etiamsi ad nos et cameram apostolicam aut alios quoscumque particulares spectet, in ecclesiam et archipresbyterum et capitulum huiusmodi transferimus, eosque in nostrum et camerae ac particularium praedictorum quomodolibet locum et iura quoad haec ex nunc pariter perpetuo substituimus: itaut liceat archipresbytero et capitulo praedictis plateae et adiacentium locorum sic specificatorum, ac iurium, obventionum et emolumentorum praedictorum, per se, vel alium, seu alios, possessionem per eos captam, ut praefertur, continuare, et, quatenus opus sit, de novo propriâ auctoritate libere apprehendere, illamque perpetuo retinere, necnon fructus, redditus et proventus ex eis provenientes percipere, exigere et levare, nec non in eorum ac dictae ecclesiae usus et utilitatem convertere, cuiusvis licentiâ desuper minime requisitâ, ac ex nunc ecclesiae ac archipresbytero et capitulo huiusmodi in plateâ et adiacentibus locis praedictis plenum ius omnino acquisitum esse, illamque et illa cum iuribus, obventionibus et emolumentis praedictis ad ecclesiam necnon archipresbyterum et capitulum praedictos de iure spectare et pertinere, ipsisque lapides marmoreos loco bancorum pro maiori piscium venditorum[1] commoditate ac dictae plateae ornatu mensibus elapsis per eos in ipsâ plateâ erectos et appositos libere et impune erigere et apponere licuisse, eâdem auctoritate apostolicâ declaramus.

Cum exemptione a cuiuscumque iudicis iurisdictione.

§ 4. Praeterea plateam, unâ cum augmento huiusmodi, si illud fieri quandocumque contigerit, necnon loca adiacentia praenominata, ab omni iurisdictione et superioritate nunc et pro tempore existentium nostri et successorum nostrorum Romanorum Pontificum camerarii, ac dictae Urbis viarum magistrorum, ex nunc et in perpetuum (ita et taliter, quod dicti camerarius et magistri in et super plateâ ac locis circumvicinis praedictis, illorumque membris ac pertinentiis, nullam omnino habeant nec habere possint iurisdictionem et auctoritatem) eâdem auctoritate eximimus et liberamus; quodque de cetero nulli omnino (cuiuscumque gradus, status, ordinis et conditionis existant, etiam quovis privilegio sint suffulti) in plateâ praedictâ ac prope illam in viis publicis ab eâ per quinque cannas distantibus huiusmodi (etiam praetextu quod sint domini liberi et absoluti vel habitatores domorum circumcirca in dictâ plateâ existentium) in domorum praedictarum parietibus et ante eas aliquod genus bancorum seu tabulatorum vel tabularum, ad effectum quidpiam vendendi, aut venale prostituendi, de cetero erigere, nec erigi seu erectum tenere vel teneri facere, per se, vel alium, seu alios, absque expressâ et in scriptis obtentâ archipresbyteri et capituli praedictorum licentiâ, etiam perpetuo statuimus, sicque etiam districte praecipiendo inhibemus; ipsos

1 Aut *venditionis* aut *vendendorum* legendum pro *venditorum* (R. T.).

quoque archipresbyterum et capitulum super praemissis, eorumque circumstantiis universis, etiam per cameram praedictam, eiusque agentes vel commissarios, aut deputatos et viarum magistros huiusmodi, quavis auctoritate vel praetextu, quomodolibet molestari, perturbari, inquietari vel impediri non posse, neque debere; praesentesque litteras, etiam ex eo, quod eiusdem camerae agentes, vel magistri praedicti, aut quicumque alii interesse habentes vel praetendentes, aut putantes, ad hoc vocati non fuerint, vel quavis seu quibusvis aliis causis, de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel quovis alio defectu notari, seu impugnari, aut aliàs quomodolibet infringi vel retractari, seu etiam revocari, suspendi, restringi, limitari, vel eis in aliquo derogari nullatenus umquam posse; sed illas semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, quos illae concernunt et concernent quomodolibet in futurum, inviolabiliter perpetuo observari, sicque in praemissis censeri, ac ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam eiusdem camerae camerarium, praesidentes et clericos, ac etiam dicti palatii causarum auditores, eorumque locumtenentes, necnon S. R. E. cardinales, et etiam de latere legatos, eorumque vicelegatos (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere, ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane etiam decernimus.

§ 5. Mandantes propterea camerario, praesidenti et clericis praedictis, ac nostro, dictaeque camerae thesaurario et depositario etiam generalibus, nunc et pro tempore existentibus, aliisque omnibus et singulis ad quos spectat et spectabit, ut praefertur, quatenus easdem praesentes, si et postquam pro parte archipresbyteri et capituli praedictorum pro tempore quandocumque requisiti fuerint, recipiant et admittant, illasque ex nunc et deinceps ac in perpetuum attendant et inviolabiliter observent, et ab omnibus supradictis observari mandent et faciant realiter et cum effectu.

§ 6. Non obstantibus prioribus decreto et declaratione nostris praedictis ac quorumcumque Romanorum Pontificum etiam praedecessorum nostrorum de rebus dictae camerae non alienandis neque distrahendis, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictaeque camerae (iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, decretis et etiam novis reformationibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis etiam camerae, necnon et camerario, praesidenti et clericis, ac magistris praedictis, necnon dilectis filiis populo Romano et domorum ipsius Urbis inquilinis ac dominis et quibusvis aliis personis, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, ac aliàs, in contrarium quomodolibet etiam pluries et iteratis vicibus concessis, confirmatis et innovatis, ac in posterum concedendis, confirmandis et innovandis.

§ 7. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, motu, scien-

tiâ et potestatis plenitudine paribus specialiter et expresse derogamus, et contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostram absolutionis, confirmationis, approbationis, adiectionis, suppletionis, avocationis, extinctionis, donationis, concessionis, elargitionis, translationis, substitutionis, subrogationis, declarationis, exemptionis, liberationis, statuti, inhibitionis posteriorum decretorum, mandati et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDLXXXVI, idibus novembris, pontificatus nostri anno II.

§ 8. Quia vero[1] in praeinsertis litteris, a nobis emanatis, mentis et intentionis nostrae non fuit, neque est, ecclesiae, archipresbytero, canonicis et capitulo ecclesiae B. Mariae Rotundae nuncupatae de Urbe, ad quorum favorem litterae ipsae emanarunt, quidquam de novo, et praesertim in praeiudicium cuiusvis tertii concedere, sed solum confirmare vetera eorum si qua et quaecumque eisdem, iuxta sacrorum canonum statuta et Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum aut aliarum personarum quarumcumque ad id auctoritatem habentium concessiones et indulta, aut ex iuris communis dispositione, seu quocumque alio legitimo titulo, iura competant, et non aliter, neque alio modo, et, si[2] forte litterae supradictae aliter continere videantur, id a nobis praeter et contra mentem et intentionem nostram accidit:

Declarat eius intentionem circa praedicta.

§ 9. Idcirco, ne cui ex dictis nostris litteris et contentis in eis quodvis damnum et praeiudicium illatum censeri, neve quis aliter nostrae mentis et intentionis fuisse et esse existimare et iudicare, sive interpretari possit, motu proprio et ex certâ nostrâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, in perpetuum declaramus et attestamur, volumus et decernimus, dictas litteras et contenta in illis, in quantum ultra veteres concessiones et indulta, aut titulos, seu alia iura huiusmodi quidquam de novo concessisse videamur, pro non editis haberi, concessionesque et indulta huiusmodi et omnia in illis contenta revocamus, annullamus et pro non factis haberi mandamus (eisdem litteris, cum omnibus in illis contentis, solum et dumtaxat quoad confirmationem veterum concessionum et indultorum ac iurium, eisdem[1] ecclesiae, archipresbytero, canonicis et capitulo, iuxta sacrorum canonum statuta et supradictorum praedecessorum nostrorum, ut supra, aut alias concessiones et litteras, competentium, in suo robore et firmitate manentibus); et sic per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, atque iustitiae ministros, quacumque dignitate, auctoritate et potestate pollentes, etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, praesentes et futuros, ac palatii nostri apostolici causarum auditores, interpretari, iudicari et definiri et exequi volumus, pariterque decernimus et mandamus, sublatâ eisdem et omnibus aliis, quibus opus fuerit, aliter interpretandi, iudicandi, definiendi et exequendi potestate et auctoritate, irritum quoque et inane quidquid in contrarium fieri et attentari contigerit. Non obstantibus eisdem praeinsertis nostris litteris, et inde sequutis, quae adversus hanc nostram declarationem, attestationem, voluntatem et decretum ecclesiae, archipresbytero, canonicis et capitulo supradictis suffragari quomodolibet forte possent, ac aliis con-

1 Particulam *vero* addendum censuimus (R. T.).
2 Edit. Main. legit *etsi* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *iurium eiusdem ecclesiae* (R. T.).

stitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac statutis, privilegiis et litteris apostolicis quibusvis in contrarium forsan concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, quoad effectum praesentium, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVII maii MDLXXXVII, pontificatus nostri anno III.

Motiva huius confirmationis per Urbanum factae.

§ 10. Cum autem, sicut accepimus, licet archipresbyter, ac capitulum et canonici praedicti, ab immemorabili tempore, ac plurium sententiarum et rerum iudicatarum, et tam recolendae memoriae Innocentii VIII, Sixti IV et Iulii II Romanorum Pontificum similiter praedecessorum nostrorum, quam praeinsertarum litterarum, necnon variarum inhibitionum et mandatorum diversis temporibus desuper emanatorum vigore, fuerint et sint ad praesens universae plateae praedictae domini et patroni, et, ab inde citra, se dictamque eorum ecclesiam manutenuerint in quasi possessione in universâ plateâ huiusmodi, etiam privative quoad omnes alios, etiam domorum eidem plateae adiacentium dominos, erigendi, tenendi et habendi bancos et tabulata ad effectum inibi fructus, herbas, pisces et alia comestibilia vendendi, dictosque bancos et tabulata personis sibi benevisis locandi, pensiones ex huiusmodi locationibus provenientes percipiendi, exigendi et levandi, ac in suos usus et utilitatem convertendi, et personis praedictis, similes bancos et tabulata in plateâ huiusmodi erigendi, tenendi et habendi, licentiam concedendi, ceteraque omnia et singula alia ad liberum ipsius plateae dominium spectantia et pertinentia faciendi, dicendi, gerendi et exequendi, nihilominus de anno MDCII archipresbyter et canonici aliqui, ut creditur, extra capitulum et singulariter contrahentes, per eorum assertam scripturam privatam, quae per Sedem Apostolicam non probatur confirmata, renunciaverunt et ab eorum ecclesiâ abdicare tentarunt huiusmodi bancos et tabulata ad macella apponendi et alia iura in et super dictâ plateâ, archipresbytero et canonicis ac capitulo praedictis, ut praefertur, competentia, ad favorem magistrorum viarum Urbis; et de anno MDCXVIII, seu alio veriori tempore, dilectus filius Adamus Melfius aromatarius cuiusdam domus eidem plateae adiacentis, et ad dilectum filium Crescentium de Crescentiis Romanum, ut asseritur, spectantis, inquilinus habitator (praetendens ante apothecam dictae domus in quodam situ angulari medio inter eamdem apothecam et viam publicam super eâdem plateâ transeuntem, qua a domo regulari S. Mariae Magdalenae Clericorum regularium Ministrantium infirmis ad domum etiam regularem beatae Mariae super Minervam nuncupatam de eâdem Urbe fratrum Ordinis Praedicatorum itur, sub praetextu, quod situs huiusmodi in eâdem plateâ non comprehendatur, sed locus privatus et de pertinentiis dictae domus existat, bancos huiusmodi erigere, habere et tenere posse) etiam forsan de licentiâ magistrorum viarum Urbis, seu viarum praesidentis, duos bancos similes in eodem situ erexerit, illosque pro piscibus vendendis locaverit; habito autem per archipresbyterum ac capitulum et canonicos praedictos ad dilectum filium nostrum in almâ Urbe praedictâ vicarium in spiritualibus generalem recursu, banchi praedicti amoti, iique postea, praetextu cuiusdam sententiae, seu aliàs, a venerabili fratre Octaviano archiepiscopo Iadrensi, tunc dilecti filii nostri S. R. E. camerarii auditore, emanatae, denuo appositi fuerint; introductâ deinde per viam appellationis causâ huiusmodi in camerâ nostrâ apostolicâ coram dilecto filio nostro Laelio Ss. Viti

et Modesti diacono cardinali Biscia nuncupato, tunc camerae[1], et deinde dilecto filio Octaviano Raggio eiusdem camerae clericis, ibique, sub die XXVI iunii MDCXXIV, citato praedicto Adamo, et iterum, sub eâdem die XXVI iunii anni sequentis MDCXXVI, discusso an de bono iure ipsius ecclesiae constaret, citatis et auditis, tam praedicto Adamo, quam praedicto etiam tunc Crescentio, de bono dictae ecclesiae iure constare resolutum fuerit, dictique archipresbyter ac capitulum et canonici, vigore resolutionum huiusmodi, sub die primâ iulii eiusdem anni MDCXXVI mandatum de manutenendo in possessione, seu quasi, tenendi bancos in praedicto situ et plateâ praefatâ contra eosdem Crescentium et Adamum obtinuerint, et in illius exequutionem banchi praedicti, in angulo praedicto, ut praefertur, appositi, amoti et sublati fuerint, verum dicti Crescentius et Adamus, mandatum de manutenendo illiusque exequutionem huiusmodi eludere volentes, ut in quadam parvâ apothecâ, ad eumdem Crescentium, ut asseritur, pariter spectante, et situi praedicto contiguâ, dicti Adami, seu Crescentii, vel aliorum vicinorum conductores se reciperent, ibique pisces venderent, procuraverint, quo factum fuit, ut archipresbyter ac capitulum et canonici praedicti, postquam spatio octo annorum litem huiusmodi sustinuerint, aliam tantumdem, et forsan amplius duraturam, non sine gravi eorum ecclesiae dispendio, magnisque laboribus exortam litem, seque de cetero litibus huiusmodi prosequendis ob assidua expensarum onera iugiter subeunda gravatos fore prospiciant:

§ 11. Nos, archipresbyteri ac capituli et canonicorum praedictorum indemnitati, quantum nobis ex alto conceditur, consulere, ipsosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, necnon litterarum Innocentii VIII, Sixti IV et Iulii II praedecessorum nostrorum praedictorum, sententiarumque, rerum iudicatarum, inhibitionum praedictarum veriores et totos tenores, necnon litium et causarum praedictarum statum et merita, ac aliorum quorumcumque, si qui sint, collitigantium nomina et cognomina, qualitates et denominationes, aliaque hîc de necessitate exprimenda, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes;

Confirmatio litterarum Sixti IV.

§ 12. Motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praeinsertas primo loco Sixti V praedecessoris litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, necnon causam et causas huiusmodi inter archipresbyterum ac capitulum et canonicos ex unâ, necnon Crescentium et Adamum praedictos, dilectosque filios Iulium Pocobellum, ac fratres domus SS. Trinitatis in Monte Pincio, ac confratres SS. Annunciatae Confalonis nuncupatae et SS. Crucifixi confraternitatum de Urbe praedictâ, et alios ad causam et causas huiusmodi forsan admissos ex alterâ partibus, de et super praemissis motas pendentes et instructas, ut praefertur, a dictis et quibuscumque aliis iudicibus ordinariis et extraordinariis, commissariis et exactoribus, etiam S. R. E. cardinalibus, ac rotae et causarum curiae camerae apostolicae auditoribus, eorumque

1 Subintellige *clerico*, uti mox sequitur (R. T.).

locumtenentibus, ad nos harum serie avocamus, illasque penitus et omnino suprimimus et extinguimus; necnon eisdem Crescentio et Adamo, aliisque praedictis, perpetuum desuper silentium imponimus.

§ 13. Insuper, pro maiori archipresbyteri ac capituli et canonicorum praedictorum cautelâ, iuraque iuribus addendo, plateam praedictam, nunc et pro tempore existentem, eidem ecclesiae, capitulo et canonicis concedimus et perpetuo donamus, relicto domorum seu apothecarum eisdem plateae adiacentium dominis vel inquilinis trium dumtaxat palmorum extra domos vel apothecas huiusmodi spatio, quoad usum tantum pro mercibus sive aliis rebus ipsorum dominorum seu inquilinorum tantum, quae tamen in ipsis domibus vel apothecis venduntur, et non aliàs, neque ad alium usum, nisi de licentiâ expressâ ipsorum archipresbyteri, canonicorum et capituli in scriptis titulo locationis obtinendâ.

§ 14. Ulterius domorum et apothecarum huiusmodi dominis, necnon magistris viarum, et aliis officialibus quocumque nomine nuncupatis, necnon eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae camerario, ceterisque quibuscumque, ad quos nunc quomodolibet spectat, et perpetuo in futurum spectabit, ne archipresbyterum, canonicos ac capitulum huiusmodi super universae ipsius plateae dominio et facultatibus praedictis impedire, molestare, vel perturbare, aut in domibus et apothecis et aliis sitibus eidem plateae adiacentibus circumcirca infra centum[1] cannarum spatium, quoad pisces, tellinas, gambaros, vel squillas dumtaxat, nec etiam in eâdem platea, et apothecis vicinis super dictâ plateâ respondentibus, carnes cuiuscumque generis, vivas vel mortuas, etiam haedos et agnos et alias, nec fructus cuiuscumque generis, olera et flores vendere, aut macellum vel lanienam habere, absque expressâ archipresbyteri ac canonicorum et capituli praedictorum licentiâ, audeant seu praesumant, sub indignationis nostrae et successorum nostrorum, et aliis arbitrii nostri et successorum praedictorum poenis, et in dictis Sixti V praedecessoris litteris inflictis et comminatis, interdicimus et prohibemus.

§ 15. Volumus quoque praedictos archipresbyterum, canonicos et capitulum ad refectionem selciatae, tam plateae usque ad parietes domorum et apothecarum adiacentium, quam viarum in praedictâ plateâ respondentium, pro latitudine et longitudine dictae plateae tantum, teneri et perpetuo obligatos esse, ac ad illam faciendam cogi posse.

§ 16. Decernentes praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quocumque defectu, etiam ex eo, quod causae, propter quas illae emanarunt, expressae et iustificatae, dictique Crescentius et Adamus, et alii quicumque in praemissis interesse habentes, vel habere praetendentes, ad hoc vocati et auditi non fuerint, vel aliâ quavis de causâ quantumvis privilegiatâ, notari, impugnari, invalidari, retractari, rescindi, infringi, limitari, modificari, immutari, revocari, annullari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, aut adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut quodcumque aliud gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, concedi, aut dictos Crescentium et Adamum, seu quempiam alium, sic impetrato vel concesso uti, seu se iuvare, in iudicio vel extra, nullatenus posse, neque ipsas praesentes sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, sus-

Decretum irritans.

1 Nisi error sit; nam supra legebatur *quinque* (R. T.).

pensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub posteriori datâ per dictos archipresbyterum, et canonicos et capitulum eligendâ[1] concessas esse et fore, ac censeri, perpetuoque validas, firmas et efficaces existere et fore, dictisque archipresbytero ac capitulo et canonicis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab omnibus et singulis, ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, et camerarium, et camerae nostrae praesidentes clericos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 17. Quocirca dilectis filiis, nostro in dictâ Urbe vicario in spiritualibus, et causarum curiae dictae camerae apostolicae auditori generalibus, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum archipresbyteri ac capituli et canonicorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ eosdem archipresbyterum ac capitulum et canonicos praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere; non permittentes eos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§ 18. Non obstantibus praemissis, necnon recolendae memoriae Symmachi, Pauli II, Pauli IV, Pii V et aliorum Romanorum Pontificum, etiam praedecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiae et camerae praedictae non alienandis, ac, quatenus opus foret, regulâ nostrâ de iure quaesito non tollendo, aliisque quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon eiusdem camerae et almae Urbis praefatae, et aliis quibuscumque statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, dictae Urbi, populo Romano, et quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, necnon reliquis omnibus, quae in secundo praeinsertis Sixti praedecessoris litteris concessa sunt non obstare. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter

Contrariis derogat.

1 Edit. Main. habet *erigenda* (R. T.).

et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX februarii MDCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 9 februarii 1628, pontif. anno V.

CCLXXIX.

Deputatio exequutorum alternativae circa electionem provincialium, dignitatum, ac officiorum pro fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini provinciae Mechoacanae.

Venerabilibus fratribus, archiepiscopo Mexicano, ac episcopis Mechoacanis et Gualdaxarensibus in Indiis, seu dilectis filiis eorum officialibus,

Urbanus Papa VIII.

Venerabiles fratres, seu dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. Aliàs a felicis recordationis Gregorio Papa XV praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Gregorius Papa XV, ad perpetuam rei memoriam.

Ex iniuncto nobis desuper apostolicae servitutis officio, votis illis, per quae paci et quieti inter christifideles quoslibet, praesertim sub suavi religionis iugo Altissimo famulantes, opportune consulitur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis.

Referuntur causae huius constitutionis. § 1. Cum itaque, sicut dilecti filii prior et procurator generales Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini nobis nuper exponi fecerunt, aliàs ad Congregationem venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis episcoporum et regularium praepositorum delatum fuerit, in provinciâ de Mechoacan in Indiis occidentalibus inter fratres dicti Ordinis super electione et distributione provincialatus, dignitatum, aliorumque officiorum Ordinis et provinciae huiusmodi diversas controversias exortas esse, maioresque verisimiliter exoriri posse: nos, discordias huiusmodi de medio tollere, ac pacem et quietem inter ipsos fratres confovere volentes, priore et procuratore generalibus dicti Ordinis super hoc auditis, de eorumdem cardinalium consilio, quod de cetero perpetuis futuris temporibus electiones provincialium, dignitatum et officiorum provinciae praedictae de Mechoacan fiant alternative ex qualibet partialitate, scilicet pro unâ ex fratribus, qui, nati in Hispania, inibi, vel in Indiis habitum susceperunt, pro alterâ ex iis, qui in Indiis nati sunt, Criolique vulgariter nuncupantur, ita ut in quolibet capitulo a provincialatu usque ad ultimum officium praedicti Ordinis et provinciae dignitates et officia, quae distribuenda fuerint, alternatim iuxta dictas partialitates distribuantur, quae alternativa in proximo capitulo post intimationem praesentium litterarum celebrando a partialitate Criolorum initium habeat. Regula alternativae,

§ 2. Quod si provincialem, vel aliquem officialem Ordinis et provinciae huiusmodi, non peracto suo officio, decedere contingat, tunc alius eiusdem partialitatis, cuius defunctus erat, in eius locum usque ad tunc proximum futurum capitulum subrogetur. Si vero post intimationem litterarum huiusmodi electiones provincialium, dignitatum et aliorum officiorum praefatorum aliter, quam ut praescribitur, fieri contigerit, nullae sint et inanes; praesentes vero litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et provinciae huiusmodi (etiam iuramento, Ipsiusque extensio.

confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIX novembris MDCXXI, pontificatus nostri anno I.

Exequutores deputat Urbanus.

§ 3. Nunc autem nos, litteras praeinsertas huiusmodi debitae exequutioni, ut par est, demandari volentes, vobis per praesentes committimus et mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, praeinsertas litteras huiusmodi et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte superiorum et fratrum Ordinis et provinciae huiusmodi fueritis requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciatis auctoritate nostrâ praeinsertas litteras et in eis contenta quaecumque ab omnibus, ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolabiliter observari. Non permittentes illos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet impediri, molestari aut inquietari. Contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Decretum irritans.

§ 4. Non obstantibus recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, necnon omnibus illis, quae in eisdem praeinsertis litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 5. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX februarii MDCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 9 februarii 1628, pontif. anno V.

CCLXXX.

Confirmatio decreti sacrae Congregationis Concilii, quo declaratur constitutionem Gregorii XV de conservatoribus editam non afficere religionem Hierosolymitanam, nisi quoad iudices conservatores, eidemque militiae adhuc ius eiusmodi iudices conservatores eligendi competere.

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

A Congregatione Concilii emanavit decretum ad favorem huius militiae, de quo in rubricâ.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Antonius de Paula magnus magister et conventus hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, quod a venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus sacri Concilii Tridentini interpretibus emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet:

VI februarii MDCXXVII.

Sacra Congregatio illustrissimorum cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit, constitutionem sanctae memoriae Gregorii XV de conservatoribus non afficere religionem Hierosolymitanam, nisi quoad iudices conservatores, eidemque re-

ligioni adhuc ius eiusmodi iudices conservatores eligendi competere.

Quod supplicarunt a Pontifice confirmari.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, Antonius magnus magister et conventus praefati decretum huiusmodi pro illius validitate et subsistentiâ firmiori apostolicae nostrae confirmationis robore communiri plurimum desiderent, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Prout modo approbat et confirmat.

§ 3. Nos igitur, Antonium magnum magistrum et conventum praefatos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum praeinsertum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulas praeservativas ponit.

§ 4. Decernentes decretum huiusmodi necnon praeinsertas litteras semper valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dicto hospitali necnon Antonio moderno et pro tempore existenti illius magno magistro et conventui plenissime suffragari.

Ita iudicari mandat.

§ 5. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 6. Non obstantibus praefati Gregorii praedecessoris, aliisque contitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§ 7. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis,[1] et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Exemplis credi iubet.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII februarii MDCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 17 februarii 1628, pontif. anno V.

CCLXXXI.

Indultum clero regni Poloniae elargiendi regi subsidium[2].

Venerabili fratri Antonio archiepiscopo Seleuciensi, apud charissimum in Christo filium nostrum Sigismundum Poloniae et Svetiae regem illustrem nostro et Sedis Apostolicae nuncio,

Urbanus Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Ecclesiastici regni Poloniae aliquod subsidium regi tribuere cupiunt.

Cum, sicut accepimus, dilecti filii clerus regni Poloniae, provide considerantes regnum ipsum gravibus ad praesens necessitatibus urgeri et imminentia illi pericula tam ecclesiasticis quam laicis communia, regni vero praedicti vires adeo exhaustas[3] esse, ut laicorum facultates sufficienti subsidio, quo eisdem necessitatibus subveniatur et periculis praedictis occuratur, comparando nequaquam suppetant, pro publicae salutis, patriaeque defensione, aliquam pecuniae summam subsidii nomine charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Poloniae, Svetiae regi illustri, nostrâ et Sedis Apostolicae ad id acce-

1 Deest pericopes *et manu... notarii*, etc. (R.T).
2 Ex Regest. in Secret. Brev.
3 Edit. Main. legit *exhausta* (R. T.).

dente licentiâ et consensu, sponte conferre desiderent;

Quod permittit Urbanus.

§ 2. Nos, praedicti Sigismundi regis et dicti Poloniae regni necessitatibus huiusmodi consulere, periculisque praedictis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere volentes, tibi, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis abbatibus et aliis personis ecclesiasticis eiusdem regni, ut pro necessitatibus et periculis huiusmodi subsidium praedicto Sigismundo regi, sponte tamen, pro unâ vice et summâ, quae eis videbitur dumtaxat, tribuere; ipsi autem Sigismundo regi, eiusque ministris, quod subsidium huiusmodi petere et recipere absque conscientiae scrupulo ac censurarum et poenarum ecclesiasticarum incursu libere et licite possint, dummodo tamen subsidium huiusmodi in praedictos et non alios usus convertatur et erogetur, apostolicâ auctoritate indulgendi, ac licentiam concedendi, ipsosque archiepiscopos, episcopos, abbates et alias personas ecclesiasticas, ac earum singulas, quatenus dictam pecuniae summam absque Sedis praedictae licentiâ promiserint aut solverint, necnon eumdem Sigismundum regem et suos ministros praedictos, si illam similiter absque licentiâ praedictâ iam receperint, ab omnibus et singulis censuris et poenis, propterea quomodolibet incursis, eâdem auctoritate absolvendi facultatem et auctoritatem, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Nuncio apostolico demandatur illius exactio.

§ 3. Tibique, ut ad exactionem praedicti subsidii per personas ecclesiasticas tantum et non alias procedere debeas, eâdem auctoritate committimus et mandamus; contradictores et solvere recusantes per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque iuris et facti remedia, eâdem auctoritate compescendo.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non ostantibus concilii Lateranensis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum huiusmodi (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, et exemptionibus, immunitatibus, etiam in corpore iuris clausis quibusvis generaliter vel specialiter concessis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum mentio seu quaevis alia expressio habenda sit, et in eis caveatur expresse, quod per huiusmodi clausulas generales, etiam mentionem specialem importantes, eis derogatum esse non censeatur, aut derogari videatur, nisi certis modo et formâ in illis expressis plene observatis. Quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Pauperes clerici a subsidio praestando eximuntur.

§ 4. Volumus autem, ut pauperes clerici, qui in redditibus non habent nisi victum necessarium, ad contribuendum minime compellantur.

Transumptis credi iubet.

§ 5. Praeterea volumus, praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eamdem prorsus fidem adhiberi, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX februarii MDCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 19 februarii 1628, pontif. anno V.

CCLXXXII.

Extensio indulti recitandi officium et celebrandi missam de beato Felice de Cantalicio Ordinis Cappuccinorum in

eius festo ad omnes sacerdotes ad ecclesias eiusdem Ordinis confluentes[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Refert dispositionem aliarum constitutionum.

Aliàs, nomine dilectorum filiorum nobilium virorum Maximiliani Bavariae sacri Romani imperii principis electoris et Caroli Lotharingiae ducum respective, necnon Francisci a Lotharingia comitis Vademontanae, dilectarumque in Christo filiarum nobilis mulieris Elisabethae Bavariae ducissae et Catharinae etiam a Lotharingia monasterii Sedi Apostolicae immediate subiecti S. Petri de Romaricomonte Ordinis sancti Benedicti nullius seu Tullensis dioecesis abbatissae, necnon etiam ministri generalis et fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, nobis exposito, quod bonae memoriae Felix de Cantalicio, eiusdem Ordinis, dum vixit, professor, multis et eximiis virtutum, gratiarum et miraculorum donis a Domino illustratus fuerat, eaque propter exponentes praedicti nobis humiliter supplicari fecerant, ut, donec canonizationis honor dicto Felici de Cantalicio ab Apostolicâ Sede decerneretur, idem Felix de Cantalicio Beatus nuncupari, officiumque et missa de eo recitari et celebrari posset; nos, huiusmodi supplicationibus tunc inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum consilio, ut ipse bonae memoriae Felix de Cantalicio Beatus nuncupari, officiumque et missa de eo tamquam de communi Confessoris non Pontificis, iuxta rubricas missalis et breviarii romani, eo anno ab omnibus dicti Ordinis fratribus ubique existentibus, hîc autem Romae etiam a sacerdotibus ad ecclesias eorumdem fratrum confluentibus, die eorum superioribus benevisâ, in posterum vero die dumtaxat sui obitus, in ecclesiis fratrum praefatorum, videlicet in Nanceii, ac praefato Romaricomontis, necnon Cantalicii oppidis ab eisdem fratribus tantum, Romae vero ubi corpus eiusdem requiescit, etiam a sacerdotibus ad ecclesiam ipsorum fratrum confluentibus recitari et celebrari; et subinde, eiusdem Ordinis universis et singulis ubique existentibus, Romae autem dumtaxat etiam a sacerdotibus ad ecclesiam, ubi eiusdem beati Felicis corpus quiescit, confluentes, in die obdormitionis ipsius beati Felicis officium et missa de eo, ut praefertur, similiter recitari et celebrari respective posset et valeret, licentiam et facultatem concedimus et impertiti sumus, prout in diversis nostris in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur[1].

Nunc ad supplicationem horum fratrum extendit huiusmodi indultum.

§ 2. Nunc autem, dilecti filii Francisci Genuensis procuratoris generalis dicti Ordinis ac ministri generalis et fratrum praefatorum nomine nobis humiliter porrectis supplicationibus inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, ut in die tantum festi eiusdem beati Felicis officium et missa de eo tamquam de communi Confessoris non Pontificis, ut praefertur, iuxta rubricas praedictas, etiam a sacerdotibus ad ecclesias eorumdem fratrum confluentibus recitari et celebrari respective libere similiter et licite valeat, licentiam et facultatem, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium concedimus pariter et impertimur.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis eidem haberi mandat.

§ 4. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu

1 Hunc Felicem de Cantalicio beatificavit hic idem Pontifex Const. CXLIX, *In Specula* (in. h. n. ed. CLXII, sup. pag. 371).

1 Quas vide sup. loc. cit. et iterum pag. 453 (R. T.).

alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV martii MDCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 15 martii 1628, pontif. anno V.

CCLXXXIII.

Ampliatio constitutionis Clementis VIII contra non promotos ad sacri presbyteratus ordinem, sacramentales confessiones audientes, aut missam celebrantes, curiae seculari, praeviâ degradatione, tradendos editae, nec aetate minori XXV *annis excusentur, dummodo* XX *aetatis annum compleverint.*

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Apostolatus officium, cui, meritis licet imparibus, disponente Deo praesidemus, a nobis postulat, ut, quantum nobis ex alto conceditur, delinquendi fiduciam compescamus in iis praesertim, quorum eo sacrilega processit audacia, ut se beneficio minoris aetatis, spretis apostolicis constitutionibus, confoveat in delictis, quorum statutis poenis se idcirco iactant minime subiacere.

Recenset Clementis Papae VIII litteras. § 1. Aliàs siquidem a felicis recordationis Clemente Papa VIII praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Clemens Papa VIII ad perpetuam rei memoriam. Etsi aliàs felicis recordationis Paulus Papa IV, etc. (*Omittitur residuum quia ista constitutio est supra loco cit. in nota ad rubricam.*

Quo praetextu § 2. Cum, sicut accepimus, nonnulli privilegio minoris aetatis nimis temere confisi et legum indulgentiâ freti poenas a dicti Clementis praedecessoris constitutione in huiusmodi delinquentes statutas parvipendere praesumant:

minoris aetatis cum nonnulli abuterentur;

§ 3. Nos, detestantes, et quantum in nobis est, cohibere volentes impiam et nefariam horum temeritatem, qui atrocissimo hoc scelere catholicam veritatem, quae solos presbyteros dictorum sacramentorum ministros esse docuit, facto impugnant, negotio huiusmodi in congregatione venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, generalium inquisitorum coram nobis habitâ mature discusso, inhaerentes constitutioni praedictae, aliisque decretis per felicis recordationis Paulum IV et Sixtum V Romanos Pontifices praedecessores nostros contra similia perpetrantes editis, eaque etiam ad effectum praedictum maturâ deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, ampliantes et extendentes, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione statuimus et decernimus, ut de cetero perpetuis futuris temporibus, qui imposterum ad sacrum presbyteratus ordinem non promotus missam celebrare aut sacramentalem confessionem audire praesumpserit, aetate minori annis vigintiquinque non excusetur, quominus eidem Clementis constitutioni subiiciatur, dummodo vigesimum suae aetatis annum compleverit.

Urbanus eam extendit ad minores XXV annis.

§ 4. Ipseque non promotus sic delinquens, nullâ habitâ consideratione praefatae minoris aetatis, sive laicus sive clericus secularis, aut cuiusvis Ordinis, congregationis, societatis, etiam de necessitate exprimendae, regularis, aut cuiusvis alterius instituti, etiam quantumvis exempti et privilegiati, nobisque et Apostolicae Sedi immediate subiecti, necnon militiarum quarumcumque, etiam sancti Ioannis Hierosolymitani fuerit, tradatur curiae seculari poenis debitis plectendus.

Et curiae seculari puniendos tradi iubet

1 Clement. VIII Constitutionem editam contra hos nefarios homines, quae incipit *Etsi aliàs*, habes in tom. X, pag. 750, num. CCLXXII.

Clausulas apponit.

§ 5. Sicque et non aliter per quoscumque sanctae inquisitionis iudices et inquisitores, etiam generales, S. R. E. cardinales et locorum Ordinarios (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus. Quocirca omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in virtute sanctae obedientae districte praecipiendo mandamus, quatenus statutum, decretum et constitutionem hanc nostram inviolabiliter observent et observari faciant.

Contraria tollit.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac in conciliis, etiam generalibus, editis, etiam in corpore iuris clausis, necnon legibus, statutis, decretis, consuetudinibus et privilegiis, ad favorem minorum vigintiquinque annis quomodolibet et ubicumque locorum editis, ac aliàs in ipsorum favorem facientibus, apostolicâ etiam confirmatione, ac iuramento, et seu quavis firmitate aliâ roboratis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Hanc Constitutionem publicari mandat.

§ 7. Volumus autem harum litterarum publicationem et affixionem fieri iuxta formam in praedictâ Clementis constitutione praescriptam, easque publicatas et affixas omnes intra Urbem et extra tam citra quam ultra montes et mare post tempus in ipsâ Clementis constitutione praefixum arctare et afficere, ac si cuilibet personaliter intimatae fuissent.

Et transumptis fidem addit.

§ 8. Mandamus pariter, ut earumdem transumptis, etiam impressis, manuque publici notarii subscriptis, et sigillo officii sanctae romanae inquisitionis vel alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem, quae praesentibus hisce adhiberetur fides, adhibeatur.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII martii MDCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 23 martii 1628, pontif. anno V.

Anno a nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCXXVIII, *indictione* XI, *die vero* X *septembris, pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri Domini Urbani divinâ providentiâ Papae VIII, anno eius* VI[1], *retroscriptae litterae apostolicae affixae et publicatae fuerunt ad valvas basilicarum S. Ioannis Lateranensis et Principis Apostolorum de Urbe, et in acie campi Florae, dimissis praesentibus litteris per aliquantulum temporis spatium, ui moris est, affixis, ac deinde amotis, postea earumdem exempla etiam impressa et affixa relicta fuerunt per nos Franciscum Pignoccatum et Camillum Fundatum, Sanctissimi Domini nostri Papae cursores.*

BRANDIMARTES LATINUS SS. D. N. Papae Cursor, pro Mag. DD. Curs.

CCLXXXIV.

Confirmatio et innovatio regulae cancellariae, decreti camerae apostolicae, et constitutionum Iulii quoad fructus beneficiorum ecclesiasticorum inexactos[2].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Æternus rerum Conditor, cuius iudicia abyssus multa, sacrosanctum apostolicae servitutis officium nobis ad hoc, licet immeritis, demandare voluit, ut, speculatores domus Israel, quae est Ecclesia sua sancta,

1 Vide an legendum sit V (R. T.).

2 Hanc Iulii III Constitutionem habes tom. VI, pag. 417, num. VII, *Cum sicut accepimus.*

ab eo constituti, inter ceteras eiusdem servitutis curas, boni patrisfamilias exemplo, provideamus, ut non modo ecclesiarum omnium et personarum eis in divinis deservientium indemnitati iugiter consulatur, verum etiam camerae nostrae apostolicae iura sarta tectaque omni sollicitudine praeservantur, et unicuique, quod suum est, aequâ lance tribuatur: ea vero nobis ut, sublatis impedimentis quibuslibet, facilius succedere valeant, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones desuper editas et libenter innovamus, et, si qua[1] super illis, ac etiam a nobis eâ de re emanatis regulis, sive litteris apostolicis, dubia oriri noscuntur, opportunae declarationis ministerio removemus, ut etiam hac ratione nostram eidem Ecclesiae sanctae operam, quantum nobis ex alto conceditur, non inutilem faciamus.

Recenset revocatas a se fuisse facultates disponendi de fructibus beneficiorum ultra annum.

§ 1. Aliàs siquidem, per regulas cancellariae apostolicae per nos in crastinum assumptionis nostrae ad summi apostolatus apicem editas, omnia et singula facultates et indulta, in eâ parte in qua necdum vere et realiter suum erant sortita effectum, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ad favorem quarumcumque personarum concessa, quibus eis vel eorum singulis ullo modo et ex quavis causâ vel praetextu permittebatur fructus certos vel incertos, iura, obventiones et emolumenta quaecumque quorumlibet beneficiorum per eos obtentorum anticipatis solutionibus ultra unum annum elocare et arrendare, ac ad firmam vel annuam responsionem concedere, seu eos, et ea ad favorem quarumcumque personarum obligare vel hypothecare, in solutum dare, aut de eis quomodolibet et ex quavis causâ disponere pro tempore ad vitam beneficiatorum, et ad tempus quo beneficia huiusmodi obtinuissent minime restricta, nec coarctata, inter alia revocavimus, cassavimus et annullavimus;

1 Edit. Main. legit *quae* (R. T.).

Facultatem vero testandi excepisse.

§ 2. Ac deinde, per nostras sub plumbo, sub datum Romae apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXIV, XI[1] kalendas novembris, pontificatus nostri anno II expeditas litteras[2] (licet, post generalem gratiarum et indultorum in praeiudicium camerae et Sedis Apostolicae per eosdem praedecessores nostros quomodolibet concessorum revocationem, facultates testandi, et ab intestato succedendi, quibusvis etiam per nos concessas, exceperimus),

Sine tamen praeiudicio regulae cancellariae contra superviventias.

§ 3. Nihilominus mentis et intentionis nostrae fuisse et esse declaravimus, praedictae regulae cancellariae super revocatione indultorum superviventiae, ut praefertur per nos editae, nullatenus per easdem litteras nostras praeiudicare, quinimo eamdem regulam, quoad omnia in illâ comprehensa, ac omnes et quascumque personas, quavis dignitate etiam cardinalatus fulgentes, confirmavimus, et, quatenus opus esset, innovavimus et extendimus, ac aliàs prout in dictis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Quam etiam fructus inexactos comprehendere declaratum fuit.

§ 4. Cum autem, sicut accepimus, pro interesse successorum in beneficiis ecclesiasticis, et seu respectivae camerae nostrae, a nonnullis in dubium revocari contigisset, an regula nostra praedicta facultates ab eisdem praedecessoribus nostris quomodolibet concessas et emanatas testandi, quoad ecclesiarum et beneficiorum fructus inexactos, revocaret, in eâdem plenâ camerâ nostrâ apostolicâ sub die XIII ianuarii MDCXXV resolutum fuit, facultates testandi, in eâ parte in qua conceditur facultas disponendi de fructibus non exactis, per praedictam regulam nostram esse revocatas, et super resolutione huiusmodi

1 Legendum XII (R. T.).

2 Quas vide sup. p. 222, § 24, p. 230 (R. T.).

decretum camerale emanaverit, eiusdem decreti observantiâ et exequutione etiam subsequutis, pariter ex eo quod in facultatibus testandi, et de bonis disponendi, ac ab intestato succedendi, per nos ab inde citra concessis, expressa constitutionum etiam declaratoriarum felicis recordationis Iulii Papae III etiam praedecessoris nostri super fructibus inexactis aliàs in favorem ecclesiarum et beneficiorum, ac in eis successorum, et respective camerae nostrae apostolicae editarum derogatio, cum diversis et praegnantibus clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, apposita fuit, a nonnullis praetendatur, regulae et constitutioni nostrae huiusmodi, resolutionique et decreto cameralibus praedictis sufficienter derogatum, ac proinde successoribus in beneficiis et ecclesiis et respective camerae praedictis, quoad fructus inexactos huiusmodi, praeiudicium illatum fuisse:

Et huiusmodi declarationem confirmat Pontifex.

§ 5. Nos, omnem in praemissis dubitandi seu haesitandi materiam e medio tollere, et tam ecclesiarum et beneficiorum, in eisque successorum, ac etiam respective camerae praedictorum indemnitati consulere volentes, necnon quarumcumque litterarum apostolicarum tam in formâ Brevis quam sub plumbo super facultatibus testandi, disponendi et ab intestato succedendi, et aliàs quomodolibet expeditarum, ac quarumcumque aliarum concessionum et gratiarum desuper quomodolibet factarum veriores et totos tenores, necnon alia quaecumque etiam hìc forsan de necessitate exprimenda, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione, easdem nostras cancellariae apostolicae regulam et constitutionem, praedictamque resolutionem cameralem, ac decretum desuper emanatum huiusmodi, necnon ipsas dicti Iulii predecessoris constitutiones in favorem ecclesiarum et beneficiorum, in eisque successorum, ac camerae apostolicae respective super fructibus inexactis huiusmodi editas, et de iis quomodolibet disponentes, tenore praesentium perpetuo approbamus, illasque et earum quamlibet, quoad fructus inexactos huiusmodi, in favorem ecclesiarum et beneficiorum, in eisque successorum, et respective camerae nostrae apostolicae praedictae innovamus.

Eamque servari omnino praecipit.

§ 6. Insuper motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus declaramus, et in verbo Romani Pontificis attestamur, mentis et intentionis nostrae numquam fuisse nec esse, minusque de cetero fore, per quamcumque concessionem, indultum seu facultatem testandi et disponendi, ac ab intestato succedendi, vel transmittendi, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, et per modum indulti, seu legis generalis, vel aliàs quomodolibet a nobis emanatam, praedictis regulae et constitutioni nostris, necnon resolutioni et decreto cameralibus, illorumque observantiae, minusque constitutionibus dicti Iulii praedecessoris huiusmodi, quoad dictos fructus inexactos, etiamsi affictus et emolumenta quaecumque inexacta huiusmodi deberentur ratione fructuum recollectorum et in horreo reconditorum ac etiam consumptorum, derogare, nec aliquod eis praeiudicium ullo modo inferre, quinimo easdem nostras regulam et constitutionem, decretumque et resolutionem camerae praedictae, ac dicti Iulii praedecessoris constitutiones, per nos, ut praefertur, approbatas, confirmatas et respective innovatas, de cetero perpetuis futuris temporibus, quoad fructus quarumcumque ecclesiarum et beneficiorum quomodolibet qualificatorum, et quocumque nomine nuncupatorum inexactos huiusmodi, inviolabiliter observari, ac omni-

modae exequutioni demandari debere, etiamsi in praedictis indultis, licentiis seu facultatibus testandi, vel aliàs quomodolibet disponendi, et ab intestato transmittendi vel succedendi, hactenus etiam per nos concessis, et de cetero etiam per successores nostros Romanos Pontifices, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, vel aliàs quomodolibet concedendis, clausula praedictae regulae nostrae revocatoriae praeservativa sive quodvis aliud decretum, sub quacumque verborum formâ et expressione conceptum, de eâdem regulâ praeservandâ apposita et appositum respective non fuerit.

Atque in omnibus indultis exceptam intelligi.

§ 7. Omnes vero et singulas licentias, indulta et facultates testandi, et aliàs quomodolibet disponendi vel ab intestato transmittendi et succedendi, tam a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris et a nobis hactenus quomodolibet concessas et emanatas, quam in futurum etiam a successoribus nostris praedictis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, concedendas et emanandas in favorem quarumcumque personarum etiam speciali et individuâ mentione et expressione dignarum, cuiuscumque qualitatis, status, gradus et conditionis sint vel fuerint, et quacumque dignitate etiam cardinalatus fulgeant, censendas, habendas et intelligendas esse, censerique, haberi et intelligi debere, perinde ac si in eis et quacumque illarum parte apposita esset clausula omnium et singulorum iurium praedictorum dictae camerae apostolicae, ac respective ecclesiarum et beneficiorum, in eisque successorum, praeservativa, verbis infrascriptis, sive aequipollentibus, concepta, videlicet: *salvis semper, et in suo robore permanentibus praedictis regulâ et constitutionibus, resolutioneque et decreto camerali super ipsius regulae, declaratione die* XIII *ianuarii* MDCXXV *emanatis quibus omnibus nullo modo intendimus derogare.*

Nec sub generalibus clausulis derogatoriis comprehendi.

§ 8. Praeterea etiam decernimus, nunquam de cetero in quibuscumque concessionibus et dispositionibus, indultis, facultatibus et gratiis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, etiam *quorum tenores*, etc., et quascumque alias clausulas, etiam derogatoriarum derogatorias habentibus, ac etiam per viam legis vel indulti generalis, etiam consistorialiter, et aliàs quomodolibet, sub quibuscumque tenoribus et formis, per nos et quoscumque successores nostros huiusmodi concedendis, seu a nobis vel illis emanandis, numquam praemissis omnibus et singulis censeri in aliquo praeiudicatum nec derogatum, nisi in eorum quolibet fuerit expresse et dispositive, non autem per clausulas generales idem importantes, et seu eventualiter, praesenti nostrae constitutioni derogatum;

Clausulae praeservativae.

§ 9. Praesentes vero litteras, omniaque et singula in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod in praemissis seu eorum aliquo interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes eis nullatenus consenserint, nec ad ea vocati et auditi, minusque causae, propter quas eaedem praesentes emanarint, adductae, verificatae seu aliàs iustificatae fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, nullitatis seu invaliditatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quopiam defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato et substantiali, sive etiam ex eo, quod in facultatibus testandi, ac aliàs de rebus et bonis disponendi, quibusvis etiam sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus a Sede Apostolicâ vel aliàs quomodolibet ex quacumque causâ etiam favorabili, publicâ et piâ, etiam ratione consanguinitatis vel affinitatis inter concedentem et privilegiatum existentis, ac aliàs quovis modo etiam consistorialiter concessis, caveatur expresse, quod illis (uti intuitu et in remunerationem laborum et onerum quorumcumque

vel ratione legationum, aliorumque officiorum, etiam Romanae curiae, et dignitatum quarumlibet, etiam speciali notâ et expressione dignarum, ac aliàs ex titulo et causâ mere onerosis, et aliàs quovis modo attributis) nullatenus vel nonnisi sub certis modo et formâ tunc expressis derogari valeat, ac in praemissis seu eorum aliquo solemnitates, et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite, a iure vel facto, seu statuto et consuetudine aliquâ) resultante seu etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, etiam quoad quoscumque ipsorum privilegiatorum creditores, etiam quantumlibet privilegiatos, aut quocumque alio colore et titulo etiam in corpore iuris clauso, seu occasione vel causâ etiam quantumvis iustâ, rationabili et privilegiatâ, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ huiusmodi, ac aliis superius expressis seu relatis, nihil ullibi appareret seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus concedi, aut sic impetrato vel concesso quempiam uti, seu se iuvare in iudicio vel extra posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas et firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari;

§ 10. Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, ac camerarium et thesaurarium camerae, necnon praesidentes et clericos camerae nostrae apostolicae, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritumque et inane, quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 11. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ de iure quaesito non tollendo aliisque cancellariae apostolicae regulis, necnon quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac litteris facultatum testandi, aliàsque de rebus et bonis disponendi, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam nos, quibusvis personis etiam S. R. E. cardinalibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, etiam motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine, etiam in remunerationem laborum et damnorum passorum, ac ratione officiorum et dignitatum, necnon ex titulo et causâ mere onerosis, et aliàs cum quibusvis efficacioribus clausulis et decretis, privilegiis quoque, indultis, aliisque litteris apostolicis in contrarium, ut praemittitur, et aliàs quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi,

ac si specifice et sigillatim expressi et inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, ad effectum omnium et singulorum praemissorum, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentium publicatio.

§ 12. Ut autem praesentium litterarum notitia ad omnes deveniat, volumus, quod illae, sive earum exempla, ad valvas basilicarum S. Ioannis Lateranensis, ac Principis apostolorum de Urbe et in acie Campi Florae affixae omnes ita arctent et afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimatae fuissent;

Et transumpta.

§ 13. Quodque earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die v aprilis MDCXXVIII, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 5 aprilis 1628, pontif. anno v.

Anno a Nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCXXVIII, *inditione* XI, *die vero* X *mensis iulii, pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri D. Urbani divinâ providentiâ Papae VIII, anno eius* V, *supradictae litterae apostolicae, seu constitutiones, affixae et publicatae fuerunt ad valvas basilicarum S. Ioannis Lateranensis et Principis apostolorum de Urbe, et in acie Campi Florae, dimissis ibidem praesentibus litteris per aliquantulum temporis spatium, ut moris est, affixis, et deinde amotis; postea earumdem exempla etiam impressa et affixa*[1], *ut moris est, per nos Franciscum Pignoccatum et Camillum Fundatum, Sanctissimi Domini Papae cursores.*

1 Subintellige *fuerunt* (R. T.).

BRANDIMARTES LATINUS
pro D. Mag. DD. cursorum.

CCLXXXV.

De electione priorum provincialium ac celebratione capitulorum provincialium necnon de modo regendi et gubernandi provincias fratrum Discalceatorum Ordinis Eremitarum sancti Augustini Congregationis Italiae[1].

Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Refert Congregationis Italiae a se divisam in quatuor provincias, a quatuor regendas provincialibus.

Aliàs, pro parte dilecti filii Basilii a Sanctissima Trinitate vicarii generalis Congregationis fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini Discalceatorum nuncupatorum Italiae, nobis exposito, quod Congregatio ipsa quamplures domos regulares per universam Italiam habebat, ita ut solus per seipsum commode eas regere et gubernare nequiret, proindeque earumdem domorum utilitati maxime consultum iri existimabat, si eadem congregatio in provincias, ut infra, divideretur; nos, supplicationibus eiusdem Basilii nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Congregationem praedictam in quatuor provincias, videlicet Romanam, Neapolitanam, Ianuensem et Siciliae apostolicâ auctoritate perpetuo divisimus et separavimus, necnon pro eâ primâ vice usque ad proxime futuri capituli generalis eiusdem Congregationis celebrationem tantum, et non ultra, in Romanae Victorium ab Epiphania, in Neapolitanae Simeonem a Cruce, in Ianuensis Valerianum a S. Augustino, ac in Siciliae provinciarum huiusmodi provinciales Ioan-

1 Vide de his fratribus in Const. CCX Clementis VIII, *Decet* (in h. n. ed. CCXX, tom. X, p. 548); et in Constit. XLIX Gregorii XV, *Pastoralis* (in h. n. ed. L, tom. XII, pag. 652).

nem Baptistam a S. Francisco de Paula, Ordinis et Congregationis huiusmodi professores, dilectos filios, sub uno ipsius Congregationis vicario generali, ac cum privilegiis, gratiis, indultis, facultatibus, iurisdictione et auctoritate, sub certis modo et formâ tunc expressis, dictâ auctoritate creavimus, constituimus et deputavimus, et aliàs prout in nostris desuper in simili forma Brevis expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur[1].

Sed cum nihil adhuc de eorum electione, gubernio, etc, sit statutum;

§ 2. Cum autem nulla in litteris nostris praedictis de modo novos priores provinciales eligendi, capitula provincialia celebrandi, provinciasque ipsas regendi et gubernandi, minusque in eorumdem fratrum constitutionibus ab hac Sanctâ Sede confirmatis, mentio fiat; capitulum vero generale eorumdem fratrum in domo regulari eiusdem Congregationis civitatis Neapolitanae dominicâ quartâ post proximum festum paschatis Resurrectionis Domini celebrandum sit:

Decernit haec statui in proximo Capitulo generali et ad Sanctam Sedem deferri ad confirmationem obtinendam.

§ 3. Nos, felici eiusdem Congregationis, illiusque fratrum regimini atque gubernio, quantum cum Domino possumus, consulere, eosdemque fratres specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, quod omnes ipsius Congregationis vocales pro hac vice dumtaxat in capitulo generali praedicto priorem generalem et alios officiales generales, sicut hactenus in eâdem Congregatione usque in praesentem diem fieri consuevit, tam constitutionum eiusdem Congregationis, quam declarationum, sive decretorum, a praeteritis capitulis generalibus emanatorum vigore, eligere libere et licite possint, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium licentiam concedimus et impartimur, ita tamen, ut, congregatis in unum pro celebratione ipsius capituli generalis vocalibus praedictis, antequam ad quamlibet electionem deveniatur, per viam constitutionum proponatur, discutiatur et terminetur modus expediens et opportunus, qui de cetero in capitulorum generalium et provincialium celebratione, prioris generalis et provincialium electione, servari omnino debeat, quas quidem constitutiones ad nos et hanc Sanctam Sedem deinde transmitti volumus, ut quid circa illarum confirmationem statuendum fuerit, maturâ consultatione adhibitâ, deliberare valeamus.

Et in illo provinciales, aliosque eligi provinciarum officiales vetat.

§ 4. Praeterea (ut stante temporis huiusmodi angustiâ, capitulum generale praedictum ad Dei laudem, ipsiusque Congregationis utilitatem felicius celebretur) quod, electis in dicto capitulo generali praedictae congregationis officialibus generalibus ipsiusque capituli generalis, in iis, quae ad capitula provincialia quomodolibet pertinuerint, nullatenus se ingerat, sed, totali celebratione absolutâ, vocales uniuscuiusque provinciae noviter electi, ac etiam ii, quorum officia tunc temporis cessaverint, immediate in eâdem domo regulari et pro hac vice dumtaxat seorsim et separatim ab aliis se congregare, suaque capitula provincialia celebrare, praesidentes, definitores provinciae, provinciales, priores, aliosque officiales solitos eligere libere similiter et licite possint et valeant, ita ut vocales unius provinciae in officialium quorumcumque alterius provinciae electione nullatenus interveniant, nec votum ferant, seu aliàs se immisceant,

1 Quas vide supra pag. 479 h. tomi (R. T.).

auctoritate et tenore praedictis facultatem impartimur.

Clausulae. § 5. Decernentes, praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos quomodolibet spectat et spectabit in futurum, inviolabiliter observari et adimpleri debere;

§ 6. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. § 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinis et Congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides. § 8. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII aprilis MDCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 8 aprilis 1628, pontif. anno V.

CCLXXXVI.

Indictio universalis iubilaei ad agendas gratias et divinam opem in imminentibus Ecclesiae necessitatibus implorandam[1].

Urbanus Papa VIII,

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Quod ab initio pontificatus nostri precibus et votis expetivimus, Pater misericordiarum Deus, animi nostri pios affectus respiciens, orthodoxae fidei hostes non solum repressit, sed eorum vires attrivit adeo, ut in portu tranquillitatis conquiescere posse videremur. Inimicus tamen humani generis, qui in agro dominico solitus est superseminare zizania, satagit auram vertere in procellam, et interturbare tam felices progressus nititur. Quamobrem praeterita beneficia ab Altissimo obtenta requirunt, ut maiores, quas possumus, gratias ei agamus, et grati animi significationem publicam exhibeamus, et insimul, divinae maiestatis suae thronum adeuntes, pro sanctae Ecclesiae hostium conversione, eiusdemque Ecclesiae exaltatione, et inter principes catholicos pace summopere deprecemur. Peccata igitur, quae obicem gratiae Dei interponunt, ienunio, fletu, orationibus et eleemosynis redimamus, ut qui sperantes in se infirmari non patitur, ulterius magnificet nobiscum facere misericordiam, et convertamur ad illum in toto corde nostro. Hoc autem ut fructuosius et maiori cum spiritus ardore peragatur, ex veteri Ecclesiae Romanae om-

1 Vide in Const. CCLXXIII Pauli V, *Ecce* (in h. n. ed. CCXCII, tom. XII, pag. 392); et scito quod anno sequenti validioribus armorum ingruentibus motibus et magis periculosis adversitatibus Urbanus pro pace inter principes a Deo facilius impetranda aliam concessit indulgentiam plenariam, ut in Constitutione die 1 martii an. seq. quam suo loco dabimus.

nium matris et magistrae more, in praesentibus necessitatibus, eiusdem Ecclesiae thesauros, quorum dispensatores a Domino constituti sumus, proferre et largissime erogare decrevimus.

Romae degentibus et praescripta hic peragentibus onera Pontifex indulgentiam plenariam elargitur.

§ 1. Itaque, ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus sancti, omnes et singulos utiusque sexus christifideles, tam in almâ Urbe nostrâ, quam alibi ubicumque locorum constitutos, apostolicâ auctoritate paterne, enixeque requirimus, monemus, et in Domino adhortamur ad infrascripta devote peragendum et adimplendum, ac ad Deum salvatorem nostrum orandum, ut per viscera misericordiae suae fidem catholicam protegere ab hostium conatibus, et insidiis defendere, haeresim extirpare, principibus christianis pacem et veram concordiam donare, ac praecipue praesentibus Ecclesiae necessitatibus subvenire dignetur. Nos enim de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, meritis minime suffragantibus, contulit, universis et singulis christifidelibus in alma Urbe praefatâ degentibus, qui solemni processioni, quam a basilicâ Principis apostolorum in Vaticano ad ecclesiam archihospitalis nostri S. Spiritus in Saxia nuncupati de Urbe, feriâ IV proximae hebdomadae Passionis, unâ cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, christianorumque regum et principum apud nos et Apostolicam Sedem oratoribus, omnibusque praelatis et proceribus, universoque clero et populo agemus, interfuerint, aut qui praedictâ vel illam sequenti hebdomadâ easdem basilicam et ecclesiam saltem semel visitaverint, ibique devote, ut supra, Deum oraverint, ac feriâ IV et VI, ac sabbato eiusdem vel sequentis hebdomadae ieiunaverint, et peccata sua confessi fuerint, atque in primo die dominico vel secundo, seu saltem alio dictarum hebdomadarum die, sanctissimum Eucharistiae sacramentum reverenter sumpserint, et eleemosynas ad libitum, prout charitas singulis suggesserit, fecerint;

In aliis etiam civitatibus commorantibus.

§ 2. Ceteris vero omnibus et singulis fidelibus extra Urbem existentibus in quibusvis civitatibus, terris et locis, qui processioni ab Ordinariis locorum, vel eorum vicariis, seu officialibus, vel de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, primâ vel secundâ hebdomadâ, postquam ad eorum notitiam hae nostrae litterae devenerint, indicendae et agendae interfuerint, vel ecclesiam seu ecclesias per eosdem designandas saltem semel visitaverint, ibique ut supra Deum oraverint; ac feriâ quartâ, sextâ et sabbato alterius ex duabus hebdomadis ab eisdem deputandis ieiunaverint, pariterque peccata sua confessi ac sanctissimâ communione refecti fuerint, et eleemosynas similiter pro arbitrio suo fecerint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem concedi consuevit, tenore praesentium concedimus et elargimur.

Navigantibus, etc.

§ 3. Navigantes vero, aut iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis omnibus peractis, ut supra, eamdem indulgentiam consequi possint et valeant;

Regularibus, captivis, etc.

§ 4. Regularibus autem personis utriusque sexus, in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque, tam laicis quam religiosis, secularibus seu regularibus, in carcere aut in captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut confessarius, quem ut infra elegerint, praedicta omnia

et singula, vel eorum aliqua, in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus.

Confessariorum facultates absolvendi a casibus reservatis.

§ 5. Cupientes autem, omnes christifideles participes fieri huius pretiosissimi thesauri, universis et singulis utriusque sexus, tam laicis quam ecclesiasticis, secularibus et regularibus cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti licentiam, concedimus et facultatem damus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium, tam secularem quam cuiusvis Ordinis regularem, ex approbatis a locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive nobis et Sedi Apostolicae, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, et aliàs per quascumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae et hac vice tantum, absolvere et liberare valeant.

Et vota commutandi.

§ 6. Et insuper vota quaecumque (religionis, et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio ingiungendis.

Praesentes publicandae et exequutioni mandandae.

§ 7. Quapropter, tenore praesentium, in virtute sanctae obedientiae, districte praecipimus atque mandamus omnibus et quibuscumque venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum, eorumque vicariis et officialibus, vel, iis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut, cum praesentium litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ullâ morâ, retardatione, vel impedimento per suas ecclesias et dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca, publicent et publicari faciant, et cleris ac populis sibi subiectis solemnes processiones, et supplicationes indicent et celebrent, ecclesiamque, seu ecclesias visitandas designent.

Quibus non suffragentur.

§ 8. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquomodo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi seu habilitandi et in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiae; neque etiam iis, qui a nobis et Apostolicâ Sede, vel ab aliquo praelato, seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denuntiati fuerint, nisi infra tempus celebrationis huiusmodi iubilaei satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Contraria tolluntur.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles iubilaei, indulgentiarum ac facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum et Congregationum, sive institutorum regularium, iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudi-

nibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem Ordinibus et congregationibus atque institutis quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressa habenda vel quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac formam eorum traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter et nominatim et expresse, ad effectum praesentium, derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 10. Ut autem praesentes nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earumdem praesentium transumptis vel exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, ubique locorum et gentium eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis litteris, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII aprilis MDCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 8 aprilis 1628, pontif. anno V.

CCLXXXVII.

Erectio unius cathedrae eloquentiae, sive rhetoricae, in publico Urbis gymnasio, pro uno ipsius rhetoricae lectore et professore, cum annuae provisionis assignatione, necnon privilegiorum et indultorum, quibus alii dicti gymnasii cathedratici gaudent, communicatione, eiusdemque concessio Augustino Mascardo[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Militantis Ecclesiae regimini ab eo, a quo omnis sapientia est, et cum quo illa semper fuit et est ante aevum, nullo licet meritorum suffragio praepositi, et attente considerantes, inter ceteras liberales doctrinas et disciplinas, quibus iuventus in publico almae Urbis nostrae gymnasio instruitur et eruditur, ut hominis decus est ingenium, sic ingenii lumen esse eloquentiam, quodque rhetorica docet et iusta persuadere et horum contraria fugere, operae pretium nos facturos existimavimus, si in eodem gymnasio una eloquentiae sive rhetoricae cathedra provisionis nostrae ministerio erigatur et instituatur, eique sic erectae et institutae, de tali personâ provideatur, cuius insignis doctrina et eruditio, non modo industriâ, studio, labore et diligentiâ, verum etiam singulari in[1] Deum pietate comprobetur.

Prooemium.

Erectio cathedrae rhetoricae de qua in rubricâ.

§ 1. Motu itaque proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris unam in praefato gymnasio eloquentiae sive rhetoricae cathedram, pro uno ipsius eloquentiae sive rhetoricae lectore et professore, cum omnibus et singulis privilegiis, gratiis et indultis, etiam speciali notâ et expressione dignis, et quibus aliarum scientiarum sive disciplinarum in dicto gymnasio cathedratici professores de iure, usu, statuto, consuetudine, aut ex concessione apostolicâ vel aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum,

Provisionis annuae scutorum D assignatio.

§ 2. Necnon provisione annuâ scutorum quingentorum monetae ex eâ octingentorum scutorum similium, quam venerabilis frater Iulius archiepiscopus Thessalonicensis, uti iuris civilis in eodem gymnasio

1 Studium generale in Urbe cum privilegiis pro doctoribus et scholaribus instituit Bonifacius VIII ut ex Const. XX, *In supremae*, tom. IV, pag. 166. Cui consonat alia Leonis X Const. IV, *Dum suavissimos*, tom. V, pag. 568.

1 Praep. *in* nos addimus (R. T.).

olim professor et iubilatus ex concessione apostolicâ percipit, postquam tamen per obitum ipsius Iulii archiepiscopi seu aliàs ex eius personâ quomodolibet cessaverit, desumendâ et persolvendâ, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, erigimus et instituimus.

Augustini Mascardi in dictae cathedrae rhetoricae lectorem deputatio.

§ 3. Insuper dilecti filii Augustini Mascardi, clerici Lunensis Sarzanensis, cubicularii ac familiaris continui commensalis nostri, eximiae doctrinae et spectatae multarum litterarum scientiae atque eruditionis, aliarumque insignium virtutum, sincerae erga nos et hanc sanctam Sedem fidei et devotioni coniunctarum, rationem habentes, motu, scientiâ et deliberatione similibus, cathedram eloquentiae sive rhetoricae per nos, ut praefertur, erectam et institutam, sive onus scientiam huiusmodi in dicto gymnasio publice legendi, docendi et profitendi, eidem Augustino, quoad vixerit, cum omnibus et singulis honoribus, oneribus, privilegiis, gratiis, indultis, ac provisione annuâ quingentorum scutorum huiusmodi, illi modo et formâ praemissis persolvendâ, auctoritate et tenore praefatis concedimus, assignamus et demandamus, eumque eloquentiae sive rhetoricae in dicto gymnasio professorem, quoad vixerit, cum honoribus, oneribus et provisione praefatis, facimus, constituimus et deputamus.

Exequutionum praedictarum mandatum.

§ 4. Mandantes propterea omnibus et singulis, ad quos spectat, in virtute sanctae obedientae, ac sub indignationis, aliisque arbitrii nostri poenis, ut eumdem Augustinum ad cathedram eloquentiae sive rhetoricae praefatam, onusque scientiam huiusmodi profitendi, illiusque liberum exercitium, iuxta tenorem praesentium, recipiant et admittant, eique de provisione annuâ quingentorum scutorum huiusmodi, postquam illa octingentorum scutorum similium cessaverit, ut praefertur, suis congruis temporibus respondeant, ac responderi curent et faciant realiter et cum effectu.

Contrariorum abrogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac gymnasii, et Urbis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII aprilis MDCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 8 aprilis 1628, pontif. anno V.

CCLXXXVIII.

Revocatio decreti editi in capitulo fratrum Ioannis Dei, quo conceditur cuilibet sacerdoti dicti Ordinis, ut duas missas singulis hebdomadis celebrare, et de earum eleemosynis ad sui libitum disponere possent: ac prohibitio, ne dicti sacerdotes exerceant officia et dignitates, quae in eâdem Congregatione exerceri solent[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Circumspecta Romani Pontificis providentia, ea interdum, quae in personarum regularium capitulis sancita sunt, ipsâ subinde rerum experientiâ suadente, praesertim cum felici personarum sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium statui, regularisque observantiae incremento opportune consulitur, atque inconvenientibus obviam itur, alterat, immutat, in hisque sollicitudinis et providentiae suae studium favorabiliter interponit, prout conspicit in Domino salubriter expedire.

Refertur capituli generalis decretum de quo in rubrica.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, in quodam capitulo fratrum Congregationis Ioannis Dei sub regulâ sancti Augustini ordinatum fuerit, ut quilibet eiusdem con-

1 De isto Ordine, eiusque materiis, vide Constitut. CCLXVII Pauli V, *Romanus* (in h. n. ed. CCLXXVI, tom. XII, pag. 379).

gregationis sacerdos duas missas ad sui libitum singulis hebdomadis celebrare, eleemosynamque sibi propterea datam percipere, et de eâ in suos usus disponere valeat, ordinatio autem praedicta non parum eidem congregationi obesse dignoscatur:

Eius revocatio.

§ 2. Nos, prospero, felicique ipsius congregationis regimini, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, ordinationem praedictam, ac, prout illam concernunt, omnia et singula in scripturis desuper confectis contenta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo revocamus, cassamus, abrogamus et annullamus, viribusque et effectu prorsus evacuamus.

Sacerdotes ab officiis arcentur.

§ 3. Insuper volumus, ac auctoritate et tenore praedictis statuimus, quod eiusdem congregationis sacerdotes praelaturas in dictâ congregatione nullo modo obtinere possint.

Nemo ante decem annos a professione sacris initiandus.

§ 4. Et illi duo pro qualibet regulari domo ex fratribus dictae congregationis, qui pro sacramentorum ecclesiasticorum administratione ad sacros etiam presbyteratus ordines, vigore litterarum felicis recordationis Pauli Papae V praedecessoris nostri desuper emanatarum, promovendi sunt, ad eosdem ordines de cetero promoveri nullatenus valeant, nisi prius decem annos professionis in eâdem congregatione peregerint, et ab examinatoribus synodalibus, non solum ad ordines praedictos, verum etiam ad sacras confessiones audiendas examinati et idonei reperti fuerint, et necessarias super hoc patentes litteras ab eisdem examinatoribus obtinuerint.

Et solum pro necessitate administrandi sacramenta.

§ 5. Ac demum, quod nullus de cetero ad sacros ordines in dictâ congregatione promoveatur, nisi pro necessitate administrandi sacramenta ecclesiastica infirmis et religiosis, ac de confratris maioris et definitorum dictae congregationis consensu ad praedictum effectum dumtaxat praestando.

Clausulae praeservativae.

§ 6. Decernentes praesentes litteras ac omnia et singula in eis contenta valida et firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, quos illa concernunt, inviolabiliter observari;

Clausula *sublatâ*.

§ 7. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum remotio.

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem congregationi, illiusque superioribus et fratribus, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII aprilis MDCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 18 aprilis 1628, pontif. anno V.

CCLXXXIX.

De electione praefecti generalis, consultorum et arbitri Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium infirmis[1].

1 Huius Congregationis materiam lege ad Constit. XXXV Sixti V, *Ex omnibus*, tom. VIII, p. 669;

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex, e sublimi militantis ecclesiae speculâ universi gregis Dominici curae iugiter invigilans, praecipuas apostolicae sollicitudinis partes iis impendere consuevit, ut qui, abiectis vanitatibus, huic temporali vitae renuntiarunt, charitatemque sectantes et spiritualia aemulantes, non solum sibi, sed etiam proximo ad salutem prodesse satagunt, per ordinate, provideque constitutam superiorum electionem feliciter regantur et gubernentur, sublatisque contentionibus quibuslibet, reddant Domino vota sua, ambulentque in innocentiâ vitae, ac sanctitate et iustitiâ coram ipso.

Numerus provinciarum et officialium in Capitulo generali eligendorum.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, Congregatio dilectorum filiorum Clericorum Regularium Congregationis Ministrantium infirmis, in quinque provincias, videlicet Romanam et Hetruriae insimul, Siculam, Neapolitanam, Bononiensem et Mediolanensem divisa existat, et in capitulo generali ipsius Congregationis praeter generalem illius praefectum, quatuor consultores, duo scilicet presbyteri et duo laici, unusque arbiter, qui in sacro presbyteratus ordine constitutus esse debeat, eligi consueverint:

Praefectus generalis ex qua provincia et quo ordine de cetero eligendus.

§ 2. Nos, felici atque prospero clericorum praefatorum regimini atque gubernio quantum nobis ex alto conceditur prospicere volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, quod de cetero perpetuis futuris temporibus, succedente muneris praefecti generalis dictae Congregationis vacatione, Siciliae primo, ac subinde Mediolanensis, deinde vero Bononiensis, postea Napolitanae, demumque Romanae et Hetruriae provinciarum eiusdem Congregationis professores ad munus praefecti generalis ordine huiusmodi successivo servato, dummodo tamen ad illius functionem sive exercitium habiles et idonei in eâ provinciâ, cui id obtigerit, reperiantur, et sic deinceps alternis vicibus,

Consultores et arbiter ex quibus provinciis eligendi.

§ 3. Quodque in proxime futuro capitulo generali ipsius Congregationis, e Mediolanensi et Bononiensi duo laici, e Neapolitanâ vero et Siciliae duo presbyteri in consultores, necnon arbiter pro hac primâ vice rursus e Mediolanensi provinciis huiusmodi, in futurum vero ex aliis provinciis per turnum alternis vicibus, atque ordine successivo, ut praefertur, eligantur et assumantur, eligique et assumi debeant, ita tamen, ut e duabus illis provinciis, ex quibus in uno capitulo generali duo presbyteri in consultores assumpti fuerint, in alio subsequenti nonnisi duo laici ad officium consultorum huiusmodi eligi valeant, neque consultores et arbiter eius sint provinciae, ex qua praefectus generalis eligi contigerit, servato semper in omnibus praemissis ordine alternativae, tenore praesentium statuimus et ordinamus.

Decretum praeservativum.

§ 4. Decernentes praesentes litteras validas, firmas ac efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari.

Decretum irritans.

§ 5. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus,

et etiam in huius Pontificis Const. XXVII, *Sacrosanctae*, sup. pag. 104.

privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem Congregationi illiusque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 7. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, ac manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX aprilis MDCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 29 aprilis 1628, pontif. anno V.

CCXC.

De electione definitorum Congregationis Cassinensis, aliàs sanctae Iustinae de Padua, Ordinis sancti Benedicti, ac de eorumdem vacatione ab officio; necnon de auctoritate dietae circa dispositiones abbatum, eorumque mutationes, ac eorum, qui decanatus munere digni sunt, electionem[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Commissi nobis per abundantiam divinae gratiae pastoralis officii debitum postulat, ut, sacrarum religionum in Ecclesiâ Dei militantium felici statui et directioni sedulo intendentes, ea statuamus et decernamus, quae prospero illarum regimini et gubernio conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causae huius Constitutionis.

Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii abbates monasteriorum Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis, aliàs sanctae Iustinae de Padua, quod ipsi aliàs de anno proxime praeterito in civitate Perusinae capitulariter congregati, considerantes damna, seu inconvenienta, quae in dictâ congregatione ob nimiam et fere absolutam auctoritatem et potestatem, qua ipsius congregationis definitorium suâ perpetuitate fretum ac dieta utebantur, eatenus exorta erant, proindeque illis de aliquo opportuno remedio providere cupientes, ad nos et Apostolicam Sedem desuper recursum habere decreverunt. Quare nobis humiliter supplicari fecêrunt, quatenus super praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

De electione, durationeet vacatione definitorum de cetero.

§ 1. Nos, damnis et inconvenientibus huiusmodi, quantum cum Domino possumus, obviam ire, ac abbates praefatos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod de cetero perpetuis futuris temporibus definitorium eiusdem Congregationis non sit nec esse possit perpetuum, sed quoad omnes definitores vacabile (ita quod ipsorum definitorum officium sit annale, et vigore cuiuscumque confirmationis ultra bien-

1 Huius Congregationis materiam vide in Constitut. II, Iulii II, *Super cathedram*, tom. V, pag. 400. Emanavit postea decretum a sacra Rituum Congregatione super usu baldachini et ministrorum et aliarum caeremoniarum ad favorem abbatum ipsius Congregationis, relatum et confirmatum ab Urbano VIII ut infra.

nium non duret, et qui de praesenti definitores existunt, si tempore proximi capituli generalis eiusdem congregationis, quod, ut asserunt, praesenti anno in civitate Parmensi celebrandum est, eorum et seu cuiuslibet ipsorum definitorum officium spatio biennii tunc praecedentis duraverit, eorum officium, per biennium, ut praefertur, obtentum, eo ipso vacet et vacare censeatur, iidemque definitores biennales ad officium definitoris huiusmodi denuo eligi vel assumi nequeant, nisi postquam per aliud biennium ab eodem officio cessaverint);

De auctoritate dictae circa dispositiones abbatum, ac decanorum electiones.

§ 2. Quodque etiam in dictâ dictae congregationis nullus abbas deponi possit, sed id capitulo generali eiusdem congregationis omnino relinquatur; et casu, quo aliqua urgens necessitas provisione indigens occurrat, tunc cognitâ primum causâ, reoque audito, ad suspensionem administrationis dumtaxat deveniri possit, ac loco praelati sic suspensi alius deputetur praelatus, qui tamen ex illis non sit, qui dietam, ex qua iudicium fieri contigerit, ingrediuntur; demum quod in dictâ ullus abbas in poenam absque cognitione causae mutari, seu decreta in capitulo generali facta annullari, aut decani sub quovis praetextu creari nullatenus possint;

Contrafacientium poena.

§ 3. Praedictaque omnia et singula perpetuo (sub nullitatis gestorum, excommunicationis latae sententiae, privationis vocis activae et passivae, ac officiorum per eos obtentorum, perpetuaeque inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda poenis eo ipso incurrendis)

Clausula *sublatâ*.

§ 4. Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis in praedictâ Congregatione perpetuo observari, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus, decernimus et declaramus.

Deputatio exequutorum.

§ 5. Quocirca dilectis filiis nostro Ludovico tituli S. Laurentii in Damaso presbytero cardinali Ludovisio nuncupato, moderno et pro tempore existenti Ordinis et Congregationis huiusmodi apud nos et Apostolicam Sedem protectori, ac causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte nunc et pro tempore existentium Ordinis et congregationis huiusmodi superiorum aut alicuius eorum nomine dictae Congregationis, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant eas et ea auctoritate nostrâ ab omnibus inviolabiliter observari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras ecclesiasticas et poenas etiam pecuniarias, eorum arbitrio imponendas, moderandas et applicandas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis et Congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus

et singulis, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque: aut si aliquibus communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV maii MDCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 4 maii 1628, pontif. anno V.

CCXCI.

Confirmatio constitutionum Urbanarum fratrum Minorum Conventualium Ordinis S. Francisci in capitulo generali dicti Ordinis anno MDCXXV *celebrato pro feliciori ipsius Ordinis progressu editarum, ac de mandato Urbani VIII examinatarum, cum annullatione quarumcumque aliarum constitutionum praedictis repugnantium*[1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Militantis Ecclesiae regimini, meritis licet imparibus, per abundantiam divinae gratiae praepositi, inter gravissimas multiplicesque apostolicae servitutis curas, in eam peculiari studio iugiter incumbimus, ut qui, abiectis vanitatibus, huic temporali vitae renuntiarunt, charitatemque sectantes et spiritualia aemulantes, divini numinis obsequiis se manciparunt, sub provide atque ordinate editis statutis feliciter regantur atque gubernentur.

In Capitulo generali horum fratrum de anno MDCXXV celebrato, ipsius Ordinis constitutiones Urbanae nuncupatae, compilatae fuerunt, et in unum volumen redactae.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Felix Francischinus de Cassia, minister generalis fratrum Ordinis minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum, quod in proxime praeterito ipsius Ordinis capitulo generali de anno MDCXXV celebrato pro feliciori ipsius Ordinis eiusque fratrum progressu ac disciplinae regularis observantiâ novae ipsius Ordinis constitutiones Urbanae nuncupatae in unum volumen compilatae fuerunt.

Illasque ut confirmaret supplicarunt Pontifici.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, pro maiori earumdem constitutionum validitate atque observantiâ, dictus Felix plurimum cupiat, illas apostolicae confirmationis patrocinio communiri, et aliàs per nos, ut infra, provideri:

Qui eas, ut hic revisas et examinatas, approbat et confirmat, si qui intervenerint defectus supplens.

§ 3. Nos, qui constitutiones ipsas per dilectum filium Iacobum Crescentium monasterii abbatiae nuncupatae S. Euthitii, S. Benedicti seu alterius Ordinis, Spoletanum, dictorum commendatarium, diligenter examinari et revideri iussimus, piis dicti Felicis votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existat, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, constitutiones huiusmodi in unum volumen compilatas, sic de mandato nostro examinatas et revisas ut praefertur, apostolicâ auctoritate,

1 Istae Constitutiones Urbanae sunt impressae Romae anno MDCXXVIII, quas hîc imprimere denuo otiosum esset. Fratribus huius Ordinis, eorumque superioribus ambitum prohibuit Paulus V ut in Constitut. CCXCVIII (CCCXIX) *Admonemur*, tom. XII, pag. 451. Et pro dicti Ordinis studentibus collegium in insula Melevitana erexit idem Paulus in Const. CCCXI (CCCXXXII) *In supereminenti*, ibidem, pag. 477. Et aliud in civitate Pragae instituit postea Gregorius in Const. LIII (LIV) *In supereminenti*, ibid. pag. 682. Vide etiam Honor. III, Constit. LXVII, *Solet*, tom. III, pag. 394.

tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Praecedentes constitutiones his contrarias tollit.

§ 4. Omnes vero et singulas alias dicti Ordinis constitutiones in antea factas, etiam auctoritate apostolicâ roboratas, in iis, quae presentibus repugnant, et quae annis proxime praeteritis pro reformatione fratrum dicti Ordinis regni Poloniae factae fuerunt, revocamus, cassamus et annullamus, viribusque et effectu evacuamus.

Clausulae.

§ 5. Decernentes constitutiones huiusmodi compilatas ac de mandato nostro examinatas et revisas ut praefertur, ab omnibus et singulis dicti Ordinis fratribus, ceterisque personis, sub poenis in illis contentis, inviolabiliter observari debere;

§ 6. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 8. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum in arce Gandulphi Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die XV maii MDCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 15 maii 1628, pontif. anno v.

CCXCII.

Concessio ecclesiae S. Laurentii in Fonte, in regione Montium Urbis sitae, confraternitati Aulicorum, ad pia opera per eius confratres in ipsa exercenda[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Recenset praecedentem Constitutionem.

§ 1. Aliàs a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam. Pastoris aeterni, etc. (*Omittitur residuum supra legendum*, pag. 226).

Factamque a se erectae Confraternitati concessionem ecclesiae sancti Laurentii in Fonte.

§ 2. Subinde vero, postquam de anno proxime praeterito (cupientes providere, ut ecclesia S. Laurentii in Fonte nuncupata in regione Montium de Urbe, antiquitate, aliisque pluribus nominibus venerabilis, debitis non careret obsequiis, praeviâ revocatione, quatenus opus esset, concessionis ecclesiae praefatae aliàs de anno tunc praeterito fratribus Ruthenis per nos factae) ecclesiam praefatam S. Laurentii, simul cum omnibus suis iuribus, bonis, redditibus, proventibus et emolumentis, supradictae confraternitati ad utendum in perpetuum, prout de similibus ecclesiis laicorum confraternitates seu congregationes ad sacros et pietatis usus destinatae uti consueverunt (ita tamen et non aliàs, ut ipsa confraternitas ecclesiam S. Lau-

1 Confraternitatis institutionem require supra pag. 236 (R. T.).

rentii praefatam in necessariis reparare et manutenere, sacrâque et sufficienti supellectili providere, missamque, dominicis ac festis diebus saltem, in eâ celebrari facere teneretur, et quod ecclesiam praefatam S. Laurentii etiam ad pios usus aliis concedere non valeret, et cum decreto, quod si quandocumque contigeret confraternitatem praefatam dissolvi, reparationes et melioramenta facta et ad quamcumque summam ascendentia eidem ecclesiae cessisse et cedere sine aliquâ refectione intelligerentur) concesseramus,

Ortam postmodum controversiam inter confratres et monasterium sancti Petri ad Vincula.

§ 3. Per nos accepto, quod, occasione concessionis ecclesiae huiusmodi, inter dictam confraternitatem ex unâ et dilectos filios priorem et canonicos regulares monasterii S. Petri ad Vincula de Urbe congregationis S. Salvatoris Ordinis S. Augustini ex alterâ partibus orta fuerat controversia; cum nimirum prior et canonici praefati praetenderent dictam ecclesiam S. Laurentii a centum et amplius annis ecclesiae eorum monasterii huiusmodi apostolicâ auctoritate unitam fuisse, ob idque concessionem praefatam viribus non subsistere, et redditus seu canonem domus annexae dictae ecclesiae S. Laurentii singulis annis solvi solitum per quondam Prudentiam Agazinam et haeredes quondam sancti Mazzi, necnon dilectum in Christo filium Mitium de Gradibus, ecclesiae dicti monasterii debere[1];

Qua sublatâ per pontificium decretum;

§ 4. Nos concessionem ecclesiae S. Laurentii huiusmodi, per nos ut supra factam, suum plenarium effectum sortiri debere, et[2] canonem praefatum dictae ecclesiae S. Laurentii fore et esse solvendum, decrevimus, appositis[3] pro parte prioris et canonicorum praefatorum minime obstantibus.

§ 5. Voluimus tamen quod dicta confraternitas singulis annis a die concessionis in recognitionem directi iuris solveret ecclesiae dicti monasterii libras quinque cerae albae die festo eiusdem S. Laurentii;

§ 6. Quodque, si contingeret praedictam confraternitatem dissolvi, seu a praedictâ ecclesiâ S. Laurentii recedere, iura ecclesiae dicti monasterii de et super ecclesiâ S. Laurentii huiusmodi illaesa et illibata remanerent, perinde ac si concessio eiusdem ecclesiae S. Laurentii, per nos ut praefertur facta, non emanasset[1].

Praedicta omnia, petentibus confratribus;

§ 7. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum officialium et confratrum confraternitatis praedictae nobis nuper expositum fuit, ipsi plurimum cupiant concessionem dictae ecclesiae, ac decretum desuper emanatum, aliaque praemissa, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, ac aliàs sibi per nos, ut infra, indulgeri:

Urbanus Pontifex confirmat.

§ 8. Nos, officiales et confratres praefatos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, concessionem ecclesiae S. Laurentii huiusmodi, necnon decretum a nobis desuper emanatum praedictum, aliaque praemissa cum omnibus in eis contentis et inde sequutis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui de-

1 Videretur legendum *deberi* (R. T.).

2 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

3 Videtur legendum *oppositis*, aut *exceptionibus appositis* (R. T.).

1 Praedicta constit. deesse videtur (R. T.).

super quomodolibet intervenerint, supplemus.

Et confraternitatem ab ecclesia sancti Nicolai ad sancti Laurentii transfert.

§ 9. Praeterea eamdem confraternitatem, cum omnibus et singulis indulgentiis ac peccatorum remissionibus et poenitentiarum relaxationibus illi per nos, ut supra, concessis, a praedictâ ecclesiâ sancti Nicolai ad ecclesiam S. Laurentii huiusmodi, necnon indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum in Conceptionis Beatae Mariae Virginis et sancti Antonii festis diebus per nos similiter concessam, ad eiusdem S. Laurentii et S. Hippolyti festos dies (ita ut dictae confraternitatis confratres praemissa in ipsis festis diebus, ad quos translatio, ut infra, fiet, adimplentes eamdem indulgentiam prorsus consequantur) auctoritate et tenore praefatis transferimus.

Clausulae.

§ 10. Decernentes praemissa omnia et singula necnon praesentes litteras et in eis contenta quaecumque valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac eidem confraternitati in omnibus et per omnia plenissime suffragari.

§ 11. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 12. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, monasterii et congregationis huiusmodi (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV iunii MDCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 14 iunii 1628, pontif. anno V.

CCXCIII.

Super prohibitione, ne sacerdotes Ordinis S. Ioannis officia habeant, sequitur declaratio, quae nominibus officiorum et dignitatum intelligenda sint, ac poenarum inflictio eligentibus ac electis contra formam huius constitutionis.

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Paulus V indulsit ut in qualibet domo regulari huius Congregationis unus confrater ad sacros ordines promoveri posset.

§ 1. Aliàs (felicis recordationis Paulo Papae V praedecessori nostro pro parte tunc existentis vicarii generalis et confratrum Congregationis Ioannis Dei exposito, quod omnes domus regulares Congregationis praedictae magna incommoda et damna patiebantur ex eo, quod quadam constitutione piae memoriae Clementis Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, sub datum die nonâ septembris millesimo quingentesimo nonagesimosexto, pontificatus sui anno V, inter alia, confratribus dictae Congregationis ascensus ad sacros Ordines interdictus erat; siquidem presbyteros seculares, qui pauperum in domibus praedictis exceptorum confessiones audirent, sacramenta ministrarent et agonizantium animas omnipotenti Dei commendarent, habere valde dispendiosum, et, quod deterius erat, dicti presbyteri seculares, post celebratum ab eis sacrosanctum missae sacrificium, a praedictis domibus regularibus pro maiori parte diei et totâ nocte aberant, in maximum animarum dictorum pauperum praeiudicium) idem

Paulus praedecessor, eorum hac in parte supplicationibus inclinatus, quod in qualibet domo dictae Congregationis unus confrater dumtaxat, arbitrio tunc et pro temporibus existentis eiusdem Congregationis apud Sedem Apostolicam protectoris, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines promoveri posset, sub certis modo et formâ tunc expressis, concessit et indulsit;

Et sic promotis officiorum dictae Congregationis administrationem interdixit.

§ 2. Utque sic promoti nullum officium, munus, aut administrationem in dictâ Congregatione gerere vel exercere valerent, sed missis celebrandis et sacramentis ministrandis tantummodo vacare deberent, statuit.

Subinde vero iste Pontifex statuit sacerdotes in dicta Congregatione praelaturas nullatenus obtinere posse.

§ 3. Subinde vero nos, prospero felicique dictae Congregationis regimini, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, inter alia voluimus, ac etiam statuimus, quod eiusdem Congregationis sacerdotes praelaturas in dictâ Congregatione nullo modo obtinere possent, et aliàs, prout in dicti Pauli praedecessoris, ac nostris in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur [1].

Modo, ex causis hic expressis,

§ 4. Cum autem, sicut accepimus, nonnulli dictae Congregationis superiores et sacerdotes, praedictas litteras contra verum illarum sensum et dispositionem interpretari non verentes, confratris maioris, procuratoris generalis, consiliarii provincialis, vicarii generalis, prioris ac secretarii generalis dignitates et officia dictae Congregationis, si ad ea assumantur, absque ullo conscientiae scrupulo se recipere et obtinere posse praetendant:

Declarat dignitates ad quas omnino inhabiles esse debent.

§ 5. Nos, in praemissis opportunae declarationis ministerio, quantum cum Domino possumus, providere volentes, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, negotiis regularium praepositorum, consilio, motu, scientiâ et deliberatione similibus, confratres sacerdotes Congregationis huiusmodi ex formâ litterarum praedictarum ad praenominatas dignitates et officia obtinenda inhabiles esse, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus et declaramus.

Electis quoque, ac eligentibus contra formam huius Constitutionis poenas apponit.

§ 6. Necnon eisdem confratribus sacerdotibus, earumdem tenore praesentium, interdicimus et prohibemus, ne ad dignitates et officia huiusmodi patiantur se eligi vel assumi, aut in eis se immiscere quoquomodo, superioribus vero ne illorum quemquam eligere vel assumere audeant seu praesumant, alioquin superiores sic eligentes vel assumentes omnibus officiis et dignitatibus obtentis, voceque activâ et passivâ eo ipso privati censeantur: confratres vero sacerdotes huiusmodi, ut praeponitur, electi vel assumpti, a suorum ordinum exequutione perpetuo suspensi remaneant.

Aliter iudicandi facultatem tollit.

§ 7. Decernentes sic et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 8. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem dari mandat.

§ 9. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII iulii MDCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 17 iunii 1628, pontif. an. v.

1 Vide sup. pag. 658 (R. T.).

CCXCIV.

Nova erectio Seminarii apostolici Cariatensis, cum assignatione aedificiorum et possessionum [1].

Urbanus Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Recensetur prima huius seminarii erectio.

§ 1. Aliàs, pro parte bonae memoriae Mauritii episcopi Cariatensis, tunc in humanis agentis, nobis exposito, quod ipse, quo presbyterorum ad curae animarum exercitium idoneorum penuriae in suâ dioecesi vigenti subveniret, unum clericorum seminarium in terra Verzini dictae dioecesis, quae, ut asserebat, a turcarum incursionibus ipsâmet civitate Cariatensi securior erat, fabricâ ad id decenti et congruâ propriis suis sumptibus constructâ, iuxta Concilii Tridentini decreta erexerat et instituerat, terrasque seu possessiones, quarum redditus et proventus annui ad summam ducentorum ducatorum monetae regni Neapolitani facile ascendebant, per eum emptas, dicto seminario perpetuo donaverat, prout in publicis desuper confectis scripturis plenius dicebatur contineri, nos, dicti Mauritii episcopi supplicationibus eâ in parte tunc inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum consilio, erectionem et institutionem seminarii praedicti in dictâ terrâ, iuxta decreta eiusdem Concilii, ac dotationem seu donationem praedictas, apostolicâ auctoritate approbavimus et confirmavimus, aliaque tunc expressa fecimus et decrevimus, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis sub die XXI octobris MDCXXIV expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, plenius continetur [2].

Et Pontificia confirmatio.

Cum autem bona ei ab episcopo data sub

§ 2. Quoniam vero aedificia seminarii huiusmodi, ac possessiones illi pro eius dote per dictum Mauritium episcopum assignatae, propter reservationem ususfructus, quam idem Mauritius episcopus fecisse asseritur, iuxta constitutiones [1] felicis recordationis Pii Papae V praedecessoris nostri desuper editas, in spolio cadere, et propterea ad cameram apostolicam pertinere videbantur:

spolio camerae apostolicae cadere videantur;

§ 3. Idcirco nos, in praemissis, quantum cum Domino possumus, opportune providere volentes, ac piam dicti Mauritii episcopi dispositionem dioecesi Cariatensi utilem et necessariam, dictique Concilii decretis consonam, approbantes, de eorumdem cardinalium consilio, in terrâ praedictâ unum clericorum seminarium apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo de novo erigimus et instituimus, illique sic erecto et instituto aedificia et possessiones, illi pro eius dote per dictum Mauritium episcopum, ut praefertur, assignatas, rursus attribuimus, ac, quatenus opus sit, titulo donationis, quae fieri dicitur inter vivos, irrevocabiliter donamus.

Urbanus iterum illud erigit, eique praedicta bona donat.

§ 4. Propterea venerabili fratri moderno episcopo Cariatensi, eiusque in ecclesiâ Cariatensi successoribus in perpetuum, ne aedificia, aut possessiones, et redditus huiusmodi, seminario praedicto per dictum Mauritium episcopum, ac per nos, ut praefertur, de novo concessa, donata et attributa, in toto vel in parte quantumvis minimâ, dismembrare, alienare, oppignorare, aut de illis quemlibet contractum seminario huiusmodi praeiudicialem facere audeant seu praesumant, auctoritate et tenore praedictis prohibemus.

Dempta successoribus episcopis quacumque ea alienandi, etc., auctoritate.

§ 5. Decernentes, seminarium huiusmodi, per nos apostolicâ auctoritate sic, ut supra, erectum et institutum, robur et subsistentiam, non a primâ dicti Mauritii episcopi fundatione et erectione, sed a

Clausulae.

1 Ex Regest. in Secret. Brev.

2 Quas vide supra pag. 233 (R. T.).

1 Edit. Main. habet *constitutionem*, et postea *editas* (R. T.).

noviter per praesentes a nobis factis erectione et institutione praedictis (ita ut deinceps seminarium huiusmodi apostolicum et non dioecesanum dici et nuncupari debeat) sortiri et obtinere; presentes vero litteras de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quopiam defectu notari, infringi, retractari, in ius vel controversiam vocari, ad terminos iuris reduci, aut adversus illas quodcumque iuris, gratiae vel facti remedium impetrari numquam posse, sed illas et in eis contenta quaecumque semper et perpetuo valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac eidem seminario in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque, et non aliter, in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublatâ eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantia tolluntur.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac praedictâ Pii praedecessoris huiusmodi, quae incipit *Romani Pontificis*, necnon piae memoriae Pii Papae IV etiam praedecessoris nostri de gratiis interesse camerae apostolicae quomodolibet concernentibus in eâdem camerâ infra certum tunc expressum tempus praesentandis et registrandis, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae camerae, et quibuscumque aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII iulii MDCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 13 iulii 1628, pontif. anno V.

CCXCV.

Approbatio et confirmatio nonnullarum constitutionum pro tutiori fratrum Discalceatorum Reformatorum Ordinis S. Augustini Congregationis Galliae gubernio editarum[1].

Urbanus Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Ex iniuncti nobis apostolici muneris debito sacrarum religionum in Ecclesiâ Dei pie sancteque institutarum prosperum statum, felicemque directionem sinceris desiderantes affectibus, his quae propterea provide facta fuisse dicuntur, ut firma perpetuo et illibata persistant, libenter cum a nobis petitur, apostolici muniminis adiicimus firmitatem, aliasque

1 Istorum fratrum materiam habes in Constitut. CCX (CCXX), *Decet*, Clementis VIII, tom. X, pag. 548, licet ibi non loquatur de hac Congregatione Galliae.

desuper eiusdem muneris partes interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Ob nonnullas difficultates ortas inter priorem generalem Ordinis sancti Augustini et fratres Discalceatos Congregationis Galliae eiusdem Ordinis, de consensu dictis prioris generalis et assistentium multa fuerunt concessa et provisa, prout inferius.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii prior generalis totius Ordinis Eremitarum S. Augustini, necnon fratres Reformati Discalceati nuncupati eiusdem Ordinis congregationis Galliae, quod, cum inter ipsum priorem generalem ac fratres reformatos huiusmodi nonnullae difficultates circa eiusdem congregationis regimen ortae fuissent, tandem, post longam et maturam negotii huiusmodi discussionem, dictus prior generalis, felici ac prospero ipsius congregationis regimini, ac strictioris, quam ipsi fratres profitentur, observantiae conservationi et augmento consulere volens, de assensu et consensu dilectorum filiorum prioris generalis et assistentium dicti ordinis nonnulla concessit et providit tenoris subsequentis, videlicet:

De vicario generali ipsius Congregationis.

§ 2. Quod congregatio gubernetur per vicarium generalem (sicut nunc et semper gubernata fuit) in capitulo congregationis eligendum, qui a priore generali Ordinis pro tempore existente absque aliquâ contradictione confirmetur cum omnibus actis in eodem capitulo, dummodo nihil in praeiudicium auctoritatis dicti reverendissimi prioris generalis contineant, qui vicarius generalis semper sit eligendus de corpore eiusdem congregationis, qui eamdem vitae austeritatem profiteatur.

De novorum locorum acceptationibus, seu fundationibus.

§ 3. Et quod praedictus vicarius generalis cum definitoribus monasteria et ecclesias oblatas acceptare, novas fundare possint, etiam monasteria Ordinis Eremitarum S. Augustini, quae non actu a religione possidentur, et quae possidentur, non poterunt nisi de consensu reverendissimi patris generalis, ita tamen, ut in fundationibus et erectionibus huiusmodi servetur forma edita in costitutionibus et decretis apostolicis.

De praesidente capituli.

§ 4. Eligatur unus ex eâdem congregatione a priore generali in praesidentem capituli, quod si non mittantur litterae praesidentiae, sit ipso facto praesidens primus definitor capituli praecedentis, iuxta constitutiones dictae congregationis.

De transitu ad aliam provinciam, Congregationem, vel Ordinem.

§ 5. Quod nullus praedictae congregationis frater professus in aliquam provinciam vel congregationem, tam praedicti, quam cuiusvis alterius Ordinis et instituti (Carthusianis exceptis), absque Sedis Apostolicae licentiâ transire possit, et qui aliter transierit, ad congregationem redire per censuras ecclesiasticas et alio meliori modo a vicario generali compelli possit.

De laicis congregationis.

§ 6. Et quod nullus in praedictâ congregatione laicus vel conversus ad statum clericorum, etiam durante tempore novitiatus, transire possit, aut ordines sacros suscipere, iuxta formam decreti Clementis VIII.

De discolis et incorrigibilibus apostatis.

§ 7. Quod si quis frater dictae congregationis propter aliquem excessum vel culpam iuxta illorum constitutiones punitus fuerit per superiores congregationis, a priore generali in detrimentum disciplinae reformationis et observantiae absolvi non possit. Et si quis discolus et incorrigibilis apostata, vel aliâ legitimâ causâ, servato decreto D. N. Urbani Papae VIII, a congregatione fuerit expulsus, per priorem generalem, contradicente vicario generali congregationis, ad illam remitti non possit, nisi constito de gravamine.

De auctoritate prioris generalis visitandi fratres Congregationis.

§ 8. Prior generalis per se vel per alium eiusdem Congregationis fratres visitare et corrigere poterit, iuxta tamen disciplinam et constitutiones congregationis, quibus derogare non poterit, qui prior generalis in visitatione huiusmodi primum definitorem congregationis assumat; et quod, tam in visitatione quam extra, fratres de loco ad locum non mittat, sed, si quis mittendus fuerit, vicario generali significet, ad quem vicarium generalem litteras

obedientiales pro loci mutatione dare pertineat. Et quod si quid aliter factum fuerit, aut tentatum contra praemissa, inane et irritum esse decernatur.

De fratribus Romam aliquo sub praetextu venientibus.

§ 9. Et quod, ad omnem vagandi occasionem tollendam, nullus frater congregationis Romam petere possit, etiam sub praetextu litterarum a priore generali obtentarum, nisi consentiente vicario generali congregationis, et ab ipso benedictione acceptâ.

Hic Pontifex praemissa omnia praeinserta et acceptata approbat, atque confirmat cum supplemento defectuum.

§ 10. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, omnia et singula praemissa, post maturam discussionem, tam ab ipso priore generali, quam fratribus reformatis huiusmodi, per modum concordiae provisa et acceptata fuerint, ipseque prior generalis plurimum cupiat eadem praemissa, quo firmius subsistant, exactiusque observentur, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri: nos, priorem generalem et fratres praedictos specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis regularium praepositorum consilio, praemissa per dictum priorem generalem ut supra concessa, seu ordinata, et per ipsos fratres reformatos, ut petitur, cum omnibus inde sequutis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos, tam iuris quam facti defectus, si qui desuper qoomodolibet intervenerint, supplemus.

Cum prohibitione sub excommunicationis poena habitum similem deferendi in Gallia, aut eorumdem nomen sibi arrogandi.

§ 11. Praeterea ne quis in Gallia habitum in materiâ et formâ similem, ita ut ex praedictis fratribus Discalceatis existimari possit, nisi praedictae congregationis membrum actualiter existat, gestare, sive nomen Discalceatorum Reformatorum S. Augustini sibi arrogare, aut praedictam congregationem esse Ordinis Eremitarum S. Augustini verbo vel scripto temere negare audeat seu praesumat, sub excommunicationis poenâ interdicimus et prohibemus.

Neque praedictae Congregationis Constitutionibus derogandi vel super eis dispensandi.

§ 12. Et ut vitae asperitas et observantia puritatis regulae sancti Augustini et peculiarium congregationis praedictae constitutionum absque ullo impedimento serventur, volumus, quod desuper nullatenus a superioribus dicti Ordinis dispensari possit, sed semper fixa et firma remaneat stricta regularis observantia.

Clausulae praeservativae.

§ 13. Decernentes praesentes litteras de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, aut in ius vel controversiam vocari, aut aliter quomodolibet infringi vel retardari, suspendi, limitari vel molestari, aut aliter in contrarium disponi, statui vel ordinari numquam posse; sed illas et in eis contenta quaecumque semper et perpetuo valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari;

Clausula *sublatâ*.

§ 14. Et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Rogamus quoque et hortamur

attente charissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum regem christianissimum, quatenus congregationem fratrum Discalceatorum Reformatorum huiusmodi, pro suâ in Deum pietate, ac in nos et hanc sanctam Sedem observantiâ, habens propensius commendatam, illam benigno favore et gratiâ prosequatur.

Exequutorum deputatio.

§ 15. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, ac aliis locorum Ordinariis dicti regni per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte fratrum Discalceatorum huiusmodi fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ praemissa omnia ab omnibus, ad quos spectat et in futurum spectabit, firmiter observari; non permittentes illos desuper a quocumque quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§ 16. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem Ordini et congregationi, illorumque superioribus et personis, sub quibuscumque sententiis et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, ac aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliter in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 17. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariàm Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI iulii MDCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 21 iulii 1628, pontif. anno v.

CCXCVI.

Ordinationes et leges servandae in electione magni magistri hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani[1].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

In speculâ militantis Ecclesiae, nullo meritorum suffragio, sed per abundantiam divinae gratiae constituti, inter cetera, quibus iuxta creditum humilitati nostrae apostolatus officium iugiter angimur, illa nos maxime sollicitos reddunt, ut eorum, qui ad primaria in militiis regularibus munia assumendi sunt, electiones certis legibus celebrentur, et, omni perturbatione semotâ, feliciter perficiantur.

Certam legem praescribere volens iste

§ 1. Quare certam legem et formam in electione magni magistri hospitalis san-

1 Huius hospitalis materiam vide in Const. XV, Anastasii IV, *Christianae*, tom. II, pag. 618. Et etiam huius Pontif. Constit. XLV (in h. ed. LI), *Universalis*, sup. pag. 134, qua confirmavit omnia privilegia ei quomodolibet concessa. Et in aliâ pariter Constitutione *Exponi*, hîc supra pagina 642.

Pontifex in electione magni magistri prohibet ne locumtenens a quocumque electus in actus gratiam concernentes se intromittat, sed quae ad iustitiam tantum pertinent exerceat. Et alia statuit, ut infra.

cti Ioannis Hierosolymitani celebrandâ praescribere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione prohibemus et interdicimus, ne de cetero ullus locumtenens, a pro tempore existente dicti hospitalis magno magistro, vel, sede magistrali vacante, a consilio status, seu completo, iuxta formam statutorum seu stabilimentorum dicti hospitalis, auctoritate apostolicâ confirmatorum, deputatus vel electus, cum quovis fratre milite dicti hospitalis, seu aliâ quavis personâ ad habitum fratrum dicti hospitalis admitti petente, super cuiuscumque generis impedimento vel defectu, etiam in vim quorumcumque privilegiorum seu facultatum eâdem auctoritate concessorum seu confirmatorum, dispensare, aut alias gratias quovis praetextu facere, minusque litteras apostolicas magno magistro praedefuncto directas exequutioni demandare, aut alios quosvis actus gratiam concernentes, sub poenâ privationis vocis activae et passivae eo ipso incurrendâ, facere audeat vel praesumat; volentes, et expresse praecipientes, ut ipse locumtenens ea solum, quae ad meram iustitiam pertinent, exercere valeat; alioquin omnia et singula, per eum contra praesentium tenorem quomodolibet gesta, irrita et inania, nulliusque roboris et momenti existant; sicque dispensati et alii quicumque exequutionis litterarum praedictarum, necnon gratiarum, eis sic, ut praefertur, a locumtenente huiusmodi factarum, usu et effectu careant, et aliàs in eodem statu, in quo antea erant, non secus, ac si cum eis super suis impedimentis vel defectibus dispensatum, gratiaeque eis concessae, ac litterae apostolicae huiusmodi exequutioni demandatae non fuissent, remaneant.

De pecuniis aerario communi debitis sede magistrali vacante conservandis.

§ 2. Occurrente autem sedis magistralis vacatione, tres eiusdem hospitalis fratres milites, fide et facultatibus idonei, per locumtenentes et consilium praefatos deputentur, ut in ipsorum sic deputatorum manibus pecuniae per debitores communis aerarii, vacatione praefatâ durante, in numeratâ pecuniâ realiter et cum effectu solvantur et numerentur. Solventes vero solutionum huiusmodi quietantias ab ipsis deputatis reportent; qui quidem deputati statim, sequutâ magni magistri electione, pecuniarum per eos receptarum et exactarum rationem reddere, pecuniasque ipsas magno magistro, canonice electo, seu thesaurario, vel aliis ministris, ad quos de iure et ex formâ statutorum seu stabilimentorum huiusmodi spectabit, consignare et restituere teneantur, aliterque factae solutiones nullatenus solventibus suffragentur, quin adhuc communis aerarii, ad effectum non ferendi suffragium, debitores censeantur.

Milites nati extra limites non se ingerant in electione magni magistri, nec ferant suffragium, exceptis episcopo Melevitano, priore conventualis ecclesiae, ac fratribus magnae crucis.

§ 3. Praeterea, ne ullus dicti hospitalis frater, sive miles, sive cappellanus, sive armorum serviens, et extra limites natus cum quo super defectu limitum dispensatum sit, nullusque frater cappellanus, actu sacerdos non existens, minusque nullus frater serviens, qui ex merâ gratiâ, nullis factis probationibus, receptus fuerit, in electione magni magistri, aut in quovis alio actu illam concernente, etiam cuiusvis privilegii a Sede Apostolicâ obtenti, vel consuetudinis etiam immemorabilis[1], aut quovis alio praetextu, ingenio vel colore, votum vel suffragium ferre, nec etiam passivum habere, seu in eâ quomodolibet se intromittere vel immiscere audeat vel praesumat, aut privilegio vel consuetudine huiusmodi, sive[2] quibusvis aliis gratiis, sibi specialiter, etiam auctoritate apostolicâ, desuper concessis, uti possit aut valeat; exceptis tamen venerabili fratri episcopo

1 Male, ut puto, edit. Main. legit *consuetudinibus, etiam immemorabilibus* (R. T.).

2 Perperam eadem legit *sine* (R. T.).

Melevitano, et dilecto filio priore ecclesiae conventualis eiusdem hospitalis nunc et pro tempore existentibus, necnon quovis alio magnae crucis fratre, quos, licet receptos extra limites, ad suffragium ferendum habiles declaramus, eosque in hac prohibitionis parte nullatenus comprehendere intendimus, sed eiusdem episcopi, necnon etiam linguae germanicae iura, privilegia et praerogativas, si quae illis aliàs competunt, praeservamus.

Catalogus vocalium iuxta hanc Constitutionem conficiatur, ac terminus praefigatur ad hoc, ut, si quis voluerit, contra aliquem excipere possit, quo elapso non audiatur.

§ 4. Insuper statuimus, ut ipse locumtenens, unâ cum consilio supradicto, quamprimum eorum fratrum, qui iuxta formam praesentis nostrae constitutionis suffragium laturi sunt, notam sive catalogum, cum eorum nominibus, cognominibus, patriis et denominationibus, necnon tempore susceptionis habitus, ac residentiae et caravannarum per eorum quemlibet factarum, confici, illamque in locis publicis, solitis et consuetis, ad hoc, ut si quis se gravatum senserit, aut contra aliquem excipere voluerit, intra terminum, ab eisdem praefigendum, in actis cancellarii seu vicecancellarii, aut cuiusvis alterius ad hoc deputandi, exhibere, et iura sua deducere possit et valeat, affigi curent; quo termino elapso, et nihil opposito, opponere volentes amplius non audiantur.

Locumtenens et consilium, sede magistrali vacante, causas summarie cognoscant et decidant.

§ 5. Ipsi vero locumtenens et consilium ipsas et quascumque alias controversias, quas, sede magistrali vacante, oriri contigerit, donec ad magni magistri consummatam electionem deventum fuerit, privative quoad alios quoscumque, summarie, simpliciter et de plano, absque strepitu et figurâ iudicii, etiam manu regiâ, iuxta tamen eorum statuta, stabilimenta et consuetudines huiusmodi, omni et quacumque appellatione, in integrum restitutione, et aliis quibuscumque exequutionem retardare valentibus, remotis, decidere et terminare etiam possint et valeant.

Modus et forma eligendi magnum magistrum.

§ 6. Conventus vero et omnes fratres die et horâ solitis in ecclesiâ dicti hospitalis congregentur, et missâ celebratâ, hymnoque *Veni Creator Spiritus* decantato, singuli fratres, ius suffragii vigore praesentium habentes, ad cappellam unicuique linguae, ad id in eâdem ecclesiâ destinatam seu destinandam, exceptis tamen fratribus illius linguae, ex qua dictus locumtenens extiterit, qui in corpore ecclesiae S. Ioannis remaneant, accedant, ibique praevio iuramento, per eorum singulos altâ et intelligibili voce, iuxta formam in statutis seu stabilimentis huiusmodi praescriptam, et de praesenti observandam, deque eligendo eum quem secundum Deum iudicaverint expedire, praestando (quod quidem in omnibus aliis electionibus, vigore earumdem praesentium faciendis, per omnes et singulos suffragium laturos praestari et renovari volumus), non unum, ut antea consueverant, sed tres fratres milites ex unaquaque linguâ capaces, ac iuxta praesentium necnon statutorum seu stabilimentorum praefatorum formam qualificatos, in electores eligant, ita ut imposterum non octo tantum fratres milites, qui in electores deputabantur, sed viginti quatuor eligantur; ipsaque trium fratrum cuiuscumque linguae electio per secretas schedulas modo et formâ sequentibus fiat; videlicet, quod omnes schedulae, vel impressae, vel unâ et eâdem manu tantum conscriptae sint, cum expressione eorum omnium quae in similibus electionum schedulis exprimi solent praeter nomina et cognomina seu denominationes eligentium et eligendorum, illaeque super mensâ in cappellis et ecclesiâ huiusmodi respective apponi, singulique eligentes seorsim et separatim, aliis inde remotis, ad ipsam mensam accedere, et ipsimet in unâ proprium nomen seu cognomen aut denominationem, in alterâ vero schedulae partibus, illius quem eligere voluerint nomen seu cognomen aut denominationem, pro-

priâ manu, alioquin suffragium sit nullum, scribere debeant. Liceat tamen iis, quibus consilium et locumtenens praefati ex aliquâ infirmitatis vel alterius iustae et rationabilis impotentiae causâ id concesserint, nomina, cognomina seu denominationes praefata per alium, ab ipsismet locumtenente et consilio deputandum, describi facere. Quilibet vero eligentium huiusmodi ad mensam praefatam accedens, nominibus seu cognominibus aut denominationibus praefatis in suâ schedulâ, ut praefertur, conscriptis, illam complicet et involvat ad effectum ut a nemine legi possit, eamque sic complicatam et involutam summis digitis elevans, et circumstantibus palam et publice, ad hoc ut unicam esse omnibus pateat, commonstrans, in urnam seu vas in mensâ ad hunc effectum appositum immittat. Quo facto, tres antiquiores, seu magis antiani, tamquam scrutatores palam et publice, omnibus videntibus et audientibus, eligentes et schedulas in urnam seu vas immissas numerent, et ubi pauciores seu plures schedulae numero eligentium repertae fuerint, illico comburantur, et ad novum scrutinium toties deveniatur, donec schedularum numerus eligentium numero coaequetur, illique respondeat, ipsaque trium huiusmodi fratrum militum pro unaquaque linguâ electio fiat; illique electi censeantur, qui maiorem suffragiorum numerum respectu minoris habuerint, dummodo singuli quartam saltem suffragiorum partem assequantur. Si vero nemo, sive duo, aut unus dumtaxat ex tribus eligendis hanc quartam suffragiorum partem reportaverit, scrutinium toties renovetur, quoad alios qui quartam partem non reportaverint, donec trium numerus cum dictâ saltem quartâ parte compleatur. Qui vero, ut praefertur, electus fuerit a suffragio ferendo pro aliis duobus arceatur, statimque atque electus fuerit, ab ipsâ cappellâ recedat, et ad locum opportunum se conferat. Quod si locumtenens in dictorum trium numerum eligatur, statim alius locumtenens deputetur, seu magis antianus ipsius consilii inibi existens locumtenentis loco praesideat, prout praedicto consilio expedire videbitur. Quia vero prioratus et aliae dignitates anglicanae linguae magno magistro hospitalis huiusmodi, donec illud regnum ad gremium S. R. E. redierit, apostolicâ auctoritate unitae[1] reperiuntur, unaquaeque lingua successive alium eligat, et ex septem sic electis, viginti et unus supradicti per secreta pillularum suffragia, pro maiori numero eligentium respectu minoris, tres diversarum nationum, Gallicae, videlicet, Hispanicae, Italicae et Germanicae eligant, qui tres ut praefertur electi linguam anglicam repraesentent, illiusque vice et nomine, in electione huiusmodi tantum, suffragium ferant. His peractis, ipsi viginti quatuor, ut praefertur, electi ad locum conclavis se conferant, in quo etiam electio magni magistri, non alibi facienda erit, ibique praesidentem electionis per pillulas secretas, iuxta antiquam dicti hospitalis consuetudinem, hactenus observatam, eligant, qui sic electus loco dicti locumtenentis, cum prohibitionibus supradictis gratias et alia supradicta non faciendi, praesideat, et ea, quae praesidentes electionis de iure et privilegio, usu vel consuetudine facere et gerere possunt seu debent, gerat et faciat, et subinde ad electionem triumviratus, nempe unius militis, unius cappellani et unius armorum servientis, fratrum, qui sint diversarum linguarum, iuxta formam scrutinii pillularum superius descripti, usque ad perfectam electionem huiusmodi procedant, ipsâque electione celebratâ, ipsi tres sic electi in conclavi praedicto ad quarti electionem, diversae tamen linguae, unanimes deveniant: si autem intra

1 Vel *unita;* ed. Main. h. *unite* (R, T.).

uniùs horae spatium concordes non fuerint, tunc eo casu singuli alium fratrem militem eorum cuilibet benevisum, qui non sit ex eorum linguis, nominent, nominationeque huiusmodi ad viginti quatuor electores relatâ, ipsi ad secretum pillularum, pro electione unius ex dictis tribus nominatis scrutinium deveniant, in quo ille, qui maiorem suffragiorum numerum respectu minoris numeri reportabit, pro quarto electus sit et esse censeatur. Quartus autem sic electus ad conclave accedat, et cum aliis tribus ad quinti; quintus vero similiter electus, cum aliis quatuor ad sexti electionem procedat per maiorem suffragiorum numerum; sicque successive, usque ad sextidecimi electionem, videlicet duorum ex unaquaque linguâ, iuxta eorum praeeminentias et praerogativas hactenus observatas, quibus praeiudicium inferre non intendimus, deveniatur. Occurrente autem in omnibus electionibus praedictis suffragiorum paritate, magis antianus, et in antianitatis aequalitate, is qui diuturniorem residentiam in conventu, et in residentiae paritate, is qui plures caravanas fecerit, aliis praeferatur, electusque sit et esse censeatur. Completâ tandem sexdecim praefatorum electione, ipsi sexdecim sic electi (odio, amore et aliis quibuscumque humanis affectibus posthabitis, solumque Deum, illiusque religionis decus ac propagationem prae oculis habentes) ad electionem magni magistri, quem capacem, et pro tanti Ordinis dignitate et utilitate idoneum iudicaverint, iuxta stabilimenta praefata deveniant.

Electionem si contra hanc formam fiet irritat et annullat.

§ 7. Quod si electio magni magistri aliter quam in conclavi, et praeviâ electione trium fratrum militum uniuscuiusque linguae non receptorum ex gratiâ limitum, modo et formâ praemissis tam respectu scrutinii et suffragiorum quam linguae anglicanae facienda, et non electo prius uno fratre milite, uno fratre cappellano et alio fratre serviente armorum, ut supra qualificatis, qui usque ad electionem decimisexti, duorum videlicet pro qualibet linguâ, iuxta tenorem praesentium procedant, et a sexdecim electis huiusmodi, demumque de alio quàm uno ex fratribus militibus, ex eâdem limitum gratiâ nequaquam receptis, celebrata fuerit, nulla et irrita sit eo ipso, nullumque sortiatur effectum. Quae omnia inviolabiliter observari debere, declaramus.

Praesentes litteras in cancellaria dicti hospitalis recipi registrarique mandat.

§ 8. Mandantes propterea dilectis filiis dicti hospitalis magno magistro ac locumtenenti et consilio, omnibusque aliis fratribus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, ut praesentes litteras in cancellariâ dicti hospitalis recipiant et admittant ac registrent, recipique et admitti ac registrari curent et faciant.

Clausulae praeservativae.

§ 9. Ac decernentes praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod ipsius hospitalis magnus magister, conventus et fratres ad praemissa vocati et auditi non fuerint, aut aliâ quacumque causâ, quantumvis legitimâ apparente, de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, aut in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci non posse, sed illa semper et perpetuo valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis eiusdem hospitalis fratribus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari;

Clausula *sublatâ*.

§ 10. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam,

quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 11. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti hospitalis (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem hospitali, illiusque magno magistro, conventui et fratribus, ac quibusvis aliis personis, etiam particularibus, necnon dispensationibus super quibusvis defectibus, ac sub quibuscumque tenoribus ac formis, et cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quas ad effectum praemissorum nemini suffragari posse decernimus. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, ad effectum praesentium tantum, illis aliàs in suo robore permansuris, motu, scientiâ, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicatio in Urbe et in insula Melevitana omnes obligat.

§ 12. Ut autem praesentium ignorantia allegari aut praetendi nullo modo possit, volumus praesentes seu earum transumptum ad valvas ecclesiae S. Ioannis Lateranensis et basilicae Principis apostolorum necnon in acie campi Florae de Urbe, more solito, deinde per haereticae pravitatis inquisitorem in insulâ Melevitanâ residentem, seu ab eo deputandum, in conventu praefato publicari atque affigi, ipsasque praesentes, sic publicatas, omnes et singulos, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, illico arctare, afficere et obligare, perinde ac si unicuique personaliter intimatae et praesentatae fuissent;

Transumptis vult exhiberi fidem.

§ 13. Quodque earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo magni magistri, aut alicuius dicti hospitalis magnae crucis, aut alterius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxx iulii MDCXXVIII, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 30 iulii 1628, pontif. anno v.

CCXCVII.

Confirmatio unionis Congregationis presbyterorum Oratorii B. Mariae[1] *Gratiarum in provinciâ Provinciae Congregationi Oratorii D. N. Iesu Christi in regno Franciae*[2].

Urbanus Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Congregatio beatae Mariae Gratiarum instituta fuit ad instar Congregationis Vallicellanae.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt presbyteri Congregationis Oratorii loci Beatae Mariae Gratiarum Foroiubiensis dioecesis in provinciâ Provinciae, quod congregatio praedicta ad instar congregationis Oratorii Beatae Mariae in Vallicella de Urbe a felicis recordationis Clemente Papa VIII

1 Perperam edit. Main. in rubricâ legit *bonae memoriae* (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brev.

praedecessore nostro erecta et instituta fuit.

Ac deinde se univit Congregationi Oratorii Domini nostri Iesu Christi.

§ 2. Postmodum vero primodictae congregationis presbyteri, animadvertentes, ob exiguum presbyterorum primodictae congregationis numerum, eamdem primodictam congregationem manuteneri et piae peregrinorum, e diversis partibus ad ecclesiam primodictae congregationis magno numero confluentium, devotioni satisfieri non posse, de anno MDCXV a dilecto filio nostro Petro S. R. E. presbytero cardinali Berullo nuncupato, tunc in minoribus constituto et Congregationis Oratorii Domini Nostri Iesu Christi in regno Franciae canonice institutae praeposito generali, petierunt se uti membrum et domum ultimodictae congregationis huiusmodi eidem ultimodictae congregationi huiusmodi uniri, annecti et incorporari, ita tamen, ut eorum domus esset et censeretur secunda totius ultimodictae congregationis huiusmodi, omnibusque privilegiis, gratiis, facultatibus et indulgentiis eidem ultimodictae congregationi ab hac Sanctâ Sede concessis frueretur et gauderet. Unde dictus Petrus cardinalis, pio[1] presbyterorum praedictorum desiderio satisfacere desiderans, eamdem congregationem Beatae Mariae Gratiarum praedictae Congregationi Oratorii Franciae, reservato nostro et Sedis Apostolicae beneplacito, univit, annexuit et incorporavit.

Quam unionem petitur apostolicâ auctoritate validari.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, presbyteri praedicti plurimum cupiant, unionem, annexionem et incorporationem praedictas, pro illarum validitate et subsistentiâ, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri:

Confirmatur.

§ 4. Nos, eosdem presbyteros specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, unionem, annexionem et incorporationem Congregationis Oratorii Beatae Mariae Gratiarum eidem Congregationi Oratorii Domini Nostri Iesu Christi, cum omnibus privilegiis, gratiis, facultatibus et indulgentiis huiusmodi, per dictum Petrum cardinalem, ut praefertur, factas, dummodo tamen privilegia, facultates, gratiae et indulta huiusmodi sint in usu et non sint revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis ac constitutionibus apostolicis non adversentur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 5. Decernentes unionem, annexionem et incorporationem huiusmodi necnon praesentes litteras semper validas, firmas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac dictae congregationis Oratorii Beatae Mariae Gratiarum in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon congregationum praedictarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consue-

1 Perperam ed. Main. legit *pro* (R. T.).

tudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III augusti MDCXXVIII, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 3 augusti 1628, pontif. anno V.

INDEX

NOMINUM ET RERUM PRÆCIPUARUM.

NUMERUS PAGINAM INDICAT; *a* PRIMAM COLUMNAM; *b* SECUNDAM DESIGNAT.

A

Abbatissis (de) ecclesia collegiata S. Ioannis Vicensis dioecesis 102 *b*; illius ordinarius non est archipresbyter sed episcopus, *ibid.*

Adolphus comes ab Althan Militiae Christianae studet instituendae, 114 *b* et *seq.*

Ægidius Camart corrector generalis Ordinis Minimorum, 156 *b.*

Ærarius sanctior in Arce S. Angeli a Sixto PP. V institutus 408 *b*; claves illius quo diligentius custodiantur statuta decreta leguntur, 409 *a.*

Æthiopibus Christianis iubilaeum concessum, 592 *b seq.*

Alexander episcopus Campaniensis Sedis Apostolicae apud Helvetios nuncius, 101 *a.*

Alexander episcopus Lucanus, 466 *a;* Ei commissum, ut ministros reipublicae Lucensis absolvat a censuris, in quas incurrerant ob exactum ab ecclesiasticis vectigal, 466 *b*, et clero concedat facultatem conveniendi cum antianis reipublicae super executione et solutione nonnullorum vectigalium 467 *b.*

Aloysius de las Infantas et Saavedra, 103 *b;* petit confirmari decretum de privilegio fori clericorum, 104 *a.*

Aloysius Trottus magister peditum Italorum exercitus Hispanici, 609 *b.* Fortalitia Vallis Tellinae a Torquato de Comitibus Papae delegato Hispaniarum regis nomine recipit, *ibid.*

Alphonsus Manzanedo sacrae Rotae auditor, 24 *a.*

Anconitani, 328 *b.* Iis duas tertias partes pecuniarum ex maleficiis, mulctisque provenientium concessit Paulus Papa V. *ibid.* Quod ab Urbano VIII confirmatur, 331 *a.*

Andreae (S.) de Frattis conventus Minimorum S. Francisci de Paula Romae, 53 *a* et *seq.*

Andreas du Val doctor Parisiensis assistens Rolandi archiepiscopi Bituricensis praesidis capituli generalis Tertiariorum Reformatorum in Gallia, 512 *a* et *seq.*

Andreas (Ven.) de Avellino Beatorum numero adscriptus, 331 *b* et *seq.*

Anglica congregatio Nigrorum nuncupatorum Ordinis S. Benedicti, 478 *b.* Declaratur eam esse veram congregationem, *ibid.*

Annatae, quindennia et alia iura solvenda camerae apostolicae, 161 *b* et *seq.*

Annonae copia quomodo procuranda, 294 *a* et *seq.*

Antonii (S.) de Padua collegium fratrum Minorum Conventualium Pragae institutum confirmatur, 867 *b.*

Antonii (S.) de sancto Antonio hospitale Viennense, 386 *b*; eximitur ab Ordinariorum iurisdictione, *ibid.* Nuncius Apostolicus in regno Neapolis deputatur perpetuus praeceptoriae huius Ordinis extra portam Capuanam sitae conservator, 503 *b.*

Antonius cardinalis Atrebatensis, 438 *a.*

Antonius cardinalis Barberinus, Urbani VIII frater germanus, statuta pro archivio Urbano efformat, 389 *a.* Delegatur ad Urbini ducatus capiendam possessionem cum facultatibus opportunis, 499 *b* et *seq.* Aliae facultates hanc ad rem eidem concessae, 564 *a.* A ratione reddenda eximitur, 500 *b.*

Antonius de Monte cardinalis Papiensis in Umbria de latere legatus, 375 *b.* Statuta nonnulla edit pro universitate Perusina, *ibid.*

Antonius de Paula magnus magister hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, 642 *b.*

Antonius Mascarenhas commissarius generalis Cruciatae in regno Portugalliae, 462 *b.* Nonnihil attentat contra auctoritatem S. Sedis, *ibid.* Suspectus de erroneis propositionibus in praeiudicium auctoritatis Sedis Apostolicae, 464 *a.*

Apostatae et eiecti ab Ordinibus regularibus, quomodo tractandi, 202 *b* et *seq.*

Arborensis episcopus admonetur a Pontifice ut seminarium in sua dioecesi instituat, 199 *a* et *b.*

Archidiaconus visitans dioecesim nomine episcopi non lucratur distributiones quotidianas, sed solummodo fructus praebendae, 420 *a.*

Archivium generale Romae institutum, 387 *b* et *seq.* Urbanumque appellatum, 388 *b.* Eius conservatoris munus et privilegia, 390 *a.*

Archivium sacri collegii cardinalium in Urbe instituitur, 402 *a* et *seq.*

Argentinensis et Passaviensis ecclesiae administratori interdicitur quominus feuda ecclesiarum locet haereticis, 79 *b.*

Asconae seminarium Comensis dioecesis archiepiscopo Mediolanensi tamquam administratori subiectum, 123 *b*, 124 *a.*

Atrebatensi episcopo iurisdictio super capitulum ad formam Concilii Tridentini tribuitur, 75 *b*; necnon cognitio causarum criminalium clericorum suae dioecesis, 108 *a.*

Atrebatensis ecclesia, 75 *b.* Episcopo attributa iurisdictio in capitulum ad formam Concilii Tridentini, *ibid.* Necnon cognitio causarum criminalium clericorum suae dioecesis, 108, *a. Plura Congregationis Concilii decreta super aliis materiis iurisdictionalibus. Vide* ibid.

Augustinus cardinalis Veronensis edit libellum de *laetitia christiana* quem *Philippum* inscribit, 18 *b.*

Augustinus Mascardus rhetoricae professor in pubblico Urbis gymnasio, 658 *a*.
Aulicorum confraternitas Romae instituta, 236 *b*, *vide* Confraternitas.
Avis (de) militia S. Benedicti, *vide* Militiae.

B

Baronius (card.) Caesar, *vide* Caesar.
Bellorum tumultus per Europam, 305 *b*; ipsorum occasione pubblicae preces iudicuntur, 306 *a*.
Benedicti (S.) de Avis militia, *vide* Militiae.
Benedictinis mandatur, ut missali ac breviario a Paulo V approbatis utantur, 455 *b*.
Berlingerius episcopus Ariminensis, 268 *a*. A Francisco Urbini duce ducatus gubernator deputatur, *ibid.* Ei committitur ab Urbano VIII ut eveniente ducis obitu, ducatus possessionem Sedis Apostolicae nomine capiat, 268 *b*. Iuramentumque fidelitatis recipiat, 269 *a*.
Bernardus (S.), 385 *b*. Eius festum celebrari de praecepto in dominiis Reipublicae Genuensis statuit Urbanus VIII, *ibid.*
Bibliothecae fratrum Praedicatorum, 448 *b*; vetitum ne ex iis libri extrahantur, *ibid.* Similis prohibitio pro bibliotheca Genuensi Minimorum S. Francisci de Paula, 283 *a*.
Boëmiae regni calamitates, 551 *a*. Collegium Pragae erectum pro adolescentibus Germanis, 551 *b*.
Bonaventurae (S.) Collegium fratrum Minorum Conventualium Pragae institutum confirmatur sub nomine S. Antonii de Padua, 367 *b*.
Bononiae ecclesiastici tum seculares tum regulares ad onera et vectigalia publica concurrere debent, 154 *a* et *b*; excipiuntur milites S. Ioannis Hierosolymitanii, 154 *a* et 155 *a*.
Bononiensi legato ius assertum super arma suae provinciae, 189 *a*.
Bononiensis commenda hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani erigitur in baiulivatum, prioratum nuncupandum, 92 *b*. et *seq*.
Bormii comitatus, Vallis Tellinae et oppidi Chiavennae propugnacula in manibus Sedis Apostolicae titulo depositi consignata, 424 *a*, 483 *b*; deinde regi catholico restituta, 609 *b*.
Brittonoriensis Ecclesia, 524 *a*, nonnulla castra ei asserta, *ibid.*
Bulgarorum adolescentes sex per eleemosynarium secretum Pontificis in Urbe sustentabantur, 544 *a*; admittuntur in collegio Illyricorum Laureti, *ibid.*
Bulla Cruciatae, *vide* Cruciatae.
Bulla in Coena Domini, 530 *b* et *seq*. Facultas absolvendi a casibus in illa reservatis non cadit in suspensione facultatum occasione anni sancti, 328 *a*.
Bursfeldensis Congregationis Ordinis S. Benedicti seminarium Coloniae institutum, 485 *a* et *seq*.

C

Caeremoniale in electione Romani Pontificis servandum, statutum a Gregorio XV confirmatur ab Urbano VIII 429 *a*.

Caesar cardinalis Baronius, 15 *a*; S. Philippo auctore *Annales ecclesiasticos* scribendos suscipit *ibid.*; ab ipso ab infirmitate sanatur, 18 *a*.

Calabri, pro ipsis collegium in Urbe instituitur, 54 *a*.

Calaguritanus episcopus revocet ea quae gessit contra clerum ipsius dioecesis, 266 *a*.

Calaritanae et Turritanae, seu Sassarensis, civitatum dissidia et odia 285 *a*; ad ea tollenda Paulus V cavit ne beneficia unius civitatis darentur oriundis ex altera 285 *b*; discordiae maiores inde exortae 288 *a*; Urbanus VIII litteras Pauli V revocat 289 *a*.

Calatrava (de) militia 434 *b*; venditio cuiusdam villae praeceptoriam seu commendam huius militiae spectantis rescinditur, 435 *a*.

Camaldulensium Congregatio, 508 *b*. Statuta pro satisfactione onerum missarum in ecclesia sancti Gregorii de Urbe, *ibid.* Prior huiusce monasterii censetur procurator generalis totius Congregationis, 510 *a*.

Camera apostolica, 222 *b*. Gratiae omnes, exemptionesque in eius praeiudicium concessas revocavit Urbanus VIII, 223 *a* et *seq.*

Camillus Perinus primus archivii Urbani conservator, 390 *a*.

Cancellariae Apostolicae regulae, 152 *b* et *seq.*

Canonici regulares S. Crucis in regno Portugalliae *vide* Congregatio.

Canonici regulares S. Salvatoris in Lotharingia *vide* Congregatio.

Canonicus archidiaconus ab episcopo pro visitanda dioecesis electus fructus suae percipere praebendae potest, amissis tamen distributionibus quotidianis, 420 *a*.

Capitula ecclesiarum quibus praesunt cardinales non possunt praetendere ullum ius ad indultum ipsis cardinalibus concessum conferendi beneficia ecclesiastica reservata, 490 *a*.

Cardinales, 402 *b*. Duos clericos pro custodiendis pertinentibus ad eos scripturis praeficiunt, *ibid.*, deinde clerici itali officium instituerunt, 404 *b*. Archivium sacri collegii cardinalium institutum ab Urbano VIII in palatio Vaticano, 405 *b* et *seq.*

Cardinales fruuntur indulto conferendi beneficia S. Sedi affecta illarum ecclesiarum, quibus praesunt, 489 *b* et *seq.* Huiusmodi indulto uti possunt solum ratione ecclesiarum quibus praesunt, vel quarum regimini ultimo loco cesserunt, 490 *b* et *seq.*, exceptis ecclesiis quibusdam quarum ius retinent cumulative cum aliis quibus praesunt vel quas ultimo dimiserint, 491 *a*. Capitula ecclesiarum quibus praesunt cardinales non possunt sede vacante ius praetendere ad indultum huiusmodi, 490 *a*.

Cariatense seminarium erectum, 233 *b*.

Carmelitae moniales Discalceatae regni Franciae, 85 *b*. Litterae Gregorii XV circa ipsas confirmantur ad Urbano VIII, *ibid.* Ipsarum causa contra episcopum Leonensem defenditur, 362 *b*.

Carolus archidux Austriae ecclesiarum Brixiensis et Wratislaviensis, dum vixit, administrator, 492 *a;* collegium Societatis Iesu in oppido Nissae cum universitate studii generalis erigit, 492 *a.*

Carolus Barberinus Urbani VIII frater germanus, 140 *a;* pontificiarum copiarum gubernator generalis et arcium Perusinae et Anconitanae praefectus, 141 *b.* Item, 424 *a* et 483 *b.*

Carolus Emmanuel cardinalis Pius, 404 *b.*

Carolus Gonzaga dux Nivernensis postulat pro S. Philippi Nerii canonizatione, 11 *b;* Militiam Christianam instituendam curat, 114 *b* et *seq.* Illi data facultas directores illius militiae eligendi usque ad capitulum generale, 117 *a.*

Carolus Lotharingiae dux, 453 *b* et 645 *a.*

Carolus (S.) Borromaeus prae veneratione genua flectit ante Philippum Nerium, illiusque osculatur manus, 18 *b.*

Castrum Podii Hibernorum excipitur a devolutione ducatus Urbini ad Sedem Apostolicam, 180 *a*, et 181 *b*, 268 *a* et *alibi.*

Casus reservati Sedi Apostolicae et in Bullâ Coenae Domini, 327 *b.* Facultas absolvendi ab illis non censetur suspensa in anno iubilaei, 328 *a.*

Castellae et Legionis regnorum ecclesiastici super solutione decimae a Romano Pontifice concessae Philippo IV Hispaniarum regi catholico concordiam cum ipso rege ineunt, 343 *b* et *seq.;* quam confirmat Urbanus VIII, 349 *a* et *seq.*

Cathaloniae principatus, 383 *b.* Abusus immunitatis ecclesiasticae ibi corriguntur, *ibid.*

Catharina a Lotharingia abbatissa monasterii de Romaricomonte, 453 *b*, et 645 *a.*

Catharina Caroli Gonzagae ducis uxor postulat pro S. Philippi Nerii canonizatione, 12 *b.*

Cathecumenorum ecclesia et domus in Urbe, 477 *a.* Deputati ad eius regimen possunt notarios cogere ad aperienda et ostendenda testamenta, 477 *b.*

Cathedrales ecclesiae, quinam servandi processus inquisitionis in eos qui ad illas promovendi sunt, 581 *b* et *seq.*

Celebratio missarum, plura de hac re decreta leguntur, 336-342.

Ceritaniae et Rossilionis comitatus, 383 *b;* abusus immunitatis ecclesiasticae corriguntur, 384 *a* et *seq.*

Chiavennae oppidi, comitatus Bormii, et Vallis Tellinae propugnacula in manibus Sedis Apostolicae reposita, 424 *a;* 483 *b;* et a Sede Apostolica regi catholico restituta, 609 *b.*

Christiana Cosmi II mater magni Hetruriae ducis postulat pro S. Philippi Nerii canonizatione, 12 *a.*

Christierna a Lotharingia magnae Hetruriae ducissa, 456 *b* et 539 *a.*

Clara (B.) de Monte Falchio, 193 *a.* Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini concessum indultum de ea missam celebrandi et recitandi officium, *ibid.*

Claudius Guillain presbyter Societatis Iesu assistens archiepiscopi Bituricensis praesidis capituli generalis Tertiariorum Reformatorum in Gallia, 512 *b.*

Claves aerarii sanctoris *vide* Ærarius sanctior.

Clericus, quamvis servitio peculiaris ecclesiae non sit addictus, fori privilegio gaudet, dummodo incedat in habitu et tonsura, 104 *a.* Sine Ordinarii sui litteris dimissorialibus promotus suspensionis poenam incurrit, 264 *b.*

Collegium Hibernorum in oppido Lovanii erectum, 266 *b*.
Collegium Illyricorum Laureti institutum, 541 *b*. Ex quibus provinciis ac dioecesibus alumni sint seligendi, 542 *a*. Eorum privilegia, 543 *b* et *seq*. Illius regimen committitur presbyteris Societatis Iesu, 544 *a*.
Collegium pro Calabris in Urbe instituitur, 54 *a*.
Coloniensis universitas, 171 *b*. Eius rector gaudet indulto praesentandi ad canonicatus ecclesiarum illius civitatis in mensibus Sedi Apostolicae reservatis, *ibid*. Lectores vero sic praesentati possunt per substitutos servitio ecclesiae satisfacere, 176 *a*. Canonicatus autem nonnisi in manibus Papae possunt resignari, 176 *b*.
Coloniensis civitas, 485 *a*. Seminarium pro monachis Ordinis S. Benedicti congregationis Bursfeldensis in ea erectum, *ibid*.
Commenda Bononiensis hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani erigitur in baiulivatum prioratum nuncupandum 92 *b* et *seq*.
Clemens PP. IV prohibuit quominus quis extra suam dioecesim absque Ordinarii sui dimissorialibus sacris initiaretur, 264 *a*; quam constitutionem innovat Urbanus VIII, 264 *b*.
Clementis PP. VIII decreta pro regularium reformatione innovantur et declarantur, 202 *b* et *seq*.
Coenae Domini Bulla, 530 *b* et *seq*. Facultas absolvendi a casibus in illa reservatis non suspenditur anno iubilaei, 328 *a*.
Communionis Hierarchiae plenitudinis aetatis Iesu Christi confraternitas in Hungaria instituta, 519 *b*. In archiconfraternitatem erigitur, *ibid*. Indulgentiae confratribus concessae, 520 *a*.
Communionis Paschalis praecepto non satisfacit qui communionem non sumit in sua parochia, 499 *a*.
Conclavistarum privilegia, 1 *b* et *seq*. Nomina eorum qui inservierunt conclavi in quo electus fuit Urbanus PP. VIII, 7 *b* et *seq*.
Confessarius ab episcopo approbatus potest a successore examinari, 498, *b*.
Confraternitas Aulicorum apud ecclesiam S. Nicolai ad Caesarinos de Urbe instituta, 236 *b*. Gratiae spirituales, temporalesque ei concessae, 237 *a* et *b*. Transfertur ad ecclesiam S. Laurentii in Fonte, 664 *b* et *seq*.
Confraternitas Musicorum Romae in ecclesia Congregationis clericorum regularium S. Pauli Decollati erecta, 243 *a*. Eius statuta confirmantur, 243 *b*. Quaedam istorum declaratio et revocatio, 507 *b* et *seq*.
Congregatio Caelestinorum iisdem fruitur privilegiis, quae ceteris monachorum congregationibus, ac praesertim Cassinensi concessa sunt, 194 et *seq*. Abbas generalis functiones omnes facere potest, quas ceteri faciunt abbates, et in suae Congregationis ecclesiis pontificalia potest exercere, 196 *b*. Constitutiones pro huius Congregationis regimine editae confirmantur, 471 *a* et *b*.
Congregatio Canonicorum Regularium S. Crucis regni Portugalliae, 368 *b*. Bulla cruciatae quoad facultatem sibi eligendi confessarium ipsis non favet, 369 *a*.
Congregatio Canonicorum Regularium S. Salvatoris in Lotharingia, 401 *a*. Reformatur, *ibid*.
Congregatio Cassinensis sanctae Iustinae de Padua, 661 *a*. Definitores quomodo

sint eligendi et quoto tempore officium gerere debeant, 661 *b*. Dicta quale ius habeat super abbates, 662 *a*.

Congregatio Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, 105 *a*. Professi, antequam ad sacros ordines promoveantur, ex domorum redditibus, in quibus a superiore generali collocantur, debent sustentari, 105 *b*. Congregatio Clericorum regularium ministrantium infirmis in quinque provincias divisa, 660 *a*. Praefectus generalis et consultores quomodo sint eligendi, *ibid.*

Congregatio Clericorum Regularium Minorum in duas dividitur provincias, 522 *b*.

Congregatio Clericorum Regularium Theatinorum, 332 *a*. Eius presbyteris concessum indultum missam de B. Andrea Avellino celebrandi, et recitandi de eo officium, *ibid. b*.

Congregatio fratrum Ioannis Dei, 142 *b*. Nihil solvendum esse episcopis pro ratione exhibenda bonorum, eleemosynarum, etc. decrevit S. Congregatio Concilii anno MDCXXIV, 143 *a*. Privilegia omnia eidem confirmantur, 169 et *seq*. Presbyteri non possunt missarum eleemosynas accipere, aut ad Ordinis dignitates promoveri, 324 *a*; Nonnisi post decimum ab emissa professione annum, praeviisque tantum examinatorum litteris testimonialibus sacris ordinibus initiari possunt, 325 *a* et 659 *a*. Decisio controversiae supra praecedentia inter confratres Ioannis Dei et fratres Ordinum Mendicantium, 617 *a* et *b*. Presbyteris quae officia committi queant, 659 *a*.

Congregatio Monachorum Ordinis S. Benedicti Helvetiorum ab Ordinariorum iurisdictione exempta, 138 *a*.

Congregatio Oratorii Aquensis in Provincia, unitur congregationi Oratorii Parisiensi 461 *b*.

Congregatio Oratorii Parisiis erecta, 46 *a*. Ei unitur monasterium B. Mariae de Castellariis Ordinis Cisterciensis, *ibid.* Et communicantur privilegia Congregationi Romanae concessa, 273 *b*. Eidem unitur Congregatio Oratorii Aquensis, 461 *b*.

Congregatio super confinibus Status Ecclesiastici ab Urbano VIII instituta, 600 *a*. Causae ab ea cognoscendae, 600 *b*.

Congregatio (S.) Concilii decernit clericos, qui incedunt in habitu et tonsura gaudere privilegio fori, licet servitio peculiaris ecclesiae non sint addicti, 104 *a*. Decreta ipsius pro reformatione Regularium, *vide* 207 *a* et *seqq*. Decreta etiam super celebratione missarum, earumque oneribus satisfaciendis, *vide* 336 *b* et *seqq*. Sequuntur dubia et declarationes edita super decretis eiusdem congregationis de celebratione missarum, 340 *seqq*. Decernit sede episcopali vacante duos vicarios capitulares eligi non posse, 363 *b*. Declarat episcopum posse in regulares, qui curam animarum secularium exercent in sua dioecesi, eadem auctoritate uti qua in parochos seculares quoad ea quae dictam curam concernunt, 458 *a*, eosque compellere censuris et poenis a quibus absolvi non possunt a suis superioribus 458 *b*; et regulares etiam in Indiis subesse visitationi et correctioni episcopi in his quae ad dictam curam pertinent 537 *b*. Ipsius decreta circa matrimonium contrahentes et domicilium mutantes, 591 *b*.

Conradus (S.) Tertii Ordinis S. Francisci, 370 *a*.

Conventus novi non erigendi sine licentia Ordinarii, 200 *a*; et licentiae contrariae revocantur, *ibid.*

Cosmus II magnus Hetruriae dux postulat pro causa canonizationis S. Philippi Nerii, 11 *b*.

Cremonensis clerus cum nonnullis emphyteutis concordiam init super solutione livellorum ecclesiasticorum, 474 *b*.

Cretensis archiepiscopus deputatur visitator totius insulae Cretae, 82 *b*; et iterum, 140 *b*.

Cruciatae privilegia in Hispaniis ad ecclesiasticos extenduntur, 165 *b*. Commissario data facultas litteras apostolicas cruciatae typis publicandi, 257 *a*.

Cruciatae indulgentiae non comprehenduntur in suspensione indulgentiarum occasione anni iubilaei, 221 *a* et *seq*. Cruciatae redditus in Hispania colligendi deputantur fabricae basilicae Principis Apostolorum, 283 *b*.

Crucis (S.) canonicorum regularium congregatio *vide* Congregatio.

D

Dapiferorum conclavis privilegia, 86 *b* et *seqq*.

Dataria Apostolica, 526 *b*. officium praefecti computorum suppressum, *ibid*. officiumque simplicis pecuniarum receptoris substitutum, 528 *b*.

Didacus episcopus Iaponensis, 525 *a*; Ei commissa facultas procedendi contra regulares non parentes nonnullis decretis sacrae Congregationis de Propaganda Fide, 525 *b*.

Didacus Quizai (ven.) unus e tribus Martyribus Societatis Iesu in regno Iaponiae passis pro Christo, 595 *a*.

Dimissorialiae Ordinarii necessariae ut quis extra dioecesim suam sacris ordinibus initietur, 264 *a* et *b*.

Diomedes Varesius Marchiae Anconitanae gubernator, 182 *a*, et 295 *a*, 296 *b*, et 358 *a*. Ei data potestas quoscumque cogendi ad frumentorum exhibendam notam, bannitosque absolvendi, dummodo a patrati delicti loco abstineant, 297 *a*. Datum illi in mandatis de possessione capienda ducatus Urbini nomine Sedis Apostolicae, 358 *a*.

Dionysius Crispoltus universitatis Perusinae lector, 377 *b*.

Dominicus cardinalis Gymnasius, 404 *b*.

E

Eborensis archiepiscopus, 99 *a*; controversias habet cum militiis S. Iacobi et sancti Benedicti de Avis, 99 *b*; quomodo componendae, *ibid*. et *seq*. Facultas data regi catholico nominandi iudices ad has causas cognoscendas, 459 *b*; de quibus archiepiscopus possit tres recusare ut suspectos, 460 *a*.

Eborensis capituli et ecclesiae dignitas et nobilitas, 299 *a*; statuta de probationibus ab admittendis ad dignitates faciendis super sanguinis puritate, 300 *a* et *a* et 301 *seq*.

Ecclesiae praecepto in Paschate non satisfacit, qui in sua parochia communionem non sumit, 848 *b* et *seq.*

Ecclesiae vacatio in translationibus episcopi ab ea die computari debet, qua ille ab eius vinculo in consistorio absolvitur, 304 *b.*

Ecclesiarum bona alienari vel locari ultra triennium non possunt, 101 *b* et 379 *a* et *b;* in feudum vel emphyteusim dari, vel ultra triennium locari, vel locationes prorogari non possunt sine licentiâ Sedis Apostolicae, 380 *a* et *b.*

Ecclesiastici in Helvetia compellendi ad observantiam Constitutionis Pauli II de bonis ecclesiarum non alienandis sive locandis, 101 *a* et *seq.*

Ecclesiastici in Hispania compelli possunt ad testificandum in causis nobilitatis et puritatis sanguinis, 124 *b.*

Electio Romani Pontificis quomodo peragenda, 429 *a* et *b.*

Eleemosynae missarum *vide* Missarum. Eleemosynae recepta pro missae celebratione debet integra tradi celebranti missam, 337 *a.*

Elisabeth (S.) Portugalliae regina Tertium Ordinem S. Francisci professa, 454 *b.*

Elisabetha Bavariae ducissa, 453 *b* et 645 *a.*

Episcopus in regulares, qui curam exercent animarum secularium, potest, quoad ea quae dictam curam concernunt et sacramentorum administrationem, uti eadem auctoritate qua in parochos seculares, 458 *a;* illis prohibere ne taxam excedant emolumentorum praescriptam ab episcopo, *ibid.;* eos compellere poenis et censuris a quibus absolvi non possunt a suis superioribus, 458 *b;* et regulares etiam in Indiis subsunt iurisdictioni, visitationi et correctioni episcopi in his tamen quae ad dictam curam pertinent, 537 *b.* Confessarios a suo praedecessore approbatos potest iterum examinare, 498 *b.*

Episcopi Indiarum Occidentalium fruuntur privilegio conferendi gradus doctorales, certis servatis legibus, 516 *a.*

Eugenius, dum vixit, archiepiscopus Dublinensis 266 *b;* erigendum curavit collegium Hibernorum in oppido Lovanii Mechliniensis dioecesis *ibid.*

Eystetensis ecclesia, 186 *a.* Clero indicitur ad annum decima solvenda episcopo occasione motuum bellicorum in Germania, *ibid.* et *seq.*

Exemptorum privilegia circa curam animarum, et administrationem sacramentorum ac monialium monasteria et praedicationem verbi Dei, 292 *a;* quaedam de iis litterae Gregorii XV in regnis Portugalliae suspenduntur ab Urbano VIII *ibid.*

F

Fabritius Verospius causarum palatii apostolici auditor, 181 *b.* Civitatis Perusinae et provinciae Umbriae gubernator 358 *a.* Illi mandatum de possessione capienda ducatus Urbini nomine Sedis Apostolicae *ibid.*

Farfense monasterium, 50 *b.* Sixtus V castra ad illud spectantia, quoad temporale dominium, camerae apostolicae univit, 51 *a.* Eaque sub constitutione Pii V *de non alienandis* comprehendi voluit, 51 *b.* Urbanus gubernatorem ei a se electum praeficit, 52 *a.*

Felix (Ven.) a Cantalicio, Ordinis Minorum Cappuccinorum, Beatorum numero adscriptus, 372 *a*.

Ferdinandus episcopus olim Pharaonensis, 317 *b*, 319 *b*. Illi conceditur ad quinquennium facultas absolvendi neophytos relapsos provinciarum transmarinarum regni Portugalliae, 318 *a seqq*.

Ferdinandus I magnus Hetruriae dux postulat pro canonizatione S. Philippi Nerii, 11 *b*; instat pro beatificatione venerabilis Mariae Magdalenae de Pazzis, 456 *b* et 539 *a*.

Ferdinandus rex in imperatorem electus, 367 *a*. Collegium S. Bonaventurae fratrum Minorum Conventualium Pragense dotavit, et confirmari petit ab Urbano VIII *ibid*.

Ferdinandus Mantuae dux Militiam Christianam erigi curat, 114 *b*.

Franciscus a Lotharingia comes Vademontanus, 372 *a* et 645 *b*.

Franciscus Borgia, venerabilis servus Dei, Beatorum albo adscriptus, 256 *a*. Indultumque concessum presbyteris S. I. missam de eo celebrandi, recitandique officium, *ibid*. et *p*. 368 *a*.

Franciscus cardinalis Barberinus Urbani VIII ex fratre germano nepos, 306 *a*; Sedis Apostolicae legatus ad pacem inter christianos principes conciliandam, 306 *a* et *b*; legatus a latere ad regem Hispaniarum, 307 *a* et *b*; in sui legatione etiam Portugalliae regnum includitur, 307 *b*; ipsi plures conferuntur, facultates, *ibid*. et *seq*. Sedis Apostolicae in Galliam de latere legatus, 511 *a*.

Franciscus cardinalis Boncompagnus processus super sanctitate ven. Francisci Borgiae refert, 256 *a*.

Franciscus cardinalis de la Rochefaucault, 86 *a* et 362 *a*. Ei commissa cura monialium Carmelitarum Discalceatarum regni Franciae, 86 *a*; et ipsarum causa contra episcopum Leonensem, 362 *b*.

Franciscus Maria cardinalis a Monte, 404 *b*.

Franciscus Maria de Ruvere, Urbini dux, arcium illius ducatus praefectis mandat, ut iuramentum fidelitatis Romano Pontifici et camerae apostolicae praestent, 179 *a*; iuribus Sedis Apostolicae super illo ducatu consulit, 589 *a* et *b*.

Franciscus Ubaldus, sacrae Rotae auditor, deputatur in praesidentem et iudicem probationum equitum Militiae Christianae, 222 *a*.

Franciscus (B.) Xaverius, vir sanctus et Indiarum apostolus, 26 *a*. Ignatio Loiolae socius adiungitur, *ibid.;* quae praecesserunt canonizationi ipsius, 33 *a* et *seq*. Nativitas et studia, necnon virtutes et merita illius recensentur, 34 *a*, 36 *a*; socius factus Ignatio Loiolae 34 *a*; ad Indias Orientales mittitur, 36 *a* et *seq*.; miracula quibus praedicationem confirmavit enarrantur, 36 *b*, 40 *a*; mors et depositio, 40 *a*; miracula post mortem 41 *a* et *seq*.; canonizatio, 43 *b* et *seq*.

Fridericus cardinalis Borromaeus archiepiscopus Mediolanensis, 84 *b;* ipsi committitur ut inhibeat alumnos seminarii ad habitum regularem admitti, *ibid*.

Fridericus comes palatinus Rheni Ludovico Lotharingiae duci oppidum de Lizheim vendit, 167 *a*.

Furnenses et Martiniani habiles redduntur et declarantur ad dignitates in capitulo Iprensi obtinendas, 446 *b*.

G

Gabriel archiepiscopus Mithilenarum Sedis Apostolicae delegatus ad Graecos Liburni commorantes, 298 *b*.
Gabriel Paleottus, 18 *b*; librum scribit *De bono senectutis* in quo B. Philippum Nerium commendat.
Gaspar cardinalis Borgia instat pro canonizatione ven. Francisci Borgia S. I., 255 *b* et *seq.*; et iterum, 368 *a*. Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis captivorum protector est, 565 *a*.
Gaspar Diaz Campomanes procurator generalis congregationis fratrum Ioannis Dei, 124 *b*.
Genuensibus concessum indultum celebrandi festum sancti Bernardi de praecepto, 385 *b*.
Genuensis bibliotheca Minimorum sancti Francisci de Paula, 283 *a*; ne libri extrahantur ex illa, *ibid.*
Georgii (S.) in Alga Venetiarum Congregatio, 311 *b* et 313 *a*.
Germanicae nationis laudes, 551 *a* et 556 *b*. Germanorum adolescentium collegium Pragae erectum, 551 *b* et *seq.* Item Viennae Austriae institutum, 557 *a* et *seq.*
Graecorum collegium, 245 *b*. Constitutiones pro eo ab Urbano Papa VIII editae, *ibid.* De rectore, eiusque officio, *ibid.* Cardinalium protectorum quae sint munia, 246 *a*. De admittendorum ad collegium qualitatibus, *ibid.* Qualis alumnorum numerus esse debeat, 247 *b*. De iuramento ab eis praestando, *ibid.* Episcopus graeci ritus pro sacris ordinibus iis conferendis deputatur, 249 *b*.
Gregorii (S.) de Urbe ecclesia et monasterium Ordinis Camaldulensis, 508 *b*. Statuta pro satisfactione onerum missarum, *ibid.* Prior illius monasterii est etiam procurator generalis ipsius congregationis, 510 *a*.
Gregorius Papa XIII Graecorum collegium Romae fundat, 245 *b*. Et collegium Pragense pro Germanis, 551 *b*. Item Viennense, 557 *a*.
Gregorius Papa XV in album Sanctorum referre decreverat B. Philippum Nerium, 11 *b*; illum statuit canonizandum, 13 *b*; moritur ante bullarum expeditionem, 21 *a*; item B. Ignatium Loiola statuerat canonizandum, 23 *a*; et B. Franciscum Xaverium, 43 *b* et *seq.* Ipsius constitutiones de electione Romani Pontificis et de caeremoniali servando confirmantur ab Urbano VIII, 429 *a* et *b*. Fortalitia Vallis Tellinae, aliaque loca, depositi nomine recipit, 425 *a* et 483 *b*.
Gundisalvus archiepiscopus Limanus, 498 *b*; potest examinare iterum confessarios approbatos a suo praedecessore, *ibid.*
Gymnasium pubblicum Romanum, 657 *b*. Rhetoricae cathedra in eo instituta, *ibid.*

H

Heidelbergae universitas studii erecta, 167 *b*.
Helvetiorum receptio ad habitum militiae S. Ioannis Hierosolymitani regulatur, 505 *b*

et *seq.* Collegium Helvetiorum Mediolani erectum, 469 *a.* Eiusque designati protectores, 469 *b.*

Henricus IV Francorum rex christianissimus, 24 *a*; instat pro canonizatione S. Ignatii Loiolae, *ibid.*

Henricus Lotharingiae dux oppidum de Lizheim a Friderico comite Palatino Rheni emit, 167 *a.* Et huiusmodi emptionem pontificia auctoritate petit confirmari, 167 *b.*

Hermannus Ortemberg episcopus Atrebatensis, 75 *b. Vide* Atrebatensis.

Hibernorum collegium in oppido Lovanii erectum, 266 *b.*

Hieronymus M. Lambardus universitatis Perusinae lector, 378 *b.*

Hieronymus Vidonus camerae apostolicae clericus et Romandiolae praeses, 181 *b.* Thesaurarius generalis, 422 *a*; protector montis salis instituitur, 423 *b.*

Hierusalem et loca sancta, 282 *a*; eleemosyna pro iis locis commendatur, 282 *b.*

Hippolytus cardinalis Aldobrandinus Ordinis Minimorum protector, 259 *b.*

Hispaniarum episcopi ecclesiasticos compellere possunt ad testificandum in causis nobilitatis et puritatis sanguinis, 124 *b.*

Hispaniarum rex et eius ministri a censuris absolvuntur ob vectigal exactum ab ecclesiasticis, 134 *a.* Iterum, 365 *b.*

Horatius Ludovisius Fiani dux, 609 *b.* Fortalitia Vallis Tellinae et Chiavennae nomine S. Sedis depositi loco recipit, *ibid.*

Hospitale Sancti Antonii de Sancto Antonio Viennensi, 386 *b.* Eximitur ab Ordinariorum iurisdictione, iis exceptis quae respiciunt curam animarum et sacramentorum administrationem, *ibid.*

Hospitali S. Ioannis Hierosolymitani, 134 *b;* illi multa privilegia concessa, 136 *a* et *b;* omnia confirmat Urbanus VIII, 136 *a;* milites huius militiae eximuntur a vectigalibus solvendis Bononiae, 154 *a*, 155 *a;* priori et militibus prioratus Alemanniae praecipitur ne bona et privilegia dicti prioratus laedi permittant, 160 *b* et *seq.; vide* Ioannis (S.) Hierosolymitani militia.

I

Iacobi (S.) militia *vide* Militiae.

Iacobus (Ven.) de Marchia Beatorum albo adscribitur, 192 *b.* Officiumque et missam de eo a fratribus Ordinis Minorum sancti Francisci celebrari permittitur, *ibid* et 234 *b* et *seq.*

Iesuatis fratribus S. Hieronymi indultum conceditur circa habitum, 242 *a* et *seq.*

Ignatius Loiola, 23 *a*; quae praecesserunt canonizationi ipsius, 23 *b* et *seq.*; eius ortus, 25 *b*; piis motus lectionibus se Deo addicit, *ibid.* Romam, Venetias, Hierosolymam petit, 26 *a*; studia litteraria, 26 *a*; cum sociis sibi adscitis se vovet Romano Pontifici, *ibid.* Instituit Societatem Iesu, 26 *b*; moritur, *ibid.* Eius virtutes, 27 *a* et *seq.*; splendida divinitus facies, 28 *a*; miracula, 28 *b* et *seq.*; canonizatio, 30 *b* et *seq.*

Illyricorum collegium Laureti institutum *vide* Collegium.

Imagines eorum, qui nondum a Sede Apostolica sunt canonizati, cum radiis proponi cavit Urbanus VIII constitutione CXXX, 309 *a* et *seq.*

Immunitas et libertas ecclesiastica defenditur, 334 et *seq.* Quidam abusus ex immunitate ecclesiastica in locis Hispaniae provenientes tolluntur, 384 *b.*

Indiarum occidentalium parochis vetitum, quominus maiorem eleemosynam ab iis exigant qui in ecclesiis Ordinis fratrum Minorum de Observantia sepeliuntur, 417 et *seq.* Episcopi fruuntur indulto conferendi gradus et lauream doctoralem, certis servatis legibus, 294 *a.* In qualibet ecclesia supprimuntur unus canonicatus et una praebenda, quae primo vacaverint, illiusque fructus applicantur Officio Inquisitionis, 526 *a* et *b.*

Inquisitionis officium, 526 *a.* Illi applicantur fructus unius canonicatus et praebendae qui primo vacaverint in qualibet ecclesia Indiarum Occidentalium.

Ioannes Adrianopolitanus archiepiscopus, 181 *b.* Marchiae Anconitane gubernator, 182 *a*; praeses Romandiolae et exarcatus Ravennae, 294 *a;* facultates illi commissae pro annonae copia, 294 *b.* et circa bannitos, 295 *b* et *seq.*

Ioannes Baptista Laurus sacerdos, collegii cardinalium secretarius, 405 *b.*

Ioannes Baptista Nari subrogatur loco Torquati de Comitibus locumtenentis generalis militiarum Vallis Tellinae in eventum recuperationis comitatus Bormii, 426 *a* et *seq.*

Ioannes Baptista Pallottus Camerae Apostolicae spoliorum collector in regno Portugalliae, 292 *a*, 334 *a* et 462 *a* et *b*; ipsi committitur inquisitio contra commissarium cruciatae in regno Portugalliae suspectum de erroneis propositionibus contra Sedem Apostolicam, 464 *a.*

Ioannes Baptista Pamphilius sacrae Rotae auditor, 24 *a.*

Ioannes Baptista Vives suas aedes, bonaque sua pro erigendo collegio de Propaganda Fide dono dat, 575 *a* et *b.*

Ioannes de Goto (ven.) unus e tribus Martyribus Societatis Iesu in regno Iaponiae pro Christo cruci affixis et transverberatis, 595 *a.*

Ioannes Lusitaniae rex processus fieri curat pro canonizatione ven. Francisci Xaveverii, 42 *a.*

Ioannes Pizzullus fratres Ordinis Minimorum conventus S. Andreae de Frattis haeredes instituit, iniuncto onere collegium pro Calabris erigendi, 54 *b.* 285 *b.* Ipse emit palatium in regione Montium, et dictis fratribus donat ad usum dicti collegii, 54 *b.*

Ioannettinus cardinalis ab Auria Siciliae prorex, 240 *a.*

Ioannis Dei congregatio, *vide* Congregatio.

Ioannis (S.) evangelistae congregatio in Portugallia 311 *b*; forma statuitur electionis rectorum illius, *ibid.*, itemque, 313 *b seqq.*

Ioannis (S.) Hierosolymitani militia, 495 *a.* Obtinentes dignitates linguae anglicae suffragium in electione magni magistri non habent, nisi fuerint ex Anglia oriundi, 495 *b.* Helvetii admitti possunt in lingua Alemaniae, dummodo nonnullis praediti sint qualitatibus, 505 *b* et *seq.* Haec militia ius habet iudices sibi conservatores eligendi, 643 *a.* Quae methodus in magni magistri electione servanda sit, 672 *b seq.* *Vide* Hospitale S. Ioannis Hierosolymitani.

Iosephus a Mello Eborensis archiepiscopus, 299 *a.* Statuta nonnulla de probationibus faciendis ab admittendis ad dignitates capituli, *ibid.* et 300 *seq.*

Iprensis ecclesia in episcopatum a Paulo IV erecta, 437 *a seq.* Eique pars Morinensis

dioecesis addicta, 439 *a*. Dos episcopo assignata, 441 *a seq.* Martiniani ac Furnenses habiles declarantur ad dignitates in capitulo obtinendas, 446 *b*.

Isabella, regina catholica Hispaniarum, postulat pro canonizatione vigintitrium Martyrum ex Ordine fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Discalceatorum provinciae Philippinarum et Iaponiae, 594 *a*; itemque pro canonizatione trium Martyrum e Societate Iesu, 595 *a*.

Italia, regio pacis et religionis arx, facta campus seditionum 305 *b*.

Itali clerici officium pro conservatione scripturarum et processuum ad sacrum collegium pertinentium 404 *b*, supprimitur ab Urbano VIII et unitur officio secretarii eiusdem collegii, 405 *a*.

Itamaraca provincia ecclesiae sancti Salvatoris restituta, 184 *a*.

Iubilaeum Tiniensibus concessum, 293 *a* et *b*. Parisiensibus anno MDCXXVI, 332 *b* et *seq*. Aetiopibus, 592 *b* et *seq*.

Iubilaeum universale pro anno MDCXXV indictum, 143 *b*. Iterum pro anno MDCXXVIII, 654 *b* et *seq*.

Iudex reum, accusatum alicuius furti, de aliis etiam potest interrogare, 473 *b* et *seq*.

Iulianus archiepiscopus Pisanus, 298 *b*. Curet ut archiepiscopus Mithilenarum recipiatur a Graecis Liburni commorantibus, *ibid.*

Iulius Papa II statuit ne rex Siciliae eligeretur in regem Romanorum, aut Theutoniae, aut dominum Lombardiae, aut Thusciae, vel in illarum regionum regimen se intromitteret, 112 *a* et *b*.

L

Laurentii (S.) in Fonte in regione montium ecclesia, 664 *b*. Aulicorum confraternitati concessa, *ibid.* et *seq*.

Laurentii (S.) in Lucina ecclesia deputatur loco ecclesiae S. Laurentii extra muros pro lucranda indulgentia iubilaei 281, *a* et *seq*.

Laurentius cardinalis Magalottus, 503 *b*.

Laurentius episcopus Cesenatensis, 589 *a*. Status Urbini gubernator, *ibid.*

Lauretana (S.) domus, 393 *a*. Onus notariorum legata ei relicta significandi, *ibid.* Collegium Illycorum Laureti erectum et sacrae domus proventibus sustentandum, 541 *b*.

Leo X concessit celebrari missam cum officio de B. Margarita de Cortona, 81 *a*.

Leodiensis ecclesia, 449 *a*. Capitulo illius ecclesiae a Sixto V concessum indultum eligendi ad praeposituras et abbatias, *ibid.* et *seq*. Confirmat Urbanus VIII, 451 *a*; et declarando extendit, 451 *b*.

Leonensis episcopus nonnulla attentat contra litteras pontificias pro monialibus Carmelitis Discalceatis regni Franciae, 362 *b*; et mandatis ac censuris parere recusat, *ibid.*

Leopoldus archidux Austriae, ecclesiarum Argentinensis et Passaviensis administrator, 79 *b*. Ei interdictum, quominus feuda, ad easdem ecclesias pertinentia, haereticis vel de fide catholica male sentientibus locet, *ibid.*; petit

ab Urbano VIII confirmari erectionem et dotationem collegii Societatis Iesu cum universitate in oppido Nissae, 492 *b.*

Leonis (S.) civitas cum ducatu Urbini devolvitur ad Sedem Apostolicam, 179 *b* et 181 *b.*

Libri in Urbe sine licentia cardinalis vicarii et magistri sacri palatii, extra Urbem sine Ordinariorum licentia non imprimendi, 371 *b.*

Liburni commorantur Graeci quibus praeficitur archiepiscopus Mitilennarum, 298 *b.*

Limanae ecclesiae, sede vacante, non potuerunt duo vicarii generales eligi, 363 *b* et *seq.*

Liparensis ecclesia a iure metropolitico Messanensis eximitur, 619 *b.* Ac Sedi Apostolicae immediate subiicitur, 620 *a.*

Lizheim oppidum ab Henrico Lotharingiae duce emitur, 167 *a.*

Lovaniense collegium pro Hibernis erectum, 266 *b.* Eius constitutiones confirmatae, 273 *a.*

Lucanae reipublicae ministri absolvuntur a censuris in quas incurrerant ob exactum vectigal ab ecclesiasticis, 466 *a* et *b;* ipsis data facultas conveniendi cum clero super vectigalium exactione, 467 *b.*

Lucas Antonius Virili commissarius pontificius deputatur ad recipiendum fidelitatis iuramentum a praefectis arcium ducatus Urbini, 179 *a.* Facultas eidem conceditur notarios creandi in ducatu Urbini, 192 *a.*

Lucas archiepiscopus Cretensis, 82 *b.* Ei delegata visitatio ecclesiarum totius regni Cretae, *ibid.* Eidem facultates extenduntur ad insulas Zacynthi, Cephaloniae et Corcyrae, 140 *b.*

Lucas Castellinus Ordinis Praedicatorum procurator generalis, 448 *a.*

Ludovicus cardinalis Ludovisius Cassinensium protector, 662 *b.*

Ludovicus cardinalis de la Vallete, 86 *a.* Deputatur super reformatione monialium Carmelitanarum Discalceatarum in regno Franciae, 362 *a;* et in earum causa contra episcopum Leonensem, 362 *b.*

Ludovicus Cencius universitatis Perusinae lector 377 *b.*

Ludovicus de Meranvillier abbas monasterii B. Mariae de Castellariis Ordinis Cisterciensis, 46 *a.*

Ludovicus rex Francorum postulat pro canonizatione S. Philippi Nerii, 11 *b.*

Ludovicus Scottus in universitate Perusina lector, 376 *b.*

Lutherus, monstrum teterrimum, veterem religionem in septem trionum partibus corrumpit, 23 *b.*

M

Maioli terra et arx cum ducatu Urbini devolvitur ad Ecclesiam Romanam, 179 *b* et 181 *a.*

Malacca in India Orientali urbs celeberrima, 40 *b.*

Manilensis archiepiscopus, 457 *b;* plura dubia proponit sacrae Concilii Congregationi circa capita *De Regularibus, ibid.;* episcopus potest in regulares curam animarum secularium exercentes eadem auctoritate uti, quoad ea quae dictam

causam concernunt, qua in parochos seculares, ipsis praescribere taxam emolumentorum, et compellere poenis et censuris a quibus non possunt absolvi a suis superioribus, 458 *a* et *b*.

Manilensis dioecesis in Indiis Philippinis, 537 *b*; regulares exercentes curam animarum subsint iurisdictioni archiepiscopi in iis quae ad dictam curam pertinent, *ibid.*

Maphaeus cardinalis Barberinus in Romanum Pontificem eligitur, 1 *a*. *Vide* Urbanus VIII.

Maranham provinciam ecclesiae S. Salvatoris restituit Urbanus VIII, 184 *b*.

Marchiae Anconitanae gubernatori data facultas capiendi possessionem ducatus Urbini eveniente casu devolutionis illius ad Sedem Apostolicam, 296 *b*, et aliae quoad annonam, bannitos, etc., 297 *a*; quae sint facultates ipsius ad annonam curandam, *ibid.*

Marcellus Sacchettus depositarius montis salis ab Urbano VIII erecti, qui de solvendo fructus cuilibet montistae se obligare debeat, 423 *b*.

Marcellus card. Lantes, 404 *b*.

Margarita coniux Philippi III regis catholici preces offert pro canonizatione S. Ignatii Loiolae, 23 *b*.

Margarita (B.) de Cortona monialis Tertii Ordinis S. Francisci, 80 *b*. Indultum celebrandi de ea missam et recitandi officium in toto Ordine S. Francisci, 81 *a*.

Maria coniux Maximiliani II regis Romanorum supplicat pro cultu B. Ignatii Loiolae, 23 *b*.

Maria Ludovici regis Francorum mater instat pro canonizatione S. Philippi Nerii, 11 *b*.

Maria Magdalena Austriae archiducissa, 456 *b* et 539 *a*.

Maria Magdalena (B.) de Pazzis Ordinem Carmelitarum professa, 539 *a*. Indultum recitandi de ea officium, 539 *b*.

Maria Magdalena, monialis, soror B. Francisci Xaverii, vocationem fratris praesensit et adiuvit, 34 *b*.

Maria Magdalena (Ven.) de Pazzis Beatarum albo adscripta, 457 *a*.

Mariae (B.) de Castellariis (Monasterium) Ordinis Cisterciensis, 46 *a*; unitur Congregationi Oratorii Parisiensis, 46 *a*.

Mariae (B.) Theutonicorum militia, 95 *b*; illi privilegia competunt hospitali S. Ioannis Hierosolymitani concessa *ibid.*

Mariae (S.) ad Martires de Urbe ecclesia, 632 *a*. Quale ius habeat super platea circa eam posita, *ibid.*

Mariae (S.) Transtyberim ecclesia deputatur loco ecclesiae S. Pauli pro indulgentia anni sancti, 279 *b* et *seq.*

Mariae (S.) de Populo ecclesia designatur loco ecclesiae S. Sebastiani pro septem Urbis ecclesias visitantibus anno iubilaei, 281 *a seq.*

Maronitarum collegium in Monte Libano erectum, 358 *a*. Constitutiones ab alumnis servandae, 360 *a seq.*

Martiniani ac Furnenses habiles redduntur et declarantur ad dignitates in capitulo Iprensi obtinendas 446 *b*.

Martyres (ven.) viginti tres ex Ordine fratrum Minorum S. Francisci de Obser-

vantia Discalceatorum provinciae S. Gregorii Philippinarum et Iaponiae, Beati declarantur, 594 *a* et *b seq.*

Martyres (ven.) tres, in regno Iaponiae pro Christo passis, e Societate Iesu, Beati declarantur, 595 *a* et *b*.

Matrimonia eorum qui domicilium transferunt quo pacto contrahi debeant, 591 *b*.

Maximilianus Bavariae dux, 453 *b* et 645 *a*. Instat pro beatificatione venerabilis Felicis a Catalicio, *ibid.*

Maximilianus utriusque Bavariae dux postulat pro canonizatione S. Philippi Nerii, 11 *b*.

Mediolanensis ducatus munitiones, 149 *a;* pro iis impositio ecclesiasticis indicitur, 149 *b* et *seq.*

Mediolani nonnulla erecta clericorum seminaria, 84 *b*. Alumnis vetitum regularem emittere professionem, *ibid.* Ibi erectum collegium Helvetiorum et Rhetiorum, 469 *a*.

Michaël Adolphus comes de Althann confraternitatem *Communionis hierarchiae plenitudinis aetatis Iesu Christi* pro redemptione christifidelium captivorum promovenda erigit 519 *b*.

Militia B. Mariae Theutonicorum, 95 *b*. Ei communicantur privilegia omnia militiae S. Ioannis Hierosolymitani a summis pontificibus concessa, 96 *a*.

Militia Christiana sub titulo Conceptionis Beatae Mariae Virginis ab Urbano VIII erecta, 115 *a*. De militum numero, habitu, novitiatu et votis, 115 *b*. Sedi Apostolicae immediate subiicitur, 116 *a*. Milites ecclesiasticas pensiones possunt obtinere, 116 *b*. Quas indulgentias lucrentur, 117 *b*. Milites Gallicanae et Belgicae nationis pensiones habere possunt usque ad quingentos ducatos, 118 *b*. Nemini tamen licet habitum et crucem assertae cuiusdam militiae sub eodem titulo erectae et a Sede Apostolica non approbatae deferre, 119 *b*. Auditor causarum camerae apostolicae iudex deputatur probationum, quae a militibus fieri debent, 222 *a*. Magno magistro concessa facultas eos adscribendi, qui per biennium Sedi Apostolicae inservierint, 238 *b* et *seq.* Data facultas nuncio apostolico inferioris Germaniae habitum huius militiae tribus personis concedere, 272 *b*. Prorogatio capituli generalis ipsius ad annum propter ingruentia bella, 322 *a*. Militiae huius statuta confirmata, 325 *a* et *seq.*

Militiae S. Iacobi et S. Benedicti de Avis, 99 *b;* lites componant cum archiepiscopo Elborensi, *ibid.* et *seq.*

Missarum reductio a sola Apostolica Sede fieri potest, 336 *a* et *b* Celebrari autem debent ad rationem attributae eleemosynae, *ibid.* Earum oneri neque per collectas neque per orationes fit satis, *ibid.* Onera perpetua non recipienda sine legitimi superioris licentia, 337 *b*. Eleemosyna pro missae celebratione suscepta integra debet tradi celebranti missam, 337 *a*.

Monetarii, etiamsi ecclesiastici sint, poenis a constitutione Pii Papae V statutis coërcendi, 614 *b* et *seq.*

Monialium reformatarum Ordinis S. Benedicti in Galliis, 323 *a*; quibus ipsarum cura competat, *ibid.*

Monialium consensus, sine quo mulieres seculares non possunt ingredi ipsarum monasteria, debet dari expresse, capitulariter, et per secreta suffragia, 236 *a*. Mu-

lieres non recipiantur in monasteriis monialium, nisi monasticum habitum induere velint, 521 *b.*

Mons vacabilis super salis vectigal ab Urbano VIII erectus, 421 *b.* Privilegia et exemptiones montistis concessa, 422 *b.*

Montisferetrani Status cum ducatu Urbini devolvitur ad Sedem Apostolicam, 179 *b*; 181 *b.*

Montis Marciani affictus 297 *a*; super illam constituitur gubernator Marchiae Anconitanae, *ibid.*

Musicorum confraternitas *vide* Confraternitas.

N

Neophyti relapsi provinciarum transmarinarum regni Portugalliae admittantur ad absolutionem, ne desperent, 318 *seq.*

Nicolai (S.) ad Caesarinos ecclesia, 236 *b.* Ibi instituta Aulicorum confraternitas, *ibid.*

Nicolaus ex comitibus Guidobalnei marchio Montisbelli, 609 *b*, Propugnacula vallium Tellinae et Chiavennae nomine S. Sedis depositi loco recipit, *ibid.*

Nigrorum congregatio Angiica Ordinis S. Benedicti 478 *b*; declaratur eam esse veram congregationem, *ibid.*

Nissae collegium Societatis Iesu et studiorum universitas a Carolo Austriaco erecta, 492 *a.*

O

Octavius archiepiscopus Tarsensis, 523 *b* praeses Romandiolae, *ibid.* Ei commissa cognitio causarum super devolutione nonnullorum castrorum ad mensam episcopalem Brittonoriensem spectantium, 524 *a seq.*

Odoardus Tibaldescus sacri collegii cardinalium notarius, 403 *b.*

Officia vacabilia Romanae curiae, 105 *b*; facultates de illis disponendi revocantur, *ibid.*

Ordines regulares. Decreta multa pro reformatione regularium, 202 *b* et *seq.*

Ordines sacri nemini dentur extra dioecesim sine Ordinariorum dimissorialibus, 264 *a* et *b.*

Ordo Benedictinorum, 455 *a.* Monachis mandatur, ut missali et breviario a Paulo Papa V approbato utantur, 455 *b.*

Ordo Camaldulensium, 508 *b.* Quas leges servari oporteat pro satisfactione onerum missarum in ecclesia S. Gregorii de Urbe, *ibid.* Prior autem huiusce monasterii totius Ordinis procurator generalis censetur, 510 *a.*

Ordo Cappuccinorum, 326 *b.* Provinciales episcopis obedientiam praestare non tenentur pro iis fratribus qui ad sacros ordines promoventur, *ibid.* Indultum de celebranda missa et recitando officio de B. Conrado Tertii Ordinis S. Francisci 370 *a* et *b*; et de B. Felice a Cantalicio, 372 *a.* Indultum huiusmodi extenditur ad omnes fratres Cappuccinos ubique existentes et ad sacerdotes ad ipsorum ecclesias confluentes, 454 *a*; et 645 *b.*

Ordo Cappuccinorum a vera S. Francisci regula promanat, 562 *a* et *b*.
Ordo Carthusiensium, 517 *a*. Ditioria monasteria pecunias pauperioribus ad censum debent dare, *ibid.*
Ordo Cassinensis, 484 *b*. Congregatio Bursfeldensis, ac seminarium in universitate Coloniensi erectum, 485 *a*. Regulae monachis huiusce seminarii servandae, *ibid.* Confirmantur ab Urbano VIII, 489 *a*.
Ordo Eremitarum S. Augustini. Fratribus huius Ordinis Urbanus VIII indultum concedit missam celebrandi et recitandi officium de B. Clara de Monte Falchio, 193 *a*. Magistri privilegiis suis gaudere non possint, nisi ab examinatoribus Ordinis fuerint examinati, 320 *b*. Vota vero ex gratia in capitulis provincialibus concessa nulla sunt, 321 *a*.
Ordo fratrum Eremitarum S. Augustini Calceatorum, 504 *a*. Assistentes ultramontani prioris generalis peracto officio omnibus privilegiis privantur, 504 *b*, et suas ad provincias redire debent, 505 *a*. Toti ordini concessum indultum missam celebrandi de B. Rita de Cassia, 604 *a*. Alternativa in electione provincialium provinciae Mechoacanae servanda, 641 *b*.
Ordo fratrum Eremitarum S. Augustini Discalceatorum, 479 *b*. Congregatio Italiae in quatuor dividitur provincias, *ibid.* Vicarius generalis totius congregationis potestatem habet alium omnimoda sua iurisdictione delegandi, 480 *b* et *seg.* Constitutiones apostolica auctoritate confirmatae, 481 *a*. Novae constitutiones non faciendae, *ibid.* Congregatio definitorialis supprimitur, 481 *b*. Auctoritas vicarii generalis in definitores, *ibid.*
Ordo fratrum Minorum Conventualium, 367 *a*. Ipsorum collegium S. Bonaventurae Pragae erectum, *ibid.* Confirmatur ab Urbano VIII sub nominorum S. Antonii de Padua, 367 *b*. Decreto pro ipsorum reformatione in regno Poloniae, 354 *b;* ea confirmat Urbanus VIII, 354 *a* et *b*. Congregationem Reformatorum Conventualium supprimit Urbanus VIII, 432 *b* et ipsis Reformatis concedit transitum ad Cappuccinos seu de Observantia, 433 *a;* domum Neapolitanam excipit, *ibid.;* domus Romanae bona addicit camerae apostolicae, 433 *b*. Anno MDCXXV novae constitutiones pro eius regimine editae, 663 *b*.
Ordo fratrum Praedicatorum 366 *a*. Capitulum generale quolibet sexennio celebrandum, *ibid.* Libros, vel manuscripta ex Ordinis huius bibliothecis extrahi vetitum sub poena excommunicationis, 448 *b*.
Ordo Minimorum S. Francisci de Paula, 54 *a*. Haereditas conventui S. Andreae de Fractis a Ioanne Pizzullo relicta ad conventum et collegium eiusdem Ordinis in regione Montium transfertur, 55 *a*. Statuta nonnulla pro Ordinis regimine, et praesertim de Vicarii generalis electione edita confirmat Urbanus Papa VIII, 156 *b* et *seg.* Renovat quoque privilegia huic Ordini suis a praedecessoribus concessa, 177 *b*. In dicto conventu in regione Montium erecto officia tam oneris quam honoris a solis fratribus provinciae Calabriae debent exerceri, 260 *b*. Fratres Ordinis legata cum perpetuo onere missarum possunt recipere, 276 *b*. Ne ex biblioteca Genuensi illius Ordinis quomodolibet extrahantur libri, 283 *a*.
Ordo Minorum S. Francisci de Observantia, 282 *a*; fratres huius Ordinis in civitate Hierusalem molestiis urgentur, *ibid.*; pro ipsis eleemosynae commendantur,

282 *b*. Parochis Indiarum Occidentalium vetitum quominus maiorem eleemosynam exigant ab iis qui in ecclesiis fratrum Minorum de Observantia sepeliuntur, 417 *b* et *seq*. Eis concessum indultum missam celebrandi de viginti tribus Martyribus Iaponiae ex illorum Ordine, 594 *a*.

Ordo Minorum S. Francisci. Fratribus et monialibus huius Ordinis indultum conceditur missam celebrandi et recitandi officium de B. Margarita de Cortona, 80 *b*. Fratres strictioris observantiae calepodia gestare debent, 98 *a* et 140 *a*. Et Recollecti Galliae capucium rotundum, ac latiorem mozzettam, *ibid*. Reformati totius Ordinis generali ministro subiecti esse debent, 122 *a* et *b*. Constitutiones nonnullae ab eis observandae, *ibid*. Provincias Reformatorum regni Siciliae dividendas iubet Gregorius XV, 151 *b*; et divisio huiusmodi declaratur et moderatur ab Urbano VIII, 153 *a*. Fratribus huius Ordinis missam celebrandi et officium recitandi de B. Iacobo de Marchia indultum concessit Urbanus VIII, 192 *b* et 234 *b* et *seq*. Custodia Reformatorum Discalceatorum Bavariae in provinciam erecta, 290 *a*; cui conferuntur omnia privilegia provinciis Hispaniarum concessa, 290 *b*; Fratres in Indiis Occidentalibus a quocumque episcopo extra tempora, et non servatis interstitiis, ad sacros ordines possunt promoveri, 351 *a* et *seq*. Indultum recitandi officium de S. Conrado, 370 *b*. Gratiae omnes fratribus concessae, et quae observantiae regulae adversantur, sunt irritae, 373 *b*. Alio pedum operimento praeter calepodia et sandalia uti nequeunt, *ibid*. Statuta edita in capitulo generali romano, anno MDCXXV, 394 *a*. Barchinonensia seu Segobiensia, 410 *a* et *seq*. Eleemosynae missarum intra claustra non recipiendae, 411 *a*. Parochiae non suscipiendae, 411 *b*. Bona immobilia, census, et annua legata abdicanda, 412 *b* et *seq*. Dominium per instrumentum publicum in aliis non transferendum, 415 *a*. Proprietas fratrum particularium omnino tollenda, 415 *b*. De transitu patrum de Familia ad Reformatos, 416 *a* et *seq*.

Ordo S. Benedicti Congregationis Anglicae, 482 *a*. Statuta nonnulla super praesidis auctoritate, missionariorumque munere *ibid*. Congregationi S. Mauri in Gallia unitur, 608 *a*. Nonnulla statuta pro huiusmodi Congregatione edita, 625 *a* et *seq*.

Ordo Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum, 190 *b*. Reformatis huius Ordinis nonnisi ad Carthusianos patet transitus, *ibid*. Ad solum definitorium spectat deputatio religiosorum, qui redemptionem facere debent; bona vero hanc ad rem data aliis religiosis tradi vetitum, 352 *a* et *b*. Ipsis conceditur ut in Africa et aliis Turcarum partibus possint celebrare missam super altare portatili ante auroram, et absolvere fideles a casibus reservatis et indulgentias elargiri, 428 *a*. Ipsi confirmantur privilegia, 465 *a*.

Ordo B. Mariae de Mercede Redemptionis captivorum, 383 *a*. Indultum celebrandi missam et recitandi officium de S. Raymundo Nonnato, *ibid*. Calceati a Discalceatis seiunguntur, 565 *a*. Discalceati negocio redemptionis se nequeunt immiscere, *ibid*. Datur tamen eis facultas hospitium pro nonnullis fratribus in Africa erigendi, 604 *b*. Ad Calceatos tamen absque Romani Pontificis expressa licentia transire non possunt, 623 *b* et *seq*.

Ordo Tertii Ordinis de Poenitentia Congregationis Galliae, 510 *b*. Quid praestandum sit, ut vota a fratribus et monialibus emissa valida censeantur, *ibid*.

P

Pacensis ecclesia S. Marci, 518 *b*; sublatus abusus ferocem taurum in ecclesiam immittendi in pervigilio ac festo die S. Marci, *ibid.*

Palatii sacri apostolici magister, 371 *b*. Romae libri non imprimendi, nec alio deferendi, ut imprimantur, sine eius licentia, *ibid.*

Parisiensibus concessum iubilaeum anno MDCXXVI, *p.* 332 *b* et *seq.*

Parochi Indiarum Occidentalium ne maiorem eleemosynam exigant ab iis qui in ecclesiis fratrum Minorum de Observantia sepeliuntur, 417 *b* et *seq.*

Paschali praecepto non satisfacit qui communionem non sumit in sua parochia, 499 *a*.

Passaviensis ecclesia *vide* Argentinensis.

Patrimonii titulus ad sacras ordinationes necessarius, 264 *b*.

Pauli PP. II Contitutio *Ambitiosae* de non alienandis bonis ecclesiasiasticis confirmatur, 101 *b* et *seq.*

Paulus Æmilius archiepiscopus Urbinatensis, 358 *a*. Datum illi in mandatis de possessione capienda ducatus Urbini nomine Sedis Apostolicae, *ibid.*

Paulus Michi (ven.) unus e tribus Martyribus Societate Iesu cruci affixi pro Christo in regno Iaponiae, 595 *a*.

Paulus V committit inquirere pro canonizatione beati Philippi Nerii, 12 *a*; et illum Beatorum albo adscribit, 12 *b*; item Ignatium Loiolam 24 *a*. Caverat ne beneficia civitatis Calaritanae in Sardinia conferrentur oriundis ex urbe Turritana et vicissim, 285 *a* et *seq.* Huiusmodi litteras revocat Urbanus VIII, 288 *b* et *seq.*

Pensiones super ecclesias transferendi facultas moderatur, 107 *a*.

Pernambucensis et Peraiba provinciae ecclesiae S. Salvatoris restituuntur, 184 *a* et *b*.

Perusina studiorum universitas, 374 *a*. Statuta pro eius regimine edita, *ibid.* et *seq.* Ab Urbano VIII confirmantur, 378 *b*.

Pestis in Siciliae regno saeviebat anno iubilaei MDCXXV, 280 *a*, 281 *a*.

Petrus Berulle praepositus generalis Congregationis Oratorii Parisiensis 274 *a* et 401 *b*. Presbyter cardinalis S. R. E. et nuncius S. Sedis in Gallia, 609 *a*.

Petrus Baptista (ven.) primus e viginti tribus Martyribus ex Ordine fratrum Minorum S. Francisci de Observantia in regno Iaponiae cruci affixis pro Christo, 594 *a*.

Philibertus a Sabaudia prorex Siciliae, 83 *b*.

Philippus episcopus Nannetensis 323 *b*. Ipsi committitur cura monialium reformatarum Ordinis S. Benedicti in Galliis *ibid.*

Philippus II rex catholicus instat pro canonizatione B. Ignatii Loiolae, 23 *b*.

Philippus III Hispaniarum rex catholicus causam promovet canonizationis B. Ignatii Loiolae, 23 *b*; instanter postulat pro canonizatione S. Francisci Xaverii, 42 *a* et *b*; instat pro canonizatione venerabilis Francisci Borgiae S. I., 256 *a*.

Philippus IV regnum Siciliae ei a Gregorio XV conceditur, 112 *a*. Indulgetur etiam ab Urbano VIII ut ducatum Mediolanensem possit retinere, 112 *b*. A censuris absolvitur ob exactum ab ecclesiasticis quoddam in oppido Matriti vec-

tigal, 134 *a*. Modum praescribit inquirendi de nobilitate et puritate sanguinis, 365 *b*. A censuris absolvitur ob vectigal ab ecclesiasticis exactum ultra sexennium a Paulo V praescriptum, 398 *b*. Incolae regni Castellae subsidium duodecim millionum ei offerunt, 182 *b seq*. Illi data facultas concessa subsidium ab ecclesiasticis regni Sardiniae accipiendi, 493 *a*. Eadem facultas quoad ecclesiasticos regni Valentiae, 497 *a*.

Philippus Nerius (B.), 11 *a*. Quae praecesserunt canonizationi ipsius, 11 *b* et *seq*. Eius ortus 13 *b*; iuventus, 14 *a*; mercaturam exercet, *ibid.*; studia et pietas, *ibid.*; mirabilis palpitatio cordis et costarum fractura, *ibid.*; Indias adeundi desiderio flagrat, 14 *b*.; auctor est cardinali Baronio ut *Annales ecclesiasticos* scribat, 15 *a*; Congregationem Oratorii fundat, *ibid.* Eius virtutes et dona, 15 *b* et *seq*. Extases, 17 *a*; visiones et prophetia, 17 *b*; miracula, 18 *a*; mortuos suscitat, 18 *b*: summa veneratione habitus, *ibib.*; eius mors, 19 *a*; et miracula post mortem, 19 *a* et *seq*. Canonizatio, 21 *a*. Ignatii Loiolae et S. Caroli Borromaei splendidam faciem vidit, 28 *a*.

Pisaurensis civitas cum Senogalliensi et ducatu Urbini devolvitur ad cameram apostolicam, 179 *b*; 181 *a*.

Pizzullus *vide* Ioannes.

Placentia civitas provinciae Bononiensis, 80 *a;* ibi nundinae cambiorum habebantur pro mercatoribus Florentiae, Mediolani, Venetiarum et Bononiae, *ibid.*

Poloniae regi data facultas procedendi contra ecclesiasticos rebelles et conspiratores, etiam episcopos, 198 *a*.

Portiunculae indulgentia anni iubilaei non revocatur, 190 *a*.

Pragense collegium S. Bonaventurae Minorum Conventualium, 367 *a;* confirmatur sub novo titulo S. Antonii de Padua, 367 *b*.

Pragense collegium, pro Germanis adolescentibus alendis, a Gregorio PP. XIII erectum, 551 *b*. Qualis alumnorum numerus esse deberet, *ibid.* Nunc Urbanus VIII illud de novo erigit pro viginti alumnis, 552 *a*. Presbyteris Societatis Iesu commissum, 552 *b*. Alumnorum quae sint privilegia, 553 *b* et *seq*.

Privilegia conclavistarum, 1 *b* et *seq*.

Processus inquisitionis servandi in eos qui promovendi sunt ad cathedrales ecclesias, 581 *b* et *seq*.

Promovendi ad cathedrales, quinam processus adhibendi in eos, 581 *b* et *seq*.

Propaganda (de) Fide Collegium Urbanum nuncupatum, 575 *b* et *seq*.

R

Raymundus (Sanctus) Nonnatus Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis captivorum Discalceatorum, 383 *a*. Fratribus huius Ordinis indultum concessum de eo missam celebrandi ac recitandi officium, *ibid.*

Regulares novos conventus aut monasteria nonnisi de Ordinariorum licentia, et servata forma constitutionis Clementis Papae VIII erigere possunt, 200 *a*. Apostatae et fugitivi ab Ordinariis locorum coërcendi, 202 *b* et *seq*. Incorrigibiles nonnisi praevio processu eiici debent, *ibid.* Electi vero subsunt Ordina-

riis, 203 *b*. Et ab ordinum exercitio suspensi remanent, *ibid.* Novitii ad habitum et regularem professionem non admittendi nisi in conventibus designandis, 205 *b* et 206 *a* et *seq.* Decreta pro reformatione regularium a Sacra Congregatione Concilii edita, 207 et *seq.* Quibus conditionibus novi conventus recipi queant, 339 *a*. Curam animarum exercentes in iis quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi et correctioni episcopi dioecesani subsunt, 458 *a* et *b*; etiam in Indiis, 537 *b*; episcopus potest in eos eadem auctoritate uti, quod dictam curam, qua potest in parochos seculares, eosque compellere censuris et poenis, a quibus absolvi non possunt a suis superioribus, 458 *b*.

Reus, qui aliquod furtum confessus est, de aliis etiam, quorum non fuerit accusatus, potest a iudice interrogari, 473 *b* et *seq.*

Rhetiorum collegium Mediolani erectum, 469 *a*. Eique dati protectores, 469 *b*.

Ripolensis monasterii monachi tenentur quotidie officium B. M. V. et defunctorum legere, 515 *b*.

Rita (B.) de Cassia, 603 *b*. Indultum celebrandi de ea missam, *ibid.*

Rituum Congregatio, 12 *a*; illi committitur inquirendi in causa canonizationis B. Philippi Nerii, *ibid.*; et B. Ignatii Loiolae, 24 *a*.

Rodericus Gomez de Sylva Hispaniarum regis apud Sedem Apostolicam orator 621 *b*.

Rolandus archiepiscopus Bituricensis, 511 *a*; patriarcha et primas Aquitaniae, 512 *b*; deputatur praeses capituli generalis Tertii Ordinis S. Francisci de Poenitentia in Gallia, 511 et 512 *a*; ipsius decreta, 512 *b* et *seq.* Confirmantur a Pontifice, 513 *a*.

Romandiolae praesidi data potestas omnia loca visitandi, cogendique omnes ad frumentorum notam exhibendam, 294 *a*. Bannitosque absolvendi, dummodo a patrati criminis abstineant loco, 295 *b*. Datum illi in mandatis de possessione cupienda ducatus Urbini nomine Sedis Apostolicae, 356 *a* et *seq.*

Romani Pontificis electio quomodo peragenda, 429 *a* et *b*.

Rossilionis et Ceritaniae comitatus, 383 *b*; abusus immunitatis ecclesiasticae corriguntur, 384 *a*.

Ruthenorum metropolita singulis quadrienniis provinciale concilium celebrare debet, 297 *b* et 298 *a*.

S

Salis vectigal auxit Urbanus VIII, 421 *a*; et supra redditibus ipsius montem non vacabilem erigit, 421 *b*.

Salvatoris (S.) in Brasilia ecclesiae provincias de Pernambuco, Peraiba, Itamaraca, et de Maranham sustulerat Paulus Papa V, 184 *a*. Eas eidem ecclesiae restituit Urbanus, 184 *b*; et ecclesiam S. Salvatoris indemnem a Pauli litteris reddit, 185 *a*.

Sanctimoniales quomodo lucrari possint indulgentiam anni sancti iubilaei, 278 *b*.

Sanctius Cicatellus praefectus generalis Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium infirmis, 105 *a*.

S

Sardiniae ecclesiasticis indultum conceditur subsidium regi persolvendi, 493 *a* et *seq.*
Sassarensis seu Turritanae civitatis adversus Calaritanos odia *vide* Calaritanae.
Scipio cardinalis Burghesius abbatiae S. Gregorii de Urbe abbas commendatarius, 510 *a.*
Senatus populusque Romanus pro S. Philippi Nerii canonizatione, 11 *b.*
Senogalliensis civitas cum ducatu Urbini devolvitur ad Sedem Apostolicam, 179 *a* et *b*, 181 *a.*
Septimius Eugenius universitatis Perusinae lector, 377 *b.*
Seraphinus Levisellus procurator generalis Congregationis FF. Ioannis Dei, 617 *a.*
Siciliae regnum, 83 *b.* Paulus V cavit, quominus boves aliaque pecora ad arandum apta mactarentur, *ibid.* Quod decretum postea confirmavit Urbanus VIII, 84 *a.* Ecclesiasticis permissum Phippo IV Regi quoddam praebere subsidium, 240 *a.* Pestifera contagio saeviens anno iubilaei MDCXXV, 280 *a*, 281 *a.*
Sigismundus III Poloniae Rex, 198 *a.* Illi data facultas procedendi contra ecclesiasticos rebelles, etiam episcopos et archiepiscopos, *ibid.*; bellum contra haereticos Prussiae parat, 610 *b.*
Societas Iesu collegium Nissae cum studiorum universitate erectum, 492 *a.* Datur illi regendum collegium Illyricorum Laureti, 544 *b;* et collegium Pragense pro adolescentibus Germanis, 552 *b*, nec non Viennense, 557 *b* et *seq.* Presbyteris Societatis concessum indultum celebrandi missam de tribus Martyribus Iaponiae, 595 *a* et *b.*

T

Theutonicorum (B. Mariae) militiae 95 *b*; illi asserta privilegia, *ibid.*
Tiberius cardinalis Mutus tituli S. Priscae, 617 *a.*
Tiniensibus concessum indultum indulgentias anni iubilaei ipsa in Tiniensi insula lucrandi, 293 *a* et *b.*
Torquatus de Comitibus delegatur ad fortalitia ac propugnacula Vallis Tellinae S. Sedis nomine recipienda, 425 *a* et 483 *b.* Eadem propugnacula Aloysio Trotto pro rege catholico restituit, 609 *b.*
Turritanae, seu Sassarensis, et Calaritanae civitatum dissidia, *vide* Calaritanae.

U

Urbanus Papa VIII, 1 *a.* Conclavistis privilegia elargitur, 1 *b* et *seq.* Beatum Philippum Nerium inter Sanctos relatum fuisse declarat, 21 *b*; Beatum quoque Ignatium Loyolam, 31 *b.* Beatum Franciscum Xaverium, 44 *b.* Unit monasterium B. Mariae de Castellariis domui Congregationis Oratorii Parisiensis, 46 *a* et *seq.*

Pii Papae V Constitutionem de locis Sanctae Romanae Ecclesiae non alienandis confirmat, 49 *b* et *seq.* Monasterium Farsense in gubernium erigit sub regimine gubernatoris a Romano Pontifice electi, 52 *a.* Cancellariae apostolicae regulas edit, 57 *a* et *seq.* Orationem quadraginta horarum ad divinum auxilium initio pontificatus implorandum indicit, 73 *b* et *seq.* Militiam christianam erigit, 115 *a* et *seq.* Visitationem ecclesiarum omnium, monasteriorum et locorum piorum Urbis indicit, 125 *b* et *seq.* Visitatoribusque necessarias concedit facultates, 127 *b* et *seq.* Iubilaeum universale in Urbe Roma indicit pro anno MDCXXV, 143 *b* et *seq.* Cum indulgentiarum omnium suspensione, 147 *a.* Commissarios ad recipiendum iuramentum fidelitatis a praefectis arcium ducatus Urbini delegat, 179 *a.* Inventariumque armorum et tormentorum fieri mandat, 179 *b.* Et ab officialibus eiusdem ducatus iuramentum recipi fidelitatis, 180 *a* et *b.* Legato Bononiensi ius super illius provinciae arma asserit, 189 *a.* Venerabilem Iacobum de Marchia Ordinis Minorum S. Francisci Beatorum catalogo adscribit, 192 *b.* Ordinique Eremitarum S. Augustini indultum elargitur celebrandi missam et officium celebrandi de beata Clara de Monte Falchio, 193 *a.* Sigismundum III Poloniae regem, eiusque natos contra regni eiusdem ecclesiasticorum molimina tuetur, 198 *a.* Constitutiones edit pro collegio Graecorum de Urbe, 245 *b.* Franciscum Borgiam S. I. inter Beatos refert, 256 *a.* Berlingerio Ariminensi episcopo dat in mandatis, ut eveniente Francisci Mariae Urbini ducis obitu ducatus possessionem Sedis Apostolicae nomine capiat, et fidelitatis iuramentum recipiat, 268 *a* *seq.* Patriarchas, ceterosque episcopos monet, ut populos sibi creditos admoneant de effundendis ad Deum precibus ad pacem inter christianos principes conciliandam, 305 *a.* Et Franciscum cardinalem Barberinum ad eosdem principes delegat, 306 *a* et *b.* Prohibet, quominus imagines eorum, qui nondum a Sede Apostolica sunt canonizati, cum radiis proponantur, aut votivae tabellae eorum sepulchro affigantur, 309 *a.* Venerabilem servum Dei Felicem a Cantalicio inter Beatos refert, 372 *a.* Archivium generale in Urbe instituit, 387 *b* et *seq.* Montem Salis erigit, 421 *b.* Poenitentiarium in Basilica Vaticana pro lingua graeca instituit, 476 *b.* Torquatum de Comitibus delegat, ut nomine S. Sedis fortalitia et propugnacula Vallis Tellinae recipiat, 425 *a* et 483 *b.* Potestatem facit quoddam regi subsidium persolvendi ecclesiasticis Sardiniae, 493 *a.* Atque etiam regni Valentiae 497 *a* et *b.* Antonium cardinalem Barberinum deputat ad ducatus Urbini possessionem capiendam, 499 *b* et *seq.* Indiarum praesulibus leges praescribit gradus doctoratus conferendi, 516 *a.* Abusum immittendi ferocem taurum in ecclesiam Pacensem die festo S. Marci abolet, 518 *b.* Suppresso praefecti computorum datariae apostolicae officio aliud simplicis pecuniarum receptoris sufficit, 528 *b.* Ven. Mariam Magdalenam de Pazzis Beatorum albo adscribit, 539 *b.* Illyricorum collegium Laureti instituit, 541 *b* et *seq.* Atque etiam Pragense pro Germanis, 551 *b.* Viennense, 57 *a* et *seq.* Erigit collegium de Propaganda Fide, 575 *seq.* Modum servandum praescribit in processibus inquisitionis in qualitates promovendorum ad cathedrales ecclesias, 581 *b* et *seq.* Sigismundo III, Poloniae regi ac militibus cum eo contra haereticos Prussiae profecturis indulgentiam impertitur, 610 *b.* Pii V constitutiones contra mone-

tarios innovat, 95 *a*. Et ad ecclesiasticos quoque extendit, 614 *b* et *seq*. Constitutionem Clementis VIII contra non promotos ad presbyteratus ordinem, qui sacra operantur vel confessiones audiunt, èditam ampliat, 654 *a*. Iubilaeum universale pro anno MDCXXVIII indicit, 654 *b*. In Urbis gymnasio rhetoricae cathedram instituit, 646 *a* et *seq*.

Urbanum collegium de propaganda fide nuncupatum erigitur, 575 *b*. A Ioanne Baptista Vives dotatum, *ibid*. Eius privilegia, 759 et *seq*.

Urbini ducatus ad Cameram Apostolicam devolvendus, 181 *b*. Romandiolae praesidi datum in mandatis de eius possessione capienda, 356 *a* et *seq*. Cum facultatibus ad id necessariis et opportunis, 357 *a* et *seq*. Eadem facultas etiam aliis cumulative concessa, 358 *a*.

V

Valentiae ecclesiasticis permissum subsidium Philippo regi subministrandi, 497 *a* et *b*.

Vallis Tellinae, comitatus Bormii, et oppidi Chiavennae fortalitia fuere in manibus Sedis Apostolicae titulo depositi consignata, 424 *a* et 483 *b*; et a Sede Apostolica regi catholico restituta, 609 *b*.

Valtellina, 205 *b*; in ea imminent magna bellorum pericula, *ibid*.

Vaticana Basilica, 476 *b*. Poenitentiarius pro lingua graeca in ea institutus, *ibid*.

Venayssinus comitatus, 120 *b*. Eius incolis concessa a Paulo V privilegia, *ibid*. Confirmat Urbanus VIII, *ibid*.

Verzini oppidum, 233 *a;* ibi seminarium pro Cariatensi diocesi erectum, *ibid*.

Vicensi episcopo adiudicata iurisdictio super collegiatam ecclesiam S. Ioannis de Abbatissis, 102 *b*.

Viennense in Austria collegium a Gregorio PP. XIII institutum, et restitutum ab Urbano VIII, 557 *a*. Eius cura presbyteris Societatis Iesu demandata, 557 *b* et *seq*. Modus in admittendis alumnis servandus, 558 *b*. Eorumdem privilegia, 559 *a*.

Vilnensis ecclesia, 420 *a*; statuitur archidiaconum visitantem dioecesim nomine episcopi non lucrari distributiones quotidianas, *ibid*.

Vladislaus regis Poloniae filius ense et pileo ab Urbano VIII donatus, 278 *a*.

Wratislaviensis episcopus, 491 *b*. Delegatur ab Urbano VIII ad confirmationem faciendam collegii Societatis Iesu cum universitate studiorum in oppido Nissae erecti, 492 *b*.

INDEX INITIALIS.

A

Ab illa die, qua divinae placuit, 526.
Accepimus nuper, fraternitatem, 199.
Accepto, quod sanctae Romanae, 489.
Ad apostolatum nostrum, non sine, 464.
Ad audientiam apostolatus nostri, 334.
Ad audientiam nostram non sine, 198.
Ad aures nostras non sine gravi, 101.
Ad militantis Ecclesiae regimen, 608.
Admonet nos cura pastoralis, 402.
Ad Romani Pontificis providentiam, 428.
Ad uberes et suaves fructus, 479.
Ad uberes et suaves fructus, 522.
Æternus rerum Conditor, 73.
Æternus rerum Conditor, 647.
Aliàs a fel. record. Clemente PP. VIII, 311.
Aliàs a fel. record. Gregorio PP. XIII, 153.
Aliàs a felicis record. Gregorio XV, 138.
Aliàs a fel. record. Gregorio PP. XV, 151.
Aliàs a fel. record. Gregorio PP. XV, 189.
Aliàs a fel. record. Gregorio PP. XV, 292.
Aliàs a fel. record. Gregorio PP. XV, 367.
Aliàs a fel. record. Gregorio, PP. XV, 641.
Aliàs a felicis record. Paulo PP. V, 83.
Aliàs a felicis record. Paulo, PP. V, 120.
Aliàs a felicis record. Paulo PP. V, 328.
Aliàs a felicis record. Paulo PP. V, 478.
Aliàs a felicis record. Paulo PP. V, 482.
Aliàs a nobis emanarunt litterae, 368.
Aliàs a nobis emanarunt litterae, 434.
Aliàs a nobis emanarunt litterae, 514.
Aliàs a nobis emanarunt litterae, 664.
Aliàs de tuâ prudentiâ, 140.
Aliàs fel. record. Clemens PP. VIII, 102.
Aliàs felicis record. Paulo PP. V, 417.
Aliàs felicis record. Paulo PP. V, 482
Aliàs felicis record. Paulo PP. V, 516.
Aliàs felicis record. Paulo PP. V, 666.
Aliàs felicis record. Pius PP. V, 161.
Aliàs felicis record. Pius PP. V, 165.
Aliàs nomine dilectorum filiorum, 645.
Aliàs per fel. record. Paulum PP. V, 364.
Aliàs per nostras in simili formâ, 362.

Aliàs piae memoriae Paulo PP. V, 171.
Aliàs, pro parte bonae memoriae, 668.
Aliàs, pro parte dilecti filii Basilii, 652.
Aliàs, pro parte dilecti filii nobilis, 622.
Aliàs, supplicationibus dilectorum, 325.
Annonae copiae, 294.
Apostolatus officium, cui, meritis 646.
Apostolatus officium, nullo licet, 385.
Apostolicam decet benignitatem, 275.
Apostolici muneris sollicitudo, 366.

C

Caelestis aquae flumen, 80.
Circumspecta in omnibus Romani, 1.
Circumspecta Romani Pontificis, 324.
Circumspecta Romani Pontificis, 658.
Circumspecta Sedis Apostolicae, 167.
Clerum Lodiensem ob eius, 449.
Commissi nobis per abundantiam, 617.
Conservationi et manutentioni, 283.
Conservationi et manutentioni, 503.
Commissi nobis per abundatiam, 190.
Commissi nobis per abundantiam, 661.
Considerantes ducatum Urbini, 181.
Creditum humilitati nostrae, 356.
Creditum humilitati nostrae, 589.
Cum aliàs fel. record. Paulus PP. V, 283.
Cum dilectus filius nobilis vir, 179.
Cum dilectus filius nobilis vir, 179.
Cum dilectus filius nobilis vir, 268.
Cum in pastorali visitatione, 130.
Cum nos aliàs facultates, 621.
Cum nos nuper ad regimen, 298.
Cum nos nuper in monte Libano, 359.
Cum nos nuper Militiam Christianam, 238.
Cum nos hodie motu proprio, 295.
Cum nos hodie motu proprio, 296.
Cum nos nuper occasione, 327.
Cum nos nuper supplicationibus, 222.
Cum nos nuper te ad charissimum, 307.
Cum nuper iubilaei celebrationem, 147.
Cum nuper ob sacri iubilaei, 189.
Cum primum ad summi apostolatus, 611.
Cum saepe contingat, 336.
Cum, sicut accepimus, dilecti filii, 643.
Cum, sicut accepimus, diversorum, 84.
Cum, sicut accepimus, nuper, 108.
Cum, sicut accepimus, nuper, 109.
Cum, sicut accepimus, nuper, 110.
Cum, sicut accepimus, nuper, 110.
Cum, sicut accepimus, nuper, 110.
Cum, sicut accepimus, nuper, 111.
Cum, sicut accepimus, quamplures, 508.
Cum, sicut dilectus filius Aloysius, 103.
Cum, sicut dilectus filius Ioannes, 454.
Cum, sicut dilectus filius Lucas, 448.
Cum, sicut dilectus filius modernus, 515.
Cum, sicut charissimus in Christo, 124.
Cum, sicut dilectus filius commiss. 351.
Cum, sicut dilectus filius procurator 427.
Cum, sicut nobis innotuit, 609.
Cum, sicut nobis nuper exponi, 498.
Cum, sicut nobis nuper exponi, 518.
Cum; sicut non sine gravi, 462.
Cum, sicut pro parte dilectorum, 273.
Cupientes in hac nostra pastoralis, 126.
Cupientes prospero felicique, 123.

D

Debitum pastoralis officii nobis, 599.
Decens et aequum esse censemus, 547.
Decet Romanum Pontificem, 75.
Decet Romanum Pontificem, 85.
Decet Romanum Pontificem, 95.
Decet Romanum Pontificem, 220.
Decet Romanum Pontificem, 473.
Decet Romanum Pontificem, 505.
De salute dominici gregis, 610.
Divinae misericordiae 315.
Dominici gregis cura, 352.
Domini nostri Iesu Christi, 193.
Domini nostri Iesu Christi, 370.

E

Ex debito apostolicae servitutis, 510.
Ex debito pastoralis officii nostri, 46.
Ex illo die quo mirabilia, 148.

Eximius maiestatis tuae orthodoxae, 493.
Eximius maiestatis tuae orthodoxae, 496.
Ex iniuncti nobis apostolici muneris, 669.
Ex iniuncti nobis desuper, 393.
Ex iniuncto nobis desuper, 53.
Ex iniuncto nobis desuper, 80.
Ex iniuncto nobis desuper, 461.
Exponi nobis nuper fecerunt, 386.
Exponi nobis nuper fecerunt, 420.
Exponi nobis nuper fecerunt, 466.
Exponi nobis nuper fecerunt, 467.
Exponi nobis nuper fecerunt, 568.
Exponi nobis nuper fecerunt, 642.
Exponi nobis nuper fecerunt, 677.
Exponi nobis nuper fecisti, 240.
Exponi nobis nuper fecit charissimus, 182.
Exponi nobis nuper fecit dilectus, 142.
Exponi nobis nuper fecit, 233.
Exponi nobis nuper fecit, 363.
Exponi nobis nuper fecit, 383.
Exponi nobis nuper fecit, 457.
Exponi nobis nuper fecit venerabilis, 537.
Exponi nobis nuper fecit venerabilis, 591.
Expositum nobis nuper fuit, 523.

F

Felici ac prospero monasterii, 509.

H

Hodie pro parte dilectorum filiorum, 570.
Humanae salutis auctor, 379.
Humanarum rerum ea est incerta, 507.

I

Immortales christianae fortitudinis, 277.
Immortalis Dei Filius nostram, 574.
Imperscrutabilis divinor. iudiciorum, 114.
In cathedra Principis apostolorum, 455.
In iis praecipuae sollicitudinis, 517.
Iniuncti nobis apostolici muneris, 177.
Iniuncti nobis apostolici muneris, 409.
Iniuncti nobis apostolici muneris, 477.
Iniuncti nobis apostolici muneris, 623.
In Sede Principis apostolorum, 192.
In Sede Principis apostolorum, 255.
In Sede Principis apostolorum, 331.
In Sede Principis apostolorum, 456.
In Sede Principis apostolorum, 565.
In specula militantis Ecclesiae, 82.
In specula militantis Ecclesiae, 372.
In specula militantis Ecclesiae, 672.
In superemin. apostol. dignitatis, 624.
In supereminentis Sedis Apostolicae, 266.
In supereminenti Sedis Apostolicae, 358.
In supereminenti Sedis Apostolicae, 374.
In supereminenti Sedis Apostolicae, 491.
In supremâ militantis. Ecclesiae, 606.
In supremâ pastorali speculâ, 614.
In supremo apostolatus solio, 97.
In supremo apostolatus solio, 393.
In supremo apostolatus solio, 400.
In supremo apostolatus solio, 538.
In supremo apostolatus solio, 603.
In supremo apostolicae dignitatis, 464.
In supremo militantis Ecclesiae, 50.
Inter cetera cordis nostris 257.
Inter cetera pietatis opera, 604.

L

Licet nullus episcoporum, 490.

M

Militantem Ecclesiam, quae, 125.
Militanti Ecclesiae, licet immeriti, 469.
Militantis Ecclesiae regimini, 92.
Militantis Ecclesiae regimini, 186.
Militantis Ecclesiae regimini, 657.
Militantis Ecclesiae regimini, 663.
Muneri nostro apostolico incumbit, 495.

N

Nobis nuper pro parte dilectorum, 304.
Nomine dilecti filii, 326.
Nuper accepimus, quod licet, 265.

Nuper a nobis emanarunt litterae, 256.
Nuper, cum causa inter dilectos, 139.
Nuper, nomine dilectorum filiorum, 453.
Nuper pro parte charissimi, 234.
Nuper pro parte dilecatrum, 631.
Nuper supplicationibus dilectorum, 118.
Nuper supplicationibus dilectorum, 119.
Nuper supplicationibus dilectorum, 272.

O

Officii nostri est pastoralia munera, 128.
Omnes gentes plaudite manibus, 143.
Onerosa pastoralis officii cura, 99.
Onerosa pastoralis officii cura, 242.
Onerosa pastoralis officii cura, 459.
Orthodoxae fidei conservandae, 398.
Orthodoxae fidei religionisque, 321.

P

Pastoralis officii nobis divinâ, 592.
Pastoralis officii nobis divinitus, 472.
Pastoralis officii nobis licet, 521.
Pastoralis officii nobis, meritis, 387.
Pastoralis officii nostri cura, 79.
Pastoralis R. Pontificis vigilantia, 530.
Pastoris aeterni, qui pro gregis, 236.
Pastoris aeterni, qui pro gregis, 519.
Paterna dominici gregis cura, 279.
Paterna dominici gregis cura, 281.
Pietatis et christianae charitatis, 243.
Pontificia sollicitudo, 278.
Praeclara praedecessorum tuorum, 111.
Pro nostro munere, 343.

Q

Quae ad restituendos in pristinum, 354.
Quamvis ab initio nostri pontificatus, 421.
Quod ab initio pontificatus nostri, 654.
Quoniam divinae bonitati visum est, 551.
Quoniam divinae bonitati visum est, 556.
Quoniam in prosequendo munere, 127.

R

Rationi congruit, 11.
Rationi congruit, 23.
Rationi congruit, 33.
Rerum, quae nobis cordi sunt, 132.
Romani Pontifices qui Ordinis, 160.
Romani Pontificis circumspecta, 368.
Romanus Pontifex, ad quem, 86.
Romanus Pontifex, aequi bonique, 436.
Romanus Pontifex, aequi bonique, 504.
Romanus Pontifex, aequi bonique, 527.
Romanus Pontifex, aequi bonique, 631.
Romanus Pontifex a Salvatore, 183.
Romanus Pontifex a Salvatore, 284.
Romanus Pontifex, cui Salvator, 200.
Romanus Pontifex, cuius principatum, 618.
Romanus Pontifex e sublimi, 660.
Romanus Pontifex, in quo, 121.
Romanus Pontifex in sacrâ, 320.
Romanus Pontifex, quem Salvator, 432.
Romanus Pontifex, quem Salvator, 540.

S

Sacra Congregatio cardinalium, 202.
Sacrosanctae Romanae Ecclesiae, 105.
Sacrosancti apostolatus ministerium, 49.
Sacrosancti apostolatus ministerium, 193.
Sacrosanctum apostolatus minister., 235.
Sacrosanctum apostolatus minister., 273.
Sacrosanctum apostolatus minister., 289.
Sacrosanctum apostolatus minister., 322.
Sacrosanctum apostolatus minister., 373.
Sacrosanctum apostolatus officium, 169.
Sacrosanctum apostolatus officium, 297.
Sacrosanctum apostolatus officium, 299.
Sacrosanctum apostolatus officium, 471.
Sacrosanctum apostolatus officium, 484.
Salvatoris et Domini nostri, 282.
Salvatoris et Domini nostri, 382.
Salvatoris et Domini nostri, 474.
Salvatoris et Domini nostri, 562.
Salvatoris et Domini nostri, 593.
Salvatoris et Domini nostri, 595.
Salvator noster Dominus Iesus, 292.
Salvator noster Dominus Iesus, 332.
Sanctissimus Dominus noster, 371.
Sanctissimus Dominus noster Urbanus, 573.

Sanctissimus D. N. D. Urbanus, 106.
Sanctissimus D. N. sollicite, 309.
Sanctissimus in Christo Pater, 57.
Secretis aeternae providentiae, 263.
Sedes Apostolica, pia mater, 317.
Sedes Apostolica, pia mater, 596.
Singulares atque eximiae virtutes, 499.
Singularia multiplicum virtutum, 141.
Singularia atque eximia maiestatis, 133.
Singularibus tuae in nos, 424.
Singularibus tuae in nos, 426.
Singularis tuae in nos, 483.
Si processus inquisitionis, 581.
Spectata diu, 563.
Spirituali christifidelium, 476.
Superni benignitas Conditoris, 222.

T

Tonitrua ultionis Omnipotentis, 305.

U

Universalis Ecclesiae regimini, 134.
Universalis Ecclesiae regimini, 245.
Ut decreta aliàs sub die, 525.
Ut ea quae pro personarum, 156.
Ut in prosequendo visitationis, 133.
Ut penuriae notariorum, 192.

Z

Zelo domus Dei nos commovente, 541.

INDEX RUBRICARUM

CONSTITUTIONUM

URBANI PP. VIII

AB ANNO PRIMO SACRI EIUS PRINCIPATUS

AD TOTUM QUINTUM.

I. Privilegia et indulta concessa conclavistis, qui inservierunt praecedenti conclavi, *pag.* 1.

II. Canonizatio Beati Philippi Nerii Congregationis Oratorii fundatoris, 11.

III. Canonizatio beati Ignatii Loiolae Societatis Iesu fundatoris, 23.

IV. Canonizatio Beati Francisci Xaverii e Societate Iesu, 33.

V. Officiali curiae ecclesiasticae Xanctonensis committitur unio monasterii B. Mariae de Castellariis Ordinis Cisterciensis eiusdem Xanctonensis dioecesis domui Parisiensi Congregationis Oratorii, 46.

VI. Confirmatio constitutionis Pii V et eius successorum de non alienandis et infeudandis civitatibus, terris et locis sanctae Romanae Ecclesiae, 49.

VII. Castra ad monasterium Farfense aliàs spectantia et camerae apostolicae quoad temporale dominium addicta, regimini gubernatoris a Romano Pontifice eligendi subiiciuntur, 50.

VIII. Confirmatio translationis haereditatis Ioannis Pizzulli e conventu S. Andreae de Frattis de Urbe Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula ad conventum et collegium eiusdem Ordinis in regione Montium, 53.

IX. Regulae, ordinationes et constitutiones cancellariae apostolicae, 57.

X. Indictio orationis Quadraginta Horarum ad divinum auxilium initio pontificatus pro salutari Catholicae Ecclesiae regimine implorandum, 73.

XI. Confirmatio decretorum sacrae Congregationis Concilii, quibus, cassatis capituli Atrebatensis assertis privilegiis, competens episcopo asseritur iurisdictio ad formam Concilii Tridentini, 75.

XII. Ecclesiarum Argentinensis et Passaviensis administratori interdicitur,

quominus feuda, ad easdem ecclesias pertinentia, haereticis, seu de fide catholicâ male sentientibus, locet, 79.

XIII. Confirmatio capitulorum pro mercatoribus nationum Florentinae, Mediolanensis, Venetae et Bononiensis in civitate Placentiae, 80.

XIV. Extensio indulti recitandi officium et missam celebrandi de beata Margarita de Cortona, moniali Tertii Ordinis sancti Francisci, pro omnibus tam viris quam mulieribus dicti Ordinis ubique existentibus, 80.

XV. Deputatio archiepiscopi Cretensis in visitatorem totius regni Cretae, 82.

XVI. Confirmatio litterarum Pauli V super carnibus in regno Siciliae mactandis, 83.

XVII. Friderico cardinali Borromaeo archiepiscopo Mediolanensi committitur PP. Iesuitis, Barnabitis et Cappuccinis inhibeat, ne alumnos seminariorum Mediolanensium ad habitum regularem admittant, 84.

XVIII. Confirmatio litterarum Gregorii XV super regimine monialium Carmelitarum Discalceatarum regni Franciae, 85.

XIX. Privilegia, indulta, gratiae et exemptiones pro dapiferis, qui Pontifici, ceterisque S. R. E. cardinalibus in conclavi inservierunt, 86.

XX. Erectio commendae Bononiensis hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani in baiulivatum pioratum nuncupandum, 92.

XXI. Confirmatio litterarum Gregorii XV de privilegiis Militiae beatae Mariae Theutonicorum concessis per Sedem Apostolicam, 95.

XXII. Definitiones et declarationes super reassumptione calepodiorum, depositione solearum, et delatione capucii rotundi, largiorisque mozzettae, ac protensi mantelli, a fratribus Minoribus Ordinis S. Francisci strictioris Observantiae deferendi, 97.

XXIII. Collectori generali spoliorum camerae apostolicae in regnis Portugalliae committitur, ut archiepiscopo Elborensi et militibus militiarum S. Iacobi et S. Benedicti de Avis terminum viginti dierum praefigat ad arbitros constituendos, qui controversias omnes inter eos vertentes definiant, 99.

XXIV. Mandatum nuncio apostolico apud Helvetios de compellendo ecclesiasticos ad observantiam Constitutionis Pauli Papae II, quae incipit *Ambitiosae*, de bonis ecclesiarum non alienandis sive locandis, 101.

XXV. Declarat Ordinarium collegiatae sancti Ioannis de Abbatissis, Vicentinae dioecesis, non esse archipresbyterum praefatae ecclesiae, sed episcopum Vicentinum, 102.

XXVI. Confirmatio decreti Congregationis Concilii, quo declaratur clericos qui incedunt in habitu et tonsurâ, quamvis servitio peculiaris ecclesiae non sint ab episcopo addicti, gaudere privilegio fori iuxta Concilium Tridentinum cap. VI, sess. XXIII, 103.

XXVII. Professi in Congregatione Clericorum Regularium Ministrantium infirmis in domibus novitiatuum, vel aliis distinctis domibus, donec ad sacros ordines promoveantur, ex illarum redditibus vivere possunt, 104.

XXVIII. Revocatio facultatum disponendi de officiis vacabilibus Romanae curiae, eorumque pretio, et moderatio indultorum transferendi pensiones, 106.

XXIX. Confirmatio decreti Congregationis Concilii, quo statuitur cognitionem causarum criminalium clericorum civitatis et dioecesis Atrebatensis ad solum episcopum spectare, 108.

XXX. Confirmatio alterius decreti eiusdem Congregationis, quo declaratur, facultatem approbandi confessarios ad confessiones audiendas, atque licentiam concedendi regularibus, qui in ecclesiis non suorum Ordinum sacras conciones sunt habituri, necnon benedictionem iis, qui in suorum Ordinum ecclesiis praedicare voluerint, soli episcopo competere in dioecesi Atrebatensi, 109.

XXXI. Confirmatio alterius decreti, quo statuitur capitulum vel decanum Atrebatensem non posse sibi casus reservare, nec a casibus ab episcopo reservatis absolvere, nec litteras dimissoriales concedere, 110.

XXXII. Confirmatio decreti, sive declarationis eiusdem Congregationis, quo statuitur, indulgentias, tam in cathedrali Atrebatensi, quam extra eam in totâ dioecesi, ab episcopo, adhibitis duobus de capitulo, esse pubblicandas, 110.

XXXIII. Confirmatio alterius decreti, quo statuitur convocationem synodi Atrebatensis, et concursum parochialium ecclesiarum, etiamsi de iurepatronatus capituli fuerint, instituere, ad solum episcopum pertinere, 110.

XXXIV. Confirmatio alterius decreti Congregationis, quo declaratur capitulum Atrebatense non posse exercere nundinas, mercatus, ac strepitus iudiciorum profanorum in dictâ ecclesiâ, ac eius coemeteriis, 111.

XXXV. Philippo IV Hispaniarum regi indultum conceditur retinendi ducatum Mediolanensem cum regno Siciliae, 111.

XXXVI. Erectio Militiae Christianae sub titulo Conceptionis B. Mariae Virginis Immaculatae et regulâ S. Francisci, cum privilegiorum, exemptionum et indultorum concessione, 114.

XXXVII. Indultum militibus Militiae Christianae nationum Gallicae et Belgicae obtinendi pensiones usque ad summam quingentorum ducatorum auri de camerâ, 118.

XXXVIII. Prohibitio, ne quis habitum et crucem assertae cuiusdam militiae christianae ab Apostolicâ Sede non approbatae deferat, 119.

XXXIX. Confirmatio litterarum Pauli V pro universitate et hominibus comitatus Venayssini, 120.

XL. Confirmatio et innovatio constitutionum Gregorii XIII, Clementis VIII et Pauli V super bono regimine fratrum Reformatorum Strictioris Observantiae Ordinis S. Francisci editarum, nonnullis aliis additis decretis, 121.

XLI. Archiepiscopus Mediolanensis deputatur administrator perpetuus seminarii Asconae, Comensis dioecesis, 123.

XLII. Facultas episcopis Hispaniarum compellendi ecclesiasticos seculares et regulares ad testificandum in causis nobilitatis et puritatis sanguinis, 124.

XLIII. Indictio visitationis omnium ecclesiarum, monasteriorum et locorum piorum almae Urbis, necnon orationis Quadraginta Horarum, cum indulgentiarum elargitione, pro rectâ dictae visitationis directione, 125.

XLIV. Sequitur mandatum visitandi in parochialibus ecclesiis infirmos, eisque eleemosynam elargiendi, 126.

XLV. Sequitur facultas cognoscendi causas quascumque etiam criminales absque irregularitatis incursu, 127.

XLVI. Sequitur indultum visitatoribus exercendi ubique pontificalia, 128.

XLVII. Sequitur aliarum facultatum concessio, dictis visitatoribus pro feliciori visitationis progressu, 129.

XLVIII. Deputatio secretarii praedictae visitationis, 132.

XLIX. Facultas visitatoribus avocandi ad se quascumque causas occasione dictae visitationis in aliis tribunalibus et coram aliis iudicibus antea coeptas, vel instructas, ac in statu in quo reperiuntur, 132.

L. Hispaniarum rex eiusque ministri a censuris absolvuntur, in quas incurrerant ob exactum quoddam vectigal ab ecclesiasticis in oppido Matriti absque Sedis Apostolicae licentiâ, 133.

LI. Confirmatio privilegiorum, exemptionum et aliarum gratiarum hospitali sancti Ioannis Hierosolymitani concessorum, 134.

LII. Confirmatio litterarum Gregorii XV, quibus congregatio monachorum Ordinis S. Benedicti Helvetiorum ab Ordinariorum iurisdictione eximitur, 137.

LIII. Declaratio Constitutionis XXII superius positae de habitu fratrum Minorum, 139.

LIV. Extensio facultatis archiepiscopo Cretensi concessae visitandi insulam Cretae, 140.

LV. Prorogatio duorum mensium favore Caroli Barberini, pontificiarum militiarum, arciumque Perusinae et Anconitanae praefecti, eiusque locatenentium, ad iuramentum in manibus cardinalis sanctae Romanae Ecclesiae camerarii praestandum, et inventarium dictarum arcium conficiendum, 141.

LVI. Confirmatio decreti Congregationis Concilii, quo statuitur nihil prorsus esse solvendum episcopis, aut eorum officialibus, pro exhibendâ ratione bonorum, eleemosynarum, testamentorum et legatorum a fratribus Congregationis Ioannis Dei, 142.

LVII. Indictio iubilaei universalis pro anno MDCXXV, ac suspensio quarumcumque aliarum indulgentiarum dicto anno durante, 143.

LVIII. Sequitur suspensio aliarum indulgentiarum hoc anno sancto durante, 147.

LIX. Super solutione centum quinquaginta millium scutorum pro munitione civitatis Mediolanensis, 148.

LX. Moderatio litterarum Gregorii XV super divisione provinciarum fratrum Minorum de Observantiâ sancti Francisci Reformatorum regni Siciliae, 151.

LXI. Confirmatio litterarum Gregorii XIII et Clementis VIII quibus declaratur per onera ecclesiasticis secularibus et regularibus Bononiensibus imposita nullum praeiudicium privilegiis et exemptionibus hospitali S. Ioannis Hierosolymitani aliàs concessis inferri, 153.

LXII. Approbatio statutorum in capitulo generali fratrum Minimorum S. Francisci de Paula editorum circa ea quae agenda sunt in casu mortis generalis totius Ordinis, 156.

LXIII. Praeceptum priori et fratribus militibus prioratus Alemanniae hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani ne bona et privilegia dicti pioratus laedi permittant, 160.

LXIV. Confirmatio et renovatio constitutionum Pii V et Sixti V super solutione communium, annatarum et quindenniorum, ac indicatione unionum, 161.

LXV. Extensio indultorum cruciatae ad ecclesiasticos seculares et regulares regnorum Hispaniarum, 165.

LXVI. Confirmatio emptionis oppidi de Lizheim, ad Fridericum comitem palatinum Rheni spectantis, factae ab Henrico Lotharingiae duce, causâ

propagandae in eo religionis catholicae, 166.

LXVII. Confirmatio privilegiorum Congregationis Ioannis Dei sub regulâ S. Augustini, et communicatio indultorum Ordinibus Mendicantium, et praesertim Congregationi Clericorum regularium Ministrantium infirmis, eorumque locis et personis concessorum et concedendorum, 168.

LXVIII. Prorogatio, seu nova concessio indulti iuris nominandi ad canonicatus et praebendas ecclesiarum Coloniensium rectori universitatis Coloniensis, adiectis tamen nonnullis legibus per nominatos servandis, 171.

LXIX. Confirmatio privilegiorum Ordini fratrum Minimorum S. Francisci de Paula concessorum, 177.

LXX. Lucas Antonius Virili commissarius apostolicus deputatur, ut intersit actis a Francisco Maria de Rovere Urbini duce faciendis litterisque scribendis ab ipso, ad fidelitatis iuramentum ab arcium sui dominii praefectis et gubernatoribus locorum Romano Pontifici et reverendae camerae apostolicae praestandum necessariis, 179.

LXXI. Sequitur facultas eisdem apostolicis commissariis recipiendi fidelitatis iuramentum a gubernatoribus, aliisque officialibus Status Urbini sanctae Sedi Apostolicae praestandum, 179.

LXXII. Devoluto ad cameram apostolicam Urbini ducatu, mandatur nonnullis delegatis, curent eos in fortalitia et arces eiusdem ducatus admitti, qui ab haeredibus defuncti ducis Francisci Mariae de Rovere ad inventarium tormentorum, armorum, ceterarumque rerum conficiendum designabuntur, 181.

Idem sequenti anno negocium commissum legitur exarcatus Ravennae praesidi, et provinciae Marchiae gubernatori, altero quidem Brevi eiusdem exempli, cuius summam tantummodo referendum esse censuimus, 182.

LXXIII. Confirmatur decretum regis Hispaniarum circa modum inquirendi de nobilitate et puritate sanguinis, 182.

LXXIV. Revocatis Pauli V litteris, quibus provincias de Peraiba, Itamaraca, Riogrande, et Maranham provinciae de Pernambuco univerat, eaedem provinciae ecclesiae S. Salvatoris restituuntur, 183.

LXXV. Impositio decimae pro episcopo Eystetensi in totâ eius dioecesi, 185.

LXXVI. Translatum generalibus armorum Ferrariae ius super militiâ Bononiensi legato Bononiensi asseritur, 189.

LXXVII. Declaratio, quod indulgentia Portiunculae hoc anno sancto non revocatur, 189.

LXXVIII. Ne fratres reformati Discalceati Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum Hispaniae post emissam professionem, sub quovis praetextu, transeant ad alios quoscumque Ordines, etiam fratrum Minimorum S. Francisci de Paula, excepto Carthusianorum Ordine, 190.

LXXIX. Facultas Lucae Antonio Virili commissario apostolico in dominiis ducis Urbini creandi notarios, 191.

LXXX. Beatificatio venerabilis Servi Dei Iacobi de Marchia, Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia, unâ cum concessione celebrandi de eo missam et officium de communi Confessorum non Pontificum in ecclesiâ dicti Ordinis, ubi corpus eius requiescit, 192.

LXXXI. Indultum recitandi officium et celebrandi missam de beata Clara de Monte Falchio Ordinis Eremitarum sancti Augustini, pro Ordinis praedicti fratribus et monialibus, 192.

LXXXII. Congregationi monachorum Caelestinorum Ordinis S. Benedicti communicantur gratiae et privilegia omnia Congregationi Cassinensi, aliisque monachorum congregationibus concessa et concedenda, 193.

Additur facultas iam a Paulo V concessa abbati generali eiusdem Congregationis eas faciendi functiones, quas alii abbates exempti facere consueverunt, habituque praelatorum regularium,et in monasteriis sui Ordinis pontificalibus indumentis utendi, ac missas solemniter celebrandi, etc., 196.

LXXXIII. Facultas nuncio Poloniae procedendi contra ecclesiasticos, ac etiam contra episcopos et archiepiscopos, qui in regem Poloniae vel eius natos conspiraverunt, 198.

LXXXIV. Adhortatio ad archiepiscopum Arborensem de erigendo seminario, residendo, atque ecclesiâ reparandâ, 199.

LXXXV. Revocatio quarumcumque licentiarum a praedecessoribus Pontificibus loca regularia erigendi, non servatâ formâ constitutionis Clementis VIII et decretorum Sedis Apostolicae, concessarum, quae nondum effectum suum sortitae sunt, ac prohibitio illa de cetero erigendi absque licentiâ Ordinariorum, 199.

LXXXVI. De regularibus apostatis et eiectis, ac de innovatione, declaratione, et observantiâ generalium decretorum, quae Clemens VIII pro regularium reformatione, novitiorumque receptione edidit, 202.

Subsequuntur supradicta decreta generalia Clementis Papae VIII, 205.

Decretum primum de novitiis ad habitum regularem et professionem non admittendis, nisi in conventibus designandis, 205.

Decretum secundum renovationis et ampliationis decreti praedicti, 206.

Decreta alia pro reformatione regularium, tam monachorum, quam Mendicantium cuiuscumque Ordinis et instituti, 207.

Aliud decretum de licentiâ obtinendâ a fratribus Romam venientibus, 211.

Aliud decretum super casuum reservatione ab omnibus regularium Superioribus observandum, 212.

Aliud decretum de formulâ concedendi facultatem pro novitiis ad regularem habitum recipiendis in monasteriis et locis designatis, 213.

Aliud decretum super formâ recipiendi novitios regularium ad habitum et professionem, 214.

Aliud decretum de institutionibus super receptione et educatione novitiorum religiosorum in monasteriis et conventibus designatis vel designandis Clementis eiusdem iussu editum, 215.

LXXXVII. Declaratur indulgentias cruciatae regnorum Hispaniarum non comprehendi in suspensione indulgentiarum occasione anni iubilaei MDCXXV, 220.

LXXXVIII. Deputatio Francisci Ubaldi sacrae rotae auditoris in praesidentem et iudicem probationum equitum religionis Militiae Christianae, 222.

LXXXIX. Revocatio concessionum diversorum officiorum, ac privilegiorum, exemptionum, gratiarum et indultorum, in praeiudicium Sedis et Camerae Apostolicae emanatarum, 222.

XC. Confirmatio erectionis seminarii in dioecesi Cariatensi in oppido Verzini, 233.

XCI. Extensio concessionis recitandi officium et celebrandi missam B. Iacobi de Marchiae Ordinis fratrum Minorum S. Francisci ad omnes fratres

eiusdem Ordinis ubique existentes, 234.

XCII. Declaratio, quod consensus monialium, sine quo mulieres seculares licentiis monasteria ingrediendi uti non possunt, expresse, capitulariter et per secreta suffragia de cetero haberi debeat, 235.

XCIII. Institutio confraternitatis Aulicorum Urbis in ecclesiâ S. Nicolai ad Caesarinos sub invocatione confraternitatis Urbanae, 236.

XCIV. Magno magistro Militiae Christianae facultas conceditur militiae adscribendi eos qui per biennium Sedi Apostolicae inservierint, 238.

XCV. Ecclesiasticis regni Siciliae permittitur, ut quoddam subsidium regi praebere queant, 239.

XCVI. Indultum fratribus Iesuatis sancti Hieronymi Ordinis S. Augustini, quod abiecto caputio albi coloris aliud coloris eorum habitus, eâque formâ, qua ceteri Mendicantes utuntur, deinceps gestare valeant, 242.

XCVII. Confirmatio confraternitatis Musicorum sub Visitationis Beatae Mariae, S. Gregorii Papae, ac Sanctae Caeciliae titulo, antea in ecclesiâ Congregationis Clericorum regularium sancti Pauli Decollati de Urbe institutae, cum indultorum ac indulgentiarum concessione, 243.

XCVIII. Confirmatio constitutionum in collegio Graecorum de Urbe servandarum, 245.

XCIX. Beatificatio venerabilis Servi Dei Francisci Borgia Societatis Iesu, cum indulto recitationis officii ac missae celebrationis, 255.

C. Facultas commissario cruciatae regnorum Hispaniarum publicandi etiam typis litteras apostolicas super indultis eiusdem cruciatae emanatas, 256.

CI. Cavetur, quominus officia tam oneris quam honoris in collegio sancti Francisci de Paula in regione Montium de Urbe pro fratribus Ordinis Minimorum provinciae Calabriae erecto, ab aliis quam ab eiusdem provinciae fratribus exerceantur, 257.

CII. Contra male ad sacros vel minores ordines seu clericalem characterem ordinantes et male ordinatos, 263.

CIII. Praeceptum episcopo Calaguritano et Calceatensi ut ea revocet, quae contra clerum ipsius dioecesis gessit non obstante inhibitione auditoris camerae apostolicae, 265.

CIV. Erectio collegii Hibernorum in oppido Lovanii Mechliniensis dioecesis, 266.

CV. Commissio Berlingerio, episcopo olim Ariminensi, generali totius ducatus Urbini quoad dux vixerit ab ipso deputato gubernatori, ut, eveniente eiusdem ducis obitu, possessionem illius ducatus, civitatum et dominiorum nomine sanctae Sedis et Camerae Apostolicae apprehendat, 268.

CVI. Facultas nuncio apostolico inferioris Germaniae exhibendi habitum Militiae Cristianae tribus personis per consilium eiusdem militiae nominandis, 272.

CVII. Confirmantur constitutiones editae pro collegio Hibernorum Lovanii erecto, 273.

CVIII. Congregationi Oratorii D. N. I. C. Parisiis erectae communicantur privilegia, Congregationi Oratorii a beato Philippo Romae institutae a Romanis Pontificibus concessa, 273.

CIX. Indultum fratribus Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula accipiendi legata cum perpetuo onere missarum et suffragiorum, 275.

CX. Uladislaus, regis Poloniae filius, ense et pileo donatur, 277.

CXI. Praescribitur, quo pacto sanctimoniales, aliique impediti, indulgentias anni sancti lucrari possint, 278.

CXII. Deputatio ecclesiae S. Mariae Transtyberim loco ecclesiae S. Pauli extra Urbem, stante suspicione pestis, unâ cum concessione (cumulative tamen) omnium indulgentiarum ac spiritualium gratiarum dictae ecclesiae S. Pauli concessarum pro praesenti anno sancto, 279.

CXIII. Deputatio ecclesiarum sanctae Mariae de Populo, sanctae Mariae Transtyberim, ac S. Laurentii in Lucina de Urbe, loco ecclesiarum S. Sebastiani, S. Pauli et S. Laurentii extra muros, pro septem Urbis eiusdem ecclesias visitantibus, 280.

CXIV. Monentur locorum Ordinarii, ut christifideles per concionarios hortentur ad succurrendum indigentiis sacrorum locorum Hierusalem, 282.

CXV. Iubet sub poenâ excommunicationis et privationis vocis activae et passivae, ne ex bibliothecâ Genuensi Ordinis Minimorum extrahantur quomodolibet libri, 282.

CXVI. Nuncius apostolicus apud Hispaniae regem collector deputatur pecuniarum ex redditibus cruciatae fabricae basilicae Principis Apostolorum solvendarum, 283.

CXVII. Revocatio litterarum Pauli V, quibus cavetur, quominus beneficia civitatis Calaritanae ex Turritanâ urbe originariis, et vice versâ conferantur, 284.

CXVIII. Erectio custodiae Bavariae fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum in provinciam Reformatorum Discalceatorum Bavariae nuncupandam, cum communicatione omnium gratiarum spiritualium et temporalium provinciis Hispaniarum concessarum, ac nonnullis aliis ordinationibus pro bono huius provinciae regimine, 289.

CXIX. Commissio collectori Portugalliae ut curet in regnis Portugalliae et Algarbiorum supersederi ab exequutione litterarum Gregorii XV de exemptorum privilegiis circa curam animarum et administrationem sacramentorum, monialium monasteria, et praedicationem verbi Dei, 292.

CXX. Indultum Tiniensibus consequendi indulgentiam anni iubilaei in ipsa Tiniensi insulâ, 292.

CXXI. Facultates provinciae Romandiolae praesidi concessae ad annonam in eâdem provinciâ procurandam, 294.

CXXII. Facultas eidem Romandiolae et exarcatus Ravennae praesidi bannitos absolvendi, etiamsi parti laesae non satisfecerint, dummodo abstineant a loco patrati delicti, 295.

CXXIII. Concessio similium facultatum Marchiae Anconitanae gubernatori quoad affictum Montis Marciani, 296.

CXXIV. Mandat metropolitae Russiae ut synodum provincialem singulis quadrienniis celebret, 297.

CXXV. Pisano archiepiscopo committit, ut curet archiepiscopum Mithilenarum a Graecis Liburni commorantibus recipi atque audiri, 298.

CXXVI. Confirmatio quorumdam statutorum ecclesiae metropolitanae Eborensis de probationibus super puritate sanguinis ab iis faciendis, qui ad dignitates, aliaque beneficia eiusdem ecclesiae promoventur, 298.

CXXVII. Ex voto Congregationis Concilii declaratur in translationibus episcoporum ecclesiae vacationem ab eâ die esse computandam, quâ episcopus ab eius vinculo absolvitur in consistorio, 304.

CXXVIII. Adhortatio ad patriarchas, archiepiscopos et episcopos, ut ipsi et

christifideles omnes bonis operibus muniti, Deum pro pace et concordiâ inter christianos principes inducendâ et christiani populi incolumitate assequendâ efficacibus precibus exorent, 305.

CXXIX. Declaratio, quod regnum Portugalliae in legatione Hispaniarum comprehendatur, 307.

CXXX. Prohibet, quominus imagines nondum a Sede Apostolicâ canonizatorum vel beatificatorum cum radiis, splendoribus et laureolis proponantur, vel tabellae et luminaria ad eorum sepulchra apponantur, etc., 308.

Sequitur declaratio praeinsertae prohibitionis, 310.

CXXXI. Confirmatio litterarum Clementis VIII de formâ servandâ in electione generalis, praesidentis, etc., Congregationis S. Ioannis Evangelistae in Portugallia, 311.

CXXXII. Indulgentia plenaria Deum precantibus pro praesentibus Ecclesiae necessitatibus, 315.

CXXXIII. Inquisitori Portugalliae facultas conceditur ad quinquennium absolvendi neohpytos relapsos provinciarum et insularum transmarinarum regi Portugalliae subiectarum, 317.

Sequitur declaratio, quod quinquennium currere incipiat a die publicationis praelatarum litterarum apostolicarum, 319.

CXXXIV. Quod fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini in Hispania et Indiis, ad doctoratus seu magisterii in sacrâ theologiâ gradus promovendi, ab examinatoribus in capitulo generali a priore generali deputandis examinentur, ut magistralibus exemptionibus et dignitate gaudere possint, 320.

CXXXV. Prorogatio proximi capituli generalis Militiae Christianae ad annum, 321.

CXXXVI. Nannetensi episcopo committitur cura monialium reformatarum Ordinis S. Benedicti in Galliis, 322.

CXXXVII. Statuitur presbyteros Congregationis Ioannis Dei non posse missarum eleemosynam percipere, nec ad praelaturas promoveri, praeviisque tantum examinatorum litteris testimonialibus ad sacros ordines esse promovendos, 324.

CXXXVIII. Confirmatio statutorum Militiae Christianae sub titulo Conceptionis B. Mariae Virginis institutae, 325.

CXXXIX. Confirmatio decreti sacrae Congregationis Concilii Tridentini de obedientiâ pro fratribus Ordinis Cappuccinorum provinciae Flandriae, qui ad sacros ordines promoventur, episcopis a provinciali non praestanda, 326.

CXL. Declarat facultates absolvendi ab haeresi et casibus Sedi Apostolicae reservatis et in Bulla Coenae Domini particularibus personis ultra montes per S. S. seu sanctum Officium concessas non comprehendi sub generali suspensione occasione anni sancti, 327.

CXLI. Confirmatio litterarum Pauli Papae V quibus communitati Anconitanae duae tertiae partes pecuniarum ex maleficiis, mulctisque provenientium conceduntur, 328.

CXLII. Beatificatio venerabilis servi Dei Andreae de Avellino Clericorum Congregationis regularium Theatinorum, cum concessione clericis dictae Congregationis ubique existentibus quotannis in die illius obitus missam et officium de communi Confessorum non Pontificum celebrandi, 331.

CXLIII. Iubilaeum pro omnibus utriusque sexus christifidelibus in civitate et

dioecesi Parisiensi commorantibus anno MDCXXVI, 332.

CXLIV. Irritatio decretorum per nonnullos iudices regni Portugalliae contra libertatem et immunitatem ecclesiasticam, ac collectoris eiusque officialium iurisdictionem, latorum, 334.

CXLV. Decreta sacrae Congregationis Concilii de celebratione missarum, ac de prohibitione illas moderandi, seu reducendi, absque Sedis Apostolicae licentiâ, necnon de earumdem oneribus perpetuis suscipiendis, et de religiosorum numero ultra redditus, et consuetas eleemosynas locorum regularium non habendo, 336.

Sequuntur dubia ac declarationes aliquot sacrae Congregationis Concilii SS. D. N. Urbani Papae VIII auctoritate editae super decretis eiusdem Congregationis de celebratione missarum, 340.

Subsequuntur declarationes seu responsiones ad supradicta dubia, 342.

CXLVI. Confirmatur concordia inita inter capitula aliosque ecclesiasticos regnorum Castellae et Legionis super solutione decimae a nonnullis Pontificibus Philippo IV Hispaniarum regi concessae ac prorogatae, 343.

CXLVII. Indultum pro fratribus sancti Francisci de Observantiâ in partibus Indiarum Occidentalium existentibus, quod de suorum superiorum licentiâ a quocumque catholico antistite, de consensu Dioecesani, ad omnes etiam presbyteratus ordines extra tempora et non servatis interstitiis promoveri possint, 351.

CXLVIII. Confirmatio decreti capituli generalis fratrum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis captivorum, quo statuitur, ad solum definitorium spectare nominationem religiosorum ad faciendam redemptionem: cavetur autem, ne bona, ad hunc effectum donata, aliis religiosis, quam, ut praefertur, nominatis tradantur, 352.

CXLIX. Confirmatio nonnullorum decretorum pro reformatione fratrum Ordinis Minorum Conventualium in regno Poloniae, 354.

CL. Mandatum praesidi Romandiolae de capiendâ possessione ducatus Urbini, eveniente ducis obitu, cum facultatibus necessariis et opportunis, 355.

CLI. Erectio collegii nationis Maronitarum in Monte Libano, 358.

CLII. Confirmatio contitutionum collegii Maronitarum in monte Libano erecti, 359.

CLIII. Commissio cardinalibus de la Rochefaucault et de la Vallette in causâ monialium Carmelitarum Discalceatorum regni Franciae vertente inter subdelegatum apostolicum et episcopum Leonensem, 362.

CLIV. Confirmatio decreti Congregationis Concilii, quo declaratur eligi non potuisse a capitulo duos vicarios ecclesiae Limanae, illius Sede archiepiscopali vacante, 363.

CLV. Absolutio regis catholici, eiusque ministrorum a censuris, in quas incurrerant ob exactum quoddam vectigal ab ecclesiasticis ultra sexennium a Paulo V concessum, 364.

CLVI. Quod capitulum generale Ordinis Praedicatorum imposterum quolibet sexennio celebrari debeat, 366.

CLVII. Confirmatio erectionis collegii S. Bonaventurae fratrum Minorum Conventualium Pragensis per Gregorium XV factae, mutato tamen nomine sancti Bonaventurae in nomen S. Antonii de Padua, 367.

CLVIII. Indultum, quod servus Dei Franciscus Borgia, olim dux Gandiae et deinde religiosus professus, ac tertius praepositus generalis Societatis

Iesu, Beatus nuncupari, et in die eius obitus missa celebrari et officium de communi Confessorum non Pontificum in ecclesiis et domibus regularibus dictae Societatis recitari possit, 368.

CLIX. Declaratur Bullam cruciatae et facultatem eligendi confessarium non suffragari canonicis regularibus Congregationis S. Crucis regni Portugalliae, qui in hac subiecti esse debent dispositioni suorum praelatorum, etc., 368.

CLX. Indultum pro Ordine fratrum Minorum officium de sancto Conrado, Tertii Ordinis S. Francisci professore, in die suae festivitatis recitandi sub ritu semiduplici, et de communi unius Confessoris non Pontificis, 370.

CLXI. Prohibitio ne degentes in Statu Ecclesiastico mediate vel immediate Sedi Apostolicae subiecto libros ab eis ubicumque compositos de quacumque materiâ tractantes, absque cardinalis vicarii et magistri sacri palatii in Urbe, et extra eam absque Ordinarii et inquisitoris loci licentiâ alio deferant, aut imprimendos transmittant, 371.

CLXII. Beatificatio servi Dei Felicis de Cantalicio Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Cappuccinorum, ac indultum, quod de eo missa celebrari ac officium recitari possit a fratribus dicti Ordinis in Nancei, Romaricomontis, et Cantalicii oppidis existentibus, et Romae ab omnibus ad ecclesiam ipsius Ordinis, ubi corpus eiusdem requiescit, confluentibus, 371.

CLXIII. Abrogatio omnium indultorum, gratiarum, seu declarationum, quae observantiae regulae S. Francisci quomodolibet contrariae sunt, 373.

CLXIV. Confirmatio nonnullorum statutorum pro studii generalis civitatis Perusinae directione, 374.

CLXV. De bonis iurisdictionalibus ad ecclesias et loca pia spectantibus in feudum vel emphyteusim non dandis, neque ultra triennium locandis aut concessionibus huiusmodi renovandis sive prorogandis, 379.

CLXVI. Indultum, quod fratres Discalceati B. Mariae de Mercede Redemptionis captivorum officium et missam de communi Confessoris non Pontificis recitare possint de S. Raymundo, dicti Ordinis, dum vixit, professore et procuratore generali, ac S. R. E. cardinali, in die suae festivitatis, 382.

CLXVII. Quod in principatu Cathaloniae ac comitatu Rossilionis et Ceritaniae servetur constitutio Gregorii XIV super immunitate ecclesiarum, 383.

CLXVIII. Indultum ac decretum, ut festum sancti Bernardi servetur de praecepto in dominiis Reipublicae Genuensis, ac in regno Corsicae, 385.

CLXIX. Exemptio ab Ordinariorum iurisdictione hospitali S. Antonii de S. Antonio Viennensi a nonnullis Romanis Pontificibus concessa confirmatur, iis exceptis, que respiciunt curam animarum et sacramentorum administationem, 386.

CLXX. Institutio archivii generalis in Urbe, 387.

CLXXI. Confirmatio litterarum Pii Papae V pro sacrâ domo Lauretanâ super notificandis legatis in favorem ipsius domus factis, 392.

CLXXII. Approbatio statutorum pro Ordine fratrum Minorum de Observantiâ editorum in capitulo generali Romae die XVII mai MDCXXV celebrato, 393.

CLXXIII. Super subsidio duodecim millio-

num ab incolis regni Castellae regi catholico persolvendo, 398.

CLXXIV. Confirmatio reformationis canonicorum regularium Congregationis S. Salvatoris in Lotharingia, 400.

CLXXV. Institutio archivii sacri collegii sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium in palatio Vaticano, in quo conservari debeant scripturae, et alia acta ad ipsum collegium quomodolibet pertinentia, necnon processus super qualitatibus promovendorum ad cathedrales ecclesias et monasteria consistorialia coram dictis cardinalibus formati. Ac unio officii secretariatus congregationis cardinalium super provisionibus consistorialibus deputatorum officio clerici Itali dicti sacri collegii secretarii, 402.

Sequitur decretum Romae in palatio apostolico Quirinali feriâ II, die XXII iunii MDCXXVI, in consistorio secreto editum de clavibus aerarii sanctioris, eiusque scriniorum ac portarum fidelius posthac custodiendis, 408.

CLXXVI. Confirmatio statutorum Barchinonensium Ordinis fratrum Minorum de Observantiâ pro ultramontanâ familiâ, novissime Segobiae recognitorum et approbatorum, dummodo sacris canonibus, Concilio Tridentino, constitutionibus apostolicis, ac regularibus ipsius Ordinis institutis non adversentur, 409.

Sequuntur ordinationes factae in generali congregatione, 410.

Decreta sacrae Congregationis a SS. D. N. pro cismontana familia consultationibus praepositae, quae lecta fuere in generali Ordinis congregatione, 412.

Subsequuntur alia decreta sacrae Congregationis a SS. D. N. pro cismontana familia consultationibus praepositae, quae pariter in generali Ordinis congregatione lecta fuere, 416.

CLXXVII. Confirmatio Constitutionis Pauli V circa eleemosynam, quam rectores ecclesiarum parochialium Indiarum occidentalium et orientalium habere possunt ab his, qui in ecclesiis domorum utriusque sexus praefati Ordinis S. Francisci de Observantiâ sepeliuntur, aut pro eorum animâ missas celebrandas reliquerint, cum deputatione haereticae pravitatis inquisitorum pro eiusmodi constitutionis executione, 417.

CLXXVIII. Confirmatio decreti Congregationis concilii quo statuitur, ut archidiacono ecclesiae Vilnensis visitanti dioecesim nomine episcopi non debeantur, nec condonentur distributiones quotidianae, 419.

CLXXIX. Erectio Montis non vacabilis salis, cum annuo redditu scutorum sex pro quolibet loco et amplissimis privilegiis, 421.

CLXXX. Deputatio Torquati de Comitibus in praefectum generalem armorum, necnon tormentorum bellicorum, et militum quos pro recuperatione fortalitiorum et aliorum locorum Vallis Tellinae comitatus Bormii conscribi contigerit, cum facultate recipiendi fortalitia, loca et arma in depositum nomine Sedis Apostolicae, 424.

CLXXXI. Sequitur subrogatio Ioannis Baptistae Nari in locum Torquati de Comitibus locumtenentis generalis militiarum, armorum et propugnaculorum Vallis Tellinae in eventum recuperationis comitatus Bormii, 426.

CLXXXII. Quod fratres Reformati Discalceati Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum Hispaniae in Africa et aliis Turcarum partibus possint celebrare super altare por-

tatili et antequam illucescat dies, ac etiam absolvere fideles a casibus reservatis, necnon eisdem indulgentias impartiri, 427.

CLXXXIII. Confirmatio et approbatio constitutionis Gregorii XV de electione Romani Pontificis, ac coeremonialis continentis illius ritus, 428.

CLXXXIV. Suppressio Congregationis fratrum Reformatorum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium, 431.

CLXXXV. Confirmatio sententiae super rescissione contractus venditionis cuiusdam villae ad praeceptoriam seu commendam militiae de Calatrava spectantis, 434.

CLXXXVI. Martiniani ac Furnenses Iprensis ecclesiae canonici aeque ac Morinenses nuncupati habiles redduntur ad dignitates in eâdem Iprensi ecclesiâ obtinendas, 436.

CLXXXVII. Contra extrahentes seu permittentes ut extrahantur libri ac etiam manuscripta a bibliothecis fratrum Ordinis Praedicatorum, 448.

CLXXXVIII. Confirmatio indulti, a Sixto Papa V capitulo cathedralis ecclesiae Leodiensis concessi, eligendi ad praeposituras et abbatias tum eiusdem capituli, tum etiam collegiatarum illius civitatis et dioecesis, cum concessione alterius indulti quoad resignationes faciendas, 449.

CLXXXIX. Extensio indulti recitandi officium de beato Felice de Cantalicio ad omnes fratres Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Cappuccinorum ubique existentes, 453.

CXC. Declaratio, quod sancta Elisabetha regina Portugalliae Tertium Ordinem S. Francisci expresse fuerit professa, 454.

CXCI. Praecipitur omnibus monachis Ordinis S. Benedicti, ut breviario et missali a Paulo Papa V approbatis utantur, 455.

CXCII. Beatificatio venerabilis Servae Dei Mariae Magdalenae de Pazzis, cum facultate celebrandi missam et officium de eâ Romae et Florentiae, 456.

CXCIII. Confirmatio resolutionis quorumdam dubiorum circa XI, XVII, necnon XXII capita sess. XXV *De Regularibus* Concilii Tridentini per sacram Congregationem factae pro archiepiscopo Manilensi in Indiis, 457.

CXCIV. Facultas regi catholico nominandi iudices ad cognoscendas causas inter archiepiscopum Elborensem et militias S. Iacobi et S. Benedicti de Avis vertentes, ipsi autem archiepiscopo tres ex nominatis iudicibus recusandi, 459.

CXCV. Confirmatio unionis Congregationis Oratorii Aquensis in Provinciâ Congregationi Oratorii Domini nostri Iesu Christi in regno Franciae, 461.

CXCVI. Avocatio quarumcumque causarum inter collectorem generalem spoliorum et commissarium cruciatae in regnis Portugalliae et Algarbiorum, 462.

CXCVII. Sequitur mandatum eidem collectori spoliorum de capiendâ iuridicâ informatione super nonnullis erroneis propositionibus praedicti commissarii cruciatae circa facultatem licentias concedendi missam celebrandi in privatis domorum oratoriis, 464.

CXCVIII. Confirmatio privilegiorum Ordinis Beatae Mariae de Mercede Redemptionis captivorum Recollectorum nuncupatorum, 464.

CXCIX. Commissio Lucano episcopo ministros illius reipubblicae absolvendi a censuris, in quas incurrerant, ob exactum quoddam ab ecclesiasticis vectigal ultra concessionem Sedis Apostolicae, 466.

CC. Facultas clero reipubblicae Lucanae concordandi cum Repubblicâ super exactione et solutione nonnullorum vectigalium, 467.

CCI. Deputatio episcoporum Laudensis et Comensis, ac poenitentiarii ecclesiae Mediolanensis, in protectores collegii Helvetiorum et Rhetiorum eiusdem civitatis, 469.

CCII. Confirmatio constitutionum pro monachorum congregationis Caelestinorum Ordinis S. Benedicti gubernio emendatarum atque editarum, 471.

CCIII. Revocat omnia et singula privilegia, immunitates et exemptiones quorumcumque Ordinum, congregationum et institutorum religiosis in regnis Hispaniarum existentibus tam per Apostolicam Sedem illiusque in dicti regnis nuntios quam eorum superiores concessa, ac prohibet, illa de cetero absque Apostolicae Sedis licentiâ concedi, 472.

CCIV. Tribunalium Urbis iudicibus facultatem elargitur reos, qui aliquod confessi fuerint furtum, de aliis etiam, de quibus accusati non sunt, in genere interrogandi, 473.

CCV. Confirmatio concordiae inter clerum et civitatem Cremonensem initae circa solutionem livellorum ecclesiasticorum, 474.

CCVI. Deputatio poenitentiarii in basilicâ Principis apostolorum pro linguâ graecâ, 476.

CCVII. Facultas deputatis ad regimen domus cathecumenorum et ecclesiae S. Mariae in Montibus de Urbe cogendi notarios ad aperienda et ostendenda testamenta iuxta privilegium fabricae S. Petri, 477.

CCVIII. Declarat litteras Pauli V, super erectione seu renovatione Congregationis Anglicae Ordinis Nigrorum S. Benedicti, loqui de verâ Congregatione, 478.

CCIX. Dividit Congregationem fratrum Eremitarum Discalceatorum Italiae Ordinis S. Augustini in quatuor provincias, videlicet Romanam, Neapolitanam, Genuensem, Siculam, et instituit quatuor provinciales pro earum gubernio usque ad celebrationem futuri capituli generalis ipsius Congregationis, 479.

Sequitur declaratio sacrae Congregationis apostolicae visitationis super facultate quam habere dubitabatur vicarius generalis istorum fratrum eo absente subrogandi alium suo loco cum omnimodâ potestate et iurisdictione, quam ipse vicarius generalis praesens habet, 480.

Subsequuntur decreta generalia pro totâ Congregatione fratrum Discalceatorum S. Augustini Italiae, facta in visitatione, die XXI iunii anni MDCXXVII, 481.

CCX. Confirmantur nonnulla statuta pro Congregationibus Anglica et Hispanica Ordinis sancti Benedicti edita, 482.

CCXI. Mandatum Torquato de Comitibus, ut, eveniente traditione fortalitiorum, propugnaculorum et aliorum locorum Vallis Tellinae, illa recipiat nomine Sedis Apostolicae, 483.

CCXII. Confirmatio erectionis seminarii in civitate Coloniensi pro monachis S. Benedicti Congregationis Bursfeldensis, et illius constitutionum, 484.

CCXIII. Declaratio, quod capitula ecclesiarum cathedralium, quibus S. R. E. cardinales praesunt, ex indultis conferendi beneficia ecclesiatica reservata vel affecta eisdem cardinalibus concessis, nullum ius praetendere possunt, 489.

CCXIV. Declaratio, quod S. R. E. car-

dinales ecclesiarum praesules indulto conferendi beneficia ecclesiastica, ratione ecclesiarum, quibus praesunt, vel quarum regimini ultimo loco cesserunt, dumtaxat uti possint, 490.

CCXV. Commissio episcopo Wratislaviensi apostolicâ confirmandi auctoritate fundationem et erectionem collegii Societatis Iesu in oppido Nissae, cum universitate studii generalis, 491.

CCXVI. Indultum ecclesiasticis regni Sardiniae, ut possint subsidium quadringenta millium scutorum, unâ cum subditis eiusdem regni, regi catholico persolvere, 493.

CCXVII. Confirmatio et innovatio Constitutionis Clementis VIII, qua vult dignitates Linguae Anglicae obtinentes, votum in electione magni magistri hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani non habere, nisi fuerint ex Anglia oriundi, 494.

CCXVIII. Indultum ecclesiasticis regni Valentiae, ut cum laicis subsidium regi tribuere queant in summâ unius milionis et octuaginta millium scutorum, 496.

CCXIX. Declarat confessarios quoscumque per archiepiscopum Limanum approbatos, per archiepiscopum successorem iterum examinari posse; populum vero in Paschate praecepto Ecclesiae non satisfacere, nisi sacram Communionem in propriis parochiis sumat, 498.

CCXX. Facultas cardinali S. Honuphrii capiendi possessionem ducatus Urbini in casu devolutionis eiusdem, 499.

CCXXI. Nuncius apostolicus in regno Neapolis pro tempore existens deputatur conservator praeceptoriae S. Antonii de S. Antonio extra portam Capuanam, 503.

CCXXII. Revocatio omnium gratiarum exemptionum, indultorum, ac privilegiorum quomodolibet concessorum assistentibus ultramontanis prioris generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini absolutis ab eorum officio, quo peracto, ad suas provincias redire tenentur, 504.

CCXXIII. Confirmatio cuiusdam decreti magni magistri et consilii hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani super receptione Helvetiorum ad habitum militiae, 505.

CCXXIV. Pro confraternitate Musicorum in ecclesiâ clericorum regularium S. Pauli Decollati de Urbe aliàs institutâ, revocatio prohibitionis, de qua in § VI, ac indulti, de quo in § VII constitutionis confirmatoriae ipsius, 507.

CCXXV. Nonnullae ordinationes pro missis in ecclesiâ sancti Gregorii de Urbe celebrandis, et recipiendis eleemosynis, 508.

CCXXVI. Prior praedicti monasterii S. Gregorii Congregationis Camaldulensium censetur etiam procurator generalis ipsius Congregationis, 509.

CCXXVII. Confirmantur duo decreta super validitate professionum a fratribus et monialibus Tertii Ordinis S. Francisci de Poenitentia congregationis Galliae emissarum, lata a praeside et assistentibus capituli generalis eiusdem congregationis a Francisco cardinali Barberino Apostolicae Sedis in Galliam legato deputatis, 510.

CCXXVIII. Quod personae, per regem catholicum ad beneficia eius iurispatronatus praesentandae, teneantur in actu praesentationis cavere de solvendo fructus unius mensis eidem regi concessos, 514.

CCXXIX. Declarat monachos monasterii Ripolensis, Ordinis S. Benedicti, teneri ad recitandum officium B. Mariae

Virginis et Defunctorum quotidie, iuxta veterem consuetudinem, 515.

CCXXX. De modo conferendi gradus doctoratus per archiepiscopos et episcopos Indiarum occidentalium, 515.

CCXXXI. Statuitur, quod ditiora monasteria Ordinis Carthusiensis pauperioribus monasteriis pecunias ad censum concedere, et ad id per capitulum et priorem generalem cogi possint, 517.

CCXXXII. Statuit tollendum esse abusum immittendi ferocem taurum in ecclesiam S. Marci Pacensem in vigiliâ et festo ipsius Sancti, ac mandat episcopo, ut curet huiusmodi abusum radicitus aboleri, 518.

CCXXXIII. Confraternitas sub titulo *Communionis hierarchiae plenitudinis aetatis Iesu Christi* erigitur in archiconfraternitatem, et confratribus nonnullae conceduntur indulgentiae, 519.

CCXXXIV. Mandatur archiepiscopis et episcopis Indiarum, ut prohibeant recipi mulieres in monasteriis monialium, nisi monasticum habitum induere velint, 521.

CCXXXV. Divisio Congregationis Clericorum regularium Minorum nuncupatorum in duas provincias, cum nonnullis statutis, 522.

CCXXXVI. Commissio archiepiscopo Tarsensi, provinciae Romandiolae praesidi, cognoscendi causas super devolutione nonnullorum castrorum ad mensam episcopalem Brittonoriensem spectantium, 523.

CCXXXVII. Facultas episcopo Iaponensi procedendi contra regulares non parentes nonnullis decretis sacrae Congregationis de Propagandâ Fide, 525.

CCXXXVIII. Suppressio unius canonicatus et praebendae in qualibet, tam ex metropolitanis, quam aliis cathedralibus et collegiatis ecclesiis Indiarum, qui primo vacaverint, et applicatio fructuum Officio Inquisitionis, 526.

CCXXXIX. Suppressio officii perpetui praefecti computorum datariae apostolicae, et reductio ad officium amovibile receptoris pecuniarum, 527.

CCXL. Litterae, quae in die Coenae Domini singulis annis solent publicari, 530.

CCXLI. Confirmatio decreti Congregationis Concilii, quo declaratur regulares exercentes curam animarum in dioecesi Manilensi subesse iurisdictioni archiepiscopi in his quae ac dictam curam pertinent, 537.

CCXLII. Declaratio, quod beata Maria Magdalena de Pazzis Florentina, dum vixit, Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo monialis extitit, 538.

CCXLIII. Extinctio assertae cuiusdam Congregationis sancti Pauli primi eremitae in regno Galliae, 540.

CCXLIV. Nova erectio collegii Illyrici in civitate Lauretana pro adolescentibus ex Illyricis provinciis sumptibus domus Lauretanae educandis, cum privilegiorum et indultorum elargitione, 541.

CCXLV. Confirmatio et innovatio constitutionum Sixti V, Clementis VIII et Pauli V super prohibitione alienandi fortalitia et castra, aliaque bona iurisdictionalia in Statu Ecclesiastico existentia, absque Sedis Apostolicae licentiâ. Earumque declaratio et extensio respective quoad castra diruta, tenutas et praedia etiam non iurisdictionalia in confinibus loci iurisdictionalis, etsi bona in dicto Statu in confinio principum exterorum sint, illorumque locationes et censuum annuorum super praemissis omnibus impositiones, et impositorum venditiones, 547.

CCXLVI. Nova erectio collegii in civitate

Pragensi regni Boëmiae pro adolescentibus Germanicae nationis; ac reddituum attributio, indultorumque concessio et communicatio, 551.

CCXLVII. Nova institutio collegii in civitate Viennae Austriae pro scholaribus Germanicae nationis, cum proventuum assignatione et communicatione privilegiorum, 556.

CCXLVIII. Declaratio, quod fratres Cappuccini sunt vere fratres Minores Ordinis S. Francisci, ac ex illius verâ et nunquam interruptâ lineâ descendunt, sub illius regulâ militant et militarunt, 561.

CCXLIX. Facultas Antonio cardinali Barberino, in casu devolutionis Status Urbini, inspiciendi et retinendi scripturas ad Sedem Apostolicam pertinentes, ac declarandi infra duos menses, quam tormentorum bellicorum et aliorum quorumvis armorum nec non salis quantitatem pro eâdem Sede voluerit, 563.

CCL. Confirmatio nonnullorum capitulorum, quae inita sunt inter fratres Ordinis beatae Mariae de Mercede Redemptionis captivorum, occasione separationis Discalceatorum a Calceatis, 565.

CCLI. Committitur collectori spoliorum in regno Portugalliae, ut officiales camerae Ulyssipponensis absolvat a censuris in quas incurrerant ob exacta ab ecclesiasticis nonnulla vectigalia ad derivandam aquam in urbem, in alios vero usus impensa, 568.

CCLII. Commissio eidem collectori permittendi impositionem vectigalis etiam ecclesiasticis super aquâ dulci Ulyssiponem inducendâ, 570.

CCLIII. Revocatio reservationum pensionum perpetuarum super beneficiis ecclesiasticis ad collegiorum et piorum locorum favorem factarum et indultorum imponendi pensiones etiam temporales quibusvis concessorum, 573.

CCLIV. Erectio collegii Urbani de Propaganda Fide, 574.

CCLV. Instructio particularis circa conficiendos processus inquisitionis in qualitates eorum, qui promovendi sunt ad regimina cathedralium, aut aliarum superiorum ecclesiarum, vel monasteriorum, ut in dictis processibus conficiendis serventur sacri canones, Concilium Tridentinum, et constitutio Gregorii Papae XIV super formâ huiusmodi processuum conficiendorum, 581.

CCLVI. Facultas episcopo Cesenatensi, Status Urbini gubernatori, auctoritate et nomine sanctae Sedis prohibendi quibusvis subditis Sedis Apostolicae ecclesiasticis et secularibus, etiam principibus, ne, eveniente obitu ducis Urbini, populos ad arma convocare, militum copias cogere, etc., audeant, 589.

CCLVII. Confirmatur decretum Congregationis Concilii super matrimoniis, quae inter transferentes domicilium contrahuntur, 591.

CCLVIII. Iubilaeum christifidelibus in Æthiopiae imperio commorantibus, 592.

CCLIX. Indultum celebrandi missam et recitandi officium die v februarii de vigintitribus Martyribus ex Ordine fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ provinciae Discalceatorum sancti Gregorii Philippinarum et Iaponiae, pro fratribus dicti Ordinis ubique existentibus, et pro aliis quibuscumque Manilensis dioecesis tantum, 593.

CCLX. Indultum celebrandi missam et recitandi officium de tribus Martyribus Paulo Michi, Ioanne de Goto, et Didaco Quizai, e Societate Iesu,

quotannis die quintâ februarii pro omnibus dictae Societatis religiosis, 594.

Sequitur decretum sacrae rituum Congregationis, quo praedictum indultum extenditur ad omnes sacerdotes tam seculares quam regulares ad ecclesias dictae Societatis confluentes, 595.

CCLXI. Praefigitur terminus trium mensium ab istius Constitutionis publicatione partibus ad retractandum omnia contra constitutiones Sixti V, Clementis VIII et Pauli V super prohibitione alienandi fortalitia et castra, aliaque bona iurisdictionalia in Statu Ecclesiastico existentia, absque Sedis Apostolicae licentiâ, et contra illarum declarationem et extensionem respective quoad castra diruta et alia in eis expressa a Sanctitate Sua emanatas, gesta, et notariis etiam Sedis Apostolicae, etiam de numero participantium, ad instrumenta, de quibus sunt rogati, exhibendum, et in eorum margine cassationes adnotandum; et insuper mandatur testibus, quatenus contractus omnes, quibus interfuerint, intra similem terminum a die contractus, revelare et de eis notam dare debeant, 596.

CCLXII. Erectio Congregationis super confinibus Status Sedis Apostolicae mediate vel immediate subiecti, cum deputatione illius praefecti et consultorum, et facultatibus eisdem concessis, 599.

CCLXIII. Indultum recitandi officium et celebrandi missam de beata Rita de Cassia Ordinis Eremitarum S. Augustini pro universi Ordinis praedicti fratribus et monialibus, et pro aliis in tota Spoletana dioecesi, 603.

CCLXIV. Facultas erigendi hospitium in partibus Africae pro sex religiosis Congregationis B. Mariae de Mercede Redemptionis captivorum Disalceatorum seu Recollectorum nuncupatorum, 604.

CCLXV. Ecclesiasticis regni Galliarum facultas concedit subsidium regi praestandi pro haereticorum profligatione, 606.

CCLXVI. Societas monachorum S. Benedicti Reformatorum provinciae Britannicae Congregationi sancti Mauri eiusdem Ordinis in Gallia erectae unitur, 608.

CCLXVII. Ratificatio actorum per Torquatum de Comitibus in restitutione tormentorum bellicorum et aliarum rerum in fortalitiis Vallis Tellinae existentium comiti Aloysio Trotto procuratori a gubernatori Mediolanensi nomine regis catholici deputato, 609.

CCLXVIII. Nonnullae indulgentiae pro exercitu regis Poloniae contra haereticos Prussiae profecturo, 610.

CCLXIX. Subsidium decies centenorum millium scutorum clero Galliarum imponitur regi persolvendum, 611.

CCLXX. Confirmatio et innovatio constitutionis Pii Papae V contra monetarios, eiusdemque ad quascumque personas ecclesiasticas, seculares ac cuiusque Ordinis necnon etiam Militiarum regulares, 614.

CCLXXI. Confirmatio decreti Congregationis sacrorum rituum super praecedentiâ confratrum Ordinis Ioannis Dei, ac fratrum Ordinum mendicantium; et quarumcumque controversiarum super praemissis pendentium extinctio, 617.

CCLXXII. Liparensem ecclesiam a iure metropolitico Messanensis eximit, et Sedi Apostolicae immediate subiicit, 618.

CCLXXIII. Nuntius Hispaniarum commissarius deputatur ad exigendam summam mille quingentorum scutorum, seu eius residuum, pro fabrica ecclesiae S. Ioannis Lateranensis ratione ampliationis facultatum cruciatae impositam, 621.

CCLXXIV. Extensio indulti recitandi officium et celebrandi missam de beata Maria Magdalena de Pazzis in omnibus ecclesiis tam in dioecesi Florentina quam in universâ ditione temporali magni ducis Hetruriae, 622.

CCLXXV. Prohibitio transeundi ab Ordine fratrum Reformatorum B. M. de Mercede Redemptionis captivorum, ad fratres Calceatos eiusdem Ordinis, absque Romani Pontificis expressâ licentiâ, 623.

CCLXXVI. Statuta nonnulla pro reformatione monachorum Ordinis sancti Benedicti Congregationis S. Mauri, 624.

CCLXXVII. Extensio concessionis de beata Rita de Cassia Ordinis S. Augustini recitandi missam pro confluentibus ubique terrarum ad ecclesias praedicti Ordinis, et in tota Spoletana dioecesi ad omnes ecclesias, 631.

CCLXXVIII. Confirmatio privilegiorum ac iurium ecclesiae et capituli S. Mariae ad Martyres super plateâ ante ipsam ecclesiam, 631.

CCLXXIX. Deputatio exequutorum alternativae circa electionem provincialium, dignitatum ac officiorum fratribus Ordinis Eremitarum sancti Augustini provinciae Mechoacanae, 641.

CCLXXX. Confirmatio decreti sacrae Congregationis Concilii, quo declaratur constitutionem Gregorii XV de conservatoribus editam non afficere religionem Hierosolymitanam, nisi quoad iudices conservatores, eidemque militiae adhuc ius eiusmodi iudices conservatores eligendi competere, 642.

CCLXXXI. Indultum clero regni Poloniae elargiendi regi subsidium, 643.

CCLXXXII. Extensio indulti recitandi officium et celebrandi missam de beato Felice de Cantalicio Ordinis Cappuccinorum in eius festo ad omnes sacerdotes ad ecclesias eiusdem Ordinis confluentes, 644.

CCLXXXIII. Ampliatio Constitutionis Clementis VIII contra non promotos ad sacri presbyteratus ordinem, sacramentales confessiones audientes, aut missam celebrantes, curiae seculari, previâ degradatione, tradendos, editae, nec aetate minori xxv annis excusentur, dummodo xx aetatis annum compleverint, 646.

CCLXXXIV. Confirmatio et innovatio regulae cancellariae, decreti camerae apostolicae, et constitutionum Iulii quoad fructus beneficiorum ecclesiasticorum inexactos, 647.

CCLXXXV. De electione priorum provincialium ac celebratione capitulorum provincialium necnon de modo regendi et gubernandi provincias fratrum Discalceatorum Ordinis Eremitarum S. Augustini Congregationis Italiae, 652.

CCLXXXVI. Indictio universalis iubilaei ad agendas gratias et divinam opem in imminentibus Ecclesiae necessitatibus implorandam, 654.

CCLXXXVII. Erectio unius cathedrae eloquentiae, sive rhetoricae, in publico Urbis gymnasio, pro uno ipsius rhetoricae lectore et professore, cum annuae provisionis assignatione, necnon privilegiorum et indultorum, quibus alii dicti gymnasii cathedratici gaudent, communicatione, eiusdemque concessio Augustino Mascardo, 657.

CCLXXXVIII. Revocatio decreti editi in capitulo fratrum Ioannis Dei, quo

conceditur cuilibet sacerdoti dicti Ordinis, ut duas missas singulis hebdomadis celebrare, et de earum eleemosynis ad sui libitum disponere possent; ac prohibitio, ne dicti sacerdotes exerceant officia et dignitates, quae in eâdem Congregatione exerceri solent, 658.

CCLXXXIX. De electione praefecti generalis, consultorum et arbitri Congregationis Clericorum Regularium ministrantium infirmis, 659.

CCXC. De electione definitorum Congregationis Cassinensis, aliàs sanctae Iustinae de Padua, Ordinis sancti Benedicti, ac de eorumdem vacatione ab officio; necnon de auctoritate dietae circa dispositiones abbatum, eorumque mutationes, ac eorum, qui decanatus munere digni sunt, electionem, 661.

CCXCI. Confirmatio constitutionum Urbanarum fratrum Minorum Conventualium Ordinis S. Francisci in capitulo generali dicti Ordinis anno MDCXXV celebrato pro feliciori ipsius Ordinis progressu editarum, ac de mandato Urbani VIII examinatarum, cum annullatione quarumcumque aliarum constitutionum praedictis repugnantium, 663.

CCXCII. Concessio ecclesiae S. Laurentii in Fonte, in regione Montium sitae, confraternitati Aulicorum, ad pia opera per eius confratres in ipsa exercenda, 664.

CCXCIII. Super prohibitione, ne sacerdotes Ordinis S. Ioannis officia habeant, sequitur declaratio, quae nominibus officiorum et dignitatum intelligenda sint, ac poenarum inflictio eligentibus ac electis contra formam huius constitutionis.

CCXCIV. Nova erectio seminarii apostolici Cariatensis, cum assignatione aedificiorum et possessionum, 668.

CCXCV. Approbatio et confirmatio nonnullarum constitutionum pro tutiori fratrum Discalceatorum Reformatorum Ordinis S. Augustini Congregationis Galliae gubernio editarum, 669.

CCXCVI. Ordinationes et leges servandae in electione magni magistri hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, 672.

CCXCVII. Confirmatio unionis Congregrationis Presbyterorum Oratorii B. Mariae gratiarum in provinciâ Provinciae Congregationi Oratorii D. N. Iesu Christi, 677.

FINIS TOMI DECIMITERTII.

V. ex delegatione D. D. Archiepiscopi Taur.
P. CLODOVAEUS A COSTILIOLIS Ord. Min.

ERRATA-CORRIGE

HUIUS NOSTRAE EDITIONIS.

IN TEXTU.

Pag.	71 *a*	linea	5 *ult.*	legati	*Lege*	ligati
»	158 *a*	»	3-4	natione et provinciâ	—	natione, et provincia,
»	189 *a*	»	17 *ult.*	Gregorius	—	Gregorio
»	250 *b*	»	15 *ult.*	quae	—	quae[1]
»	268 *a*	»	17	Senogalliensis et Pisaurensis	—	Senogalliensem et Pisaurensem
»	287 *b*	»	2 *ult.*	Calaguritanum (A)	—	Calaritanum (1)
»	292 *a*	»	10	Dalloto (B)	—	Pallotto (2)
»	434 *b*	»	6 *ult.*	recepi (C)	—	recipi
»	459 *b*	»	3 *seq.*	Elborensem (D)	—	Eborensem (3)
»	504 *a*	»	17	martii	—	octobris
»	550 *b*	»	9 *ult.*	iulii	—	iunii
»	594 *a*	»	9	Nangasa qui	—	Nangasaqui
»	595 *a*	»	23-24	Nangasa, qui	—	Nangasaqui
»	595 *b*	»	1	supplicarunt) deveniatur	—	supplicarunt, deveniatur)
»	619 *b*	»	2 *ult.*	si qua	—	si quae

IN NOTIS.

Pag.	114 *a*	»	1 *ult.*	Inscrutabili	*Lege*	Imperscrutabili
«	170 *a*	»	1 *ult.*	qua	—	quae
»	330 *b*	»	1 *ult.*	provenientium	—	provenientia
»	452 *a*	»	1 *ult.*	non intellige	—	non intelligo
»	512 *b*	»	1 *ult.*	meto	—	moto
»	516 *b*	»	3 *ult.*	aliàs	—	alias
»	544 *b*	»	1 *ult.*	et illas	—	ut illas
»	585 *b*	«	1 *ult.*	saepe dictam	—	super dictam

(A) Ex edit. Main. Tom. V, Parte V, *pag.* 304 *b* linea 31
(B) Ex edit. Main. *id.* *id.* » 307 *a* » 22 *ult.*
(C) Ex edit. Main. *id.* *id.* » 401 *b* » 7
(D) Ex edit. Main. *id.* *id.* » 416 *a* » *seq.*

(1) Sic puto esse corrigendum, nam Calaguris in Hispania est.
(2) Sic puto esse legendum ut pag. 334 et alibi.
(3) Sic puto emendandum, nam Ebora civitas est in regno Portugalliae, Elbora nullibi esse puto.

Typothetarum specimina
repetitis curis contulit et revisit I. B. Dusso Taurinensis.

262.11
T 195
AUTHOR TAURINENSIS
Bullarium Diplom et Privilegiorum
TITLE Tome XIII
DATE DUE
BORROWER'S NAME
25403
PRINTED IN U.S.A.
25403